UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00001393 8

HANDBOUND
AT THE

UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/s1s2operaomniare09platuoft

6775
I
84

LGr
P718St

PLATONIS OPERA OMNIA.

RECENSUIT ET COMMENTARIIS INSTRUXIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

PA
4279
A2
1827
v.9
Sect 1-2

VOL. IX. SECT. I.

CONTINENS

POLITICUM ET MINOEM.

GOTHAE
SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.
MDCCCXLI.

Londini apud Black et Armstrong.

PLATONIS

POLITICUS

ET

INCERTI AUCTORIS

MINOS.

RECENSUIT,

PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

28817

GOTHAE
SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.
MDCCCXLI. /841
Londini apud Black et Armstrong.

ERFORDIAE
TYPIS HENNINGS & HOPE.
1841.

PROLEGOMENA

AD

POLITICUM PLATONIS.

PROLEGOMENA

AD

POLITICUM.

De Politico Platonis, hoc est eo libro, qui nondum a quoquam ita illustratus est, ut vel mediocriter satisfactum desideriis hominum doctorum videri debeat, licebit hic exponere uberius et copiosius, quam id de aliis Platonis operibus facere soliti sumus. Qua in re sic versabimur, ut quae nuper in Diatribe de Politico Platonis Lipsiae, 1840. 8. seorsum edita commentati sumus, ea partim plenius exposita, partim etiam in brevius contracta iteremus, pauca quaedam etiam emendemus, quae fortasse paullo inconsideratius fuerint proposita. Tenebimus autem hunc in disputatione nostra ordinem. Primum exponemus universi dialogi summam, quo facilius intelligatur, quidnam illud sit, de quo deinceps explicari oporteat. Deinde exquiremus tempora, quibus librum scriptum esse verisimile sit. Tum docebimus, eius argumentum atque rationem in illa tempora optime congruere, adeoque copulationem ipsius cum Theaeteto, Sophista et Parmenide exinde posse declarari. Quibus expositis accedemus ad illustrandam disserendi methodum in eo regnantem, et quaenam sint eius caussae et rationes exponere studebimus. Tum tres operis partes principales argumenti habita ratione singulas deinceps examinabimus, quaeremusque quidnam illud sit, quod de rebus civilibus atque viro scientia ci-

vili praedito doceatur. Denique de universi operis arte singularumque partium convenientia dicemus additis etiam admonitionibus quibusdam de iis Platonis scriptis, quae cum Politico ita cohaerere videantur, ut eorum tanquam semina in illo inclusa esse iudicanda sint. Quibus omnibus expositis futurum erit, opinor, ut de totius operis praestantia atque pretio rectius quam vulgo existimetur. Itaque primum argumentum Dialogi exponemus. Quod quidem hoc est.

Colloquentes inducuntur Socrates, Theodorus Cyrenaicus, hospes Eleaticus et Socrates adolescens. Hi omnes iam in Theaeteto et Sophista partes disserendi habuerunt praeter unum Socratem adolescentem, quanquam hic pristinis sermonibus item interfuit. v. Theaet. p. 147. C. et Sophist. p. 218. B. Sed idem ille nunc in locum Theaeteti ita succedit, ut condiscipuli, disputandi labore defatigati, partes suscipiat. Enimvero Theaetetus sicuti cum Socrate insignem quandam vultus et ingenii similitudinem habere videbatur, ita iuvenis Socrates, pariter ingeniosus, eundem attingebat cognatione nominis. Quamobrem sapiens ille Socrates ipse suadet, ut hospes Eleaticus iam hunc disputandi socium assumat. Ipse vero rursus per totum fere sermonem tacitus auditor assidet neque se sermoni immiscet nisi singulari aliqua dicendi opportunitate oblata.

Initio colloquii Socrates Theodoro multas agit gratias, quod ipsi occasionem cognoscendi Theaeteti atque Hospitis dederit. Tum ille: Triplicem vero gratiam mihi habebis, ubi viri civilis atque philosophi perfecerint imaginem. Cui Socrates perquam urbane: Tene vero, hominem mathematicis studiis deditum, ita peccare potuisse, ut hos plane aequiparaveris, quum tamen alter ab altero maximo distet intervallo! Fatetur Theodorus errorem suum, siquidem philosophus utique virum civilem dignitate sua longissime superare existimandus sit. His vero ita dictis, precibus adeunt hospitem Eleaticum, ut inchoatum sermonem persequatur et ad exitum perducat. Quod ille ita ab se factum iri pollicetur, ut post Sophistam iam virum civilem *) indagandum explo-

*) Ita interdum brevitatis caussa dicere cum Sancto Augustino licebit virum rerum civilium gnarum et peritum, hominem civili prudentia ornatum. Novimus enim Latinos veteres non ita loquutos esse. At iidem tamen di-

randumque esse statuat. Aggreditur igitur rem protenus sic, ut eodem dividendi artificio utatur, quo usum ipsum in Sophista esse novimus. P. 257 — 258. C. Disputat autem hunc in modum.

Quicunque reipublicae gerendae peritus videri vult, is scientiam aliquam atque artem teneat prorsus necesse est. Ex quo sequitur, ut varia scientiae artisque genera exploranda sint, quo definiatur plene accurateque, quaenam ars et scientia viro rerum civilium perito attribui debeat. Sunt vero duo summa genera omnis scientiae, quorum alterum versatur in rerum consideratione, quae actionis caret adiumento; alterum continetur in agendo, ut perficiantur ea, quae intellecta atque cognita sunt. Igitur scientiam vel *πρακτικήν* vel *γνωστικήν* esse rectissimo iudicio statuemus. Iam vero ea ars ac scientia, qua hominibus sive in civitate sive in domo ac familia sua viventibus imperatur, si summam rei spectes, una est atque eadem: nam rex pariter atque dominus et paterfamilias non manibus aut pedibus, aut alia quapiam corporis parte, sed uno mentis consilio et intelligentia in imperando utuntur. Quamobrem iis *γνωστική* tribuenda erit. Quae quidem dubitari non potest quin etiam viro civili sit propria. Is enim etsi non ipse imperat, tamen quoniam imperantibus consilio suo adest, civilis artis peritus sit prorsus necesse est. Itaque ars civilis pro parte haberi debet *τῆς γνωστικῆς*. P. 258 C. — 259. D. Atque hanc ipsam ob causam iam rursus videndum erit de eius artis divisione, quae in cognoscendo versatur. Est autem illa rursus duplex: nam aut verum diiudicat tantum et agnoscit, estque tota *κριτική*; aut imperat simul et quid singulis hac aut illa in re faciendum sit, indicat, ideoque *ἐπιταχτική* appellari potest. Posteriorem partem apparet viro civili attribui oportere. Quamobrem ea ipsa iam bifariam nobis dividenda est. P. 259. D. — 260. C. — Apparet autem eos omnes, qui im-

---

xerunt similiter scientia civilis, ratio civilis, h. e. rerum civilium. Dandum igitur in his aliquid est brevitati, quae et ipsa est perspicuitatis adiutrix. Volumus ergo virum civilem intelligi eum, qui vel in rebus civilibus tractandis versatur, vel rei publicae administrandae peritiam tenet aut tenere putatur. Graecum *πολιτικός* eo quidem sensu, quo dixit Plato, vix poteris nomine Latino plene accurateque exprimere.

perant, aut sua auctoritate ita facere, aut ab aliis mandata imperare, quod postremum a praeconibus aliisque id genus hominibus fieri solet. Igitur ἐπιταχτική est vel αὐτεπιταχτική, vel ea ars, quae aliorum voluntatem aliis indicat. P. 260. C. — 261. A. — Iam vero propria qui imperant auctoritate, ii imperium aut in animantia exercent, aut rebus inanimatis quid fieri velint praescribunt, veluti fabri lignarii aliique opifices. Regia autem scientia quoniam inter animantia potestatem suam exercet, rursus videndum erit, quomodo ἡ αὐτεπιταχτική, quae ad animalia pertinet, dispertienda sit. P. 261. A — D. — Discerni igitur possunt duo animalium genera, bruta atque homines. Hanc tamen divisionem reprehendit hospes Eleaticus. Quippe censet ille, isto quidem modo unam aliquam partem a toto divelli, non generis formam commemorari. Etenim ubi formae generis enumerentur, ibi versandum esse sic, ut nihil omittatur, quod inter summum genus atque eius formam aliquam in medio situm sit. Differre enim partem a forma ac specie generis sic, ut quaelibet species quum pro parte totius habenda sit, tamen non item quaelibet pars alicuius rei species atque forma generis esse putari debeat *). Quodsi igitur aliquis animalia dividat in bestias et homines, eum non minus peccare, quam si homines omnes in Graecos et barbaros dispertiatur; licere enim similiter universum genus humanum in barbaros et Phryges vel Lydos dispescere, aut animalia omnia dividere in grues et reliqua. P. 261. D. — 263. E. — Caveamus igitur, inquit, ne, quo citius ad artem civilem perveniamus, divisionem nostram praecipitemus. Age vero, rursus ab initio conemur communem animalium pastionem distribuere. Sunt igitur animalia, quae communiter pascuntur, vel aquatilia, veluti pisces, qui in Nilo et lacubus regiis mansuefiunt, vel terrestria, ut anseres et grues Thessalici. Itaque communis pastionis scientia tanquam partes sibi subiectas habet τὸ ὑγροτροφικόν et τὸ ξηροτροφικόν. Iam vero regium munus pertinere manifestum est ad pastionem animalium in sicco viventium. Hanc igitur rursus dividamus in pastionem volatilium et pedestrium animalium. Posteriorem

*) De hoc ipso artis dialecticae loco subtilius in Philebo explicatur p. 17. A sqq.

quum ars civilis attineat, oportet bifariam divisam poni. At vero ad quam partem nostra tendit oratio, eam vero aut breviore via et quasi compendiaria licet distribuere, aut dispertiri sic, ut omnes ac singulas formas ac species in medio sitas accuratius investigemus ac diligentius persequamur. Age igitur, utramque viam ordine deinceps experiamur. Et primum quidem tentemus longiorem; tum breviorem videamus. P. 263. E — 265. B. — Pedestria igitur animalia, quotquot gregalia et cicura habentur, aut cornua habent nulla aut cornigera sunt. Ac regem quidem nostrum apparet gregem pascere cornibus mutilum et carentem. Haec ipsa vero animalia aut promiscuum habent ortum aut proprium atque suum. Posteriori generi quum rex et vir civili prudentia ornatus prospiciat, iam rursus illud bifariam est discriminandum. Dividi autem rectissime poterit in quadrupes atque bipes. Ex quibus quum posterius regi ac viro civili subiectum sit, si idem bifariam dispescatur, profecto plane ridiculum quiddam eveniet, siquidem generi humano iam apparet iunctum et consociatum fore genus avium, quod est omnium velocissimum et expeditissimum, quum tamen postremo in hac nostra divisione in medium prodierit, et bellissimos scilicet ac generosissimos regem hominum socios atque comites esse habiturum. At nimirum hic illud est recordandum, de quo in quaestione de Sophista instituta diximus, non id esse curandum in eiusmodi disputatione, quale quidque sit, quod exquiratur, sed illud unice spectari oportere, ut verum investigetur. P. 265. B — 266. D. — Sed ingrediamur nunc etiam viam breviorem ad regis definitionem perducentem. Poteramus igitur genus terrestre statim dividere in bipedes et quadrupedes. Et quum animadvertissemus humanum genus idem esse sortitum, quod genus volatilium, licebat bipedum gregem dissecare in nudum et pinnatum. Hoc autem facto, declarata hominum pascendorum arte, proferre poteramus virum civili prudentia insignem ac regium eique committere tandem civitatis habenas. P. 266. D — E. —

Ex his omnibus nunc facile intelligetur, artem civilem sive regiam esse eam, quae homines una degentes alat atque pascat.

At enim vero magnopere hic verendum est, ne viri civili prudentia ornati atque regis munus non satis accu-

rate exploratum habeamus. Prodibunt enim alii plurimi, qui eandem illam laudem, quam huic uni attribuimus, item affectent, veluti agricolae, pistores, medici, alii, qui similiter atque ille arte hominum alendorum occupati sunt. Imperfecta igitur nostra viri civilis atque regis descriptio est: quae quo fiat plenior accuratiorque, ita ut virum regium exhibeat purum atque solum et a ceteris omnibus segregatum, rursus ab initio aliam nos viam ingredi oportet. Adhibeamus igitur ad rem praesentem fabulam quandam, qua enarrata rursus, ut antea, partem parti adimamus, usque dum ad id perventum fuerit, de quo quaeritur. P. 266. E — 268. E.

Quum igitur alia multa prodita sint antiquitus ad posteritatis memoriam, quae mira videantur, tum memorabile inprimis est prodigium illud, quod propter Atrei et Thyestis immanitatem a diis editum est, siquidem tunc solis reliquorumque siderum cursus repente inflexus et mutatus esse narratur. Non minus mirum est illud, quod de temporibus Saturni perhibetur, homines tum non ex se fuisse procreatos, sed ex terra ortos. Nimirum haec aliaque multa, quae in fabulis obscurius narrantur, explicationem habent suam ex uno eodemque rerum statu, qui priscis aliquando fuit temporibus: quem quum nemodum descripserit, ego iam ita describere conabor, ut tota rei expositio ad regem informandum accommodate fiat.

Itaque hoc universum, quod in orbem rotatur, modo Deus ipse ducit et circumagit, modo dimittit liberum. Et hoc quidem ita fit, ubi certi quidam temporis Deo destinati circuitus expleti sunt. Tum vero universum sua sponte rursus in contrariam movetur partem: accepit enim a mundi auctore animum atque mentem, ut sponte sua agere ac se movere queat. Quod autem universum, ubi Deus ipsum gubernare desiit, in contrariam partem volvitur, eius rei caussa haec est. Solis rebus divinis convenit, ut semper uno eodemque sese modo habeant; contraria corporum ratio est. Iam quod coelum et mundum solemus appellare, id multa quidem praeclara ab auctore suo accepit, sed accepit item corpus. Ex quo consequens est, ut mutationis vicissitudine liberum esse non possit. Movetur tamen quantum fieri potest sic, ut quam minimam ab eius, quod idem manet, motione habeat declinationem. Nactum enim est circuitum, ut in

orbem circumferatur. Verumtamen quum semper se circumagere et movere nihil possit praeter illud unum, quod omnis motus est caussa et principium, idque semper eodem modo agitet; sponte consequitur mundum nec semper semetipsum circumagere, nec perpetuo a Deo cieri, nec a duobus diis inter se discordantibus circumverti; sed, ut antea dictum est, modo ab una aliqua caussa divina duci, vitam et immortalitatem ei tribuente, modo, ubi sibi fuerit permissus, per se ipsum proficisci, opportuno tempore dimissum talem, ut multas possit conficere conversiones retrogradus. Mutatio autem illa, qua universum modo ea, qua nunc volvitur, ratione movetur, modo in contrariam circumagitur partem, existimari debet omnium, quae in coelo eveniunt, conversionum longe maxima esse. Cuiusmodi mutationes mirandum non est quod etiam animantium naturam commovent vehementissime. Itaque tum et alia animantia et vero etiam homines maximam partem absumuntur penitusque intereunt. Et hominibus quidem, quo conversio initium capit ei, quae nunc est, contraria, quum multa alia nova et admirabilia accidunt, tum maxime mirum hoc evenit, quod ex ipsius universi conversione sponte eo tempore consequitur. Etenim ubi tempus illud contrariae rotationis advenit, ibi vero primum quidem cuiusque aetas consistebat desinebatque procedere ulterius; deinde veluti inverso cursu ad iunius et tenerius revertebatur, ita ut cani senum capilli rursus nigrescerent; lanugo in iis, qui iam ad pubertatem pervenissent, denuo evanesceret et genas relinqueret levigatas; puberum corpora in dies decrescerent et in puerorum recens natorum redirent naturam; marcescentia porro corpora omnino evanescerent; denique corpora occisorum quoque paucis diebus exstinguerentur. Iam vero si quaeris, qualis tum temporis fuerit animantium generatio, responsio promta et parata est. Liquet enim mutuam in rerum natura, quae illo tempore fuit, animantium generationem omnino fuisse nullam, sed, quod in fabulis narrant, viguisse aliquando genus terrigenarum, id illud ipsum fuit, quod eo tempore rursus e terra provenit. Nimirum qui fini prioris illius circuitus fuerunt propinqui et initio huius nostrae periodi nati, ii harum rerum nuntii nobis exstiterunt, ut multi immerito eorum narrationibus omnem derogent fidem. P. 268. E — 271. C. — Iam vero quaeritur, num vita, quam regnante Saturno fuisse fe-

runt, in illas conversiones, an in has posteriores inciderit. Nam astrorum solisque mutatio non est dubium quin in utrisque evenerit. De his igitur sic existimandum est. Pertinent utique quae de Saturni regno perhibentur, ad eam mundi aetatem, qua coelum contrario atque nunc motu agitabatur. Nam quod omnia dicuntur sponte ex terra progerminasse, convenit hoc certe in superiorem temporum periodum, in hanc nostram aetatem non convenit. Erat autem tunc mundi regnum fere huiuscemodi. Primo Deus ipse universum moderabatur ac regebat mundi circuitum. Sed quemadmodum nunc singulis locis singuli dii assignati et praefecti sunt, ita tunc omnes mundi partes singulis diis tanquam moderatoribus erant demandatae *). Atque etiam singula animalium genera et greges a geniis tanquam pastoribus divinis regebantur, idque sic, ut neque ullum eorum ferum esset, neque alterum ab altero absumeretur, neque bellum aut seditio usquam flagraret, nec denique quidquam deesset, quod ad quam maximam felicitatem atque beatitatem valeret. Quod vero de victu hominum ultro tunc succrescente narratur, eius rei haec est ratio. Ipse Deus homines pascebat tanquam unicus eorum praeses et custos, quemadmodum nunc homines, item divinior animans, alia animantium genera eaque viliora pascere solent. Cuius cura quum homines fruerentur, neque civitates condebant neque habebant uxores ac liberos; omnes enim ex terra proveniebant, ita quidem, ut nihil quidquam rerum praeteritarum reminiscerentur; nec vero proprias habebant possessiones, quum minime opus esset agrorum hortorumque cultura, sed omnia sponte ex terra nascerentur. Accedebat mitissima coeli temperies, quae nihil afferebat molestiae; unde non modo nudi nec stragulis utentes pascebantur, sed etiam gramine largiter ex terra propullulante pro cubilibus utebantur. Atque ex his facile diiudicari poterit, utra mundi aetas beatior iudicanda sit, Saturnia, an praesens, quae Iove regnante perdurare existimatur. Nam si alumni Saturni, quum iis tantum otii ac tranquillitatis suppeteret ac tanta vitae felicitas obtigisset, non solum cum hominibus, verum etiam cum ceteris animantibus sermones instituerunt, atque in

*) Conf. de his Comment. De daemonologia Graecorum in Allgem. Schulzeit. 1833. P. 2. n. 1 sqq. inprimis n. 3, p. 20.

ea re id maxime egerunt, ut omnia ad philosophiam referrent et cuiusque naturae vim rationemque cognoscerent; facile apparet, quantopere illi vitae beatitate his nostris hominibus antecelluerint. Sed mittamus hoc: neque enim certo constat, num homines illius aetatis huic scientiae et philosophiae studio dediti fuerint. P. 271. C. — 272. D.

Quum igitur horum omnium tempus esset exactum atque fato destinatum id, ut tandem rerum commutatio fieret, quumque genus terrenum iam omne esset consumtum, quippe quum unaquaeque anima toties vitae semina dedisset, quoties ei esset mandatum; totius rerum universitatis gubernator, misso gubernaculi clavo, in suam discessit speculam; mundum vero rursus convertit necessitas et innata ipsi cupido. Nam etiam ceteri dii, singulis locis aut animalibus praefecti, quum quod fieret cognovissent, protenus stationes suas deseruerant. Mundus vero quum retro volvi inciperet, vehementer quassatus inter omnes animantes rursus ingentem stragem edidit, usque dum paulatim tranquillius incedens et ad consuetum cursum revertens denuo aequabiliter progrederetur. Enimvero et patris aedificatorisque sui meminerat praecepta, et satis per se ipsum pollebat, ut per aliquod tempus rectum cursum teneret. Sed quum initio munus suum recte diligenterque exsecutus esset, tamen postremo defecit viribus. Cuius rei caussa posita fuit in elemento corporeo, unde erat compositus. Corporum enim natura iam principio fuerat turbulenta et inordinata, ut ne nunc quidem pristino vitio non laboraret. Iam quo minus mundus meminit divinae institutionis, quoque maior in ipso ingruit illius oblivio: tanto vehementius prorumpit innatae ipsi vis materiae, ac tanta denique invalescit perturbatio, ut summum ipsi immineat interitus periculum. Sed eo ipso tempore summus Deus ei rursus praesentissimo suo adest auxilio. Denuo enim gubernaculis arreptis morbosas eius dissolutasque partes reficit totumque reddit immortalem et senii expertem. Ita igitur mundo converso aetas olim pervenit ad eam generationis viam, quae nunc dominatur, sed rursus tunc nova vidit monstra et superioribus contraria. Nam quae prae parvitate sua paene exoleverant animantia, ea repente rursus in maius excreverunt; quae vero e terra recens orta erant corpora senilia, ea morientia redierunt in terram, et similiter etiam cetera mutata sunt pro to-

tius rerum universitatis statu et condicione. Alia igitur nunc etiam generationis et procreationis et nutritionis ratio exstitit. Neque enim iam poterant animalia in terra per alias res concrescentes enasci; sed quemadmodum toti mundo mandatum erat, ut ipse pro viribus cursum suum flecteret et moderaretur, ita etiam singulis eius partibus id est permissum, ut quantum possent gignerent omnia, procrearent, nutrirent. P. 272. D. — 274. A.

Atque hic tandem pervenimus ad id, cuius caussa tota haec oratio suscepta est. Nam quum de reliquis animantibus copiose exponere liceat, cur quaeque et quibus de caussis mutatae fuerint, tum de homine id brevius licebit significare. Quum enim homines singulari deorum procuratione destituti essent, mox ita evenit, ut a saevis bestiis misere infestarentur crudeliterque dilacerarentur. Etenim primis illis temporibus premebantur rerum artiumque omnium inopia, propterea quod finita vita priori, qua ipsis omnia ultro succrescebant, res ad vitam degendam atque sustentandam necessarias sibi comparare non didicerant. Quocirca eorum indigentiam ipsi dii levare et avertere decreverunt. Nam ignem iis attulit Prometheus, artes a Vulcano et Minerva acceperunt, denique semina atque plantas ab aliis nacti sunt. Hinc inventa sunt denique quae ad vitam instruendam ornandamque valuerunt *): nam deorum quidem procuratio hominibus deerat, ideoque ipsos oportebat vitam moderari suam eiusque rationibus prospicere, quemadmodum id etiam universus mundus facere debuit: cuius imitantes exemplum in aeternum modo hac modo illa ratione vivimus et nascimur. P. 274. A — E.

Et haec quidem est illa quam narrare constitueram fabula. Sequitur nunc, ut diiudicandum sit, quantum in viri regii et civilis indole ac natura informanda a vero aberraverimus. Ac primum quidem manifesto errore quaerentes de rege et viro rerum civilium perito, qualis nunc sit, pastorem illius aetatis in medium attulimus, quae huic nostrae omnino fuit contraria. Ita enim fa-

*) Cum postrema huius fabulae parte, qua de hominum inopia deque deorum auxilio, quod iis contigerit, exponitur, contulisse iuvabit quae simili figmento narrat Protagoras in cognomine dialogo p. 320. C — 322. D.

ctum est, ut in locum viri mortalis deum aliquem substituerimus. Praeterea nec satis dilucide exposuimus, quatenus eum posuerimus esse universae civitatis gubernatorem. Quanquam hoc quidem levius. Apparet vero primum nobis definiendum esse optimam civitatis administrationem, ac tum demum ad informandam viri civilis imaginem accedendum. Propterea etiam intertexuimus fabulam illam, ut non solum appareret de gregali pastione omnes cum eo contendere, de quo nunc quaerimus, verum etiam ipsum accuratius cognosceremus et ab aliis discerneremus. Arbitror vero equidem divinum pastorem revera maius quiddam esse, quam ut cum rege comparari possit, viros autem civiles, quales nos habemus, rectius numero eorum accenseri, qui imperio aliorum subiecti sunt, atque his esse similiores. Verum hoc utcunque se habet, illi certe indagandi explorandique sunt. Illuc igitur redeamus, unde supra deflexit oratio. P. 274. E — 275. C.

Videamus autem ante omnia de erroribus in superiore disputatione admissis. Ac primum quidem nonnihil peccatum est in divisione *τῆς αὐτεπιταικτικῆς*, quandoquidem, quum ei *τὴν ἀγελαιοτροφικήν* subiectam putaremus, omnino nullam duximus viri civilis rationem. Nam gregis pascendi negotium aliis quidem custodibus recte attribuitur, viro civili attribui non potest. Hic enim non pascit gregem, sed potius curat. Itaque deligendum fuit nomen ambitus latioris, quod et in virum *πολιτικόν*, et in ceteros, qui pascunt, conveniret, veluti *ἀγελαιοκομική* aut *θεραπευτική*. Deinde vitium inerat in extrema divisionis parte. Nam post bipedis gregis alendi artem non debuit continuo ars civilis ac regalis commemorari, quasi re iam penitus absoluta. Nam primum ita emendandum fuit nomen eo modo, ut potius ad curam quam ad pastionem significandam pertineret; deinde etiam illud attendi debuit, num quae aliae adhuc partes divisionis superessent, id quod temere negleximus. P. 275. C — 277. D.

Iam si quaeris, quo pacto nobis nondum satis de rege et viro civili expositum sit, res videtur exemplis declaranda et illustranda esse, siquidem in rebus minutioribus et facilioribus citius perspicere licet, quomodo in quaestionibus gravioribus versandum sit. P. 277. D — 279. A.

Sumamus igitur exempli loco artem textoriam, et quidem illam eius partem, quae in lana texenda versatur, repetamusque a summo genere.

Omnium eorum, quae vel fabricamur vel acquirimus, duplex est finis, aut ut ope eorum aliquid efficiamus, aut ut ne quid patiamur. Ea quae prohibent, quominus quid patiamur, sunt vel remedia sive *ἀλεξιφάρμακα*, vel propugnacula s. *προβλήματα*. Horum rursus duplex genus est, armaturae, *ὁπλίσματα*, et sepimenta, *φράγματα*. Sepimenta aut velamenta sunt aut praesidia ad defendendam vim frigoris et caloris. Ex his rursus alia sunt *στεγάσματα* s. operimenta, alia *σκεπάσματα*, h. e. tegumenta. Ad tegumenta pertinent et stragula et vestimenta. Vestimentorum alia sunt ex toto secta, composita alia. Ex compositis discerni possunt ea, quae perforata sunt, et illa, quae sine perforatione sunt confecta. Eorum, quae non sunt perforata, alia e nervis plantarum, alia e pilis constant. Horum rursus duplex genus est, quandoquidem alia aquae et terrae ope conglutinantur, alia per se sola colligantur. Et his quidem amictus nomen tribuimus, artem vero, qua conficiuntur, nominare placet vestiariam, s. *ἱματουργικήν*. Dicere licebit etiam textoriam s. *ὑφαντικήν*, ut quae in vestium confectione primas teneat. Verum enim vero etsi eam iam a multis cognatis artibus segregavimus, tamen nondum distinximus a vicinis operae sociis, ut sane imperfecta sit rei expositio. Enimvero qui ab initio vestium confectionem aggreditur, is certe non contexere, sed contrarium quiddam facere existimandus est, hoc est carminare, carpere, tractim divellere. Neque etiam staminis et subteminis confectionem recte appellabimus textoriam. Negleximus item artem fullonum et sartorum, quae quum et ipsa ad vestiariam pertineat, tamen non est ipsa textoria. Ita igitur apparet, ut ars laneorum vestimentorum conficiendorum plene accurateque definiatur, in dividendo subtilius etiam esse versandum. P. 279. A — 281. D.

Experiamur ergo hanc partitionem. In omnibus, quae peraguntur, duae artes sunt distinguendae, altera confectionis adiutrix s. *ξυναίτιος*, altera eiusdem effectrix, h. e. *αἰτία*. Et eas quidem artes, quae fusos et radios fabricantur et quae pertinent ad alia instrumenta textoria, adiutrices dicamus; quae vero ipsam texturam perficiunt atque curant, eas appellare placet effectrices.

In posteriorum numero habentur lavandi (*πλυντική*) et sarciendi artes aliaeque, quarum partem huc pertinentem *κοσμητικήν* communi nomine artis fulloniae comprehendamus. Iam etiam carminandi et nendi artes omnesque eae, quae in conficiendis vestimentis versantur, unam efficiunt *ταλασιουργικήν*, sive lanae tractandae artem. Huius ipsius vero rursus partes sunt duae, altera *ξυγκριτική*, quae in coagmentando posita est, altera *διακριτική*, quae secernit ac dirimit coniuncta. Ad *διακριτικήν* igitur pertinent ars carminandi, subteminis faciendi, denique aliae omnes, quae coniuncta digerunt ac secernunt; ad *ξυγκριτικήν* autem referuntur quaecunque consociant et connectunt vestimentorum elementa. Iam vero si artem textoriam invenire voluerimus, necesse erit bifariam dividamus *τὸ ξυγκριτικὸν καὶ ταλασιουργικόν*. Discerni vero in eo potest *τὸ στρεπτικόν*, quo fila torquentur, et *τὸ ξυμπλεκτικόν*, quo connectuntur. Illud complectitur staminis pariter atque subteminis confectionem. Quamobrem dispesci potest in *στημονονητικήν*, quae subtemen e filis contortioribus conficit, et *κροκονητικήν*, cuius munus hoc est, ut fila molliora et laxiora stamini implicentur. Est igitur ars lanae texendae non alia, quam quae ex filis laneis per stamen atque subtemen efficit texturam. P. 281. D — 283. A.

His ita expositis hospes Eleaticus orationis longitudinem ita excusat, ut veluti in transcursu quid omnino de sermonum brevitate ac longitudine existimandum sit et ad quam normam atque legem ea sit exigenda, exponere conetur. Censet autem metiendi artem in iudicanda longitudine ac brevitate omnino dupliciter posse versari, prouti vel magnitudinem et brevitatem inter ipsas contendat, vel ad *τὸ μέτριον* et ipsam rei, de qua agitur, naturam respiciat, hoc est aut relative aut absolute quamvis magnitudinem consideret. Et posteriorem quidem rationem ibi locum habere arbitratur, ubi de modo in arte quapiam servando quaeratur. Artibus enim propositum esse hoc, ut in agendo omne id caveatur, quod parum nimiumve sit, quo uno fieri, ut bona et pulcra omnia per eas efficiantur. Itaque ipsam metiendi artem ait bifariam dividi posse, siquidem vel eas artes complectatur, quae numeros, longitudines, altitudines, celeritates ex contrariis metiantur ac diiudicent; vel ad eas attineat, quae id, quod magnum et parvum, nimium aut parum sit, ex cuiusque rei in se spectatae natura atque modo,

ex decoro, ex opportuno, ex necessario, denique ex iis, quae media sint inter extrema, definire soleant. P. 283. A. — 285. C.

His addit porro Eleates nonnulla, quae ad disputationem de viro civili institutam pertinent. Etenim unamquamque disputationem censet ex eo maxime iudicari oportere, quod ipsi propositum sit. Itaque, si in ea id agatur, ut audientes vel legentes ad dialecticam facultatem instituantur et exerceantur, non illud videndum esse ait, utrum longior sit an brevior, sed illud unice quaeri oportere, num quod ipsi fuerit propositum, plane sit assequuta. P. 285. C. — 287. B.

Harum rerum expositione tandem absoluta reditur ad quaestionem de viro civili, ita quidem, ut exemplum disputationis de arte textoria antea institutae ad rem praesentem accommodetur. Quamobrem Eleates sic disputare pergit.

Quemadmodum multas artes reperiri vidimus, quae etsi textoriam adiuvant, tamen non ad ipsam illam pertinent; ita etiam plurimae artes sunt, quae valent ad rempublicam eique opitulantur, nec tamen pro partibus ipsius artis civilis haberi possunt. Sunt igitur quaedam artis civilis adiutrices, non item effectrices. Quorsum pertinent artes fere hae: primum quibus varia conficiuntur instrumenta, deinde quibus omnis generis vasa et supellectilia elaborantur; tum quibus construuntur vehicula, quibus in itineribus vel maritimis vel terrestribus utimur; porro quarum ope tegumenta cuiuscunque generis ideoque etiam vestimenta comparantur; quintum quae circa artis opera atque ludicra versantur; sextum quae rudem corporum materiam, veluti aurum, argentum, alia, tractant; septimum denique quibus victus comparatur. Ita igitur quae artes pertinent ad rudis materiae tractationem, ad instrumenta, ad vasa, ad vehicula, ad tegumenta, ad artis opera, ad victum denique, eas iam rite ab arte civili distinximus ac segregavimus. Tractationem autem mansuetorum animalium, si a servis discesserimus, complectitur ἡ ἀγελαιοτροφική, quae et ipsa ab arte civili segreganda est. Reliquum igitur est servorum et ministrorum genus, inter quos fore suspicari licet, qui ad artis civilis laudem utique aspirent. Nam etsi venales illi servi, itemque ii, qui sese ultro eorum operae addixerunt, agricolae, opifices, mercatores, mercenarii,

omnino regiae artis partem sibi vindicant nullam, tamen in medium prodeunt ministri alii, ea arrogantia inflati ac tumentes, ut reipublicae moderari videri velint. Quorsum referendi sunt praecones et scribae publici, praecipue autem vates, qui vulgo deorum interpretes habentur, atque sacerdotum gens, quae in Aegypto adeo eum nacta honorem est, ut nullus rex a sacerdotio seorsum imperare queat, ac si forte ex alio ordine oriundus regnum per vim occupaverit, postea in hoc genus recipi necessario debeat. Ad hos accedit varia ista et vere admirabilis natio eorum, qui partes maximorum inter sophistas praestigiatorum agunt, hoc est ii, qui semet ipsos civitatis administrandae regendaeque peritos profitentur, quos sane perquam difficile est a viris vere regiis civili prudentia instructis discernere. Hunc igitur inanem praestigiatorum chorum potissimum ab illis seiungere ac separare debebimus, siquidem perspicue voluerimus intelligere id, de quo quaeritur. P. 287. B. — 291. C.

Distinguuntur igitur tria civitatum genera, unius dominatio, s. monarchia, imperium paucorum, s. aristocratia, et democratia. Quae rursus dividi possunt in suas quasdam partes. Nam monarchia, ubi secundum leges et civibus volentibus exercetur ab eo, penes quem est civitatis imperium, regnum dicitur; sin pro arbitrio et invitis civibus habetur, tyrannis est: imperium porro paucorum si a divitibus obtinetur, aristocratia; sin a pauperibus occupatur, oligarchia vocatur; democratia denique sive volentibus civibus sive invitis, ac sive arbitrio sive ex legibus, locum habet, idem semper nomen retinet. Sed vera reipublicae forma neutiquam ex eo diiudicanda est, num unus an plures, pauperes an divites violenter aut secundum leges regnum exerceant. Imo ea, quae vera est reipublicae ratio, ex una scientia pendet, sicuti antea recte videmur iudicavisse. Itaque ea una vera germanaque civitas est, cui aliquis iusta praeditus scientia praeest. Hanc vero scientiam sibi comparare res est una omnium difficillima: nam inter multa millia hominum vix singuli reperiuntur qui illam teneant, sicuti inter mille homines vix unus alterve est, qui lusum calculorum plane cognitum habeat. Jam vero cui reipublicae praest is, qui hac scientia sit ornatus et instructus, ea sine dubio omnium optima haberi debet, sive secundum leges sive sine legibus administratur, ac sive volentibus gu-

bernatur civibus sive invitis: nam quaecunque rex sapiens suscepturus sit, sive aliquos eiiciat in exilium, sive alios supplicio afficiat, sive peregrinos donet civitate, ea omnia civitati universae conducant necesse est, quoniam a sapientibus proficiscuntur consiliis. Quod autem talem sapientem statuimus vel sine legibus optime regnaturum, id minime debet videri ineptum esse aut absurdum. Nam multo est praestabilius virum prudentem regnare quam legem. Quippe humana omnia fluxa sunt, inconstantia, perpetuae obnoxia mutationi. Quamobrem nullo modo fieri potest, ut leges ferantur omnibus hominibus ac temporibus aptae et idoneae; nec ullus legum auctor novisse potest, quid expediat singulis, qui illud tantum respicere soleat, quod plurimis profuturum videatur, eaque ipsa re saepenumero singulis adeo noceat. Quamobrem legum perpetuae mutationes fiant necesse est atque saepissime etiam in singulis casibus ab earum auctoritate iniuste recedi oportet. Verum enim vero ex eo ipso, quod difficile est publice constituere, quid singulis conducat, quidque iis iustum sit aut rebus consentaneum, sponte consequitur, universalem quandam legem pro norma atque regula habendam esse, ad quam rerum publicarum gubernatio dirigenda sit, quemadmodum vulgo in singulis artibus communia quaedam praecepta reperiuntur, ex quibus earum fit exercitatio. Quam quidem legem communem profecto unus tenet ille sapiens, quem civitati praefectum volumus. Ex quo quid porro consequatur, apertum erit omnibus. Nam sicuti minime iniustum aut durum est, si medicus aegrotum aliquem ipsi parum morigerum per vim adigat ad facienda ea, quae ipsius valetudini expediant: ita nec durum existimare licebit, si is, qui vera arte rempublicam gubernandi praeditus est, cives sapienti consilio nec legum iussu ad ea cogat, quae ad communem salutem valeant, in eaque re nec vi abstineat. Quippe talis sapiens id unice spectabit, ut omnia fiant iustius ac melius, quam si ex mutis legum institutorumque praeceptis peragantur. Quemadmodum igitur gubernator quidquid navi et nautis conducit observans neque leges ponens, sed arte tanquam lege utens, nautas a periculis tutos et incolumes praestat, item optima iudicanda est civilis administratio eorum, qui sic imperant, ut artis vim legibus potiorem adhibeant. Optimum est igitur non leges vigere, sed virum aliquem regia mente praeditum gubernacula tenere rei-

publicae, qui sit civitatis tanquam *νόμος ἔμψυχος*, h. e. lex non mortua, sed viva. P. 291. C. — 297. B.

Nunquam vero futurum est, ut maior hominum multitudo, qualescunque illi sint, hanc talem scientiam adipiscatur et civitatem sapienter administret. Imo paucissimorum, et vero unius tantum est recta illius gubernatio. Quae autem vulgo habentur reipublicae, eae nihil sunt aliud nisi optimae illius atque perfectissimae imitationes, modo propius ad eam accedentes, modo inde longius recedentes. Usurpare vero illae coguntur, ut semet ipsas conservent, optimae civitatis instituta, atque id curare, quod modo laudavimus, etsi non sit optimum, nimirum ut civium nemo quicquam praeter leges facere audeat; sin autem quis fecerit, is supplicio ac morte multetur. Haec enim ratio secundum priorem illam, quam antea descripsimus, utique pro optima et pulcerrima habenda. P. 297. B — E.

Age vero, explicemus iam dilucidius, qua ratione exsistat illud ipsum, quod s e c u n d u m diximus. Enimvero non capiunt hominum vulgarium animi verae illius regiae artis magnitudinem et praestantiam, unde eius interitus similiter acceleratur, atque aliis quoque artibus futurum esset, si populus earum rudis et ignarus, ademta iis, qui illarum periti sunt, omni praecipiendi potestate, leges dare ac sancire vellet, ad quas singulae essent exercendae. Nam ita patet propter legem vetantem nihil amplius ad artium amplificationem et perfectionem inventum iri, ac vitam, iam nunc satis molestam illam, exstituram esse plane intolerabilem. P. 297. E. — 299. E.

Iam vero hoc quum per se malum sit, tamen maius etiam malum existet, si qui publice custodiendis legibus praefectus est, is neglecta earum auctoritate vel lucri alicuius vel gratiae privatae caussa vim earum infringere conatur. Nam qui leges impugnat multo usu confirmatas, de quibus prudentes aliqui viri scite deliberarunt, quasque iidem populo suaserunt et commendarunt, is omnem omnino evertet agendi rationem, adeoque civitati plus damni inferet quam ipsae praescriptiones. Quocirca iis, qui de unaquaque re leges sciscendas esse arbitrantur, etiam hoc diligenter agendum est, ut contra eas neque unum aliquem neque multitudinem quid quam moliri concessum sit. Iam vero quae isto modo a viris prudentibus publice perscripta sunt et legibus san-

cita, ea non alium habent fontem nisi verae artis civilis imitationem. Verum autem germanumque politicum antea censebamus multa esse instituturum facturumque suo ipsius arbitratu, non consulta scriptarum legum voluntate, siquidem ipsi ita expedire videatur. Quod idem institutum imitari possunt etiam ii, qui in sua civitate scriptis legibus utuntur, modo de earum emendatione viri prudentes conferant consilia. Sin imperiti hoc emendandi negotium suscipiant, imitabuntur illi quidem rectam rationem, sed imitabuntur pessime, hoc est, leges depravabunt. Quod autem antea iudicavimus, magnam hominum multitudinem non posse ullam artem penitus percipere accurateque tenere, idem vel inprimis existimandum est de arte regia, cuius scientiam neque divitum multitudo neque universus populus unquam percipiet. Oportet igitur huiusmodi civitates, si quidem veram illam rempublicam, quam unus cum arte administrat, pro viribus imitari voluerint, nunquam quidquam facere contra praescripta et instituta patria. Ex cuius rei observatione aut neglectione oriuntur variae illae regiminis formae, quas antea significavimus. Nam divites si veram illam civitatem ob oculos habent ideoque constanter legum publicarum tuentur auctoritatem, locum habet optimatum imperium, cui nomen *ἀριστοκρατίας* imponimus; sin iidem leges non curant, oritur imperium paucorum sive *ὀλιγαρχία*. Quodsi vero unus aliquis in civitate imperat vere sapiens ac prudens, uno regis nomine appellandus erit: sin idem neque leges neque instituta publica reveretur, sed scientiam simulans etiam contra ea, quae legibus sancita sunt, meliora instituenda et facienda esse clamitat, in eo ipso tamen vel lubidine vel inscitia ducitur, recte eum tyrannum appellabimus. Ita igitur et tyrannis existit et regium imperium, et paucorum et optimatum et populi gubernatio, quoniam homines uni illi regi, nomine imperantis vere digno, diffidunt, neque sibi persuaderi patiuntur esse aliquem dignum hoc tali imperio, quum et velit et possit cum virtute et scientia imperare, et quidquid iustum atque fas sit recte inter omnes distribuere, nemini cuiquam autem ullum inferre detrimentum: quanquam talis si reperiretur, qualem informamus, eum omnes uno ore confitentur magni aestimatum iri et imperium suum beate esse exerciturum. P. 300. A. — 301. D.

Quum vero talis rex et princeps nusquam reperia-

tur, necesse est, ut leges et scribantur et publice sanciantur, ita quidem, ut vestigia verissimae civitatis quam diligentissime serventur. Nec vero mirum accidet, quod in eiusmodi civitatibus tanta mala et nunc eveniunt et postero tempore eventura sunt. Quippe fundamentum earum hoc est, ut ex solis praescriptionibus et institutis, non item cum scientia et arte res suas gerant ac gubernent. Quod si in quacunque alia rerum administratione fiat, quis est quin videat brevi futurum esse, ut rei eventus omnem spem destitueret? Magis igitur mirari consentaneum est, quod vel inter tales respublicas nonnullae diuturniores exstiterunt neque brevi tempore eversae sunt. P. 301. D. — 302. B.

Verum his explicatis iam etiam illud videamus, quaenam ex his deterioribus civitatibus civibus in ea degentibus minime molesta sit, quaeque iisdem maxime molesta fiat et incommoda. Nam etsi huius rei quaestio ad propositum nostrum nihil pertinet, tamen, si summam rei spectamus, omnes id maxime curare et respicere solemus.

Non dubito vero confidenter affirmare, unam esse et eandem civitatis formam, quae et optima sit et longe omnium tristissima. Nam et monarchia et oligarchia et democratia bifariam dispesci possunt, ut sex prodeant regiminis formae, a quibus tanquam septima optima illa civitas secernenda est. Quippe monarchia est vel *βασιλική* vel *τυραννική*; oligarchia porro aristocratiam et pravam paucorum dominationem complectitur; democratia denique item vel secundum leges vel per vim et arbitrium imperium suum exercet. Ex his igitur reipublicae formis monarchiam aio et optimam esse et longe molestissimam. Etenim paucorum imperium ipsa natura sua quasi in medio collocatum est. Multitudinis porro dominatio ideo minus est periculosa, quia neque bona neque mala insignia efficere potest, quum potestatem habeat inter plurimos divisam. Quamobrem sane optimum fuerit in democratica vivere civitate, si omnes rerum publicarum formae peraeque depravatae sint; sin autem omnes sint bonae, in illa vixisse minime expediet, siquidem tum monarchia omnium optima et praestantissima videri debet. Quanquam huic quoque mirum quantum praestat optima illa, quam antea descripsimus, civitas, in qua rex sapiens pro viva lege valet. P. 302. B. — 303. A.

Apparet igitur nunc luculentissime, eos omnes fere, qui in his verae civitatis tanquam umbris tractandis versantur, non esse artis regiae ac civilis vere peritos, sed potius inanes quosdam germani politici imitatores, vanos praestigiatores, denique maximos omnium sophistarum sophistas. Quos iam intuentes conspicari nobis videbimur revera tanquam in fabula turbam aliquam Centaurorum et Satyrorum, quos in sapientis illius regis societatem admittere velle maxime temerarium fuerit. P. 303. C.

Sed quum iam artem civilem, nomine suo dignam, ab reliquarum civitatum administratione seiunxerimus, tum aliud quid dispiciendum superest, ad diiudicandum sane multo difficilius, propterea quod regis generi magis cognatum habetur. Videndum enim, quaenam arti imperatoriae, iudiciariae et oratoriae cum arte civili intercedat coniunctio et necessitudo: nam hoc demum explorato poterimus virum civilem a reliquis omnibus diligenter separare separatumque exhibere et proponere. P. 303. D. — 304. A. Qua de re hoc videtur animadverti ac teneri oportere.

Differt ab artibus ceteris semper ea ars, qua quis illarum usus sit et quanto aut quo modo singulae adhiberi debeant, ostenditur ac demonstratur: ea enim est quasi regina quaedam ceterarum omnium, quae ipsius tantummodo ministrae sunt, nec ipsae norunt aut docent, quo tempore quove modo adhibendae sint. Idem plane usu venit in iis artibus, quas modo nominavimus quasque diximus ab arte civili secerni oportere. Etenim dicendi arte quando opus sit, ex ipsa minime potest intelligi; id unice ars regia vel civilis docet, quae illi quasi imperat. Eadem ratio est etiam imperatoriae et iudiciariae artis, cuius usus omnis ex arte civitatem gubernandi suspenditur. Hae igitur artes cunctae quum huic uni serviant et quasi famulentur, facile apparet, quanto intervallo ab illa distare existimandae sint. Enimvero ars civilis certe nihil aliud est nisi ea scientia, quae omnibus legibus, institutis, consiliis denique publicis praeest iisque sapienter moderatur. P. 304. A. — 305. D.

Distinximus tandem artem civilem a ceteris omnibus, quae eius laudem aemulari posse videantur. Sequitur ut eiusdem munus et officium propius considerandum sit. Qua in re optime sic versabimur, ut exemplo artis textoriae utentes regiam quasi textoriam cognoscamus, et quo

modo ea civitatis fila coniungat atque inter se contexat paucis exploremus. Sunt igitur variae virtutum rationes, ex quibus maxime fortitudo ac temperantia, si quidem ingeniorum indolem spectamus, inter se sunt contrariae et oppositae. Quippe illa est hominum calidiorum et vehementiorum propria, haec ingeniis moderatioribus atque mollioribus convenit. Itaque celeritas ingenii et vehementior animi impetus tanquam fortitudinis documenta multis in rebus laudantur; similiter etiam lenitas, moderatio, sedatus animus, non raro summis laudibus celebrantur, quippe quum temperantiam arguant. Nimirum laudabilia sunt haec omnia, sicubi opportune locum suum tenent; sin contrarium evenit, magnam etiam subeunt reprehensionem. Nam ita pro fortibus audimus insani, petulantes, superbi; et pro temperantibus timidi, ignavi, molles evadimus. Quum vero haec sit virtutum istarum discrepantia, consequens est, ut qui alterutra earum ornati sunt, ii tota vita sua etiam sequantur contraria; unde maxima saepe in rebus publicis nascitur perturbatio. Nam qui sunt moderatiores, quum vitam ament tranquillam et otiosam, facile evenit, ut aliis per omnia cedant, obsequantur, serviant, ideoque iis denique tanquam dominis mancipentur; qui autem sunt fortes et animosi, propterea quod nullum reformidant periculum et vehementiore ingenii impetu agitantur, saepenumero id efficiunt, ut miserae rixae et contentiones exardescant, atque periculosa bella incendantur, quibus respublica in maximum servitutis discrimen adducatur. Ita igitur virtutes illae inter se contrariae et oppositae quantum malorum efficere queant, facile apparet. P. 305. D. — 308. A.

Iam vero nulla est ars, quae non in operibus suis componendis fabricandisque sola bona deligat, mala quantum possit amoveat et reiiciat, ipsa bona autem ita inter se componat, ut similia ac dissimilia quam aptissime inter se coniungantur. Nam hoc demum modo perfecta aliqua cuiuscunque operis species et imago effingi potest. Idem igitur etiam arti civili propositum esse debet. Quae volens quidem nunquam civitatem aliquam componet ex bonis et malis hominibus, sed primum quidem singulorum animos et ingenia explorabit, tum vero exploratos recte institui curabit atque erudiri. Tradet autem eos in disciplinam idoneorum magistrorum, qui ipsa praecipiente ac moderante institutionis negotium exer-

ceant. Nimirum quemadmodum ars textoria carminantibus ceteraque omnia, quae ad texturam necessaria sunt, tractantibus sedulo adest ac talia quemque opera iubet perficere, quae ad contextum suum sint accommodata: ita etiam regia ars publicis praeceptoribus atque educatoribus diligenter invigilat neque permittit, ut ea factitent, quorum exercitatione animi adolescentium fiant ipsius temperationi minus congruentes. Quodsi vero reperiuntur, qui non possint fortitudinis, sapientiae, aliarumque virtutum participes fieri, sed indolis ingeniique pravitate ad impietatem, petulantiam, lubidinem, iniustitiam feruntur, eos eiicit, morte et exsilio multat, denique maxima afficit infamia. Nec vero illos leniter tractat, qui ad virtutem ac sapientiam hebetes et obtusi in summa volutantur inscitia et humilitate. Hos enim in servorum refert numerum. Ex reliquis autem omnibus, quorum ingenia animique ad generositatem possint conformari, quasi civitatis texturam conficit, quandoquidem eorum, qui ad fortitudinem sunt procliviores, firma ac dura ingenia staminis instar fore, illorum autem animos, qui natura sunt modestiores, subteminis loco futuros esse plane sibi persuasit. Conatur vero hoc fere modo eos colligare et contexere. Primum pro cognationis ratione sempiternam animi eorum partem divino nectit vinculo; deinde partem animalem humanis vinculis constringit.

Quippe divinum in humano genere, divinitatis utique consorte ac participe, nihil est aliud nisi verum de honesto, iusto et bono iudicium, idque certum et ratione confirmatum. Hoc vero ut animis civium ingeneretur, id unus omnium optime vir artis civilis vere peritus et bonus legum lator regia arte sua efficere potest, alioquin praeclarissimo hoc nomine utique indignus futurus. Itaque iis, qui omni ad virtutem indole destituti sunt, exclusis, quippe ex quibus nulla unquam componi civitas potest sive per se solis sive cum aliis commixtis, ceteros omnes, qui doctrinae et institutionis ope ad sapientiam et honestatem conformari queunt, iusta virtutum copulatione ad vitam in civitate bene beateque degendam aptos et idoneos reddit. Nam fortes qui sunt atque ingenii vehementioris, eos sapiens civitatis gubernator rectis de bono et honesto opinionibus corrigit redditque moderatiores; modestos autem ac temperantes ad res strenue fortiterque gerendas excitat et inflammat.

Etenim veri, boni, honestique cognitione, qua civium animi imbuuntur, contrariae vitae virtutes sublatis vitiis cognatis tanquam communi vinculo firmissime colligantur. P. 308. A — 310. A.

Reliqua sunt vincula humana, quae cognito divino illo vinculo et facile animadvertere et animadversa ad usum adhibere liceat. Cernuntur illa maxime in iis, quae spectant ad mutua connubia, ad liberorum communionem, denique ad privatas nuptias et matrimonia. Haec igitur omnia non opulentiae aut potentiae gratia quaerenda sunt; id enim perversum esse viri prudentes communi iudicio consentiunt. Sed alia etiam cautio in iis adhibenda est. Fit enim vulgo sic, ut commoditatis gratia similes cum similibus ineant matrimonia. Namque modesti suam ipsorum indolem etiam in aliis amant ideoque uxores ducunt consimilis ingenii; iidem etiam liberos suos pari condicione in matrimonium dare solent. Similiter agit genus eorum, qui fortes sunt, quippe quod item suam ipsius consectatur naturam. Atqui re diligentius considerata, plane contrarium fieri oportere facile intelligetur. Nam fortitudo ubi multa per secula ita propagatur, ut non commisceatur cum natura temperata, denique in immanem degenerat ferociam ac pristinam virtutis laudem omnem amittit. Verecundia autem atque temperantia, ubi omni abstinet cum fortitudine et audacia commercio, postremo in pravam exibit ignaviam atque mollem segnitiem. Hoc igitur ut ne in civitate ita accidat, ars civilis quantum fieri possit utique cavebit. Efficiet autem id eo modo, ut utrique generi unum idemque impertiatur de pulcris, bonis et honestis rebus iudicium. Hoc enim maximum atque unum est eius opus et officium, ut ingenia natura dissimilia, sed bona ad virtutem indole praedita, tanquam regiae texturae artificio communi iudiciorum de rebus maximis consensione in unum coniungantur, eaque consensio honoribus et ignominiiis et existimatione publica et mutuis vadimoniis et vero etiam distribuendis prudenter magistratibus confirmetur. Nam magistratus quoque utrumque ingenium referant necesse est. Itaque ubicunque uno opus fuerit civitatis principe, ars civilis eum deliget, in quo insit lenitas et mansuetudo cum fortitudine ac severitate coniuncta. Ubi vero pluribus opus sit, eos utriusque generis esse iubebit. Nam lenium ac moderatorum principum indoles etsi cauta est et iusta et servandae salutis

omnis studiosa, tamen non poterit carere quadam vi et audacia, quo fortius consilia ipsius peragantur. Fortium autem ac strenuorum magistratuum ac principum natura illi alteri in iusto cautoque observando utique cedit, temeritatem vero in agendo habet eximiam. Itaque utriusque ingenii temperatio quasi quaedam et mixtura fiat prorsus necesse est, si quidem futurum sit, ut in civitatibus privatim et publice bene beateque vivi queat. Atque hunc finem propositum esse dicamus omni actioni civili, ut fortium et moderatorum virorum prudenti colligatione quam optima telae textura efficiatur, quando ars regia per concordiae et amicitiae vincula vitam eorum coniungens omnium textorum magnificentissimum atque optimum absolvat, reliquosque, qui in civitate degant, servos et liberos, hac textura sua complectatur, ita ut universae reipublicae quam maximae obtingat felicitatis possessio.

His auditis in ipso exitu sermonis Socrates, non ille iunior, opinor, sed sapiens, rupto tandem silentio, Praeclare vero, o hospes, etiam regium virum ac civilem descripsisti. Quibus verbis pronuntiatis dialogus finitur.

Summatim tandem retulimus, quae in hoc Platonis opere, de quo agitur, disputata leguntur. Unde sicuti clarum et apertum erit omnibus, insignem esse rerum in eo explicatarum gravitatem, ita etiam perspicietur facillime, maximam esse difficultatem, qua prematur eius interpretatio. Nam quamcunque eius partem intuemur, certe nulla est, quam non fatendum sit aliquid habere dubitationis. Quid enim? Qui tandem fit, ut primarii interlocutoris partes non Socrates ille tueatur, qui in plerisque aliis Platonis dialogis loquens inducitur, sed hospes aliquis Eleaticus, et quidem idem ille, qui iam in Sophista loquens inductus est? Quorsum porro pertinet singulare istud disserendi genus, quod per totum fere sermonem diffusum est, quandoquidem argutae minutaeque generum in formas divisiones tanta copia et multitudine coacervantur, ut qui assuefacti sunt Socraticae illi disputationis suavitati atque facilitati, quae in ceteris Platonis operibus regnat, ii non iam Platonem legere sibi videantur, sed potius scriptorem aliquem horridae cuidam ac spinosae dialecticae immoderatius indulgentem? Quaenam caussa et ratio est longae istius atque copiosae de variis mundi aetatibus narrationis, quae

sicuti in se non pauca habet ad explicandum difficilia, ita etiam cum principali disputationis argumento parum apte videtur cohaerere? Et qualem tandem putabimus esse virum illum scientia civili praeter ceteros praeditum, quem philosophus informavit atque instituit, qualesque eos, qui ipsi tanquam e regione collocantur? Quid denique censebimus de universi operis argumento et proposito? quid de partium, ex quibus constat, descriptione atque iunctura? quid de coniunctione et necessitudine, qua cum aliis Platonis libris contineatur? quid de fontibus, unde hausta sint, quae in eo videntur esse singularia? Haec igitur atque alia id genus non pauca ita certe comparata sunt, ut magna sane premantur obscuritate et singularem quandam requirant explicationem, siquidem futurum sit, ut totus liber penitus intelligatur recteque aestimetur. Id ipsum vero hac disputatione nostra pro viribus efficere conabimur, in eaque re videmur optime sic versaturi esse, si ante omnia de temporibus quaeramus, quibus librum scriptum atque editum esse suspicari liceat. Nam quum Plato in plerisque omnibus operibus suis scribendi consilia pro temporum varietate ita variasse reperiatur, ut iis interlocutorum personas, argumenti delectum, disserendi rationem, alia, prudenter attemperaverit, tum in scribendo Politico eorum temporum, quibus tum aut utebatur aut modo usus erat, quum librum scriberet, adeo diligentem habuit rationem, ut his non satis definitis fieri nullo modo possit, ut liber plene accurateque intelligatur. Quamobrem age ante omnia videamus, ecquid de his rebus certius exquirere et statuere possimus.

Praeclare vero nobiscum actum esset, si ex mentione institutorum Aegyptiorum p. 264 C.*) et 290 D.**) iniecta certo liceret colligere, quod inde Tennemannus ***) non improbante Schleiermachero †) et Car. Fr. Hermanno ††) collegit, scriptum esse dia-

*) Ibi leguntur haec: *οὐ γὰρ δὴ προεστιχής γε αὐτὸς οὐδ' ὅτι γέγονας ταῖς ἐν τῷ Νείλῳ τιθασσείαις τῶν ἰχθύων καὶ τῶν ἐν ταῖς βασιλικαῖς λίμναις.*

**) Ibi enim haec: *ὥστε περὶ μὲν Αἴγυπτον οὐδ' ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν.*

***) V. Tennemann. System. Philos. Plat. Vol. I. p. 120.

†) V. Schleiermacher. Opp. Plat. Germ. Vol. II. P. II. p. 251. ed. 2.

††) C. F. Hermann. Hist. Phil. Plat. I. p. 501.

logum post iter a Platone in Aegyptum susceptum. Nam ita certe haberemus unde faceremus in gravissima hac disputationis parte quaerendi initium. At enim vero sunt ista temporis indicia adeo incerta atque dubia, nihil ut inde tuto concludi posse existimemus, nisi si alia etiam accedant, unde certius de re controversa repetatur iudicium. Quis enim nobis spondeat Platonem de illis institutis nihil fama et auditione accepisse, sed ipsum praesentem ea cognovisse. Quamobrem alia nobis via in huius rei quaestione ingredienda est, siquidem ad aliquam coniecturae probabilitatem pervenire velimus. Ea vero quaerentibus sese tanquam ultro videtur offerre. Nam primum quidem Politicus arctissimo vinculo cum iis libris continetur, unde satis certo intelligas, a quonam inde tempore philosophus quum horum ipsorum tum etiam Politici scriptionem commentatus sit. Deinde ab hoc ipso tempore in universum quidem de vita atque fortuna Platonis ita constat, ut quorsum studiorum suorum consilia dirigere vel potuerit vel debuerit, facili negotio coniicere possimus. Denique ipsa illa opera ita comparata sunt, ut cognito perspectoque eorum argumento atque ratione coniectura non veridissimilis de tempore locum habeat, quo et litteris consignati et in lucem publicam emissi sint. De quibus omnibus ita placet exponere, ut brevi opere conficiamus disputationem. Hoc autem ita videmur consequuturi esse facillime, si vitae cursum, quem Plato inde a Socratis obitu tenuit, persequentes et tanquam lustrantes simul ea animadvertamus ac notemus, quae ad definiendum tempus conducant, quo scripta cum Politico coniuncta et arctiore quodam necessitudinis vinculo copulata ipsumque Politicum foras prodiisse coniicere liceat; deinde vero nonnulla subiungamus, quae ad unius maxime Politici rationes accuratius definiendas pertineant.

Itaque res vitamque Platonis ab eo inde tempore contemplantes, quod post obitum Socratis est insequutum, facile animadvertemus, statim ab initio huius aetatis maximam ipsi allatam esse fortunae pariter atque studiorum vicissitudinem. Constat enim testimoniis veterum scriptorum bene multis iisque satis luculentis, philosophum Socrate ab Atheniensibus iniuste interemto una cum aliis Socraticis Megara ad Euclidem, familiae Megaricae principem eundemque Socratis quondam discipu-

lum, concessisse *). Ex quo tempore id sequutus consilii est, ut reliquam aetatem procul a republica haberet. Nam eam videbat per omnes vitae partes ingruisse morum nequitiam ac pravitatem, ut facile sibi persuaderet multo agere sapientius, qui Socratis exemplum sequuti privato otio degerent vitam ac sapientiae commendatione civibus suis prodesse studerent, quam qui vel cum salutis suae discrimine rempublicam tractare vellent adeoque publicorum scelerum administri existere **). Itaque tunc cummaxime opinor condere decrevit eam sapientiae disciplinam, quae quantum fieri posset gravissimis illis malis mederetur ac vindicatis veri et honesti rationibus verae utilitatis quam plurimum ad bonum publicum conferret. Nam tantum abest, ut cives suos atque patriam in his studiis suis neglexerit, ut usui esse civitati praeclarissimum sapientiae munus maximumque virtutis vel documentum vel officium putaverit ***). Ingentis operis, quod tunc primum videtur mente et cogitatione complexus esse, fundamenta quasi quaedam iacta sibi videbat per institutionem ac disciplinam Socraticam, qua per decem fere annos erat usus. Etsi enim iam mature etiam Heracliteorum ac fortasse Eleatarum sapientia erat imbutus †), tamen huius quidem notitia non tantum ipsi profuit, quantum ratio Socratica, qua una maxime ad notionum rimandarum diligentiam atque subtilitatem adsuefactus fuisse videtur. Nam huius ope quum iam adolescens eo esset perductus, ut quantum inter scientiae firmitatem atque opinionis levitatem et in-

---

*) V. Menag. ad *Diog. Laërt.* libr. II. §. 106. p. 124.

**) V. Epist. Plat. VII. p. 321. C. 325. C sqq. 334. D. 320. A. coll. De Rep. VI. p. 496. A — 497. A. Apol. Socr. p. 34. C. *Ciceron.* Epist. ad Fam. I, 9. De caussis, cur Plato sic sibi faciendum statuerit, copiose nuper exposuit Hermann. Hist. Phil. Plat. I. p. 35 sqq. A Socraticis maxime orta videtur nobilis illa veterum philosophorum controversia, qua disceptabatur, num sapienti gerenda respublica esset; de qua v. *Aristot.* De Rep. VII, 2. *Ciceron.* De Rep. I, 5. ibique Maium.

***) V. Epist. VII. p. 326. A. IX. p. 358. A. coll. De Rep. VI. p. 496. A.

†) De Eleatica disciplina non certo constat; sed Heracliteorum decreta ipsi iam mature innotuisse satis testatum habemus. V. Hermann. l. c. p. 46 sqq. coll. Prolegom. nostris ad Plat. Cratyl. p. 25 sqq.

constantiam interesset, facile sentiret, profecto etiam illud debuit sibi persuasisse, in sapientiae disciplina plurimum referre, ut spretis erroribus reiectaque opinionum levitate ad scientiae verae et nomine suo dignae constantiam perveniretur *). Quod quidem ita esse, nostro certe iudicio satis testantur dialogi illi more Socratico scripti, in quibus subtiles de vi et natura virtutis quaestiones ita instituuntur, ut deludantur gloriosi illi virtutis promissores, qui etsi eius disciplinam profitebantur, tamen vero minime perspecto totam referebant vel ad utilitatis vel ad propriae opinionis speciem atque probabilitatem. Habent enim hi libri omnes auctorem Platonem Socraticum, hoc est iuvenem, non Platonem aetate provectum et iam interioribus philosophiae sacris initiatum **). Atque ab his de virtutis vi et natura quaestionibus profectus philosophus paullatim processit, opinor, ad ipsius scientiae eiusque fontium subtilem accuratamque considerationem. Nam quum verum sentiret una mente et ratione contineri, quae sola certam afferret scientiam, quaerere etiam instituit de veri iudicio, de quo quam variae essent atque multiplices philosophorum opiniones, certe eum non videtur praeterire potuisse, qui dudum Heracliteae doctrinae notitiam acceperat atque sophistarum, inprimis Protagorae, de his rebus cognoverat iudicia. Quamobrem nos quidem sic nobis persuasimus, ut ipsum, posteaquam vanos illos virtutis magistros ostendisset scientia plane carere, qua una tamen vera virtus absolveretur, ad eos confutandos putemus aggressum esse, qui scientiae vim naturamque vel in umbris vocabulorum vel in visis et opinionibus inesse volebant. Quod etsi

*) Vere Schleiermacherus, Sämmtliche Werke, dritte Abtheilg., Vol. IV. Fasc. I. p. 97. *Plato brachte die Idee des Erkennens weiter auf den Unterschied zwischen ἐπιστήμη und δόξα ἀληθής.*“ Id ipsum vero nos quidem initium fuisse censemus, unde profectus philosophus ulterius progredi coeperit.

**) Huius sententiae nostrae alibi propositae vehementer laetamur quod nuper gravissimum nacti sumus adstipulatorem et assertorem, Car. Fr. Hermannum, qui eam in praeclaro opere Historiae Philosophiae Platonicae ita amplexus est, ut in paucissimis partibus a nobis dissentiat. A Schleiermachero igitur, qui hos dialogos maioribus operibus tanquam appendicis loco adiunxit, plurimum hac in re dissentimus.

nemo quisquam veterum scriptorum perspicue testatus est, tamen ex ipsius operibus coniectura haud temeraria assequuti videmur *). Atque istud ipsum studiorum tanquam iter quum in eo esset ut ulterius persequeretur, casu infelici quidem, sed tamen ad sapientiae disciplinam peropportuno accidit, ut ei, sicuti antea dictum est, Socrate magistro interfecto Megara commigrandum videretur. Qua in urbe perquam est verisimile tantam ei oblatam esse de iis rebus, quas ad examen vocare animum induxerat, quaerendi disputandique opportunitatem, ut fieri non potuerit, quin ratio ac doctrina, quam sequebatur, brevi tempore ad maiorem quandam perfectionem absolutionemque perduceretur. Nam ut taceam de aliorum Socraticorum, qui eodem se contulerant, familiaritate, inprimis Euclides ceterique Megarici sermonibus suis id videntur effecisse, ut animum ad rerum gravissimarum pervestigationem appelleret **). Euclidem enim constat a Socratis, magistri sui, ratione ita deflexisse, ut sententiam Eleaticorum, inprimisque Parmenidis, quam de eo quod esset quodque unum veri cognitionem praeberet, susceperant, cum illa copulare et quasi miscere conatus sit. Hoc vero quum in se satis grave esset ac diligenti animadversione dignissimum videretur, tum aliud quid accessit, quod item singularem quandam novitatis gratiam haberet. Megarici enim, quo facilius vel sua ipsorum decreta defenderent vel aliorum sententias refutarent, etiam hac in parte Eleatas imitati, plurimum tribuerunt arti dialecticae, quam non modo ad certas quasdam leges adstrinxerunt, verum etiam argutis atque captiosis argumentationibus adhibuerunt, ut iam a scholae primordiis Eristicorum nomen acceperint. Sive igitur doctrinam eorum respicimus, sive consideramus disserendi viam et rationem, qua usi sunt, certe longe est verisimillimum, Platonem, tunc ipsum singulari quodam studio exquirendae veritatis incensum, quo tempore apud eos commoratus est, ad pervestigandos gravissimos philosophiae locos vehementer excitatum atque impulsum esse.

Atque hic nos videmus ad id pervenisse, cuius caussa

---

*) V. Prolegg. ad Cratyl. p. 24 sqq. al.

**) Id sic factum esse iam Tennemannus System. Phil. Plat. Vol. I. p. 30. suspicatus est, cui assentitur Hermannus l. c. Vol. I. p. 46 sqq.

totam hanc narrationem exorsi sumus. Videmur enim non temere hariolari Platonem existimantes inde ab hoc ipso tempore eorum librorum, qui cum Politico arctiore quodam vinculo connexi sunt, hoc est Theaeteti, Sophistae, Parmenidis, ipsiusque Politici scriptionem instituisse. Quam quidem sententiam nostram ita illustrare et confirmare conabimur, ut ante omnia videamus, ecquae reperiantur temporum vestigia his sermonibus impressa, unde id tuto concludere liceat. Ea vera in Theaeteto extant, ut nos quidem arbitramur, satis manifesta. Nam primum quidem quid tandem esse dicamus, cur sermo in hoc libro enarratus, quum non ita multo ante Socratis mortem Athenis habitus fingatur *), tamen Megaris in aedibus Euclidis Megarensis Terpsioni Megarensi atque Socratis quondam discipulo fidelissimo a servulo quodam recitetur? Enimvero ego si quid video, pertinet hoc unice eo, ut aliqua necessitudo significetur, quae ipsi Platoni cum Megaricis intercesserit. Quod si ita est, sponte consequitur, ut librum post Olymp. 95. a. 2. scriptum putari oporteat, quandoquidem Platonem ante id tempus aliquid commercii cum Megaricis habuisse nusquam testatum legimus. Atque ita praeter alios sensit etiam Fr. Astius De vita et scriptis Platonis p. 185., in eo tamen falsus magnopere, quod Theaetetum protenus Megaris a philosopho scriptum absolutumque esse statuit. Nimirum etiamsi philosophus iam tum, quum Megaris versaretur, talis scriptionis agitaverit consilium, quod sane perquam est verisimile, tamen absolutum tunc esse librum et in lucem publicam emissum nullo pacto concedimus. Quod cur ita existimemus, sponte ex iis apparebit, quae de his rebus porro exponenda sunt. Itaque ex ipso libri exordio nunc quidem hoc clarum et perspicuum esse putamus, scriptum eum esse post Olymp. 95. a. 2. Sed longius etiam progredimur. Nam quae in eo p. 142. A. memoratur pugna ad Corinthum, ea certe non potest ante Socratis obitum esse commissa, quandoquidem dialogus paullo ante Socratis mortem habitus fingitur. Itaque prorsus necesse est intelligatur illa, quam constat bello Corinthiaco Olymp. 96. a. 2. factam esse **). Idque tanto est verisimilius,

*) V. Theaet. p. 142. C.
**) V. Xenoph. Hellen. IV, 2, 8. Diodorus XIV, 83. Demosth. adv. Lept. §. 41.

quod ea ratione admissa colloquium non ita multo ante Socratis mortem Athenis habitum quattuor ferme annis post Megaris refertur, quum ille praeclari ingenii adolescens, Theaetetus, ad Corinthum pugnavisset atque gravi morbo esset correptus. Atque hinc consequens est, ut dialogus non potuerit ante Olymp. 96. a. 2. absolvi et ad exitum perduci.

Quibus ita fixis atque stabilitis videmur caussam satis idoneam reperisse, quamobrem etiam Sophistam, Politicum, et quem Schleiermacherus miro iudicii errore pro opere paene rudi atque iuvenili habuit *) Parmenidem inde ab illo tempore scriptos esse putemus. Etenim tanta est horum librorum cum Theaeteto coniunctio, tanta necessitudo, ut nullo pacto temporibus multum diversis aut longo intervallo disiunctis scripti editique videri debeant. Nam Sophista quidem postridie eius diei, quo Theaetetus, peroratus esse fingitur **); Politicus porro eodem quo Sophista die habetur, ut huius memoria disputantibus adhuc recens sit atque illibata ***); Parmenides denique non modo in Theaeteto †) significatur, verum etiam in Politico et Sophista ††) satis aperte indicatur; nam plane nobis persuasum est, philosophi imaginem identidem in his sermonibus promissam in eo libro exhiberi, in quo scena dialogi repente mutata ipse Parmenides, summus familiae Eleaticae magister, cum Socrate sapiente, sed eo adhuc iuvene, colloquens inducitur †††). Huc accedit, quod in

*) V. Opp. Plat. T. I. Vol. II. p. 89 sq. ed. 2.

**) V. Sophist. p. 216. A.

***) V. Politic. p. 258. A. conf. p. 257. B. 284. B. 286. B. Omnino Politicus tam arcto vinculo cum Sophista copulatus est, ut uterque liber unum fere dialogum conficere videatur.

†) Theaet. p. 180., ubi Socrates E.: *Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται τὸ τοῦ Ὁμήρου αἰδοῖός τε ἅμα δεινός τε. συμπροσέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ.* Quod plane sic in Parmenide fieri meminimus. Etiam in Sophista p. 217. C. Socrates narrat senem Parmenidem a se puero auditum esse disputantem, quod quidem pertinet eodem.

††) Politic. p. 257. A. *ὀφειλήσεις ταύτης τριπλασίαν (χάριν), ἐπειδὰν τόν τε πολιτικὸν ἀπειργάσωνταί σοι καὶ τὸν φιλόσοφον.* Ibid. p. 257. B. C. Sophist. p. 217. C. et p. 253. E. 254. B. *περὶ τούτου (τοῦ φιλοσόφου) καὶ τάχα ἐπισκεψόμεθα σαφέστερον, ἂν ἔτι βουλομένοις ἡμῖν ᾖ, περὶ δὲ τοῦ σοφιστοῦ που δῆλον ὡς οὐκ ἀνετέον, πρὶν ἂν ἱκανῶς αὐτὸν θεασώμεθα.*

†††) V. Prolegg. ad Sophist. p. 45 sqq., ubi de hac re copiose exposuimus.

his libris omnibus ea cernitur argumenti, de quo disseritur, continuatio et quasi progressio, ut propemodum pro uno eoque grandiore opere habendi sint: de qua re postea dicetur explicatius, ubi quo artificio Politicus cum ceteris tribus sermonibus iunctus copulatusque sit, docere conabimur. Iam vero haec omnia, quum in eadem tempora egregie conveniant, sicuti infra docebitur, aliis minus aut omnino non congruant, ecquis est quin ultro fateatur, si non certum, at certe longe verisimillimum esse, Sophistam, Politicum et vero etiam Parmenidem non ita multo post Theaetetum vel litteris consignari vel in publicam lucem emitti coepisse? Nobis quidem id tam est verisimile, ut tantum non pro explorato habendum ducamus. Quanquam hic magnopere cavendum est, ne protenus omnes hos libros continuo tanquam agmine foras prodiisse existimemus; in quem errorem incidit Astius, qui in libro egregio De vita et scriptis Platonis p. 53 sq. eos omnes editos esse statuit quo tempore Plato habitaverit Megaris. Quod tantum abest ut credibile sit, ut abhorreat ab omni verisimilitudine, siquidem ipsorum ratio et argumentum luculenter evincit, philosophum rerum in iis tractatarum disputationem non uno velut ictu sed paullatim et post diuturniorem laborem perfecisse, quanquam id continua quadam temporis serie factum esse utique verisimile est. Nam primum quidem Sophistae argumentum ut ita statuamus vehementer suadet; in quo libro et ars disserendi Megaricorum leniter ridetur similique modo atque in Politico fit cum Socratica disputandi methodo componitur *), et Eleatarum ac Megaricorum ratio et disciplina ita examinatur, ut philosophus suam ipsius sententiam prudenter correctam et emendatam ad illam accommodasse videatur. Nam impugnatur sententia Parmenidis, qui unum statuebat **); refutatur doctrina Megaricorum, quandoquidem ideis, quas illi in se absolutas volebant esse neque ullius communionis capaces, etiam motus sive relatio vindicatur ***); denique ipsius Platonis doctrina consummatur ac perficitur, quandoquidem docetur has ideas in se constantes quidem, sed easdem vivas vegentesque scientiam omnem

*) V. Prolegg. nostra ad Sophist. p. 36.
**) V. ibid. p. 37 sq. 41 sqq.
***) V. ibid. p. 39 sqq.

cognitionemque veritatis efficere atque adeo non alias esse quam humanae mentis notitias tanquam essentiae omnis caussas atque effectrices *). Quae omnia ecquis est qui sine diuturniore harum rerum commentatione sic disputari potuisse sibi persuadeat, praesertim quum Plato ipse Eleaticis in multis doctrinae partibus plurimum concesserit? Parmenides porro fere totus fundamentis doctrinae Pythagoricae, eiusque interioris atque reconditioris, superstructus est. Nam quae de eius, quod esse dicitur, rationibus admirabili acumine ac sagacitate explicantur, ea quum primo adspectu Eleaticae sint originis, tamen ad ipsius Platonis sententiam exposita cum Pythagoreorum de finito et infinito opinionibus ita copulantur et in unum coniunguntur, ut hinc demum plenam lucem suam mutuentur. Quocirca vere dixeris in hoc opere doctrinam de ideis, in Sophista cum Megaricorum ratione ac disciplina consociatam, denique etiam cum Pythagoreorum ratione in unum coniungi ad eamque revocari **). Atque simile quiddam etiam de Politico audemus pronuntiare, in quo libro et vir ille civilis sapientiae tenax, qui instituitur, plane est Pythagoricus, et alia non pauca reperiuntur, quae ex eodem manarunt fonte; de qua re infra suo loco dicetur. Ex his igitur recte videmur colligere hos libros nullo pacto potuisse a Platone ante iter in Italiam inferiorem susceptum litteris consignari, nedum in publicam lucem emitti. Etenim constans est sane et multorum scriptorum testimoniis confirmata antiquitatis fama, Platonem, aliquo tempore Megaris transacto, ingenti quodam philosophiae studio incensum quum alias terras lustrasse, unde se aliquid ad veritatis disciplinam profecturum speraret, tum etiam in Italiam inferiorem se contulisse, ut perdisceret sapientiam Pythagoreorum ***). Quod quis est quin fateatur magno esse argumento, ipsum tunc sensisse, quam parva et exilis esset, quam in patria sua hausisset, illius notitia? Pleniorem autem ipsum tunc demum accepisse

*) V. Prolegg. ad Sophist. p. 39 sqq.
**) V. Prolegg. ad Parmenid. Libr. I. cap. 4 sqq.
***) V. Ciceron. De Fin. V, 29. Tuscul. IV, 19. De Republ. I, 10. Apulei. De Dogm. Plat. I. 1. p. 186. ed. Bosch. Diogen. Laert. III, §. 5. §. 6. ibique Menag. p. 139. qui aliorum quoque testimonia attulit. Addimus Augustin. De Civ. Dei VIII, 4. Contra Acad. III, 37.

eius notionem, nisi omnem antiquitatis auctoritatem evertere velimus, nullo modo dubitare poterimus. Nam inde ab illo tempore sese totum narratur dedisse Pythagoreorum studiis *); ab ea inde aetate dicitur libros Philolai studiose conquisitos multo aere sibi comparavisse **); inde etiam in scripta sua non pauca clam transtulisse fertur, quae Pythagoreis deberentur ***). Quae omnia nonne testantur clarissime iam a veteribus, ne dicam ab ipsius aequalibus, sagaciter fuisse animadversum, quid quantumque esset quod Pythagoreis acceptum retulisset? Nec vero vanam aut inanem esse hanc veterum scriptorum narrationem ipsi eius libri loquuntur, ex quibus, si modo ad eam rem attendas, passim quid rei sit cognoscere liceat. Ac si quis in coniectando audacior esse velit, haud sane inepte suspicetur eos etiam ipsos libros, de quibus nunc cummaxime quaerimus, ansam praebuisse calumniae, qua multa furtim sua fecisse arguebatur, quae propria essent Pythagoreorum. Insunt enim profecto in iis non pauca, quae quum sint Pythagorica, tamen sine ulla eius rei significatione callidissime cum reliquis contexuntur. Quocirca nos quidem minime dubitamus sic statuere, ut Sophistam aliquo intervallo post Theaetetum scriptum existimemus, Politici vero atque Parmenidis origines ad ea tempora referamus, quibus Plato, sapientiae Pythagoricae sacris tandem aliquando initiatus, quantum lucri inde ad suam ipsius rationem ac disciplinam locupletandam consummandamque percipi posset, iam plane intelligebat ipsoque usu compertum habebat. Quamquam ne Theaetetum quidem atque Sophistam prius aut absolutos aut foras emissos esse credimus quam reliquos duos dialogos. Cuius sententiae nostrae caussas et rationes paucis exposuisse iuvabit †). Repetitae vero eae sunt ex uno maxime Theaeteto. Quem librum etsi facile largimur iam inde ab eo tempore coeptum esse

---

*) V. Cicer. De Rep. l. c. Apulei. l. c. al.

**) V. Gellius N. A. III, 17. Cicer. l. c. Diog. Laërt. III, 9. 8. 17. Iamblich. Vit. Pyth. XXXI.

***) V. Gellius l. c. Athenaeus XI, 15. Euseb. Praep. Evang. X. 3.

†) Retractare enim consultum duximus, quae scripsimus Prolegg. ad Theaetet. p. 10. ubi legendum: Circiter Olymp. 96. 3. vel 4. scriptum, sed aliquanto post evulgatum esse.

scribi, quod Plato Megaris transegit, propterea quod argumentum eius quasi naturali quadam cognatione coniunctum est cum quaestionibus superiore tempore ab eo institutis, tamen postea demum ad finem perductum esse duobus argumentis evincitur. Nam primum quidem Sophistae et Politici arctior est cum eo copulatio, quam ut vel absolutionis vel editionis tempus multum diversum esse potuerit; deinde prius exordium Theaeteti, ut iam antea significavimus, eiusmodi est, ut postero demum tempore adiectum putari oporteat, quo tempore Plato eos libros, qui Megaricorum rationem ac disciplinam accuratius tractant, vel absolvisset vel foras emittere constituisset. Certe quidem illud sic tantum videtur idoneam habere caussam atque rationem, si tanquam indicium facere putetur eius coniunctionis, qua Theaetetus cum iis continetur libris, in quibus ratio et doctrina Megaricorum sub examen vocatur, quale in Theaeteto p. 183. E. urbane detrectatur, sitque simul quasi monumentum quoddam temporis aliquando Megaris cum veteribus amicis familiariter transacti; sin minus, quoniam cum ipso libri argumento nullam omnino coniunctionem habet ac necessitudinem, moleste redundare ac praeter artis leges annexum esse putandum erit; quod tamen nemo temere sic statuet, qui quanta etiam his in rebus adornandis Platonici ingenii solertia sit, penitus intellexerit *). Quodsi autem de Theaeteto recte ita statuitur, quid de Sophista inde consequatur, sponte intelligas. Apparet enim ne hunc quidem potuisse in lucem prodire solitarium.

Iam vero his ita exploratis facile liceret definire, quo tempore hi libri omnes et litteris perscripti et editioni destinati fuerint, si quo ordine Plato Aegyptum, Cyrenen, Italiam et Siciliam lustraverit, satis certo testatum haberemus. Manifestum est enim eos a Platone tum demum potuisse perfici atque editioni parari, quum audivisset Pythagoreos. Sed tanta est veterum scriptorum de ea re dissensio, ut alii eum primum Italiam, deinde Aegyptum ac Cyrenen, alii primum Aegyptum et Cyrenen ac deinde Italiam, alii inprimisque Apuleius

*) Exposuimus de his rebus uberius in Programmate: *De argumento et artificio Theaeteti ex temporum rationibus iudicando.* Lipsiae 1837. ubi v. inprimis p. 15 sqq.

primum Italiam, deinde Cyrenen et Aegyptum, ac tum iterum Italiam et Siciliam adire iubeant *). Quamobrem hic illud unum tenendum putamus, scriptionem horum operum, excepto Theaeteto, quem philosophus iam antea videtur commentatus esse, in illud incidere tempus, quo Plato relictis Megaris exteras terras inprimisque magnam Graeciam invisere coepit. Sed haec quum accuratius definiri vix possint, tamen tempus, quo opera ista omnia in publicam lucem prodierunt, non tantis tenebris obvolutum censemus, ut certius indicari nequeat. Magnum enim momentum ad huius rei quaestionem ulterius profligandam illud facit, quod quotquot scriptores de primis istis Platonis itineribus aliquid memoriae prodiderunt, ii omnes de eo consentiunt, fuisse ea continuo ordine suscepta neque ulla in patriam reditione interrupta. Nam quod Diogenes Laërtius III, 8. Aristoxenum refert memoriae prodidisse Platonem ter militasse, primum in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio ad Delium, ubi victoria sit potitus; quodque Aelianus Varr. Hist. l. VII. c. 14. similiter scribit: *Σωκράτης δὲ ἐστρατεύσατο τρίς· Πλάτων δὲ καὶ αὐτὸς εἰς Τανάγραν καὶ εἰς Κόρινθον*; ea narratio profecto ita comparata est, ut errore nata atque fide prorsus indigna iudicari debeat. Nam proelium ad Tanagram sive intelligas illud, de quo Thucyd. I. c. 108 sqq. narrat, sive id, de quo idem scriptor libri III. c. 91. refert; neutri Plato interesse potuit, quoniam Olymp. 80. a. 4., in quem annum fere illud incidit, nondum in dias luminis auras prodierat; Olymp. 88. a. 3. autem, quo tempore commissum est alterum, paene adhuc fuit quadrimus. Quocirca hic error aliquis lateat prorsus necesse est. Neque aliter sentiendum est de eo, quod apud Delium stipendia fecisse narratur. Nam pugna ad Delium incidit in Olymp. 89. a. 1. Reliqua igitur una pugna ad Corinthum est. Quae certe non potest esse eadem, quam

*) Exposuerunt de hac narrationum discrepantia Tennemannus System. Phil. Plat. T. I. p. 30 sqq. Astius De Vita et Scriptis Plat. p. 23 sqq. Hermann. Histor. Philos. Plat. V. I. p. 52 sqq. Nobis quid videatur, in Praefat. ad Opp. Plat. Vol. I. p XVIII sqq. professi sumus. Apuleium enim sequi consultum ducimus, quippe qui sua hausit ex commentariis Speusippi de vita Platonis, hoc est, ex fontibus limpidissimis.

antea vidimus Olymp. 96. a. 2. commissam esse. Nam res si sic haberet, vix silentio id transmissuri fuissent, qui de Platonis itineribus per illud tempus factis copiosius exposuerunt. Accedit quod errore manifesto una cum ceteris pugnis memoratur, quod iam per se fraudis movet suspicionem. Quod miramur sane praeteriisse Clintonem Platonis militiam in Tabulis chronologicis p. 100. ed. Krüger. sine ulla dubitatione ad hunc annum referentem. Quocirca aliud fortasse ignobilius proelium ad Corinthum factum intelligi liceat, quod in Platonis inciderit iuventutem. At primum quidem quodnam illud sit, vix reperias: deinde huic commento quodammodo officit ipse Aelianus Varr. Hist. l. III. c. 24., qui narrat Platonem iuvenem, quum aliquando arma ad faciendam militiam sibi emisset, a Socrate deterritum animo mutato sese totum ad philosophiae studia convertisse. Ex quo liquidum est philosophum non potuisse postea demum stipendia mereri voluisse, quum sese iam totum philosophiae studiis dedisset. Quae si vera sunt, facile suspiceris Platonem fecisse quidem aliquando stipendia; id enim etiam ex Diogen. Laert. III, 24. perspicuum est; sed fecisse iuvenem aetatis militaris initio, tempore nobis ignoto planeque incerto; narrationem autem illam natam esse ex iis, quae de Socrate, Xenophonte, aliisque philosophis militia claris memoriae prodita essent. Nisi forte suspicari malueris alium quendam Platonem cum philosopho nostro temere esse permutatum. Nam extitisse non paucos eius nominis homines claros atque adeo philosophos, planissime evincent quae exposuerunt Ionsius De Scriptoribus Histor. Philos. libr. I. c. II. §. 3. et Fabricius Biblioth. Gr. libr. III. c. I. Sed quidquid rei est, illud quidem pro certo et explorato habemus, quod iudicavit etiam Perizonius ad Aelian. Varr. Hist. VII, 14., totam istam narrationem splendido niti mendacio aut temeraria fraude et errore natam esse. Manet igitur certum et indubium, quod supra diximus, Platonem, ubi semel peregrinationes illas, de quibus loquimur, suscepisset, per longius temporis spatium ita patria abfuisse, ut nunquam in eam vel ad breve tempus reverterit. Ex quo consequens esse putamus, ut nec libros istos, de quorum originibus quaerimus, ante reditum in patriam foras dederit. Etenim cur tandem ea ederet, quum patria paene exul abesset? aut cur publicaret, cum omni fere cum civibus suis commercio es-

set interclusus? aut quam ob caussam, dum quaerebat unde ad sapientiae disciplinam proficeret, eorum editionem festinaret? Nimirum res nostro quidem iudicio sic se habet. Elaboravit philosophus haec scripta omnia quo tempore peregre aberat, foras emissurus quum primum ita ferret occasio, ideoque redux in patriam eadem secum attulit iam prope perfecta et absoluta, ut ea statim post adventum suum posset cum civibus suis communicare. Atque hinc verisimiliter sane coniicere licet, quo tempore tandem in lucem publicam sint emissa.

Sed hoc loco aliud quid nobis exponendum videmus, priusquam ad istud ipsum accuratius indagandum progrediamur. Dubitare enim aliquis possit, num Plato revera haec opera ante reditum in patriam ex primo itinere confecerit et paullo post, sicuti nostra fert opinio, in lucem emiserit; utrumque enim item posteriore demum aetate ab eo fieri potuisse. Quae quidem dubitatio quo removeatur, id agendum est, ut etiam illum temporis terminum certius constituamus, quo scriptio pariter atque editio eorum veluti ex altera parte circumscribatur. Et hic quidem plurimum momenti illud facit, quod argumentum horum librorum ad illa tempora, quorum indicia in iis reperiuntur, mire profecto congruit, ad alia tempora non item. Nam ut pauca tantum memoremus, num tandem verisimile putabimus, Platonem exordium illud Theaeteti multo demum tempore post otium illud suum Megarense conscripsisse? num eum Eleaticorum et Megaricorum doctrinam pariter atque disserendi consuetudinem censebimus tum demum taxavisse, explorasse, ad suam denique rationem correxisse, quum iam plurimorum annorum spatium effluxisset, ex quo eam cognovisset accuratius? num quae a Pythagoreis acceperat, diuturno silentio premere voluisse videri debebit, quum eo potissimum consilio ad illos profectus esse dicatur, ut eorum inventa pernosceret atque inde suam rationem ac disciplinam quantum fieri posset locupletaret? Et nonne quaestiones illae de scientiae caussis et fontibus, de idearum vi et natura, de arte dialectica, de rerum publicarum gubernatione, de veri philosophi dignitate, in Theaeteto, Sophista, Politico, Parmenide institutae, vel maxime eum decent, qui miseram patriae conditionem pertaesus sese totum philosophiae studiis dedere constituerat? nonne optime conveniunt in eum, qui, relicta disciplina Socratica, iam suo Marte id agere decreverat,

ut et veritatis fontes subtilius indagaret et philosophiae dignitatem vimque salutarem maximam esse demonstraret? nonne propriae quasi eius videri debent, quem tunc novimus cum Megaricis et Pythagoreis familiariter versatum esse eoque ad harum maxime rerum commentationem deduci debuisse? Enimvero sunt haec omnia certe eiusmodi, ut, si non certum, at tamen longe verisimillimum reddant quod nobis probari antea significavimus. Iam vero quid tandem de editione illorum librorum, antea si non plane absolutorum, certe tamen consignatorum atque litteris perscriptorum, censebimus? putabimusne eam a philosopho, posteaquam in patriam rediisset, diu esse procrastinatam aut in multos annos dilatam? Nimirum id nostra quidem sententia sic tantum liceret suspicari, si eius nihil interfuisse constaret, utrum studiorum suorum fructus non ita multo post reditum suum an tempore aliquanto posteriore divulgarentur. Nunc secus fuisse res ipsa indicat. Nam magnopere profecto pro sua rerum conditione debuit optare, ut quam primum civibus suis palam faceret, quantum per longum illud temporis spatium, quo patria abfuerat, in sapientiae studiis profecisset. Quamobrem nos quidem arbitramur, eum temporum opportunitate non praetermissa, quum primum in patriam rediisset, foras dedisse quae per itinerum tempora de rebus ad philosophiam pertinentibus commentatus erat. Atque id ipsum etiam de Politico sic statuimus. Quem quod Schleiermacherus *) et Car. Fr. Hermannus **) longo post Sophistam intervallo scriptum editumque voluerunt, videntur illi nec satis reputavisse, quo vinculo hic dialogus cum ceteris, quos saepe diximus, dialogis cohaereat, neque diligenter attendisse illud, quod sane observatione dignissimum fuit, scriptum esse librum quo tempore Plato iam pleniorem accuratioremque Pythagoricae sapientiae notitiam accepisset. Nam his animadversis profecto facillime intelligitur, qui fiat, ut in eo multa vel attingantur vel exponantur atque illustrentur, quae in Philebo, Timaeo, Republica, hoc est libris aliquanto post scriptis, copiosius explicata sunt, neque ulla nos coget necessitas, ut eum ab societate illorum librorum segregemus ac divellamus,

*) Opp. Plat. Germ. V. II. P. II. p. 251.
**) Histor. Phil. Plat. V. I. p. 501 et 502.

quibus ipse Plato eum adiunctum esse voluit *). Huc accedit aliud quid, quod nostram de his rebus opinionem non mediocriter confirmat. Nam absolutionem editionemque horum operum omnium non potuisse a Platone diu differri et procrastinari, etiam ex eo non inepte concludere videmur, quod non ita multo post reditum in patriam, suscepto in Academia docendi munere, nisi fallit coniectura, dialogum illum, Phaedri nomine inscriptum, tanquam disciplinae suae atque institutionis praenuncium quendam in publicum emisit **), id quod factum est circiter Olymp. 98. a. 4. ***); quodque inde ab hoc temporis spatio, missa iam Eleatica ista disserendi methodo, ad cuius exemplum sermonem gravibus de caussis in Sophista, Politico ac Parmenide attemperaverat, rursus revertit ad Socraticam illam dicendi scribendique elegantiam et ubertatem, quam in Phaedro, Symposio, Republica, aliis libris praestantissimis, summa cum voluptate admiramur.

Atque hic tandem eorum, quae hactenus disputavimus, quasi summam facere licebit. Videmur enim disputatione nostra certe effecisse hoc, ut libri illi omnes, de quibus agitur, inde ab Olymp. 96. a. 2. usque ad Platonis in patriam reditum litteris perscripti, ante Olymp. 98. a. 3. vel 4. autem posteaquam redux in patriam factus erat, in publicam lucem emissi esse existimandi sint. Quod si igitur accuratius definiri poterit, quo anno philosophus Athenas redierit, his rebus facile apparet lucem affusum iri etiam multo clariorem. Quocirca age experiamur an de his aliquid extricare possimus. Fiet autem id commodissime sic, ut colligamus in unum, quae de Platonis temporibus sparsim memoriae prodita sunt. Constat igitur testimoniis scriptorum veterum gravissimis Platonem Olymp. 95. a. 2. sive anno 399 †) ante aer. Chr.

---

*) Pythagoricae rationis vestigia in Politico ac Parmenide expressa Hermannum omnino videntur praeteriisse; alioquin certe p. 501. et p. 505 sqq. de his libris aliter erat iudicaturus.

**) Assentitur nobis de his rebus C. Fr. Hermannus l. c. p. 123, ann. 176. et p. 514. id quod non sine magna laetitia intelleximus.

***) V. Prolegg. nostra ad Phaedrum, et ad Symposium p. 39. ed. 2.

†) In temporum notatione placuit Clintonis rationes sequi, quod hic monuisse non erit inutile.

discessisse Megara: quo tempore secundum Hermodorum apud Diogenem Laërt. III, 6. 28. viginti annos, secundum alios fere triginta annos natus fuit. Posteriorem sententiam verisimiliorem esse, non infitiabuntur qui locupletissimos auctores meminerint philosophum narrare Olymp. 87. a. 3. sive anno 429 ante aer. Christ. natum esse *). Iam vero Epistol. Plat. VII. p. 324. A. circiter quadraginta annos natus Syracusas dicitur pervenisse. Quod si ita est, factum sit prorsus necesse est Olymp. 97. a. 4. sive anno 389. ante aer. Christ. Atque id unice verum videtur Corsinio in Gorii Symbolis Liter. Vol. VI. p. 97 sqq. Unde vir doctus locum Ciceronis in Cat. mai. c. XII. emendandum censet. Quod enim ibi legitur: *quem* (Platonem) *Tarentum venisse L. Camillo, Appio Claudio coss. reperio*, id sic refingi iubet: *quem Tarentum venisse L. Aemilio et Appio Cornelio tribunis* (h. e. M. Furio Camillo dictatore) *et abisse L. Camillo et Appio Claudio coss. reperio.* Et certe istud L. Aemilio etiam codicum quorundam testimoniis confirmatur. Sed de reliquis vix cum viro docto consentias, quandoquidem Plato non anno U. C. 404. sive 350. ante aer. Christ., h. e. Olymp. 107. a. 3. obiisse dicitur, quo anno secundum Pighium Annal. Rom. T. I. p. 249. Lucius Camillus et Appius Claudius consulatum gesserunt, sed potius anno aetatis octogesimo primo, hoc est Olymp. 108. a. 2. sive anno 347. ante aer. Chr. vita defunctus esse. Quamobrem locus fortasse leniore mutatione refingendus erit. Sed hoc in medio relinquamus. Venit igitur Plato, si qua ceteris testibus fides est, Syracusas Olymp. 97. a. 4. sive 389. a. Chr. Ubi quam diu commoratus sit, nemo certius testatus est. Verisimillimum tamen putamus eum haud ita diu ibi permansisse, quandoquidem Dionysius statim ut advenerat ferre non potuit eam, qua utebatur, oris libertatem **). Quocirca plerique statuunt ipsum eodem anno, quo venerat Syracusas, rursus in patriam rediisse. Ac sane pertinere huc videatur illud, quod Eusebius Chron. ad Olymp. 97. a. 4. annotavit: „*Plato philosophus agnoscitur*," nisi id pro-

*) V. Menag. ad Diog. Laert. III, 3. p. 136. Meiners Histor. Artium ac Doctrinar. Graec. Vol. II. p. 684. Hermann. Histor. Philos. Plat. V. I. p. 86.

**) V. Plutarch. Vit. Dion. c. 5. p. 264. ed. Reisk., qui omnium uberrime de his rebus exposuit.

babilius ad eius in Sicilia adventum referatur aut alia nitatur temporum computatione. Quamobrem alia via ingredienda est ad inveniendum id, quod quaerimus. Optimum factum autem, quod memoriae proditum est, quam fortunam philosophus Syracusis revertens expertus sit. Plutarchus enim Vit. Dion. c. 5. p. 265. ed. Reisk.: *οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Δίωνα τοῦτο τέλος ᾤοντο τῆς ὀργῆς γεγονέναι, καὶ τὸν Πλάτωνα σπεύδοντα συνεξέπεμπον ἐπὶ τριήρους, ἢ Πόλλιν ἐκόμιζεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, τὸν Σπαρτιάτην. ὁ δὲ Διονύσιος κρύφα τοῦ Πόλλιδος ἐποιήσατο δέησιν, μάλιστα μὲν ἀποκτεῖναι τὸν ἄνδρα κατὰ πλοῦν, εἰ δὲ μή, πάντος ἀποδόσθαι· βλαβήσεσθαι γὰρ οὐδέν, ἀλλ' εὐδαιμονήσειν ὁμοίως, δίκαιον ὄντα, κἂν δοῦλος γένηται. διὸ καὶ λέγεται Πόλλις εἰς Αἴγιναν φέρων ἀποδόσθαι Πλάτωνα, πολέμου πρὸς Ἀθηναίους ὄντος αὐτοῖς, καὶ ψηφίσματος, ὅπως ὁ ληφθεὶς Ἀθηναίων ἐν Αἰγίνῃ πιπράσκηται.* Similia vel potius eadem fere narrant vel attingunt Diodor. Sic. XV, 7. Lactantius De falsa sapientia III, 25. Cornel. Nep. Vit. Dion. c. 2. Diogen. L. III, 18 — 21. coll. II, 86. Aristides Orat. Platon. Tom. II. p. 304 sqq. ed. Dindorf. Plut. De exil. p. 603. B. Macrob. Saturn. I, 11. Horum nonnullis testibus Anniceris, hospes Cyrenaeus, Platonem viginti vel triginta minis redemit et in libertatem vindicavit. De Aeginetarum psephismate Diogen. Laert. III, 19. scribit: *τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τὴν νῆσον ἄκριτον ἀποθνήσκειν.* Iam vero de illis Aeginetarum cum Atheniensibus dissensionibus atque bellis copiose exposuit Xenophon. Histor. Graec. libr. V. c. 1. inde a §. 1. usque ad §. 21. Ubi quae narrantur, ea prudenter Dodwellus ad Olymp. 98. 1. retulit. Proxime enim ante pacem Antalcideam evenerunt, quam Olymp. 98. anno 2. compositam esse optimorum auctorum sententia est *). Ex quo quid consequatur, sponte apparet. Rediit enim Plato in patriam suam Olymp. 98. anno 1. sive 388. ante aer. Christ. Atque hoc si ita evenit, quid de tempore, quo quattuor isti libri, quos

*) V. Corsini Fast. Att. III. p. 293. Manso Spart. III, 2. p. 204. Clinton. Tabul. Chronol. p. 110. ed. Krüg. Fallitur igitur magnopere Müllerus Aeginet. p. 190. qui a Diodoro in errorem inductus bellum Aeginetarum cum Atheniensibus ad Olymp. 98, ann. 4. retulit.

saepe diximus, vel scripti vel editi sint, existimari debeat, iam tandem certius videtur definiri posse. Nam scripti sunt atque litteris exarati intra Olymp. 95. ann. 2. aut 96. ann. 2. atque Olymp. 98. ann. I. sive intra annum 399. atque 388. a. aer. Chr., foras autem statim post Olymp. 98. ann. 1. prodierunt fortasse magis tum perpoliti et prorsus elimati. Ex quo tempore quoniam Plato de scholis in Academia habendis cogitavit, Phaedrum et Symposium commentatus est, quos libros antea significavimus post Olymp. 98. 2. vel 3. in publicam lucem prodiisse, quo tempore philosophus publice docendi munus in se suscepisse videtur.

Atque haec quidem generatim et communiter de illis libris omnibus, quos eo temporis spatio a Platone scriptos ac foras datos esse suspicari liceat. Sequitur ut separatim de Politico dicendum sit, quem eidem tempori assignavimus. Duae autem res hic discutiendae veniunt. Nam primum ex temporum rationibus declarandum videtur, ob quamnam caussam philosophus istud potissimum argumentum sibi tractandum sumserit; deinde videndum, cur hunc sermonem, qui in longe alia re illustranda versatur quam quae in Theaeteto, Sophista et Parmenide tractatur, cum his ipsis operibus arctius coniungendum existimaverit. Quibus explicatis futurum esse speramus, ut quae antea de temporibus, quibus hi libri litteris mandati sint, disputavimus, certioribus etiam argumentis confirmentur.

Et de argumento quidem Politici si quaeritur, nos certe in ea sumus opinione, ut eadem illa tempora, quae philosopho de veritatis et cognitionis natura atque caussis disserendi occasionem dedissent, ipsi etiam eam opportunitatem et paene necessitatem attulisse existimemus, ut de verae artis civilis dignitate ac praestantia exponeret, et vero etiam ostenderet, quantum ea ab vulgari ista reipublicae gerendae ratione discreparet, quae solo usu nulla ratione collecto contineretur. Reliquerat enim, sicuti antea dictum est, post obitum Socratis patriam suam eo consilio, ut sese totum philosophiae studiis dederet neque unquam attingeret rempublicam; iam satis diu apud exteros erat versatus rerum patriarum, ut quidem videbatur, prorsus incuriosus; denique nec unquam futurum esse sperari poterat, ut reipublicae consilio atque opera sua rursus prodesse vellet, quandoquidem apud

se constituerat etiam postero tempore eum vitae cursum tenere, ut discendo potius atque docendo quam publica munera administrando virtutis aliquam laudem quaereret. Hoc vero consilium suum animo praevidebat, opinor, non esse defuturos qui maligne carperent et calumniarentur aut certe non ex aequo iudicarent. Quid igitur eum tunc fecisse existimabimus? Nimirnm fecit id, quod tam excelsi animi viro longe fuit dignissimum, hoc est, factorum suorum atque consiliorum rationem ita reddere constituit, ut non tam suam ipsius quam sapientiae et virtutis caussam egisse videretur. Atque hoc ut ita faceret, etiam illud putamus effecisse, quod posteaquam in Italiam pervenit, quid Pythagorei de istiusmodi rebus sentirent, accuratius cognovisse videtur. Quorum sententiam quum videret esse tam praeclaram atque magnificam, ut ad eas, quas ipse dudum de civili prudentia et civitatum gubernatione suscepisset, opiniones vel stabiliendas atque confirmandas vel etiam emendandas plurimum conduceret, confidentius etiam atque alacrius opus istud aggressus est, ad quod suscipiendum ipsa tempora gravissime cohortari videbantur *). Ostendit igitur civibus suis, quos iam alio tempore in Menone, Gorgia, Protagora, aliis libris, admonuerat, quanti aestimanda esset quae vulgo iactaretur virtus civilis, his igitur nunc tandem ostendit perfecti illius civitatum rectoris speciem et imaginem, qualem ipse mente et animo informasset; descripsit item eos, qui quum temerario cum fastu prudentiae civilis laudem praeter ceteros affectarent, tamen optimo illi et perfecto reipublicae gubernatori, hoc est, philosopho in vitae communis actione constituto, tanto intervallo essent postponendi, ut nihil nisi vani quidam et inepti eius imitatores iudicari deberent; exposuit porro et in illustri luce collocavit earum rerumpublicarum, quibus Graecia utebatur, fortunam et conditionem, et quibus eae malis premerentur quamque longe ab optimae civitatis laude abessent, summa orationis libertate demonstravit; denique veram rectamque civitatis administrandae rationem docuit esse unam illam, quae ex ingenio atque animo regis aut principis vera sapientia re-

*) Platonem per Pythagoreos rursus ad rerum civilium considerationem permotum esse verissime disputat Hermannus Histor. Philos. Plat. I. p. 60 sqq.

ferto tanquam ex fonte ac principio proficisceretur neque ex incertis suspenderetur opinionibus. Haec igitur atque alia id genus, de quibus in Politico explicatur, nonne apertum est peropportune a philosopho tum temporis esse excogitata atque litteris perscripta, quum vitatis negotiorum publicorum tempestatibus sese tanquam in portum philosophiae contulisset atque porro ita vivere constituisset, ut etiam aliquando redux in patriam factus unice philosophiae studiis vacaret eoque ipso usui civitati esset? Enimvero nos quidem totius vitae cursum ab eo emensum ordine deinceps mentis tanquam oculis lustrantes fatemur nullam eius invenisse partem, quae ad harum rerum explicationem atque commentationem magis fuerit opportuna. Quocirca plane nobis persuasimus etiam rerum in Politico tractatarum delectum eum esse, qui optime in illa tempora conveniat, quibus hunc librum pariter atque Sophistam et Parmenidem litteris consignatum esse suspicati sumus.

Atque hic progredi statim licebit ad alterum illud, de quo nos exposituros esse antea professi sumus. Quaerendum est enim, cur Plato Politicum suum cum Theaeteto, Sophista et Parmenide ita coagmentaverit, ut hi libri omnes tantum non unum corpus conficiant. Cuius rei caussas si item in temporum illorum rationibus positas invenerimus, novum sane habebimus argumentum, quo sententiae antea propositae fides et auctoritas stabiliatur.

Quodsi igitur quaerimus, quonam vinculo Politicus cum tribus reliquis illis sermonibus colligatus sit, certe manifestum esse oportet omnibus, non tam necessariam quam fortuitam esse eius cum his operibus copulationem. Nam si verum fateri volumus, externa tantum forma ac specie cum illis continetur, quandoquidem in eo idem ille hospes Eleaticus, qui in Sophista loquens inductus est, etiam de rebus ad civitatem pertinentibus disputat atque eadem in disserendo ratione utitur, quam adhibuerat ad indagandum sophistam; sed primaria quaestio in eo instituta cum argumento Theaeteti, Sophistae et Parmenidis adeo nullam habet necessitudinem et coniunctionem, ut plane ab eo seiuncta et diversa videatur. Nam rex ille, qui perfecta rerum civilium scientia ornatur, etsi non est alius nisi philosophus in media republica constitutus, tamen quatenus in eius sapientiae societatem

et communionem perveniat, de qua in reliquis tribus sermonibus explicatur, ne per transennam quidem ostenditur. Quod quo facilius intelligatur revera ita esse, age paucis videamus, quo artificio philosophus haec opera ita inter se iunxerit et copulaverit, ut una sermonis perpetuitate cohaerere videantur.

Itaque in Theaeteto constat eorum sententiam examinari et redargui, qui veritatis scientiam et cognitionem in visis atque rectis opinionibus volebant inesse. Quod quidem fit ab ipso Socrate, qui coram Theodoro Cyrenaico aliisque familiaribus cum Theaeteto, praeclari ingenii adolescente, de his rebus sic disputat, ut simul Socraticae illius obstetricandi artis tanquam specimen quoddam exhibeatur, unde eius virtus ac praestantia tota cognoscatur. Id quod non temere negligi oportuisse mox intelligetur. Verum sermo ille quum olim Athenis habitus sit, tamen Megaris in aedibus Euclidis Terpsioni Megarensi recitatur; quo elegantissime significatur earum rerum disputationem, quae iam suscipiatur, pertinere utique ad philosophos Megaricos, adeoque inde ab eo tempore esse institutam, quo philosophus apud illos olim fuerit commoratus. Iam vero in Sophista, qui postridie habitus fingitur, transitur ad Eleaticos. Examinatur enim et refellitur eorum de Uno sive de Ente sententia, idque prudenter instituitur sic, ut simul doceatur, qua necessitudine et coniunctione id quod sit cum eo contineatur, quod non esse iudicari oporteat. Sed de hoc argumento non iam Socrates disputat, verum hospes aliquis Eleaticus a Theodoro in hesternorum familiarium societatem adductus. Nimirum is, veri reperiendi studio mirifice inflammatus et quaerendi subtilitati scholae more et instituto egregie adsuefactus, denique paene invitus eo defertur, ut Megaricorum sententiam ad Platonis rationem deflectat et repudiata Parmenidis id quod non esset plane tollentis opinione eius quod sit quodque non sit necessitudinem felicissime patefaciat. Sed hoc quum sit principale libri argumentum, tamen disputationis exordium ab alia quadam re ducitur, primo quidem adspectu multum diversa, sed revera cum illo coniunctissima. Etenim hospes Eleaticus, ubi per Theodorum praesentibus amicis satis est commendatus eosque humaniter salutavit, protenus ab his interrogatur, quomodo Eleatici sophistam, virum civilem, hoc est rerum civilium scientia instructum, atque philosophum distinguant ac secernant;

vulgo enim eos omnes pessimo errore inter ipsos confundi, siquidem ita accidat, ut philosophi modo pro sophistis, modo pro viris rerum publicarum gnaris et peritis, modo etiam pro insanis habeantur. Itaque ille primum sophistam investigandum statuit. Hoc vero faciens in eam pedetentim devenit sententiam, ut propriam eius tanquam sedem ac domicilium in eo quaeri oportere existimet, quod non esse dicatur. Quo facto progreditur ad exquirendam naturam rationemque eius, quod esse et non esse dicimus: quam dum explorat sic, ut id ipsum maxime spectasse videatur, eadem opera etiam sophistae indolem et naturam reperit, eoque modo id, de quo antea erat dubitatum, felici denique successu in clarissima luce collocat. Ita igitur in hoc dialogo et sophista investigatur, et non entis cum ente cognatio sic ostenditur, ut veritatis cognitionem ex utroque esse suspensam arte prorsus divina doceatur. Sed quum in harum rerum explicatione admirabilis cernatur Platonis solertia, tum non minor ars elucet in disserendi forma et ratione, quam illi adhibuit. Nam quemadmodum in Theaeteto Socraticae dialecticae tanquam speciem quandam depinxisse videtur, ita in Sophista Eleatam induxit eum, qui acumini dialectico tribuat plurimum ac scholae suae mori et consuetudini in disserendo ita obtemperet, ut eius tanquam imago quaedam ob oculos ponatur. Quamquam id ea fit moderatione, ut moris alieni imitatio argumenti explicationi nihil officiat. Sed de his infra dicemus explicatius: nunc rem paucis significasse satis erit. Pergimus ad eum dialogum, qui Sophistam ordine deinceps excipit, hoc est, ad Politicum. Etenim sophista invento Eleates protenus accedit ad informandum virum vera rerum civilium scientia pollentem. Nec tamen iam in eo uno describendo subsistit, verum etiam illos depingit, qui artis civilis laudem temere aucupabantur. Quocirca hoc libro perfecti et consummati viri civilis species et imago proponitur, sed eidem etiam illi, qui temerario vulgi iudicio rerum civilium prudentia excellere putabantur, tanquam ex adversa parte opponuntur. Quod qua ratione fiat, infra declarabitur. Hoc loco id unum admonuisse iuvabit, perfectum illum optimumque civitatis gubernatorem, si rem accurate aestimes, non esse alium nisi ipsum philosophum sive sapientem in vitae publicae actione constitutum et civitatis factum gubernatorem, ut Plato iam in Politico philosophum ex parte depinxisse

existimandus sit. Verum finxit eum in hoc libro talem, qui non iam eius, quod est vel non est, vim naturamque perscrutetur, sed qui mente sua atque ratione tantum valeat, ut ipse solus pro communi quadam totius reipublicae lege habendus sit. Quare facile intelligitur in his exponendis nullam habitam esse rationem eorum, quae in Theaeteto ac Sophista de humanae mentis cognitione eiusque principiis ac fontibus disputata sunt. Sed haec sicuti penitus videntur neglecta, ut per totum Politicum nusquam respiciantur; ita disserendi ratio in Sophista usurpata hic veluti consummatur ac perficitur. Nam eadem prorsus hic methodus dialectica atque illic dominatur; sed ita dominatur, ut subinde etiam corrigatur ab Eleata atque emendetur. Quamobrem apertum est philosophum id egisse, ut utrumque dialogum etiam communis dialecticae vinculo arctius coniungeret ac veluti constringeret. Atque haec quidem de Sophistae et Politici nexu et coniunctione. Reliquum fuit denique, ut etiam philosophi species et imago perficienda esset, cuius spes in Sophista et Politico identidem facta erat. Et recte sane. Enimvero quemadmodum in Politico natio eorum, qui laudem scientiae civilis temere appetere iudicantur, e regione posita est vero germanoque sapienti, qui unus merito suo censetur politici nomine dignus esse: ita etiam sophistae illi, qui in eo quod non est habitare iudicatur, verus philosophus opponendus fuit, hoc est is, qui idem esset germanus dialecticus, quique unice in eo, quod vere est, contemplando summo studio occuparetur. Atque hoc nostra quidem sententia factum est in Parmenide *). Nam in hoc libro qui repraesentatur philosophus, is sophistae illi, in cognomini sermone prae oculis posito, prorsus ex altera parte respondet. Quippe ille nihil aliud nisi fraudem et fallacias consectatur ideoque in eo potissimum, quod non est, versari dicitur; hic vero perpetuo id agit, ut eius, quod vere est, vim rationemque omnem indaget et exquirat, nihilque intentatum relinquit, quo ad veri intelligentiam perveniatur. Quod ut non perviderent homines

*) Diximus de hac re explicatius Prolegg. ad Sophist. p. 45 sqq. In eandem sententiam eodem fere tempore, quo ista scripsimus, Zellerus devenit *Studior. Platonic.* p. 194 sqq. in eo tamen falsus, quod Parmenidi medium inter Sophistam et Politicum locum assignavit.

doctissimi, effectum maxime eo est, quod in hoc libro non hospes iste Eleaticus loquens inducitur, quem in Sophista et Politico disputantem audimus, sed ipse Parmenides, summus ille scholae Eleaticae magister, qui cum Socrate sapiente, sed tunc adhuc adolescente, de rebus longe gravissimis colloquitur. At enim vero id ipsum, si rem accurate perpendas, prorsus egregie ad rem praesentem accommodatum esse iudicari oportet. Nam ita primum quidem qui gravissimus habebatur doctrinae Eleaticae auctor atque princeps vim rationemque *οὐσίας* omnem exponit, et quidem sic exponit, ut denique Eleatarum et Pythagoreorum opiniones ad Platonis sententiam referantur: deinde iuvenis Socratis exemplo docetur, quisnam ille sit, qui indole et natura vere philosopha praeditus esse existimari debeat, quandoquidem senex Parmenides Socratis iuvenis ingenium vehementer admiratur adeoque auguratur, eum aliquando, sicubi in vero quaerendo nullius rei investigationem reformidet, sed suis omnia ponderet momentis, ad summam perfecti philosophi laudem facile esse perventurum *). Postremum nimirum facile apparet eo pertinere, ut quum ipse Parmenides et singulari ingenii acumine et veri reperiendi studio maximo excellat, tamen Socratem eum esse significetur, in quo vis animi ingeniique philosophi maxime eluxerit. Quamobrem in utroque simul veri philosophi imaginem expressam cerni, altero iam adulto atque sene, altero adolescente, in optimam futuri temporis spem excrescente, si non dilucide pronunciatur, at certe non ita obscure ostenditur. At enim vero, inquit aliquis, qui tandem fieri potuit, ut in locum Eleatae repente succederet Parmenides, cum Socrate adhuc iuvene de gravissimo argumento disputans? Nimirum hic diligenter est reputandum, Cephalum quendam Clazomenium induci loquentem, qui familiaribus ipsum tacite audientibus sermonem iam ante multos annos Athenis habitum exponit. Quo profecto efficitur, ut, etiamsi scena dialogi praeter expectationem mutata sit, tamen nihil magnopere offendamur, siquidem existimare licet eosdem illos homines, qui in Theaeteto, Sophista et Politico familiariter conversati sunt, etiam hic Cephalo dare operam eiusque narrationem audire. Atque hinc tandem

*) V. Parmenid. p. 130. A sqq.

certissime perspicietur, quorsum illud pertineat quod Socrates in Theaeteto p. 183. E. et in Sophista p. 217. C. narrat sese olim adolescentulum cum sene Parmenide de istiusmodi rebus sermones contulisse. Manifestum est enim tecte significari Parmenidem, cuius scriptionem Plato quo tempore ista enunciavit iam meditatus est.

Sed haec de Politici cum tribus illis, quos diximus, libris necessitudine et coniunctione *). Quae qui diligenter perpenderint, ii facile largientur vere nos supra iudicavisse, pendere eam fere ex rebus fortuitis, neque disputationis in Politico habitae argumentum tale esse, quod cum quaestione de scientiae fontibus deque essentiae rationibus in Theaeteto, Sophista et Parmenide agitata arctiore quodam vinculo contineatur. Quid igitur? qui tandem factum esse putabimus, ut philosophus illum librum cum tribus reliquis consociaverit et in unum coniunxerit? Dicam equidem quod sentio. Etenim haec opera omnia sicuti tempus originis habuerunt commune, ita etiam communiter a Platone editioni destinata sunt. Nam quo tempore philosophus in eo fuit, ut varias de veri iudicio opiniones exploraret et ad suam ipsius sententiam referret, eodem in scientiae civilis commentationem delatus est, adiutus ea in re atque confirmatus etiam a Pythagoreis, qui de rebus ad civitatum administrationem pertinentibus sentirent magnificentius. Horum autem studiorum fructus quis est qui dubitet eum quam primum voluisse edere et cum popularibus suis communicare? Etenim multum sane ipsius interfuisse videtur, ut quum primum in patriam rediisset, non modo intelligeretur, quid quantumque esset quod in peregrinationibus ad sapientiae disciplinam profecisset, verum etiam de suo rerum publicarum iudicio publice constaret. Quamobrem quae de his rebus omnibus tunc commentatus erat, ea coniunxit artificiosius. Nam opera tanquam secundaria etiam sophistam, virum civilem et philosophum constituit depingere; quod quidem ita perfecit, ut quomodo philosophus verus et germanus quum a viris vulgari iudicio in republica claris tum a sophistis distin-

*) Quae Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 262 sq. de Politici cum Euthydemo, Cratylo et Protagora necessitudine exposuit, ea quoniam vel incerta vel falsa videntur, hic respicienda aut examinanda non putavi.

guendus sit, clarissime appareat. Nam philosophus, etsi secundum ipsius sententiam maxime dialecticus est, tamen idem iam in Politico, quatenus in publicae vitae luce versatur, adumbratur ac depingitur; in Parmenide autem denique ut acerrimus veri explorator, qui id quod est subtilissime summoque cum studio exquirit, informatur. Atque hoc artificio Plato id consequutus est, ut quasi vinculum aliquod nanciscereturque, quo opera ceteroquin argumenti dissimilis ac plane diversi apte continerentur. Id vero quo firmius videretur esse, in Sophista et Politico simul Eleaticam disserendi viam rationemque ob oculos collocavit, quam ut inprimis respiceret, item temporum rationes effecisse existimandae sunt. Nam ex quo Megaris degerat, ipsum subtilis iste artis dialecticae usus adverterat, quem Megarici, Eleaticorum sequuti exemplum, praeter ceteros tenere visi sunt.

Sed hoc ipsum nos admonet, ut ad eum locum accedamus, quo de disserendi genere in Politico conspicuo disputatum iri significavimus. Et possumus sane iure quodam nostro iam tandem ulterius progredi, siquidem de temporibus, quibus hunc librum et scriptum et editum esse verisimile sit, ita exposuimus, ut quod addendum videatur, nihil amplius habeamus. Effecisse autem videmur, ut liber intra Olymp. 96. a. 2. et Olymp. 98. a. 1. scriptus nec ita multo post in lucem editus esse existimandus sit, eamque sententiam nostram ostendimus esse talem, cui dialogi argumentum atque adeo eius cum Theaeteto, Sophista et Parmenide nexus et copulatio quammaxime conveniat. Unde sicuti rationi nostrae plurimum praesidii et firmamenti accessit, ita vicissim iam Platonico operi nonnihil lucis admotum esse non inepte videmur statuere. Et vero etiam iis, quae porro de eo exponenda sunt, aliquantum hinc lucis affundetur. Verum aggrediamur ad id, quod supra diximus dehinc a nobis tractatum iri. Dicendum enim nunc de genere disserendi in Politico conspicuo, et quorsum id pertineat ostendendum. Quae quidem disputatio etiam ad diluci-dandum Sophistam valebit, ad quem consulto paucis tantummodo de his rebus disputavimus.

Est vero disserendi ratio, quae in Politico dominatur quaeque ei cum Sophista fere communis est, longe dignissima, de qua peculiari opera disquiratur. Videtur enim adeo esse singularis, ut universo operi afferat spe-

ciem sanequam admirabilem et a reliquorum sermonum Platonicorum, si ab uno Sophista et Parmenide discesserimus, forma et venustate plurimum abhorrentem. Nam exceptis paucis quibusdam locis, de quibus mox disseretur, plena hic omnia sunt acutis ac subtilibus generum in formas ipsis subiectas divisionibus; plena item argutis conclusiunculis et argumentationibus; plena denique partiendi atque definiendi spinis densissimis, ut librum legentes plane nobis videamur quasi in dumeta horridae cuiusdam dialecticae pervenisse. Quid igitur? quamnam tandem caussam et rationem esse putabimus, cur Plato praeter morem et consuetudinem suam tam singulari disputandi genere usus sit? qui factum esse censebimus, ut iam relicta illa Socratica disserendi facilitate et elegantia tam tristem et paene morosam dialecticam susceperit? quid denique ipsum in eo sequutum esse arbitrabimur, quod missa Socratica disputandi ratione, qua in Theaeteto adhuc usus est, plane diversum disputandi genus adhibuit? Longi hic esse possumus in confutandis aliorum de his rebus opinionibus *). Sed praestat vitatis ambagibus breviter indicare, quid ipsi de hac re sentiamus, ac deinde sententiae nostrae reddere rationem, si forte fieri possit, ut eam aliis quoque persuadeamus. Censemus autem Platonem in his libris Megaricorum dialecticam, inprimisque dividendi rationem ab iis usurpatam, tanquam illustri aliqua imagine repraesentavisse in eaque re similiter esse versatum atque in exponenda iudicandaque eorum doctrina fecit. Etenim adumbravit eam et quam potuit fidelissime imitando expressit, ut legentes haberent, unde de eius vi et usu iudicarent; verum eadem opera etiam quaedam eius notavit vitia eamque demonstratis mali acuminis fraudibus emendavit emendatamque quodammodo cum Socratica ratione conciliavit. Quae ne videamur nostro tantum arbitratu ita statuisse, primum verisimile reddere conabimur, hospitem Eleaticum, qui loquens inducitur, more Megarico-

*) Veluti Socheri *De scriptis Platon.* p. 262 sqq. 269 sq. Astii *De Vita et Script. Plat.* p. 233. inf. et seq. super., qui Platonem putat disserendi rationem in Sophista usurpatam a reprehensionibus adversariorum in Politico vindicari, id quod statuit etiam Hertelius l. c. p. 23. Heusdii *Characterism. principum philosophor.* p. 126 sq. *Init. Philosoph. Platon.* Vol. II. Part. II. p. 104 sqq. ut alios taceamus.

rum disputare; deinde id sic fieri ostendemus, ut in eo simul lenis quaedam et urbana cavillatio cernatur, siquidem etiam fraudes quaedam et errores illorum significantur; denique docebimus, etiamsi in ea re reprehendendi ridendique consilium manifestum sit, tamen disserendi viam et rationem eam teneri, unde appareat, quomodo Eleatica ista disserendi methodus, sublatis eius vitiis quibusdam, cum Socratica elegantia et humanitate coniungi copularique possit. Quibus explicatis speramus fore, ut quae doctissimis hominibus in toto hoc disputandi genere, quod Politicus cum Sophista commune habet, molesta acciderunt, ea idoneis caussis atque rationibus niti sponte intelligatur.

Ac primam quidem partem huius disputationis, qua Megaricae dialecticae vestigia demonstrare propositum est, ultro fatemur fere mera niti coniectura ideoque pertinere maxime ad efficiendam verisimilitudinis probabilitatem, non item ad exploratae veritatis fidem et evidentiam. Cuius rei caussa posita in eo est, quod quae de Megaricorum arte dialectica accepimus, sanequam sunt paucissima, quodque ipse Plato non satis aperte significavit, quid insolito isto disserendi genere sibi voluerit. Quodsi igitur in hac explicatione nostra ἀνάγκη illa persuadendi, quam philosophus alicubi dixit, desiderabitur, facilem nos speramus eius rei veniam apud aequos iudices inventuros esse.

Ac primum quidem ipse ille hospes Eleaticus, quem Plato loquentem induxit, aliquem in eam deducat suspicionem, ut Megaricorum dialecticam ab eo tanquam imagine aliqua repraesentari existimet. Nam etsi ille Sophist. p. 216. A. B., ubi mores eius et ingenium describuntur, dicitur esse Eleaticus, isque non pugnaci isti Eristicorum nationi accensendus, sed lenius illis ac moderatius in disserendo agere solitus; tamen, si faciem eius habitumque omnem propius consideraverimus, item videbitur esse Megaricus, hoc est, simul etiam Megaricorum partes agere. Quippe disputans ille sic inducitur, ut disserendi via et ratio, qua utitur, prope quidem ad Parmenidis et Zenonis morem et consuetudinem accedat, veruntamen ab eodem etiam aliquantum dissideat. Quid igitur? qui tandem fit, ut dialectica ista, quam ex arte factitat, in magna dissimilitudine tamen illi rationi sit simillima? Nimirum habet id, si quid vide-

mus, explicationem ex eo, quod Megarici inventam ab Eleatis artem susceperunt susceptamque inventis suis locupletarunt et ad maiorem quandam perfectionis laudem excoluerunt. Hoc vero quum ita sit, quid inde sequatur, sponte apparet. Verisimillimum fit enim, ne dicam certum, Eleatam apud Platonem in disserendo eorum sequi rationem ac disciplinam, qui post Zenonis aetatem omnem dialecticam ingenii sui solertia reddidissent perfectiorem, hoc est Megaricorum, quos in hac ipsa re constat studiosissime elaboravisse. Quanquam non est negligendum, quod fingitur alienissimus ab illa disputandi rabie, qua permultos Megaricorum ita flagrasse constat, ut iam Euclidis aetate nomen Eristicorum, parum illud honorificum, accepisse videantur. Enimvero disputat ille quidem ex Megaricorum ratione et consuetudine, sed disputat caute, moderate, prudenter, denique sic, ut pugnacibus contentionibus nihil, veri reperiendi studio ac disserendi subtilitati omnia tribuat. Quod quorsum pertineat, ad iudicandum non est difficile. Neque enim philosophus litigiosam istam sapientiam voluit depingere, quam multi temere amplexati erant; quippe istam satis habuit initio Sophistae paucis castigavisse; sed imitatione exprimere constituit eam disserendi methodum, quae dialecticae subtilitatis laudem ita tueretur, ut ad veri pervestigationem valeret atque contenderet. Eam vero nec germanis Megaricis ipsique Euclidi displicuisse aut ignotam fuisse, facile credent qui legerint Spaldingii Vindicias Megar. p. 3 sqq. Ita igitur ex his non temere coniicias, disserendi rationem istam, quae in Sophista et Politico hospiti Eleatico tribuitur, non esse aliam quam quae ad Megaricorum praecepta et instituta comparata sit.

Atque hoc ita esse etiam ex eo suspicari licet, quod Plato in scribendis dialogis suis eorum inprimis habuit rationem, quae quo tempore scripsit, ipsi quasi ob oculos versabantur atque cum praesenti philosophiae statu et conditione maiorem quandam videbantur habere coniunctionem et necessitudinem. Quid igitur? num eum putabimus pictura ista sua dialecticae in Sophista et Politico conspicuae ipsum Parmenidem ac Zenonem aut eos, qui hos pressius sequebantur, significare voluisse? Nimirum id quidem adeo abhorret a verisimilitudine, ut nihil magis possit. Perinde certe est, ac si quis his nostris temporibus aliquem Wolfianorum, qui ante Kan-

tium in patria nostra maxima floruerunt auctoritate, imitanda eorum demonstrandi via aequalibus ante oculos ponere velit, scilicet eorum probandi et argumentandi consuetudinem descripturus. Quamobrem Platonem multo est verisimilius ad eos respexisse, qui Eleaticam disserendi rationem eo ipso tempore, quo hos libros scripsit, ita usurpaverint, ut eam etiam studiosius excoluerint et perfecerint. Id autem quis est quin sciat praeter ceteros fecisse Megaricos? Nam quod etiam Sophistae quidam Eleatico disputandi genere usi sunt, certe hi in his Platonis libris neutiquam videntur respectari, propterea quod eo maxime ad tricas et praestigias abusi sunt, maiore quadam arte ac diligentia disserendi caruerunt. Ac Megaricos potissimum ob oculos versatos esse Platoni, ipsa tempora reddunt verisimile, quibus Sophistam et Politicum ab eo scriptum videri antea disputavimus. Versatus enim tunc ipsum aliquamdiu Megaris erat et quomodo Euclides eiusque familiares in disserendo versarentur, ipso usu didicerat. Quid igitur? ecquis sibi persuadebit ipsum in iis libris, in quibus Eleaticorum atque Megaricorum de vi ac natura rerum deque veri iudicio doctrinam exposuit expositamque taxavit, aliam adumbravisse disserendi formam ac speciem, nisi quam illis vidisset adeo placere, ut ea etiam vehementer delectarentur ac paene superbirent? Nimirum nostra quidem sententia id tanto minus est verisimile, quod et dialecticam Megaricorum novimus statim ab ortu suo ad magnam famae celebritatem pervenisse et Platonem constat de disserendi disciplina sensisse tam honorifice, ut perfecti dialectici munus idem voluerit esse perfecti philosophi.

At vero, inquit aliquis, cur tandem is, qui primarii disputatoris in his sermonibus partes sustinet, ab ipso Platone non Megaricis, sed Eleaticis potius annumeratur? Potuitne ille aut potius debuit vero nomine suo appellari Megaricus? Nam ita certe futurum erat, ut librum legentes insolentis istius disserendi rationis causas protenus perspiceremus. Audio equidem, et verum esse confiteor quod ea de re admonetur. Sed idem ego praefracte nego Platonem inepte fecisse, quod disputatori suo Eleatici personam imposuit. Nam primum quidem populares ipsius vel sic poterant novisse et intelligere, quatenus disserendi genus, quod disputationi suae adhibuit, ad Megaricorum consuetudinem referretur.

Deinde prudenter hominem iussit esse Eleaticum, ne prorsus esset Megaricus, hoc est is, cui aegre possent etiam ea attribui, quae a disciplina Megaricorum recederent. Multo igitur elegantius et urbanius designavit aliquem Eleaticum, qui liberiore sentiendi agendique ratione praeditus quum omnem Eleaticorum de veri iudicio doctrinam illustraret, tum etiam Megaricorum dialecticam ita probaret, ut quantumvis eius usui adsuefactus tamen quatenus vel emendanda vel perficienda esset, ipse facile sentiret et ex parte perviderit. Huc accedit quod eundem Eleaticum potuit etiam de rebus civilibus disputantem inducere, quod propemodum fuit necessarium, quum propter eas, quas in superioribus attigimus, caussas eadem opera sophistarum, politicorum et philosophorum discrimen illustrare constituisset. Nam Megaricorum principes quum nusquam legamus attigisse rempublicam, tum Eleaticae scholae magistros liquido testatum habemus a rerum publicarum cura haudquaquam abhorruisse. Parmenidem certe atque Zenonem accepimus Eleae, patriae suae, leges scripsisse sapientissimas, id quod magna consensione testantur Strabo VI. p. 352. Plutarch. adv. Colot. p. 1126. A. Diogen. Laërt. IX. §. 23. Ac simile quiddam etiam de Melisso Samio narratur, de quo v. Plutarch. l. c. Ex his igitur perspicuum esse putamus, quo iure Plato Eleatam illum, qui de vi et natura eorum, quae sola mentis cogitatione comprehenduntur, disserit, etiam de civitatum gubernatione et rerum publicarum moderatoribus disputantem facere potuerit.

Verum redeamus illuc, unde paene inviti digressi sumus, atque alio etiam argumento confirmare studeamus, disserendi viam et rationem, quae in Sophista et Politico conspicua est, ad Megaricae scholae consuetudinem esse attemperatam. Consideremus enim iam tandem ipsam illam accuratius, et videamus, num quid proprium habeat, quod in Megaricorum potissimum rationem ac disciplinam convenire existimandum sit. Quod si ita esse invenerimus, quantum inde opinio nostra praesidii ac firmamenti habitura sit, facile intelligitur. Itaque primum videamus, quale tandem sit genus istud disputandi, quod in Sophista et Politico usurpatur; deinde illud commodissime ex Megaricorum decretis quibusdam declarari atque illustrari posse docere conabimur.

Et in exquirendis quidem dialecticae in his dialogis

usurpatae proprietatibus magnopere cavendum est, ne iudicium nostrum locorum dissimilitudine conturbetur, in quibus illius species et forma expressa cernitur. Nam alii de industria ad Socratici sermonis similitudinem compositi sunt, ut obscuriora tantum dialecticae severitatis vestigia habeant; alii autem sunt eiusmodi, ut in iis prorsus ex artis legibus disputetur ideoque ea spernantur omnia, quae non ad argumentandi subtilitatem pertineant, cuiusmodi loci in Politico sunt p. 258. C sqq. 274. D sqq. 275 sqq. Apparet igitur in explorando iudicandoque disserendi genere, quod usurpatur, horum potissimum rationem esse ducendam, ita tamen, ut item exquiratur, cur ceterorum alia forma ac specis sit; de qua re mox explicabitur. Consideremus igitur nunc hos locos diligentius atque videamus, quid in iis proprium habeat disputatio et quid ea differat a sermone Socratico, cuius elegantiam et venustatem in plerisque aliis Platonis operibus summa cum voluptate admiramur.

Et accedentibus quidem ad eorum contemplationem primo statim adspectu et tanquam ultro haec nobis occurrunt. Aguntur omnia tristius ac severius, quam alibi apud Platonem fieri solet; regnat spinosum quoddam et aculeatum genus argumentandi, prima certe specie sophistico non absimile; coacervatur ingens vis et multitudo minutarum divisionum, quarum alia protenus ex alia deducitur; relicto interdum principali disputationis argumento, res vulgares et omnibus in medio positae disceptantur, ut scilicet inde subtilitatis dialecticae ducantur exempla, ad quorum similitudinem rationemque componatur disputatio de rebus difficilioribus et reconditioribus instituenda; denique pleraque omnia arguta quadam et concisa brevitate exquiruntur atque pertractantur, ut nemo futurus sit, qui hic Socraticum quiddam audire sibi videatur, quilibet protenus disputatorem aliquem de schola certae cuidam disserendi rationi adsuefactum facili negotio agnoscat. Et haec quidem primo statim adspectu animadvertentur. Sed alia se nobis offerent accuratius etiam locos illos intuentibus. Prorsus enim dominatur hic illa definiendi ratio, quae vulgo appellatur analytica. Nam quarum rerum investiganda notitia est, earum semper genus aliquod universum et commune ponitur, quod formas sui similes tanquam partes in se complectatur. Hinc vero ordine deinceps ad formas ei subiectas rimandas explorandasque descenditur, usque dum perveniatur

ad id, cuius notio definitionis subtilitate investiganda ac circumscribenda est. Haec igitur ratio est, quam quum per totum fere Sophistam et Politicum, tum in iis inprimis locis animadvertere licet, quibus ex artis legibus omnia disquiruntur. Ea vero quamnam vim habeat quidve efficiat, in promtu et propatulo esse arbitramur. Efficit enim haec duo, ut genera dividantur, formae secernantur. Itaque neutrum horum ab Eleata negligitur. Nam et in dividendis generibus ille versatur subtilissime, et formarum secernendarum artificium tam callide periteque illustrat, ut omnem rei rationem deliberato consilio aperire ac patefacere velle videatur. Quod quidem ita esse, vel duo illi loci Politici docebunt, p. 258. C sqq. et 277. D sqq., quorum alter in dividendi, alter in secernendi arte illustranda maxime occupatus est, quanquam utrumque utroque loco quodammodo fieri necesse est. Est autem divisio, qua utitur Eleates, perpetuo huic adstricta legi, ut notiones semper diffindantur bifariam, eaque illarum series ordine deinceps pervestigetur, quae ad rem definitione explicandam denique perductura videatur. Quam quidem legem ille tam constanter observat, ut ne semel quidem ab ea discessisse reperiatur. Enimvero est haec ratio profecto longe simplicissima, ut mirum non sit, eam ab iis, qui hanc dialecticae partem primi excoluerunt, praecipue usurpatam esse. Nam quominus aliam esse huius rei caussam existimemus, illud impedit, quod in ipsa divisionum natura nihil potest animadverti, unde ea probabilius explicetur.

Haec igitur est ratio dialecticae Sophistae et Politico Platonis propriae; nam de Parmenide infra dicetur. Tota ea versatur in exquirendis per divisiones rerum notionibus, ita quidem, ut secernantur simul, quae ab earum rerum, de quibus quaeritur, vi et natura aliena sunt. Sed ad cognoscendam eam atque iudicandam accuratius etiam aliud quid teneamus necesse est, quod pertinet ad eius usum et exercitationem. Significat enim Eleates, ut iam antea diximus, identidem, ad rerum difficiliorum quaestiones feliciter profligandas opus esse, ut quid disserendi subtilitas postulet, in rebus levioribus et ad perspiciendum facilioribus cognoscatur. Itaque saepenumero ita facit, ut dialecticae exercitationis caussa res vulgares et primo certe adspectu ad rem praesentem nihil pertinentes perquirendas suscipiat easque tanta diligentia ac tanta subtilitate perscrutetur, ac si agatur de rebus

longe gravissimis et scitu dignissimis. Cuius rei exempla sunt Sophist. p. 218. E sqq. 221. C sqq. 225. A sqq. 226. B sqq. 227. A sqq. Politic. p. 279. A sqq. coll. p. 278. E., quo loco de exemplorum usu in disserendo praeclare exponitur. Quae quis dubitabit quin et ipsa pertineant ad perficiendam illam dialecticae imaginem, cuius partem modo adumbravimus? Nec profecto diu quaerendum, quid rei sit. Manifestum est enim ob oculos poni eum disputatorem, qui quum arti tum subtilitati dialecticae tribuit omnia, in eiusque usu et exercitatione tanto incensus est acuminis ostentandi studio, ut dummodo facultatis dialecticae laus aliqua comparetur, ne a minutarum quidem ac levium rerum pervestigatione abhorreat nec ulli quaerendi labori parcendum statuat. Quae si cum iis, quae antea de ipsa dialectica exposuimus, consociaveris et in unum coniunxeris, facile videbis, opinor, qualem Plato totam hanc disputandi rationem finxerit et informaverit. Describitur enim ea disserendi facultas et consuetudo, quae quum subtilissime dividendis cernendisque notionibus vim naturamque rerum indagare ac definire soleat, tum etiam cum diligentissima certae cuiusdam methodi, quam vocant, observatione insignique subtilitatis studio coniuncta sit.

Atque haec quidem est forma quasi atque species dialecticae illius, quam in Sophista et Politico animadvertimus. Quam quidem contemplantes et cuiusnam scholae disciplinae ea conveniat nobiscum reputantes magnopere in ea opinione confirmati sumus, ut totam ad Megaricorum praecepta et instituta conformatam esse existimemus. Cuius iudicii nostri caussas et rationes accuratius exponere tanto magis opus putamus, quo plus eius rei demonstrationem ad id valere censemus, ut de tota caussa recte statuatur.

Et de eo quidem nobis licebit esse brevissimis, quod hospes Eleaticus et methodo disserendi suae et subtilitatis laudi tribuit plurimum. Est enim hoc profecto eiusmodi, ut vel maxime deceat eos, qui vel propter artificia, quibus utebantur, dialectica, vel propter studii ardorem, quo omnia acute subtiliterque perquirebant, iam mature Eristicorum nomen acceperunt *). Sed copiosiorem disputationem requirunt illa, quae de via ac

*) V. Deyks. *De Megaricis* p. 7 sq.

ratione disserendi in Politico et Sophista conspicua explicavimus. Haec enim ut dilucide appareat cum Megaricorum ratione ac disciplina plane consentire, res repetenda est altius, atque demonstrandum, totam illam disserendi rationem cum aliis scholae Eleaticae decretis ita congruere, ut inde tanquam ex fonte suo manavisse videatur. Hoc igitur nunc ita agamus, ut ea in re ipsum Platonem potissimum sequamur ducem.

Constat igitur Euclidem ceterosque familiae Megaricae principes sententiam Eleaticorum comprobavisse, qui id quod esset unum et rerum omnium vim naturamque complecti et mentibus nostris afferre veritatis scientiam et cognitionem volebant. Sed quum ea in re cum illis egregie consentirent, tamen uno illo Ente, quod Graece τὸ ἓν sive τὸ ὄν dicebant, neutiquam acquieverunt. Sentiebat enim iam princeps familiae, Euclides, id unum si vere esset et scientiam efficeret, cognitionis humanae fines ac terminos adeo fore angustos, ut praeter eius quod esset naturam nihil cogitare et intelligere liceret. Itaque sequutus notionum menti humanae impressarum observationem, cui ipsum Socratica institutio ac disciplina adsuefecerat, uni illi naturae, quam esse volebant Eleatae, tanquam summo generi etiam generum et formarum vindicavit multitudinem, ut inde innumerae emergerent species sive ideae, in quibus rerum vis ac natura contineretur. In quo etsi proxime sane accessit ad Platonis sententiam, tamen cum eo de una re eaque longe gravissima vehementer dissensit. Nam quemadmodum Eleaticae scholae auctores, imprimisque Parmenides et Zeno, ei quod unum esset unitatis constantiam acerrime vindicaverant, ut omnem ab eo removerent varietatem relationis, ita Euclides et qui eum sequuti sunt ducem, etiam ideas suas voluerunt esse unitates, hoc est species in se absolutas, quae seorsum per se constarent nec ullam ferrent necessitudinis adiunctionem, quam Plato iis iudicavit utique esse tribuendam. Fuisse hanc Megaricorum sententiam, ab ipso Platone discimus Sophist. p. 246. B sqq. 248. A sqq. et 249. C sqq., ubi quae disseruntur, etsi olim ignoratum est quorsum pertineant, tamen nos quidem censemus verum acute pervidisse Schleiermacherum, qui ea ad Megaricos spectare iudicavit. Quam viri praeclari sententiam nuper ita confirmare conati sumus Prolegomm. ad Sophist. p. 9 sqq. ut ea in re etiam Aristotelis usi simus testimonio ab illo

male neglecto *). Atque ex hac una maxime re lucem suam nanciscitur genus istud disserendi, in Sophista et Politico Platonis ab hospite Eleatico usurpatum, quod plane Megaricum esse arbitramur. Quid enim? qui notionum sive idearum unitatem tam mordicus tenebant ac tuebantur, ut eas nullo pacto subire vellent aliquam coniunctionis necessitudinem, ii nonne consequens esse oportuit ut etiam in argumentando ac definiendo istud unum suum potissimum intuerentur ex eoque omnia pendere iudicarent? Id vero si ita fecerunt, non potuerunt profecto aliter facere nisi sic, ut ex illo ipso omnia repeterent ac deducerent, hoc est, generaliores notiones in formas suas dissolverent et in argumentando pariter atque in definiendo a summis generibus ad formas iis subiectas descenderent, nihil autem assumerent extrinsecus, quod cum illis tanquam alienum quiddam coniungeretur. Nam qui ideas ponebant esse unitates absolutas nullamque cum aliis subeuntes coniunctionem, eos denique eo devenisse consentaneum est, ut id tantum cuilibet rei attribui posse putarent, quod aut naturam eius penitus aequaret aut in ea tanquam aliqua totius pars velut inclusum et involutum teneretur. Probarunt igitur unice identica, quae vocantur, iudicia atque analytica; reiecerunt, in disserendo certe, quae dicuntur synthetica **). Quod quidem ita esse discimus ex Plutarcho adv. Colot. p. 1119. C. = p. 573. Vol. I. ed. Wyttenb., ubi Stilpo inprimis multus fuisse narratur in exornanda eorum sententia, qui suam cuique rei et rationi proprietatem ita constare volebant, ut aliud quid nisi quod inesset in ipsius vi et natura de ea dici ac pronunciari posse negarent; discimus item ab ipso Platone, qui ubi de idearum agit connexione, huius opinionis ita facit mentionem, ut Eleaticos et Megaricos, a quibus Sophistae quoque hanc sententiam videntur arripuisse, vel le-

*) Locus Aristotelis est Metaphys. XIV, 4. pag. 301. ed. Brandis: *τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν, αὐτὸ εἶναι οὐσίαν μέντοι τὸ ἓν αὐτοῦ ὤοντο εἶναι μάλιστα.*

**) De his iudiciorum generibus veteribus philosophis non ignotis v. I. C. Schwab, *Beweis, dass den griechischen Philosophen der Unterschied zwischen den analytischen und synthetischen Urtheilen nicht unbekannt war;* quae disputatio inserta est Eberhardi Horreo Philosoph, anni 1793. Vol. II. p. 112sqq.

nius irrideat vel apertius carpat ac perstringat. Quam in rem contulisse iuvabit Parmenid. p. 128. E sqq. Phileb. p. 14. C sqq. Sophist. p. 259. B sqq. *). Nimirum his locis omnibus etsi reprehenduntur, tantum ii, qui severius agentes nihil statuebant de quaque re dici posse nisi id unum, quo ipsa eius natura absolveretur, tamen in eodem numero habendi sunt, qui similiter sentientes ea tantummodo volebant rebus posse attribui, quae naturae ipsarum essent propria. Quod Megaricis quoque placuisse, res ipsa indicat. Quamobrem verissime Schleiermacherus Opp. posth. Vol. IV. P. I. p. 94 sq. haec de iis scripsit: „*Dieselbe Tendenz, jeden Gegenstand total, aber nur innerhalb seiner Sphäre aufzufassen, haben auch wohl zwei gewöhnlich nur sophistisch gescholtene Kanones, die das Verhältniss des Subjectes zum Prädicat betreffen, nämlich: Man könne von keinem Subjecte etwas prädiciren, was über dasselbe hinausgehe, also nur Theile, oder rein identisch jedes von sich selbst. Die angeführten Beispiele sagen sogar nur letzteres. Allein ersteres ist nach obigem Kanon dasselbe.*“ Haec igitur quum in disserendo sequerentur, mirum profecto nemini accidet, quod ea ratione versati sunt, ut a generalioribus notionibus ac sententiis exorsi ad singularia descenderent, eamque disputandi viam quum in argumentando tum in definiendo tenuerunt. Et in argumentando quidem quomodo versati sint, perspicue edocemur a Diogen. Laert. II. §. 106., cuius verba nuper in Prolegg. ad Parmenidem Platon. p. 314 sqq. tractavimus. Solebant enim, ut fit in Parmenide, adhibita hypothetica disputandi forma, ordine perpetuo conclusiones ex conclusionibus elicere, donec perventum esset ad id, quod argumentando effici vellent. Quod quis est quin videat prorsus cum eorum de notionibus sive ideis sententia concordare, de qua antea explicavimus? Similiter igitur etiam in definiendo versati sint necesse est, ideoque hic quoque eam tenuerunt viam, ut a summo genere eius rei, de qua quaereretur, exorsi pedetentim ad exquirendas formas illi subiectas proficiscerentur iisque recensendis id, quod definitione circumscribendum videretur, subtiliter ab aliis rebus distinguerent ac secernerent. Hanc vero rationem

*) V. Prolegg. nostra ad Parmenid. p. 37 sqq.

in Sophista et Politico Platonis tanquam viva quadam imagine expressam cernimus, sicuti vel unus ille locus Politici p. 258. C sqq. luculente docet, ubi Eleates virum rerum civilium cognitione praeditum investigaturus, quoniam ratio ac disciplina civilis artis ac scientiae generi subiecta sit, a summo scientiae genere repetit atque formas eo comprehensas perpetua serie persequitur; sed docet praeterea totus fere Sophista iuxta cum Politico. Atque hinc concludimus definiendi ac dividendi viam ac rationem in his libris regnantem non esse aliam nisi Megaricam aut saltem ad Megaricae rationis similitudinem quam diligentissime comparatam. Idque tanto confidentius pronuntiare audemus, quod etiam coniunctio ac necessitudo horum scriptorum cum Parmenide eam sententiam non mediocriter confirmat. Nam in Parmenide certo exploratum habemus concludendi et argumentandi rationem usurpari ad Megaricorum consuetudinem diligenter attemperatam. Iam vero in Sophista et Politico quae regnat definiendi ratio, ea, si summam rei spectaveris, haud sane alio nititur fundamento. Quum igitur hi libri argumenti quadam cognatione contineantur, consequens esse putamus, ut in iis omnibus Megaricam disserendi artem imitando expressam esse suspicari liceat. Atque hoc si recte iudicavimus, quo modo haec opera omnia inter ipsa etiam dialecticae nomine coniuncta sint, neminem fugiet. Nam in Sophista et Politico ars dividendi atque cernendi, sive analytice definiendi, in Parmenide autem concludendi et argumentandi ratio secundum Megaricorum praecepta et instituta ostenditur. Quibus libris quod praemissus est Theaetetus, in quo Socratica illa ars obstetricandi eleganter depingitur, id non sine idonea caussa factum esse facile apparet. Enimvero ita imago quasi quaedam Socraticae elegantiae et veri inquisitionis praemittitur, ad quam deinde Megarica ista subtilitas exigi et iudicari queat. Sed haec de re proposita satis sunto. Videmur enim, nisi plane fallit opinio, iam verisimile reddidisse Megaricam disputandi consuetudinem in his libris a Platone ad ipsam vitae veritatem adumbratam esse.

Hic vero quaerat aliquis, num Platoni ista ipsa, quam depinxit, disserendi ratio ita placuerit, ut nihil in ea reprehendendum vel emendandum putaverit. De qua re nos quidem sic existimamus. Universa quidem Platoni quoque ea probata est, id quod luculenter patet ex

iis locis, in quibus de arte dialectica eiusque exercitatione uberius praecepit, veluti Phileb. p. 16. D sqq. Phaedr. p. 265. D sqq. 270. D sqq. 273. E. coll. Sophist. p. 253. D. Polit. p. 285. A B. Nihilominus acute pervidit, multam in eius usu esse adhibendam prudentiam et cautionem. Quamobrem primum quidem eam censuit coniungi oportere cum ratione disserendi synthetica: deinde etiam fugiendum arbitratus est fraudum et fallaciarum periculum, in quod facile incurrere vidit eos, qui omnia studerent ad acutas subtilesque cogitandi atque argumentandi regulas exigere in eaque re singularis acuminis laudem quaererent. Atque in Sophista quidem et Politico dubitari non potest quin philosophus id ipsum egerit, ut vitia et errores ex nimio isto subtilitatis studio prognati riderentur ipsumque istud studium subtilitatis leniter traduceretur. Quod mirum est homines doctos adeo non perspexisse, ut in multos magnosque errores delapsi sint *). At enim vero qui omnia rimati fuerint diligentius, ii nobiscum facile agnoscent in plurimis vafrum callidumque familiarium quondam suorum monitorem urbanumque derisorem, qui disputationis partibus iis, in quibus ex artis legibus aguntur omnia, ea admiscuerit, unde quid in earum ratione desideraverit, facili coniectura auguremur. Duplex autem, si quid iudicare possumus, reprehensionis argumentum est. Primum enim vitia quaedam in ipsa artis exercitatione, sicuti videtur, apud illos non admodum infrequentia tecte quidem at satis tamen aperte notantur; deinde putidae et molestae diligentiae studium castigatur, cui singulari quadam subtilitatis cupiditate incensi mirum quantum fuisse dediti videntur. Utriusque igitur generis exempla percenseamus, quo magis huic sententiae nostrae fidem faciamus.

Risit igitur Plato atque explosit primum ipsam dialecticae istius exercitationem, quae in summa laudis ex subtilitate et acumine redundantis cupiditate tamen eas fraudes ac fallacias vel consectaretur vel admitteret, quas

*) V. praeter alios Heusdius Institutt. philosoph. Plat. Vol. II. P. II. p. 104 sqq. qui irrisionis vestigia nulla ex parte odoratus est. Primus aliquid irrisionis in his inesse sensit Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 252 sq. qui tamen sententiam suam non satis dilucide aperuit.

recta ratio minime ferre videretur. Nec tamen id fecit sic, ut suam ipsius aperte prodiderit sententiam, sed eo usus est artificio, ut Eleatae disputationi protervo quodam lusu falsa quaedam et a rectis iudicandi disserendique legibus abhorrentia immiscuerit. Nam quominus ipsum Platonem existimemus in istis omnibus stolide ruisse, certe illud prohibet, quod eum aliunde constat dividendi cernendique leges accurate cognitas habuisse. Peccatur vero ab Eleata maxime in eo, quod non ita raro ea profert divisionis membra, quae parum apta sunt ad id, de quo quaeritur, vel etiam ex rebus admodum levibus ac fortuitis suspensa, quodque ea ponit subinde, quae non possunt pro formis eiusdem generis coniugatis haberi, verum aliorsum pertinent. Cuius generis exempla, missa Sophistae consideratione, ex uno Politico depromsisse satis erit, de quo nunc potissimum agitur. Defungemur tamen paucissimis, quum in promtu sint plurima, ne praeter necessitatem longiores fuisse existimemur. Pertinet igitur huc illud p. 263. E sq. ubi posteaquam artem civilem animadversum est in communi animalium cerni pastione, protenus pastionis ars et scientia dividitur in τὸ ὑγροτροφικὸν et τὸ ξηροτροφικόν: quasi vero ad inveniendum id, de quo quaeritur, multum intersit, utrum animalia in sicco an in fluido vitam degant. Simili modo p. 265. B. pedestria animalia in duo dispescuntur genera, prouti aut cornuta sint aut cornu nullum gerant, ut scilicet rex denique pascat gregem cornibus mutilum. Quod quis est quin habere sentiat aliquid lepidae ac festivae cavillationis? Scilicet poterant eadem illa etiam in ungulata et non ungulata, crinita et non crinita, vellera gerentia et velleribus carentia dividi, siquidem ex istiusmodi rebus artis civilis laus atque virtus aestimanda esset. Porro manifestae irrisionis indicium habent quae p. 265. D sqq. disputantur. Ibi enim bipes animal in homines et aviculas dividitur, certe non alio consilio, quam ut generi humano ridicule tanquam alterum par genus anserum, anatum, aliarumque volucrium adiunctum videatur. Similiter p. 266. E sq. bipedum grex dissecatur in nudum et pinnatum, ut propemodum illam hominis definitionem admoneamur, quam a Platone aliquando in scholis propositam Diogenem ferunt lepide perstrinxisse. Iam vero quod p. 261. D. reprehenditur divisio animalium in bruta et homines, etsi vera sunt quae ibidem de discrimine inter formas generum

atque partes totius rei constituendo exponuntur, tamen ea arguto errore ita diiudicantur, quandoquidem recte profecto animalia in bruta sive ratione carentia et in homines sive animalia ratione praedita dispertiri licet. Verum taedet plura de hoc genere commemorare, quum adeo sint frequentia, ut qui illos quos diximus locos paullo diligentius excusserint, facile ipsi innumera fere istiusmodi minutarum ac vitiosarum divisionum exempla animadversuri sint.

Sed praeter istas fraudes et fallacias in dividendo cernendoque admissas a Platone putamus etiam immoderatum quoddam subtilitatis studium notari ac reprehendi, quo Megaricos ductos fuisse vel Eristicorum nomen iis impositum arguit. Nam primum quidem quum cupide id agerent, ut in quaestionibus difficilioribus dialecticae methodi exempta ob oculos ponerentur, nihil fere curabant, quale id esset de quo disputaretur, neque dubitabant etiam res vulgares et in medio positas pervestigare; quae eorum ratio, ut ante diximus, non sine quadam irrisionis acerbitate memoratur Politic. p. 266. D. et Sophist. p. 227. AB. coll. Parmenid. p. 140. DE. Deinde vero etiam istas ipsas res ita cum pulvisculo excutiebant, ut eas opera laboriosissima perquirerent, iisque tantundem studii impenderent, quantum impendi oporteret iis, de quibus proprie quaestio esset instituta. Enimvero improba ista subtilitatis affectatio atque vehemens dialecticae laudis cupiditas eos videtur interdum eo usque transversos egisse, ut adeo hoc nomine ridiculi et inepti evaderent. Atque id ipsum Platonem putamus significavisse eo, quod Eleatam fecit de iis rebus, quae exempli loco positae sunt, veluti de lanificio, putida fere diligentia, quae minima quaeque rimatur discrimina, copiosissime explicantem. Quod genus irrisionis ne putes a philosophi more et consuetudine abhorrere, simili certe modo in Cratylo et Euthydemo ingens coacervatur copia et multitudo ineptarum originationum argutarumque conclusiuncularum, ut philosophorum quorundam ratio ac doctrina ad ridiculum traducatur. Atque haec si tenemus, clarissime etiam apparebit quorsum locus ille Politic. p. 283. A. usque ad p. 287. B. referendus et quomodo intelligendus sit. Quem quod Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 253. censet eo pertinere, ut disserendi ratio in Sophista usurpata a reprehensione et castigatione adversariorum Platonis defendatur, fatemur nos plurimum

discedere a viri acutissimi iudicio. Imo depingi illic putamus disputatorem dialecticae subtilitatis adeo studiosum, ut vel in longitudinis excusatione ridicule fiat longior et copiosior. Quamquam hoc quoque loco seria iocis mixta esse haudquaquam audemus ire infitias.

Verum satis de his. Nec enim iam dubitabitur amplius verum esse quod antea diximus, magnam certe partem eorum, quae disputantur subtilius, manifesta habere callidae vafraeque irrisionis signa et indicia, ut Platonem hac operis sui parte tristiores istos ac severiores scholae Megaricae assectatores urbane deludere voluisse pro explorato habendum sit.

Progredimur ad id, quod tertio loco docere propositum est. Putamus enim Platonem, etiamsi in depingenda Megaricorum dialectica cavillandi ridendique consilium secutus sit, tamen etiam id egisse, ut quid potissimum in dividendo cernendoque observari oporteret, illustri aliquo exemplo demonstraret, adeoque Megaricae disserendi artis cum Socratica elegantia et humanitate coniungendae viam ac rationem monstravisse. Quod quo artificio sit consequutus, paucis explanare operae pretium erit.

Ac primum quidem hic animadvertendum illud est, de quo iam antea diximus, hospitem Eleaticum, qui in Sophista et Politico disputat, eum fingi ac describi, qui quum dialecticae subtilitatis sit studiosissimus, eique plane adsuefactus, tamen nullo modo sit rixosus aut contentiosus aut pervicax et obstinatus opinionum semel susceptarum defensor ac patronus. Imo ille in fervidissimo disputandi ardore tamen item est lenis, urbanus, modestus, denique veri adeo amans, ut eius exquirendi studio atque arti omnia tribuat. Nimirum talis ingenii homini facile apparet rectissime etiam ea potuisse attribui, quae a scholae Eleaticae, cui addictus fuit, praeceptis et institutis aliquantum recederent, si modo ad verum reperiendum viderentur conducere. Itaque ille sic loquens inducitur, ut facile quidem agnoscas hominem certam quandam in disserendo viam et rationem mordicus tenentem; sed facile etiam animadvertas, paratum eum esse atque promtum ad errores, si quos senserit, libere notandos atque emendandos. Quin etiam pluribus locis ita sermones miscet, ut ultro relicta illa cui deditus est disserendi se-

veritate liberius atque copiosius disputet et ad sermonum Socraticorum copiam et ubertatem transgrediatur. Quod quam eleganti iudicio sic a Platone factum sit, vix crederemus quemquam posse praeterire, nisi Socherum De scriptis Platonis p. 278. in hac ipsa re mirabiliter lapsum videremus. Is enim eo ipso, quod in uno Sophista et Politico hospes Eleaticus principales disputandi partes tuetur, suspicionem suam confirmari arbitratur, qua istos libros non a Platonis manu profectos esse aliis de caussis statuerit et iudicaverit. Nimirum ita error alius alium gignere solet. Nam qui Eleatae nostri personam accurate consideraverit, is non modo nihil insoliti aut inepti in ea animadvertet, verum etiam Platonis in ea adumbranda ac designanda solertiam lubentissime nobiscum admirabitur. Sed transeamus ad ea, quae Plato Eleatam suum disputare iussit. Quae si perpenderimus accuratius, protenus apparebit item sic esse exposita, ut omnes elegantiae numeros habeant.

Ac primum quidem hic dignum est observatione, quanta ingenii solertia philosophus effecerit, ut quantumvis Eleatae errores nonnulli tribuantur, tamen id, de quo disputatur, denique recte inveniatur subtiliterque exquiratur. Etenim summo ille veritatis studio incensus vel in maximis erroris periculis tamen feliciter denique id attingit, quod attingere voluit, ut facile hinc intelligatur, quanta vis sit invicti illius veri amoris, quo tanquam animatus fingitur. Praeterea vero etiam eas fere admittit fraudes, quae, etsi disserendi vitia quaedam arguunt, tamen summae disputationis nihil afferunt detrimenti. Quocirca postremo felici sane laboris sui successu et artis civilis vim naturamque exquirit, et quae sit philosophi in publicarum rerum luce constituti dignitas quaeque eius ab vulgaribus civitatum gubernatoribus diversitas, vere recteque diiudicat. Verum haec quum per se nihil valeant ad demonstrandam Megaricae dialecticae vel emendationem vel cum Socraticis sermonibus conciliationem et consociationem, alia memoranda sunt, unde eam Platoni propositam fuisse certius intelligatur. Pertinet autem huc ante omnia illud, quod Eleates non ita raro, si quid minus recte divisum aut conclusum videtur, id ipse corrigit et emendat, additis etiam acutis et prudentibus dialecticis praeceptionibus. Quorsum referimus praeter alia, quae p. 261. D sq. de formis inter summum genus et alias species interiectis non temere transiliendis,

p. 262. A sqq. de formis notionum ad genera sua prudenter revocandis; p. 275. C sqq. de principio dividendi ex ea re petendo, cuius notio divisione investiganda sit; p. 277. D sqq. de natura et usu exempli; p. 277. D sqq. de longitudine sermonum ex disputantium consilio aestimanda, de aliis rebus eiusmodi p. 283. B sqq. et 285. A. D. E. 286. A. 287. A. ab eo disputantur. Nimirum haec omnia id postremo efficiunt, ut tanquam dialectica quaedam exhibeatur institutio. Cui quid propositum sit, nobis quidem non dubium videtur. Neque enim assentimur Schleiermachero. Introduct. ad Politic. p. 251. et p. 253. atque Astio De Vita et Script. Platon. p. 234. scripta haec esse putantibus a philosopho, ut suam ipsius rationem a criminationibus in ipsam coniectis purgaret ac defenderet. Neque accedere possumus C. Fr. Hermanno Histor. Philosoph. Platon. Vol. I. p. 500 sqq. ex eo, quod in Politico potissimum eiusmodi emendationes et praeceptiones proponuntur, protenus concludenti Politicum longo intervallo post Sophistam scriptum esse, quo tempore Plato disserendi rationem in Sophista usurpatam dudum rursus deseruerit. Enimvero nos si quid de his rebus iudicare possumus, in Sophista eadem prorsus quae in Politico regnat disserendi methodus; sed maior in illo irrisio et cavillatio est; in hoc frequentior errorum notatio atque dialectica praeceptio. Hoc autem si quaeris qui ita fiat, paratam habemus responsionem. Videtur enim Plato deliberato consilio in Politico demum, quippe proxime post Sophistam scripto, clariorem lucem admovere voluisse insolitae isti argutaeque dialecticae, quam in Sophista usurpare coeperat, et clarius iam apertiusque prodidisse, cur ea usus esset et quid omnino de eius usu sentiret. Quo artificio etiam illud est consecutus, ut qua ratione subtile istud disputandi genus perfici, emendari et cum Socratici sermonis virtute et elegantia coniungi posset, certius omnibus patefaceret. Quidnam autem potissimum in eo desideraverit, id quum praecepta ab Eleata subinde data luculente doceant, tum etiam illa reddunt manifestum, quae in Philebo p. 16. A. et Phaedro p. 265. D sqq. al. de synthetica pariter atque analytica disserendi ratione traduntur. Consentiunt enim haec cum illis prorsus egregie, ut iis tanquam confirmandis inservire videantur. Nam in Phaedro praecipitur hoc, ut idea sive notionis genus secundum naturalem formarum ac specierum ordinem divi-

datur; quod qui faciant sinistre, ii similes esse dicuntur coquis parum solertibus, qui in epulis apparandis eas ciborum particulas diffringendo faciant, quae ipsi ciborum naturae parum sint convenientes. In Philebo autem inter alia leguntur haec: *οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μὲν ὅπως ἂν τύχωσι καὶ πολλὰ* (h. e. *genera et formas*) *θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα* (h. e. *partes singulas s. individuas res*) *εὐθύς, τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει, οἷς διακεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους.* De his igitur similibusque rebus crebro in Sophista, crebrius etiam in Politico admonetur, eo quidem consilio, ut quid in dividendo, cernendo, definiendo denique atque disserendo observandum sit, rectius cognoscatur, atque etiam dialectica ista methodus Megaricorum propria, quae in iisdem libris imitatione expressa est, emendetur emendataque propius ad Socratici sermonis elegantiam et virtutem adducatur.

Atque hic nos videmus ad aliud quid pervenisse, unde item intelligi liceat id, quod diximus Platoni fuisse propositum. Vidimus antea Eleatam apud Platonem sic induci disserentem, ut dialecticae exercitationis gratia res vulgares et in medio positas operosa diligentia pervestiget iisque tantundem laboris atque studii impertiatur, quantum rebus longe gravissimis. Nimirum videtur is utique mos fuisse Megaricorum, acutae subtilitati omnia tribuentium, rerum dignitatem atque gravitatem minus curantium. Quem quidem morem sicuti Plato lepida imitatione explosit, ita egregio artificio adumbravit sic, ut cum analytica illa via et ratione genus quoddam Socraticae inductionis coniunxerit, a Megaricis fere repudiatae. Nam Euclides teste Aristotele Metaphys. I, 20. et Diogene Laërt. II. §. 107. Socraticam *παραβολήν* funditus sustulit eamque ob caussam etiam usum inductionis plane aspernatus est. Quod qua de caussa ita statuerit, nemini cuiquam erit obscurum: acquievit enim ille in una analytica disserendi ratione, quae quominus quidquam extrinsecus ad argumentandum assumeretur, omnino prohibabat. Quid igitur Plato? nimirum is ut ostenderet quid hoc nomine in illa disserendi severitate desideraretur, prudentissimo consilio exempla, quae praeviae exercitationi dialecticae inservirent, ab iis rebus

sumsit et repetiit, quae cum ea re, de qua proprie quaereretur, insignem quandam haberent similitudinem, ideoque morosae illi ac tristi argumentandi severitati Socraticam comparationis suavitatem adiunxit. Id quod multo cum festivitatis lepore inprimis sic fecit in Sophista. Nam in eo dialogo sophista sic investigatur, ut nunc cauponi, nunc institori, nunc athlethae, nunc purgatori alicui similis esse dicatur *); quorum quidque sicuti exercitationi dialecticae praebet materiam, ita etiam continet aliquid, quod facete urbaneque in sophistam transferri possit eiusque naturam et ingenium suavi aliqua comparatione collustret. Fecit item, semel certe, in Politico. Etenim quo loco seiunctionis ac divisionis ratio exemplo a re vulgari petito declaratur **), eo simul id effecit, ut artis civilis virtus ac praestantia omnis suavissima artis textoriae comparatione reddatur illustrior. Atque ex his iam perspicuum erit, quorsum illa pertineant, quae Eleatam p. 285. D sqq. iussit de usu exemplorum in disputando exponere. Commendatur enim hic usus comparationis atque inductionis Socraticae ab Euclide ipso male repudiatae, quippe quem Plato facile pervidit plurimum valere ad id, ut quae a sensibus sunt abducta, ea rerum oculis subiectarum similitudine in illustriore luce collocentur ***). Sed satis de his. Pergimus ad tertium quiddam, unde Platonem intelligere liceat in Sophista et Politico Megaricae dialecticae severitatem Socraticae rationis usu temperavisse eaque re, qua parte illa perficienda et emendanda videretur, significasse.

Fecit enim Eleatam interdum ita disputantem, ut misso aliquando angusto isto et conciso disserendi genere, quod ab omni abhorret orationis ornatu et elegantia, ultro versetur liberius ac paene germanus fiat Socraticus. Cuius rei exempla, quoniam de Sophista alio loco diximus, hic ex uno Politico attulisse sufficiet. Pertinet autem huc ante omnia copiosa illa de variis mundi aetatibus narratio, cuius summam antea exposuimus. Quae certe ita comparata est, ut eum, qui antea in acutis brevibusque haesit divisionibus et conclusiunculis,

*) P. 218. E — 232. B.
**) P. 277. D — 283. A.
***) Platonis sententiam de inductionis ad verum perspiciendum utilitate egregie illustravit Heusdius Init. Philos. Plat. V. II. P. II, p. 82 sqq.

paene mirum sit repente ad tantam orationis copiam et ubertatem transire potuisse. Enimvero sequitur hic Eleates Platonis communem fere morem antiquae philosophiae, in qua fabularum usus longissime pervagatus fuit, propterea quod iam antiquitus apud Graecos summa fuit philosophiae et poësis coniunctio. Nec vero ille praeter consuetudinem eius familiae, cui adscriptus fuit, fabulam narrans inducitur. Nam Eleatas quidem fabulas in philosophando non aspernatos esse, vel ex unis Parmenidis reliquiis intelligitur. Sed longe dignissimum est quod observetur diligentius, hospitem non ut ceteros philosophos uti fabulosa narratione, sed prorsus eadem conditione id facere, qua Socrates apud Platonem solet; de qua re mox accuratius exponemus. Hoc autem si verum est, quid inde ad sententiae propositae confirmationem consequatur, profecto non est cur dedita opera ostendamus. Sed praeter fabulosam istam narrationem, in qua Eleaticus repente a consueto disserendi genere recessit, alius hic locus praecipue animadvertendus est, qui et ipse non mediocriter videtur opinionem nostram confirmare. Nam quo loco ille instituit de viri rerum civilium scientia vere ornati dignitate, de ineptis vanisque eiusdem imitatoribus, de optima civitate, de Graecorum rebuspublicis, de vera arte civili deque reliquis artibus huic famulantibus, aliis id genus rebus, explicare *); ibi vero, etiamsi plane idem animadverti potest dividendi cernendique studium, quod in plerisque aliis dominatur sermonis partibus, tamen ea est verborum ubertas, ea sententiarum copia, ea denique sermonis elegantia et urbanitas, ut non iam severum istum de schola disputatorem audire videamur, sed ipsum Socratem aut potius Platonem credamus sermonem suscepisse ac more suo de re gravissima facunde et copiose disputare. Etenim hoc quoque eo putamus referri oportere, quod Plato acutam Eristicorum brevitatem ad Socratici sermonis ubertatem et elegantiam educendam provehendamque iudicavit. Quod autem Eleatam fecit isto modo disputantem, id fortasse etiam inde aliquid habet explicationis, quod Euclides etsi dialecticae subtilitati totum se dedit, tamen etiam sermones scripsit, in quibus fieri sane potest ut ad Socraticam disserendi rationem propius ac-

*) P. 291. C sqq.

cesserit *). Quocirca haec utique plus lucis essent habitura, si de Euclidis dialogis aliunde certius constaret: nunc meris acquiescendum suspicionibus est.

Et haec quidem de dialectica in Politico usurpata. Quam si ita illustravimus, ut sententia nostra idoneis harum rerum iudicibus non omnino displiceat, videmur non inepte existimare, iam nunc partem non exiguam difficultatis illius, qua Politici interpretatio premi visa est, haud infeliciter sublatam esse. Neque enim disserendi forma ac species, quam habet propriam, ea iudicabitur, quae a Platonis ratione aut ingenio abhorrere putanda sit, omnisque orationis habitus facile aestimabitur ex iis, quae Platoni pro rerum suarum conditione consiliique ratione fuerunt proposita.

Progrediamur igitur nunc ad excutienda ea, quae dedita opera de rebus civilibus disputantur. Quod quidem ita facere in animum induximus, ut principales operis partes ordine singulas lustremus et quid in unaquaque ad propositi argumenti explicationem proferatur, accuratius dispiciamus. Discerni autem facili negotio possunt tres partes operis primariae: una, qua de viri civilis natura ita disceptatur, ut artis dialecticae inprimis ducatur ratio; altera, qua fabulose exponitur de mundi aetatibus eiusque gubernatione; tertia denique, qua artis civilis et perfecti regis imago exhibetur atque ea dilucidantur, quae ad rerumpublicarum administrationem pertinent. Quas quidem singulas ita considerasse iuvabit, ut quid in unaquaque exponatur et quorsum id ipsum pertineat quibusve caussis nitatur, ostendere conemur.

Et de dialectica quidem parte operis, hoc est ea, quae p. 258. C. usque ad p. 468. E. et p. 274. E. usque ad p. 291. C. perscripta est, licebit nobis esse brevissimis. Nam quum ei id potissimum sit propositum, ut dialectica Megaricorum vel urbana quadam irrisione depingatur vel ad Socraticam rationem corrigatur atque emendetur, quae de arte civili eiusque amatoribus exponuntur sane sunt pauciora, quam pro huius loci amplitudine expectes. Quamquam cave existimes Platonem rei principalis hic fuisse prorsus immemorem. Docuit enim philosophus utique primum quidem, quibusnam

*) V. Deyks. De Megaricis p. 6.

scientiae generibus ars civilis subiecta sit, deinde a quibusnam artibus cognatis ea secerni debeat: in quo etsi subinde lusit potius quam severe egit, tamen simul id spectavit, ut quae ad rem illustrandam essent utilia, in medium afferrentur. Discimus autem inde fere haec: artem civilem quoniam in regenda et gubernanda republica versetur, in eaque maxime mentis intelligentia et consilio opus sit, non tam ad *πρακτικήν* quam ad *γνωστικήν* scientiae partem pertinere *): *γνωστική* autem, quoniam sit vel *κριτική*, quae nihil nisi verum diiudicet aut agnoscat, vel *ἐπιτακτική*, quae ratum fieri iubeat id, quod pro vero rectoque sit habitum, consequens esse, ut ars civilis huic subiecta putari debeat, quippe quae cognita imperet, et quidem propria atque sua auctoritate, ut ob eam caussam *αὐτεπιτακτική* appellari possit **); pertinere autem eius imperium non ad bruta animalia, sed ad homines, qui quidem una communitate reipublicae coniuncti per eam tanquam ali atque pasci existimandi sint ***). Quanquam postremum hoc non satis esse iudicatur ad definiendam omnem artis civilis vim rationemque, quandoquidem istud pascere atque alere latius pateat, quam ut in unum principem artis civilis peritum convenire existimandum sit †). Itaque altero loco, quem indicavimus, id agitur, ut accuratius ostendatur, a quibusnam artibus cognatis ratio civilis secernenda ac distinguenda sit. In qua quaestione quomodo ex arte versandum sit, exemplo eius texturae partis demonstratur, quae in lana tractanda occupata est ††), addita etiam subtili admonitione, qua huius disquisitionis longitudo excusetur †††). Tum vero, ostenso discrimine inter artes effectrices et artes administras sive adiutrices, ante omnia a ratione civili segregantur ea negotia, quae quum ei serviant et tanquam famulentur, tamen minime cum ipsa confundi debeant. Referuntur huc primum opificia omnia, quae in rudi materia tractanda, in instrumentis, vasis, vehiculis, tegumentis, artis operibus, aliisque rebus comparandis versentur, quae ad vitam de-

*) P. 258. C — 259. D.
**) P. 259. D — 261. A.
***) P. 261. A — 266. E.
†) P. 266. E — 268. E.
††) P. 279. A — 283. A.
†††) P. 283. A — 287. B.

gendam sustentandamque necessariae sint. Referuntur huc item artes eae, quae ad mansuetorum animalium tractationem pertineant, quippe quae τῇ ἀγελαιοτροφικῇ, quae dicitur, contineantur. Denique etiam pertinere huc iudicatur opera servorum et ministrorum. Quanquam inter hos futuros esse censet Eleates, qui ad civilis artis laudem adspirare non verecundentur. Quorum quidem hominum fastum ac superbiam philosophus hoc loco facetissima irrisione exagitat ac perstringit; quandoquidem eos omnes admonet gravissime, nihil esse cur adeo superbiant, quum quanto intervallo a veri regis et principis dignitate distent, ipsi ne suspicari quidem videantur. Non quidem verendum est, inquit, ne venales illi servi itemque ii, qui sese ultro eorum operae addixerunt, agricolae, opifices, mercatores, mercenarii, artis regiae partem sibi vindicare tanquam propriam conentur. At prodibit in medium aliorum ministrorum natio, tanta arrogantia inflata illa atque tumida, ut rempublicam sua maxime opera regi ac gubernari opinetur. In horum numero habendi sunt primum praecones, tum scribae publici, tum vates, qui vulgo deorum interpretes existimantur, denique etiam sacerdotes, qui in Aegypto adeo eum nacti sunt honorem, ut nullus rex sine sacerdotio imperare queat, ac si forte ex alio civium ordine oriundus sit, inter sacerdotes recipi necessario debeat. At enimvero haec quum vana sit et inanis hominum temere superbientium turba, tum ad eos accedit multiplex ista atque varia natio eorum, qui quum in profitenda artis civilis exercitatione revera maximorum praestigiatorum partes agant, tamen a viris vere regiis ac prudentia civili instructis aegre vulgo discernuntur. Hos igitur ab illis seiungere ac separare debebimus, siquidem perspicue voluerimus perspicere id, de quo dudum quaerimus *).

Haec igitur Plato ea sermonis parte, quam ob eam caussam, quam antea significavimus, dialecticam appellare non dubitavimus. Qua si quaeris quid ad rei propositae explicationem proficiatur, responsionem in promtu habemus. Constituit enim philosophus hic tanquam fines ac terminos, intra quos artis civilis laus atque virtus quaerenda sit, seiunctis iis omnibus, quae ab ea vide-

*) P. 287. B — 291. C.

rentur esse aliena. Quamobrem ei deinde area quasi purgata certius licuit de rebus civilibus disquirere, et ad id ipsum accedere, quod sibi potissimum exquirendum sumsisset. Quamvis igitur concedendum sit, istam operis partem eo potissimum spectare, ut ipsi dialecticae consulatur et quibus ea partibus emendari queat, tanquam per occasionem ostendatur, tamen non esse levia aut supervacanea quae hic de artis civilis et politicorum indole ac natura recte definienda disseruntur, nemo quisquam infitiabitur.

Atque hinc statim licebit ad eam dialogi partem considerandam transgredi, qua principale disputationis argumentum continetur, etsi eam supra cum ipso Platone tertio loco posuimus. Nam ad hanc a dialecticis illis divisionibus atque partitionibus pedetentim ita transitur, ut tanquam imprudentes ad aliam disserendi rationem pervenisse videamur. Quippe secernuntur quidem hic quoque ii, qui vulgo rerum civilium periti habebantur, a rege atque principe vere sapienti, sed secernuntur sic, ut simul disputatione vere Socratica et Platonica doceatur, quaenam sit eorum omnium indoles et ingenium, quae virtus ac dignitas, ideoque sic demum res plene perfecteque aperiatur, ut missa tandem illa dividendi subtilitate ad notionum coniunctionem perveniatur. Quamobrem haec operis pars id ipsum tandem agit, ut quid de viris rerum civilium prudentia claris eorumque diversitate ac discrimine existimandum sit, quam accuratissime intelligatur. Quocirca age huius loci sententiam eiusque fontes excutiamus paullo diligentius, atque simul videamus, quatenus quae in eo exponuntur, cum iis consentiant, quae philosophus alibi de rebus civilibus earumque administratione exposuit. Iuvabit autem hic diligenter tenuisse, quod alios praeterisse sanequam mirum accidit, Platonem hac parte operis non tantum verum germanumque politicum, quem Graece dicimus, informasse, sed etiam eorum adumbravisse imaginem, qui honorificum illud nomen mala fraude vel ipsi sibi arrogare vel ab aliis accipere videbantur *). Quemadmodum igitur philo-

*) Non recte enim Schleiermacherus Proleg. ad Politic. p. 252.: „*Was an Verschiedenheit (zwischen dem Sophisten und Politikus) aufzufinden ist, scheint nur daher zu rühren, dass im Sophisten der unmittelbare Gegenstand der Darstellung das Verwerfliche ist, in dem Staatsmann hingegen das Aechte und Vortreffliche.*“ Rectius vir egregius iudicavit deinceps. Nec

sophus in eo dialogo, quem Sophistae nomine inscripsit, hunc ipsum distinxit a philosopho, ita quidem, ut sophistam, ab hoc segregatum, peculiari operé copiose depinxerit et illustraverit, philosophum autem alio tempore instituendum et informandum sumserit *); ita in Politico item falsi opinatique politici a vero germanoque, qui idem est philosophus, discernuntur, hoc tamen discrimine, quod una cum perfecti politici informatione etiam eorum coniungitur descriptio, qui quum in rerum publicarum tractatione versentur, tamen a verae artis civilis laude atque dignitate longissime abesse existimandi sint. Quod profecto non est cur miremur a Platone sic institutum esse. Nam quum Sophistae descriptio copiosiorem sibi depoposcisset disputationem, tum idem multo magis etiam philosopho futurum esse videri debuit. Itaque scriptor utrique peculiarem librum destinavit. Sed aliter res sese habuit de politico et adulterinis eius imitatoribus. Hos enim simul depingere Plato studuit, vel quia quod in praesenti esset exponendum, nec divellendum nec differendum videbatur, vel quoniam ipsum argumentum, utpote ad intelligendum facilius, putabat summatim illustrari oportere. Itaque duplex erit nostra in hoc loco illustrando opera, quandoquidem primum quaerendum erit de perfecto rege, qui depingitur; deinde exploranda ea, quae de vulgaribus rerum publicarum gubernatoribus et administris exponuntur. Qua in re tractanda non inepte sic versaturi nobis videmur, ut quae de utroque argumento apud Platonem diversis locis exposita leguntur, ea in unum conferamus et perpetna disputationis serie illustremus. Videamus igitur primum de viri civilis eiusque veri et consummati imagine.

Quodsi igitur quaeris, unde philosophus in eo informando instituendoque profectus sit, retulit etiam in

---

probamus Hertelium Comment. de Politico Platon. p. 17. ita scribentem: „*Politici videmus exitum nihil ad distinctionem inter verum et falsum politicum pertinere, sed in alterius officio depingendo orationem ita versari, ut de falsi natura nihil amplius discamus.* Nempe haesit ille unice in iis, quae leguntur inde a p. 305. E.

*) Magnopere enim errat Hertelius Comment. de Politico Platonis p. 16 sqq. Sophistam contendens etiam philosophi illustrandi caussa conscriptum esse ideoque philosophum et falsum et verum depingere.

hoc libro, sicuti fecit in Republica, omnem artis civilis laudem atque dignitatem ad unam mentem rationemque tanquam praestantissimam ac vere divinam hominis partem *). Quocirca et in principio libri, ubi facta artium divisione exquiritur, quid ars civilis esse putari debeat, ab summo scientiae genere exorsus est **), et eo ipso loco, ubi de industria perfecta rerum publicarum gubernatio describitur, verum reipublicae gubernatorem tanquam sapientem informavit, qui in regenda moderandaque republica cum scientia versetur ***). Eo enim loco regem et principem reipublicae non vult esse talem, qui secundum leges et instituta patria imperii habenas tractet; haec enim semper et esse et manere manca, imperfecta, perpetuis mutationibus obnoxia; sed illum demum censet esse bonum civitatis gubernatorem, qui eam gerat mentem eamque sapientiam possideat, ut quid in quavis rerum externarum conditione et singulis civibus et universae reipublicae vere profuturum sit, recte intelligat intellectumque ad sapientiae et iustitiae normam ratum facere studeat. Quod igitur Plato in libris de optima civitate iudicavit, civitates tum demum beatas fore, si a sapientibus gubernentur; idem prorsus etiam eo Politici loco statuit, de quo nunc agimus. Quanquam in hoc libro huius sententiae suae rationes magis significavit quam uberius exposuit. Neque enim philosophi in rerum publicarum luce constituti imaginem expressit, sed tanquam adumbravit. Sed quid rei sit, clarissime docent quae in optimae civitatis opere de eodem loco exposita leguntur. Neque enim Plato regem eum voluit esse, qui minima maxima quam accuratissime nosset; cuiusmodi scientiam philosophus certe admodum parvi aestimavit; sed qui omnia ad sapientiae, iustitiae, temperantiae, virtutis denique leges exigere et iudicare posset, eodemque nihil non referret. Itaque libro sexto praestantissimi operis†): Philosophi, inquit, quum habeant ipsius veritatis cognitionem, quid in civitate iustum sit, quid iniustum, accuratissime videbunt. Etenim flagrantissimo earum rerum, quae revera sunt, amore incensi etiam eas artes ac studia amabunt, quae ipsis vim

*) Egregius de hac re locus est De Republ. VIII. p. 551. C sqq.
**) P. 258. C sqq.
***) P. 291. C sqq.
†) Init. p. 484. A sqq.

aeternae illius *οὐσίας* patefaciant. Ibidem *): Si forte acciderit, inquit, ut talis vir aliquando quampiam civitatem ad aeternam illam *οὐσίας* speciem ordinet et componat, is certe erit optimus temperantiae, iustitiae, virtutis denique omnis dux atque magister." Quamobrem eidem etiam Boni Ideam cognitam esse oportere statuit, ad quam et ipse se componat et alios regat atque moderetur **). Sed omnino legendus est de his rebus divinus ille locus inde a libri V. p. 471. C sqq., quo sane nullum novimus qui dubiae rei plus lucis affundat. Hoc ipsum igitur philosophus etiam in Politico sibi voluit; idque maxime apparet ex iis quae p. 308. A sqq. de munere et officio optimi civitatis gubernatoris disputavit. Nam ibi eum censet civitatis tanquam carmen quoddam ita contexere oportere, ut civium animos reddat participes divinitatis eosque recta honesti, boni, iusti cognitione imbuat, in quo uno cernatur optimum concordiae totius reipublicae vinculum. Quanquam nolumus diffiteri in Politico una ex parte rem aliter esse expositam atque in libris de optima civitate. Nam in his quum regem sapientem fecerit ideas intuentem, tamen in Politico istud ipsum ne verbo quidem significat, sed substitit in una sapientis descriptione, qui scientia eius, quod optimum sit, hoc est, boni, iusti et honesti, omnia regat et moderetur. At rem ipsam si spectamus, neutiquam secum ipso pugnare existimandus est. Enimvero in Politico quum idearum doctrinam, qualem in Phaedro, Symposio, Republica, aliis libris exposuit, omnino non attigerit, rem magis populariter et ad vulgarem hominum captum accommodate explicare voluisse censendus est. Sed tenuit tamen hic quoque quod in Republica censuit, uti homini mentem, ita civili imperio perfectam sapientiam praeesse oportere, quae omnia ad boni et honesti normam exigat ac dirigat, ut hac in re summa cernatur consensio eorum, quae in utroque opere explicata sunt. Nimirum certa fuit atque constans quum aliorum Socraticorum tum Platonis inprimis sententia, civitatem ad quam maximam contendere oportere sapientiae et virtutis praestantiam idque ipsum ei potissimum esse

*) Lib. VI. P. 499. D sqq.
**) Ibid. P. 505. A sqq.

propositum *). Eodem igitur Plato etiam artem prudentiamque civilem retulit, quam neutiquam voluit esse potentiae, opum, divitiarum comparandarum magistram vel adiutricem. Quum vero virtutem in recti honestique scientia inesse sibi persuasisset, facile est ad intelligendum, cur perfectum regem atque principem eundem esse voluerit perfectum sapientem. Quanquam cum hac opinione, si verum quaerimus, etiam quandam Pythagoreorum sententiam videtur coniunxisse, a qua profectus talem potissimum informavit principem, qualem in Politico et Republica instituit. Etenim Pythagoreis legimus *legem aeternam* sive *rectam rationem* dici haberique consuevisse *πατέρα καὶ ἡγεμόνα τῶν γεγραμμένων νόμων* atque *βασιλέα*, amplissimi honoris nomine dignum, *νόμον ἔμψυχον* esse vocatum**). Talem igitur regem etiam Plato, Socratica doctrina cum hoc Pythagoreorum decreto coniuncta, instituit, quippe cui propriam esse voluerit eam mentem atque sapientiam, quae pro viva quasi eaque communi lege valeret.

Atque hinc explicationem suam habent quae de legibus publice sancitis iudicavit. Arbitratur enim civitatem eam, in qua talis sapiens imperii habenas tractet, legibus extrinsecus latis haudquaquam indigere, utpote regia prudentia ita fundatam firmatamque, ut illarum adminiculo facile sit caritura; quin etiam nefas esse ait talem regem, legibus civilibus longe superiorem, earum vinculis constringere velle. Nimirum haec quorsum spectent, et quibus rationibus nitantur, nunc facile intelligetur ***). Ac ne forte putes Platonem haec in Politico

*) De ethicae et politicae apud veteres coniunctione v. De Geer De princip. Polit. Platon. p. 126.; Heeren. Ideen Vol. III. p. 235.; Wachsmuth. Hellen. Alterth. I. 1. p. 205.; Koeppen. Politik nach Platon. Grundsätzen p. 2 — 35. et Platon. Gesetzgebung p. 210 sqq.

**) V. Valckenar. ad Herodot. III, 38. De Geerius De Princip. Politices Platon. p. 170.

***) Egregius est locus Lactantii Institutt. Div. VI, 8. e Cicerone repetitus, qui non incommode huc revocabitur. „*Est quidem*, inquit, *vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna: quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per

tantum ita statuisse, plane eadem philosophus quum alibi *) tum in ipso Legum opere docuit libr. IX. p. 875. A. C., ubi inter alia sic scripsit: *ἐπεὶ ταῦτα εἴ ποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανός, θείᾳ μοίρᾳ γεννηθείς, παραλαβεῖν δυνατός*, (si ingenio satis valet ad cognoscenda ea, quae hominibus ad civitatem prosint, et ubi cognovit, optimum semper et vult et potest facere), *νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ· ἐπιστήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων, οὐδὲ θέμις ἐστὶ νοῦν οὐδενὸς ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον, ἀλλὰ πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἐάν περ ἀληθινὸς ἐλεύθερός τε ὄντως ᾖ κατὰ φύσιν* **).

En cognovimus tandem, quam ingenii indolem quamque sapientiam Plato perfecto illi, quem finxit, rerum publicarum gubernatori propriam esse voluerit; vidimus item, quatenus quae in Politico de hac re exponuntur, cum iis concordent, quae de eodem argumento in aliis eius operibus sunt explicata; intelleximus denique etiam ex quibus fontibus ac principiis haec omnia ducta sint. Nec tamen iam omnia sumus persecuti, quae philosophus de perfecto rege disputavit. Nam praeter ingenii animique virtutem etiam munus et officium eius designandum iudicavit, quo clarior et illustrior eius species et imago redderetur. Hanc igitur sermonis partem ***) nunc item ita percenseamus, ut quidnam sit, quod hic tradatur, singulatim exquiramus ac pervestigemus; id quod

---

senatum aut per populum solvi hac lege possumus; neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius; nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit." Quae prope sane ad Platonis sententiam accedunt.

*) Conf. De Rep. IV. p. 425.

**) Ac similiter Xenoph. Cyrop. VIII, 1, 22: *τὸν δὲ ἀγαθὸν ἄρχοντα βλέποντα νόμον ἀνθρώποις ἐνομίζεν, ὅτι καὶ τάττειν ἱκανός ἐστι καὶ ὁρᾶν τὸν ἀτακτοῦντα καὶ κολάζειν.* Quamquam is vix videtur mente sua ad illam surrexisse sententiarum altitudinem et sublimitatem, quam in Platonica perfecti regis imagine admirari licet.

***) Legitur ea p. 305. D sqq.

etiam propterea necessarium putamus, quod quae hic traduntur, in iis non tantum Socherus, verum etiam Schleiermacherus vehementissime offenderunt *).

Profectus est igitur Plato in describendo optimi rerum publicarum moderatoris munere et officio ab ea sententia, quam etiam Pythagoreis probatam fuisse accepimus, nullam esse pestem civitatis graviorem, quam discordiam, qua universae reipublicae tanquam concentus turbetur. Nam nobilissima est et plurimum celebrata Samii sententia, in omnibus rebus plurimum valere harmoniam, ideoque nihil studiosius esse vitandum quam iustae mensurae perturbationem, quae in civitate cernatur in discordia. Pertinent huc quae narrantur apud Iamblichum Vit. Pythag. §. 34. §. 130. §. 175. §. 205. **). Porphyrium §. 22. et Stobaeum Florileg. T. II. p. 110 sq. ed. Heeren. Eandem vero etiam Platoni placuisse vel unus ille locus satis testatur, qui est Reip. V. p. 462. A. ubi summum civitatis bonum in eo positum esse iudicatur, ut sit una atque concors omnesque cives habeat consentientes eodem modo, quo singulae unius corporis partes inter se conveniant ***). Ab hac igitur sententia profectus philosophus regi optimo, quem finxit, id propositum esse debere statuit, ut in civitate quam maxima efficiatur omnium civium ad unum eundemque finem contendentium consensio atque

---

*) Socherus enim p. 273. plura Platonis doctrinae contraria hic deprehendisse sibi visus est; de quibus singulis deinceps explicabitur. Schleiermacherus autem Praefat. ad Politic. p. 256. arbitratur, Platoni in describendo viri civilis munere et officio unice discordias ac seditiones Graecarum civitatum ob oculos esse versatas, atque inde explicari oportere, cur totus hic locus tam exilis sit argumenti, ut philosophandi subtilitas fere desideretur.

**) Primo loco Pythagoras narratur praecepisse: *φυγαδευτέον πάσῃ μηχανῇ καὶ περικοπτέον πυρὶ καὶ σιδήρῳ καὶ μηχαναῖς παντοίαις ἀπὸ μὲν σώματος νόσον, ἀπὸ δὲ ψυχῆς ἀμάθειαν, κοιλίας δὲ πολυτέλειαν, πόλεως δὲ στάσιν, ὁμοῦ δὲ πάντων ἀμετρίαν.* Altero dicitur dictitasse *μηδὲν εἶναι μεῖζον κακὸν ἀναρχίας.*

***) Legg. III. p. 701. D: *ἐλέξαμεν ὡς τὸν νομοθέτην δεῖ τριῶν στοχαζόμενον νομοθετεῖν, ὅπως ἡ νομοθετουμένη πόλις ἐλευθέρα τε ἔσται, καὶ φίλη ἑαυτῇ, καὶ νοῦν ἕξει.* Ibid. p. 693. B. *τὴν πόλιν ἐλευθέραν τε εἶναι δεῖ καὶ ἐμφρονα καὶ ἑαυτῇ φίλην.* Ibid. libr. V. p. 739. C sqq. De Rep. IV. p. 422. E. Sententiam Platonis exagitavit acerrime Aristoteles, de quo v. Patricii Discuss. Peripatet. p. 350 sqq.

concordia. Quae quidem qua caussa et ratione secundum eius sententiam niti debeat, nemini cuiquam dubium erit, qui Platonem meminerit in ea fuisse sententia, ut ultimum civitatis finem non in potentia vel divitiis vel vitae iucunditate, sed in adiuvanda promovendaque civium virtute humanaeque naturae perfectione positum esse existimaret, quippe qua una efficeretur vera eius felicitas. Itaque rerum publicarum rectori et gubernatori iudicavit tanquam virtutis quoddam carmen esse efficiendum, quo uno civitatis universae concentus maxime contineretur. Quod ipsum etiam in Politico est sequutus, sicuti ex eo apparet clarissime, quod cives inprimis divinis boni, iusti et honesti vinculis coniungendos esse statuit; de qua re mox erit dicendi locus. Atque haec quum ita iudicaverit, facile intelligitur, cur duas maxime partes eius muneris et officii distinxerit, quod perfecto regi attribuit, alteram explorandi ac secernendi, alteram coniungendi. Nam primum quidem arti civili censet id propositum esse oportere, ut bona et mala secernantur et quae concentum civitatis videantur perturbatura esse, quantum fieri possit, reiiciantur atque amoveantur. Deinde autem id eius vult munus esse proprium, ut bona apte coniungantur ac similia cum dissimilibus scite concilientur, quo existat totius reipublicae quam maxima convenientia atque unitas. De utraque igitur separatim explicandum erit, quo certius cognoscatur philosophi sententia, et si quae sint de ea dubitationes, eae quibus caussis nitantur, ab omnibus intelligatur.

Proprium igitur arti civili ante omnia hoc munus censet philosophus, ut puerorum et adolescentium ingenia atque animos diligenter exploret et cognoscat. Nulla, inquit, ars est, quae non in operibus suis componendis fabricandisque sola bona deligat, mala, quantum fieri possit, arceat et removeat: quo facto eadem curat, ut ex iis, quae bona sunt, similia atque dissimilia quam aptissime in unum coniungantur. Nam hoc demum modo poterit fieri, ut cuiuscunque operis perfecta aliqua species et imago effingatur. Idem igitur etiam arti civili propositum esse debet, quae volens certe nunquam id committet, ut civitatem aliquam ex bonis et malis civibus componat. Quocirca ea primum quidem singulorum indolem atque animum explorabit; tum vero exploratos recte institui curabit atque erudiri. Enimvero sicuti ars textoria carminantibus aliasque res ad texturam necessa-

rias tractantibus sedulo adest ac talia quemque iubet facere, qualia operi suo sint convenientia; sic etiam ars regia magistros atque educatores diligenter observabit, neque permittet, ut ea factitent, quorum tractatione animi adolescentium ab ipsius tanquam temperatione alieniores reddantur. Haec igitur Eleates de puerorum et adolescentium institutione ac disciplina *). Quam quod totam reipublicae rationibus accommodari vult, id profecto nemo infitiabitur prorsus consentire cum iis, quae de eodem argumento in Politia atque Legibus exposita leguntur. Nam in utroque hoc opere item docuit philosophus, reipublicae plurimum interesse, ut iuvenes quam optime erudiantur atque educentur **); imo etiam ea imperavit, quae libertati civili utique adversari videantur***). Quocirca in his nihil quidquam reperiri putamus, quod cum Platonis ratione atque doctrina, aliunde cognita, pugnare existimandum sit. At secus de iis visum est, quae praeterea de puniendis vel eiiciendis iis disputantur, qui invicta ingenii pravitate ad vitia atque scelera ferantur †). Haec enim ex Platonis sententia ita statui potuisse Socherus ††) propterea negat, quod isto modo principi civitatis ea adeo potestas tribuatur, ut cives vi et crudelitate ad virtutem amplectendam exercendamque adigere queat. Enimvero novimus sane Platonem virtutis praestantiam ac dignitatem omnem in libero ra-

---

*) Pag. 308. A. C. D. E.

**) V. Morgenstern. De Platonis Republica p. 199 sqq., ubi docet civitatem Platonicam esse quasi educationis publicae scholam. Conf. Legg. VII. p. 804. D. et VII. p. 813. D. ὡς ἐν τραφέντων καὶ τρεφομένων τῶν νέων πάντα ἡμῖν καὶ ὀρθὸν πλεῖ. Dissensit igitur Plato quodammodo a Solone, quem novimus institutionem puerilem eatenus tantum legibus suis complexum esse, quatenus modestia, probitas ac pudicitia puerorum tuenda videretur; reipublicae nullam duxisse ea in re rationem. Notae sunt istae Solonis leges ex Aeschin. Orat. in Timarch. §. 9 sqq. Nihilominus tamen cum Attico legislatore in eo convenit, quod et ipsius respublica et illius leges ad institutionem iuvenilem pertinentes ex ethicis principiis ductae sunt.

***) V. Morgenstern. l. c. p. 197 sqq. p. 237 sqq.

†) P. 308. E. 309. A.

††) De Scriptis Platon. p. 273. *„Auch die dem Staatsregenten beigelegte Macht, nach seiner Einsicht zum Guten zu zwingen, stimmt nicht mit Platon überein, der überall nur freiwilliges Gutes anerkennt.“*

tionis usu et voluntatis honestate positam iudicavisse. At quid hoc impedit, quominus quosdam sibi persuaserit adeo ipsa naturae et ingenii sui indole ad omnem abiectos esse pravitatem, ut corrigi et ad bonam frugem perduci vix posse viderentur? Hos igitur si pro pravitatis ratione et modo voluit a rege suo civitatis quam optimae conditore vel eiici in exilium vel suppliciis affici vel inter servos referri, num id ipsius sententiae adversari arbitrabimur? Nimirum non meminit Socherus similia certe etiam in Politia pronunciari. Quid enim? nonne ibi filii civium primi et secundi ordinis, hoc est magistratuum atque militum, simulatque a parentum virtute desciverint, protenus in tertii ordinis humilitatem deiiciendi esse dicuntur *)? Num igitur philosophus ibi quoque virtutis colendae exercendaeque libertatem sustulisse iudicandus erit? Et quis est qui inficietur etiam in libris de optima civitate magistratibus, qui ibi optimi regis partes agunt, imperium concedi paene immensum nullisque finibus circumscriptum, ita ut soli omnem reipublicae administrandae curam gerant et legum ferendarum atque exequendarum potestatem habeant **)? Sed vix est cur hanc viri docti opinionem operosius confutemus, quum facile appareat, cur Plato optimo regi suo tantam potestatem concesserit. Finxit enim eum ipsius rationis perfectae quasi vicarium, qui omnia sapientiae et iustitiae convenienter facturus sit, ideoque similem esse dixit alicui navis gubernatori, qui quid in navigando expediat, nautis ceteris omnibus melius videat et intelligat. Quamobrem nihil profecto hic deprehenderis, quod vel summi philosophi ingenio indignum vel eius doctrinae contrarium esse iudicandum sit. Sed videamus nunc de altera parte muneris ab eo viro rerum civilium vere perito impositi.

Censuit igitur Plato ad efficiendam universae civitatis consensionem et quasi concordiam nihil esse vel gravius vel efficacius, quam ut animi civium, qui aut ad fortitudinem aut ad temperantiam sint procliviores, tanquam iusto quodam temperamento in unum coniungantur,

---

*) Libr. III. p. 415. B. C. Possis huc etiam infantum expositionem et alia similia referre, de quibus dixit Morgenstern. l. c. p. 229.

**) V. Morgenstern. l. c. p. 182 sqq.

in eaque re voluit eum, qui rationem civilem teneat, vel maxime occupatum esse. Quae sententia uti Schleiermachero admodum ieiuna et exilis visa est *), ita Sochero aliis de caussis magnae fuit offensioni. Is enim illam censuit adversari iis, quae philosophus alibi, maximeque in Gorgia et Protagora, de virtutis unitate ac simplicitate gravissimis verbis disputavit **). At enim vero tantum abest, ut hac in re viri acutissimi iudicio accedamus, ut longissime ab eo recedendum existimemus. Nam ego si quid iudicare possum, in Politico non de fortitudine ac temperantia ut virtutibus inter se contrariis et oppositis agitur; sed discernuntur potius duo nativi habitus ingeniorum, ut non tam de ipsa virtute quam de naturali ad virtutem indole vel de vulgari virtute in hominibus a philosophia alienis conspicua disseratur. Distinguuntur enim ingenia animosa et vehementia a temperantibus atque mansuetioribus; utraque autem tam ad vitia quam ad virtutem proclivia iudicantur, siquidem illa non modo ad fortitudinem, verum etiam ad ferociam, petulantiam, pervicaciam, haec autem ad mollitiem et ignaviam non minus quam ad temperantiae virtutem natura comparata esse dicuntur ***). Quocirca Platonis iudicio regi atque principi sapienti id maxime agendum est, ut varia ista et contraria animorum inclinatio prudenter regatur atque sic temperetur, ut quam maxima efficiatur totius civitatis consensio, declinatis vitiis omni-

---

*) Praefat. ad Politic. p. 255 sq., qui inter alia haec excusat sic: „*Besonders aber mögen sie sich erinnern lassen (die solches Resultat für dürftig Anschenden), dass in unserm Gespräch ganz dieselbe Verflechtung und Zusammensetzung statt findet, wie in dem vorigen, und dass sie daher nicht vergeblich in dem, was bloss als Abschweifung und beiläufig gegeben wird, die wichtigsten Aufschlüsse suchen dürfen.*“

**) Nam in opere *De Scriptis Platon.* p. 273. sic scribit: „*Die Entgegensetzung und Trennung zweier Tugenden harmonirt nicht mit den Dialogen Protagoras und Gorgias; im erstern wird Einheit der Tugend gefordert, im letztern ausdrücklich behauptet, dass, wer mässig sei, eben darum auch tapfer sei.*“

***) Intelligitur ergo, ut diximus, virtus δημώδης, quae eleganter describitur Legg. IV. p. 710. A. τὴν δημώδη γε (λέγω σωφροσύνην), καὶ οὐχ ἥν τε σεμνύνων ἂν λέγοι, φρόνησιν προσαναγκάζων εἶναι τὸ σωφρονεῖν, ἀλλ' ὅπερ εὐθὺς παισὶ καὶ θηρίοις, τοῖς μὲν ἀκρατῶς ἔχειν πρὸς τὰς ἡδονάς, ξύμφυτον ἐπανθεῖ, τοῖς δὲ ἐγκρατῶς.

bus, quae facile inde oritura sint. Atque hanc sententiam existimamus non modo in se nihil habere, quod absurdum aut ineptum sit, verum etiam cum Platonis ratione conspirare amicissime. Nam eandem ille amplectitur etiam libro II. de Republ. p. 374. E sqq. coll. Tim. p. 18. B. ubi posteaquam in deligendis civitatis custodibus ita versandum esse docuit, ut praeoptentur ii, quorum natura et indoles ad belli negotia maxime idonea sit, graviter admonet, hanc rem magnam requirere cautionem: nam istiusmodi ingenii homines facile ferri ad protervitatem et petulantiam; itaque curandum esse, ut educationis ope reddantur tales, qui cum animi fortitudine etiam mansuetudinis et sapientiae moderationem coniunctam habeant. Secutus item est Ibid. libr. III. p. 410. B sqq., quo loco gymnasticam praecipit cum musica ideo coniungi oportere, ut iustum animositatis et mansuetudinis temperamentum in animis efficiatur: nam qui gymnasticae tantum operam dent, eos evadere solere iusto ferociores atque agrestiores; qui vero unam sectentur musicam, eos facile mollescere et effeminari. Sed quid singula enumero, quum ad integros libros Legum provocare liceat, qui certe magno opinionis errore nuper pro subdititio Platonis opere habiti sunt? In his enim *) philosophus copiosissime docuit in constituendis civitatibus id maxime curandum esse, ut cum fortitudine civium etiam temperantia consocietur, et quo modo id in Dorica civitate, quam ibi pro fundamento reipublicae suae posuit, effici queat, perspicue declaravit. Atque haec quum ita sint, facile iam apparebit, quo iure Plato sapienti suo civitatis gubernatori et publicae felicitatis tanquam tutori hoc muneris et officii inunxerit, ut varia civium ingenia formandis flectendisque eorum animis ad concordiae unitatem et constantiam temperare debeat. Neque enim illi unquam aliter de his rebus persuasum fuit. Quid quod nec alii viri prudentes ab eius iudicio hac in caussa discessisse reperiuntur? Nam ut Pythagoreos taceamus, qui etiam de his similiter sensisse vi-

*) Pertinent huc maxime libri duo priores, iique fere integri. Zellerum Legum opus post Astium pro adulterino habentem nescio quae ingenii intemperies agitaverit. Qui si attendisset ad ea, quae de huius scripti fatis a veteribus tradita sunt, multo certe aliter erat iudicaturus.

dentur, etiam Xenophon, Polybius, aliique eandem plane sententiam amplexi sunt, ut paene communis Graecorum sapientium fuisse videatur *). At vero, inquit aliquis, hoc ipsum tamen satis mirum est et philosopho paene indignum, quod post tam longas disputationis ambages denique nihil aliud expromitur praeter vulgarem istam et paene popularem sententiam, qua artis civilis operam maxime in miscendis temperandisque variis hominum ingeniis versari oportere iudicatur. Audio, et facile largior esse utique maximam huius sententiae simplicitatem, facilitatem, perspicuitatem. Sed idem ego arbitror summam esse eiusdem gravitatem, ut adeo Platoni tanquam viam et aditum ad omnem doctrinam suam civilem patefecisse videatur. Enimvero reputandum hic est diligenter, qua ratione summus philosophus illam civium natura et ingenio inter se dissimilium consensionem effici voluerit. Quod certe ita fieri iussit, ut hic non vulgare hominum iudicium, sed mentem vere excelsam et sublimis ingenii homine vere dignam agnoscere debeamus. Censuit enim animos civium ante omnia divino quodam colligandos esse vinculo. Quod si quaeris, quanam in re cernatur, ipsius verbis respondere liceat, esse illud *τὴν τῶν καλῶν καὶ δικαίων περὶ καὶ ἀγαθῶν καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὄντως οὖσαν ἀληθῆ δόξαν μετὰ βεβαιώσεως* **). Quin etiam in connubiis conciliandis, aliisque rebus similibus, in quibus humanum reipublicae contineri vinculum voluit, plurimum valere iudicavit, ut omnes de rebus ad virtutem pertinentibus idem sentiant. Nam *τούτους δὴ τοὺς δεσμούς* (*humanos*), inquit, *ἔλεγον ὅτι χαλεπὸν οὐδὲν ξυνδεῖν ὑπάρξαντος τοῦ περὶ τὰ καλὰ καὶ ἀγαθὰ μίαν ἔχειν ἀμφότερα τὰ γένη δόξαν* (p. 310. E.). Quae quis est quin videat utique ad summum illum finem spectare secundum Platonem civitati propositum, qui in excolenda humanitate atque virtute promovenda cernitur?

Iam vero si res sic sese habet, ne illud quidem negare quisquam audebit, in hoc libro quasi stamina quaedam inesse eorum omnium, quae philosophus in libris de

---

*) De hac re non est quod post Schlosserum in libro: *Universalhistor. Uebersicht d. Geschichte d. alten Welt* Vol. I. P. III. p. 279 sq. et Hermannum *Histor. Philos. Platon.* Vol. I. p. 662. denuo exponamus.

**) V. Politic. p. 309. C.

optima civitate et de legibus exposuit. Nam Socherus certe nec in eo est audiendus, quod optimam illam Platonis civitatem in libris de republica conditam aliis niti principiis quam quae in Politico illustrentur arbitratus est *). Quippe in Politico philosophus nihil egit aliud, quam ut viri perfecta scientia civili praediti indolem atque munus describeret; civitatis optimae copiosam descriptionem non exhibuit; quamquam quae in libris Reipublicae de optima civitate disseruntur ex his tanquam initiis facili negotio deduci potuerunt. Etenim in Politico Plato informavit sapientem ut optimum reipublicae ducem et moderatorem; civitatis finem in virtutis honestatisque cultu positum esse significavit, quanquam nondum indicavit, quibusnam civium ordinibus haec vel illa virtus praecipue attribuenda sit; denique etiam illud ostendit, quid in iis rebus sit maxime respectandum, quae ad hominum varias necessitudines et coniunctiones maxime pertineant. Quae quidem omnia quantopere cum iis conveniant, quae in Reipublicae opere exponuntur, certe iis clarum erit ac perspicuum, qui perfectae illius civitatis, quam ibi finxit, tanquam imaginem quandam animis suis impressam teneant.

Vidimus igitur nunc atque intelleximus, quodnam munus Plato viro in civilibus rebus tractandis sapienter occupato iniunxerit, et quamobrem ita iudicaverit: vidimus item hanc opinionem cum ceteris eius operibus adeo conspirare, ut nihil magis possit. Restat ut paucis ostendendum sit eam expositionem simul etiam ad animi virtutem qualem voluit in perfecto civitatis moderatore esse conspicuam, recte informandam describendamque valere. Nam quales Plato statuit ab eo reddendos esse cives omnes atque singulos, talem etiam ipsum principem esse oportere iudicavit. Quamobrem hunc et ipsum ita moratum esse voluit, ut duplici animi indole insignis habeatur, strenua fortitudine ac miti ingenii lenitate sapientia temperata. Quorum omnium si quid desideretur aut non satis recte mixtum temperatumque sit, principem et magistratum ait ad rempublicam gerendam existere non satis idoneum.

Et plane cum his concordant quum alia tum illa

*) V. l. l. p. 273.

Legg. IV. p. 709. E sqq.: *φέρε δή, νομοθέτα, πρὸς αὐτὸν* (legumlatorem) *φῶμεν, τί σοι καὶ πῶς πόλιν ἔχουσαν δῶμεν, ὃ λαβὼν ἕξεις ὥστ' ἐκ τῶν λοιπῶν αὐτὸς τὴν πόλιν διοικῆσαι; τί τὸ μετὰ τοῦτ' εἰπεῖν ὀρθῶς ἔστιν; — Τόδε· τυραννούμενόν μοι δότε τὴν πόλιν, φήσει. τύραννος δ' ἔστω νέος, μνήμων καὶ εὐμαθὴς καὶ ἀνδρεῖος καὶ μεγαλοπρεπὴς φύσει. ὃ δὲ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν δεῖν ἕπεσθαι ξύμπασι τοῖς τῆς ἀρετῆς μέρεσι, καὶ νῦν τῇ τυραννουμένῃ ψυχῇ τοῦτο ξυνεπέσθω, ἐὰν μέλλῃ τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων ὄφελος εἶναί τι. — Σωφροσύνην μοι δοκεῖ φράζειν δεῖν εἶναι τὴν ξυνεπομένην ὁ ξένος, κ. τ. λ. Ταύτην τοίνυν ἡμῖν ὁ τύραννος τὴν φύσιν ἐχέτω πρὸς ἐκείναις ταῖς φύσεσιν, εἰ μέλλει πόλις ὡς δύνατόν ἐστι τάχιστα καὶ ἄριστα σχήσειν τὴν πολιτείαν, ἣν λαβοῦσα εὐδαιμονέστατα διάξει.* Nimirum ibi legislator civitatem novam, quaeque ad perfectae civitatis similitudinem quam proxime accedat, conditurus ista omnia postulare debere dicitur, quemadmodum artifex aliquid postulet, quod iam paratum et praesto esse debeat, si opus suum feliciter sit perfecturus.

Ita igitur facile apparet et mentem ac sapientiam, et officium eius atque animi moderationem, quae in ipso esse debeat, egregie esse depictam, ut vix quisquam habiturus sit quod amplius in eius specie et imagine desideret.

Sequitur ut quaerendum sit, quidnam philosophus inter virum civili scientia ornatum atque illos, qui vulgo civilis virtutis laude florebant, interesse iudicaverit *). Cuius rei iudicium itidem repetiit ex discrimine optimae illius civitatis, in qua recta sapientis ratio pro communi lege valet, et earum rerum publicarum, quibus vulgo homines utuntur. Quocirca distinguuntur vulgares civitates ab hominibus constitutae a vera illa atque optima; declarantur earundem origines; exponitur quatenus alia possit aliis esse vel deterior vel praestantior; denique aestimatur dignitas eorum, qui vulgo rerum civilium prudentia pollere putantur, oratoribus, iudicibus, imperatoribus ab civilis artis laude atque virtute omnino depulsis. Censet autem philosophus veram civitatem et quasi ger-

*) Explicatur de hac re inde a p. 297. B.

manam unam esse illam, in qua sapientis arbitrio, hoc est perfecta ratione, omnia gerantur et administrentur; reliquas huius ipsius arbitratur esse quasi quaedam simulacra, ducta ex optimae illius imitatione. Quod ipsum etiam alibi pronuntiavit. Sic enim De Rep. VI. p. 497. A sqq., ubi inter alia: *εἰ δὲ λήψεται (ἡ φιλόσοφος φύσις) τὴν ἀρίστην πολιτείαν, ὥσπερ καὶ αὐτὸ ἄριστόν ἐστι, τότε δηλώσει, ὅτι τοῦτο μὲν τῷ ὄντι θεῖον ἦν, τὰ δὲ ἄλλα ἀνθρώπινα, τά τε τῶν φύσεων καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων.* Legg. IV. p. 709. E sqq. 711. D. sqq. Etenim Platonis sententia imbecillitas hominum genuit civitates eas, in quibus pro sapientis mente et ratione legum publicarum valet auctoritas. Namque homines cum optimi illius regiminis praestantiam mente sua non caperent ideoque desperarent futurum unquam esse, ut talis sapiens inter ipsos existeret; protenus ad legum usum confugerunt atque condiderunt eas respublicas, quae unice illarum vinculo continerentur. Itaque necessitate quadam factum esse ait, ut orirentur civitates perfecta illa multo deteriores, quandoquidem mutae illae atque rigidae legum perscriptarum praeceptiones ad vivam rationis totam rempublicam tanquam animantis vocem nihil comparandae sint *). Eandem prorsus sententiam habes Legg. libr. IX. p. 875. A sqq., unde haec apposuisse iuvabit: *ἐπεὶ ταῦτα (τὰ ξυμφέροντα ἀνθρώποις εἰς πολιτείαν) εἴ ποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανός, θεία μοίρᾳ γεννηθείς, παραλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ· ἐπιστήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων, οὐδὲ θέμις ἐστὶ νοῦν οὐδενὸς ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον, ἀλλὰ πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἐάν περ ἀληθινὸς ἐλευθερός τε ὄντως ᾖ κατὰ φύσιν· νῦν δὲ οὐ γάρ ἐστιν οὐδαμοῦ οὐδαμῶς ἀλλ' ἢ κατὰ βραχύ· διὸ δὴ τὸ δεύτερον αἱρετέον, τάξιν τε καὶ νόμον, ἃ δὴ τὸ μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὁρᾷ καὶ βλέπει, τὸ δ' ἐπὶ πᾶν ἀδυνατεῖ.* Ibid. p. 876. A sqq. V. p. 739. A sqq. Atque hinc liquido sane apparet, cur Plato post libros de optima civitate etiam Legum opus litteris consignaverit. Nam optimam illam civitatem, quam finxit, non putavit unquam in ipsa hominum vita extituram, sed tanquam exemplar quoddam

*) Praeclarus de hac re locus est p. 297. D E sqq.

proposuit, in quo et optimi hominis et perfectae civitatis imago atque species expressa cerneretur. De qua re ipse explicat loco notissimo Reip. V. p. 471. C sqq. ubi Glauco a Socrate postulat, ut tandem eiusmodi civitatem condi revera posse ostendat: clarius etiam libro IX. p. 592. A. B. disserit, inter alia his utens verbis: *αὕτη δὲ ἡ πόλις ἐν λόγοις κειμένη, ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι; ἀλλ' — ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν. διαφέρει δὲ οὐδὲν εἴτε που ἔστιν εἴτε ἔσται.* Quocirca etiam eam condere civitatem animum induxit, quae quum leges haberet, tamen quam proxime ad optimae illius reipublicae laudem ac praestantiam accederet: cui deinde etiam tertiam adiungi posse vidit, quae fundamento verae innixa reipublicae rerum suarum constitutione uteretur pro temporum locorumque rationibus emendata *). Haec omnia igitur Plato quo tempore Politicum scripsit, iam adeo habuit explorata, ut eorum omnium, quae postea temporis de his rebus meditatus est, in hoc libro quasi initia quaedam reperiri existimemus. Nam et optimae civitatis speciem non quidem descripsit, sed leviter adumbravit, et verae reipublicae, ad illius praestantiam quam proxime accedentis, fecit quandam designationem, et reliquas descripsit civitates humanas ostenditque quanto intervallo singulae ab optima republica distare existimandae sint.

Sed redeamus in viam. Vidimus igitur, qualem Plato originem humanarum civitatum esse voluerit. Sequitur ut quid de earum dignitate senserit, explicari oporteat **). Et optimam quidem ex his, quamvis perfectae illi longo demum intervallo proximam, uti par fuit, iudicavit eam, in qua leges publicae a sapientibus viris scriptae sint. Etenim legem sapientem censuit menti et rationi cognatam et quasi eius vicariam esse, sicuti ipse ait Legg. IV. p. 713. E. XII. p. 957. C. Quapropter etiam eos, qui talibus legibus utentes easque religiose observantes rempublicam tractent, perfecto illi regi, quem optimae civitati praefecit, non absimiles esse ar-

*) V. Legg. l. c. p. 739. A sqq. et quae de his exposuerunt Boeckhius in Plat. Min. p. 65 sqq. Morgensternius De Republ. p. 179 sqq. et p. 284.

**) De his exponitur p. 301. A sqq.

bitratur; quanquam eosdem, quum illum tantummodo imitari videantur, non exiguo intervallo illi postponendos statuit. Sed accedere praeterea etiam hoc oportere censet, ut leges semel perlatae et religiose custodiantur et caute immutentur, si qua earum mutandarum incidat necessitas. Quocirca populi multitudini legum rogandarum libertatem omnem omnino adimit, quandoquidem nunquam futurum esse arbitratur, ut maior aliquis hominum coetus artem civilem aut probabiliter percipiat aut recte teneat*); unis viris prudentibus illud tanquam proprium opus attribuit. Fuit igitur, sicuti apparet, in ea sententia, ut nec magnae multitudini rerum gravissimarum iudicium committendum nec novandae lubidini ullo modo indulgendum esse censeret. Quod ut ita statueret, inprimis effecisse videtur populàris imperii licentia, quae quum in aliis Graeciae civitatibus tum maxime Athenis ita grassari occeperat, ut nec legum et magistratuum salva constaret auctoritas nec immutandae reipublicae cupiditatis, qua furiosa plebis multitudo tanquam morbo aliquo correpta fuit, finis ullus futurus videretur. Et confirmari eius hac de re iudicium potuit etiam iis, quae Pythagorei in eadem caussa censuerunt. Nam Pythagoram constat plebi in republica adeo nihil concessisse, ut Ninoni, fraude utique turpissima, comminisci liceret, philosophiam viri totam nihil esse aliud nisi factam contra plebem conspirationem quandam, eoque furorem populi concitare, sicuti scribit Apollon. ap. Iamblich. §. 260. Nimirum philosophus Samius persuaserat sibi penitus hoc: *φαῦλος κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος*. Quamobrem idem monebat identidem, in legibus et institutis patriis vel tum esse permanendum, si ceteris essent deteriores; neque enim bene consulere patriae eos, qui rebus publicis novandis indulgerent: de qua re quae apud Stob. Florileg. T. III. p. 115. et apud Iamblich. Vit. Pythag. §. 176 sqq. leguntur, ea ex Aristoxeno hausta esse demonstravit Mahnius De Aristox. p. 104. Et vero etiam quotidie suos cohortabatur *νόμῳ τε βοηθεῖν καὶ ἀνομίᾳ πολεμεῖν*, ut est apud Iamblich. §. 100. 171. 225. Videmus igitur ex his clarissime, etiam hac in caussa Platoni cum Pythagoreis prorsus convenisse: quod etsi per se leve est, tamen observare

*) V. p. 300. E.

non inutile videbatur propterea, quod etiam alibi in hoc libro vestigia rationis Pythagoricae extare animadvertimus *). Pergimus nunc tandem ad ea, quae philosophus de singulis verarum civitatum generibus exposuit.

Distinxit igitur, vulgarem secutus rationem, quam tamen ipse quodammodo corrigit et reprehendit ubi rem non tam ex imperantium multitudine quam ex scientiae possessione iudicandam esse significat **), tria genera civitatum, prouti aut uni tribuatur reipublicae regendae consilium, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum sit multitudini atque omnibus ***). Unumquodque horum rursus duplex esse posse dicit, prouti legum auctoritas aut sancta habeatur aut lubidinose negligatur. Nam penes unum ubi sit rerum omnium summa, aut regnum aut dominationem sive tyrannidem inde existere; ex eadem re, ubi delectis summa rerum potestas sit, oriri aut optimatium imperium, quod Graece vocatur aristocratia, aut imperium paucorum sive *ὀλιγαρχίαν;* denique in civitate populari, in qua omnia sint in populo, ex legum vel reverentia vel neglectione et contemtu duplex populi imperium nasci, quod communi nomine democratiae vocetur, quum tamen pravum a recto distingui oporteat †). Usitatam hic diximus a Platone usurpari varia

---

*) De Platone democratiae osore cum hoc loco Politici p. 297. B — 300. E. utiliter comparaveris Reipubl. VIII. p. 557. A — 558. C. ubi praeclara democratiae descriptio est, qua carpi rempublicam Atheniensium manifestum putamus. Conf. etiam Reip. VI. p. 493. A sqq. Hoc igitur ochlocratiae odio inflammatus philosophus in optima civitate sua populum a reipublicae cura et administratione omnino prohibuit.

**) Polit. p. 291. C sqq.

***) De variis reipublicae generibus ex sententia veterum v. Aristot. Reip. III, 7 sqq.; Ciceron. Legg. III, 7. De Rep. I. 16 sq.; Tacit. Ann. IV, 33. et Luzac. De Socrate Cive p. 63 sqq.; Huellmann. Staatsrecht des Alterthums p. 111.; Schoemann. Antiquitatt. Iuris publ. Graecor. p. 55 sqq.

†) V. p. 291. C sqq., ex quo loco luculente apparet *ὀχλοκρατίας* nomen Platonis aetate nondum in usu fuisse. Nec illo usus est usquam Aristoteles. Nimirum frequentatum est demum inde a Polybii aetate, qui habet libro VI, 4, 6. 57, 9. Aristoteles Polit. III. 5. §. 1 — 4. laudabilem popularis imperii formam *πολιτείαν*, deteriorem eius speciem *δημοκρατίαν* appellat.

civitatum genera distinguendi rationem. Quod tamen secus visum est Sochero, cui scrupulum iniecit, quod Plato libro VIII. de Republ. p. 543 sqq. aliud quid secutus est *). Nimirum hoc vere est illud, quod in proverbio dicitur, nodum in scirpo quaerere. Nam in libris de optima civitate quoniam quaeritur quomodo respublica morata esse possit, philosophus disputationis institutae consilio convenienter, pro ingeniorum diversitate uni illi optimae civitati, unde item perfectissima cognosceretur hominis natura, quattuor pravas reipublicae formas opposuit, quae eaedem etiam in singulorum hominum ingeniis atque moribus expressae cernerentur. Quocirca prudenter ibi distinxit timocratiam, oligarchiam, democratiam et tyrannidem, ex quibus primam inter corruptas optimam, ultimam autem longe pessimam arbitratur **). In Politico autem taxaturos eos, qui in civitatibus vulgaribus civilis prudentiae laude excellere putabantur, fieri paene non potuit quin etiam vulgarem de variis rerumpublicarum formis opinionem sequeretur ***). Neque ratione caret, quod paullo aliter rursus in distinguendis variis imperii atque civitatum generibus versatus est libro III. Legg. p. 693 sq. Ibi enim regii imperii formas fecit tres: *βασιλείαν*, quae una esset legitima ac laudabilis, *δεσποτείαν*, qualis vigeret apud orientis populos, et *τυράννιδα*, quae imperio per vim occupato existeret; item paucorum imperium triplex distinxit, *ἀριστοκρατίαν*, in qua potestas penes optimates esset, *τιμοκρατίαν*, quum cives honoribus ac dignitatibus conspicui regnarent, et *ὀλιγαρχίαν*, si singulae quaedam familiae vel gentes perpetuum tenerent imperium; denique in imperio populari sive democratia populi valere statuit voluntatem, unde tamen oriri saepenumero intemperantem plebis dominationem. Haec igitur quis est quin videat pariter recedere plurimum ab ea civitatum distributione, quam antea memoravimus? Enimvero non fuit Plato adeo addictus et quasi destinatus certis quibusdam opinionibus, ut eas non pro varia ac diversa re-

*) V. De Scriptis Plat. p. 273.

**) V. quae de libri octavi Reipubl. argumento exposuimus edit. nostrae p. 163 — 165. Vol. II.

***) Iudicium Platonis de varia civitatum dignitate atque pretio examinat Aristotel. Politic. l. IV. c. 2. p. 141. ed. Schneider

rum tractandarum ratione aut immutaret leviter aut scribendi consiliis adaptaret. Quamobrem qui in talibus offendunt, ii plerumque non satis perspexerunt, quid ille hac sententiae, quae videtur esse, inconstantia et varietate spectaverit. Sed redeamus unde digressi sumus. Hac igitur civitatum in sex genera usus distributione philosophus etiam iudicium fecit de earundem dignitate et praestantia. Quod etsi ipse vidit proprie ad praesentis materiae illustrationem non esse unice necessarium, tamen quoniam plerumque ex utilitatibus vel detrimentis, quae quid habeat, de eius dignitate statuatur, non temere de hoc quoque loco tanquam in transcursu paucis disputandum sibi existimavit. Et vero redundat sane ex hac re aliquid lucis in ea, quae de viris in republica tractanda versantibus exposuit. Arbitratur igitur inter omnes imperii formas nullam esse, quae pro rerum conditione peior aut melior sit regia; ultimum autem locum tenere populare imperium, quippe quo plerumque prohibeatur quominus bona et laudabilia consilia strenue constanterque peragantur, quanquam in ea, quam habeat, potestatis inter plurimos divisae imbecillitate nec multa mala importare queat. Quocirca controversiam ita dirimit, ut in populari civitate vivere optimum arbitretur tum, quum omnes omnino civitates peraeque depravatae sint; sin omnes bonae videantur, monarchiam omnium optimam et praestantissimam habendam esse pronuntiet. Quod quidem iudicium si quaeris quo fundamento nitatur et unde repetitum sit, fecit illud philosophus ratione habita felicitatis et utilitatis, quam singulae rerumpublicarum formae allaturae videantur. Quare nec mirum est, quod alibi etiam aliter de hac re pronuntiavit aliarum rerum habita ratione, praesertim quum etiam civitatum genera aliter ibi discreverit. Nam libro VIII. Politiae tyrannidem ultimo, democratiam penultimo loco inter depravatas respublicas posuit, timocratiae vero inter easdem primum locum assignavit. Quippe ibi rem aliter diiudicavit alio modo spectatam: respexit enim, ut antea diximus, maxime ad imperantium ingenia, in quibus quum singulorum civium tum universae reipublicae mores expressi cernerentur. Quamquam si summam rei consideres, idem fere illic eius iudicium est quod in Politico. Nam optima certe civitas sive *βασιλεία* est sive *ἀριστοκατία*, etiam in illo opere ceteris rebus publicis omnibus longissime anteponitur; populare autem imperium

et saeva unius dominatio ita aestimantur, ut quae de illis dicuntur, planissime conveniant cum iis, quae in Politico sunt exposita. Similis fere ratio eorum est, quae de eodem argumento in Legum opere disseruntur. In quo quum omissa perfectae reipublicae specie et imagine de vera tantum civitate agatur, qualis in humana societate ad optimae reipublicae similitudinem constitui queat, profecto nihil offensionis habere potest, quod res rursus aliter paullo decernitur. Quamquam de rei summa neutiquam ita iudicatur, ut philosophus a sua ipsius ratione descivisse existimandus sit. De qua re probabiliter exposuerunt Koeppen in Politica Platon. p. 128 sqq. et Car. Dilthey in Examine librorum Platon. de Legibus p. 28 sqq. qui recte Astii de his rebus opiniones confutavit. Itaque haec omnia apparet in Politico sic esse explicata, ut cum Platonis ratione in aliis libris prodita omnino congruant. Sunt vero etiam ad rem praesentem aptissime exposita. Nam absoluta harum rerum quaestione clarissime profecto apparet, quid inter virum vere regalem, quem finxit philosophus, et inter eos, qui in veris civitatibus rempublicam tractent, interesse existimandum sit. Hi enim ad illum comparati nihil sunt nisi vani illius aemuli et imitatores, arte ac sapientia civili, philosopho digna, fere destituti, imo magnam partem miseri praestigiatores ac sophistarum omnium maximi et perniciosissimi. Quam quidem sententiam quod Plato studiosius et acrius in hoc libro defendit, id certe non poterit cuiquam mirum accidere, siquidem vera sunt quae antea de caussis et opportunitatibus huius scriptionis disputavimus. Ipsa enim tempora ita tulerunt, ut quid de perfecta arte civili deque depravatis Graeciae civitatibus sentiret, quam liberrime exponeret, ne quis ipsi ingratam in patriam impietatem exprobraret. Quamobrem nec iis ullo modo pepercit, qui quum nihil essent nisi humiles et vulgares reipublicae administri, tamen stolide prudentiae civilis quam maximae laudem et existimationem affectabant. Ostendit enim luculentissime, artem oratoriam, iudiciariam, imperatoriam, neutiquam esse civili rationi aequiparandam, sed huius tantummodo famulam quandam et adiutricem. Vates autem scribas, sacerdotes, aliosque id genus homunciones, inani sapientiae civilis opinione misere inflatos, satis acerbe per-

strinxit et castigavit *). Enimvero idem prorsus hic statuit, quod pronuntiavit in Gorgia p. 517. B sqq., ubi eos, qui reipublicae vulgo ministrent, viles eius famulos esse arbitratur, ad omnem lubidinem civium exp'endam iusto paratiores.

Sed tempus est huic disputationis nostrae parti tandem finem imponere. Satis enim videmur ostendisse, quid Plato de perfecto perfectae reipublicae rege et moderatore deque iis, qui veluti adulterini quidam eius imitatores sint, statuendum putaverit. Quae quidem pars operis Platonici sicuti est longe gravissima, ita copiosior eius explicatio, si modo non infeliciter cesserit, facilem, ut spero, apud omnes inveniet excusationem.

Superest, ut tertia libri pars dilucidanda sit, quae et ipsa ad cognoscendam Platonis sententiam rationemque, quam in hoc dialogo scribendo secutus est, non parum momenti facit. Nondum enim tractavimus locum illum gravissimum, qui continet narrationem de variis mundi aetatibus atque rerum hominumque conditione inde oriunda. Hunc igitur nunc ita excutiamus, ut et quaeramus quorsum pertineat et quasnam habeat caussas atque origines paullo accuratius dispiciamus. Quibus exploratis, quid de tota illa narratione existimandum sit, veluti sua sponte apparebit **).

Quodsi igitur universe quaerimus, cur narratio ista subtilissimae illi de arte civili disputationi intertexta sit et quorsum ea pertineat; primo certe adspectu eo consilio videri possit esse interposita, ut divinus politicus, ut ita dicam, accuratius discernatur ab humano, qui disputandi praebuit occasionem, ideoque doceatur accuratiorem viri civili sapientia instructi definitionem requirere hoc, ut in locum vocabuli ἀγελειοτροφικῆς, quo antea usus erat Eleates, substituatur nomen ἀγελαιονο-

*) V. p. 303. A — D.

**) Nonnulla de hoc loco exposuit Astius De Vita et Scriptis Platonis p. 234 — 37. qui tamen rem non perfecisse, sed inchoasse tantum existimandus est. Hinc factum putamus, ut Socherus l. l. pag. 273. perversissime de eo iudicaverit. Quocirco conferenda sunt etiam quae Astius postea in Annal. Vindobonn. a. 1821. Vol. XIV. p. 100 sqq. contra Socheri opinionem disputavit, ubi tamen item pauca tantum illustrare conatus est. Vid. etiam Schleiermacherus Praefat. ad Politic. p. 258 sq.

μιχῆς, quippe quod illo minus late pateat *). Nec profecto dubium est hoc ipsum a Platone significari. Illud tamen non iniuria dubites, num philosophus id unum secutus sit. Nam et amplitudo et gravitas huius loci ea est, ut altius quiddam spectari videatur. Et certe nostra sententia plus haec habent in recessu quam fronte promittunt. Quippe est hic Platonis mos, ut interdum, quum videatur ludere aut res leviores tractare, si propius introspicias eius mentem, res gravissimas et ad rerum explicandarum cognitionem utilissimas tradat et illustret. Quodsi autem quaeris, cuiusmodi tandem illud sit, quod hoc loco explicatur; vel usus mythi quid rei sit admonere nos potest. Solet enim philosophus mythos fere tum usurpare, quum de iis rebus agitur, quae quum certam perspicuamque mentis humanae cognitionem fugiant, tamen ob rationes quasdam statuuntur fuisse aut futura esse, quaeque non ita cognoscuntur, ut quomodo fuerint aut futura sint intelligatur, propterea quod non tam scientia et cognitione comprehenduntur, quam veritatis quasi divinatione quadam attinguntur. Quamobrem fabulae illae, quamvis ex scientiae tanquam fonte et principio natae, tamen iis rebus probandis demonstrandisque adhibentur, quae dialectica pervestigatione certius exquiri non possunt; inserviuntque potius eorum illustrationi, quae posita sunt in quadam mentis praesagitione, propterea quod natura sua sunt excelsiora, sublimiora, diviniora, quam quae in mentis humanae scientiam et cognitionem cadere existimanda sint **). Quamobrem vel ex hac re suspicari licet, agi nunc de re aliqua ad civilem rationem pertinente, quae altiorem sibi exposcat indaginem, neque artis dialecticae subtilitate prorsus exquiri possit. Huc accedit aliud quid, quod et ipsum nos possit eo deducere, ut de totius loci vi et gravitate rectius statuamus. Solet enim Plato rerum singularum considerationem referre ad contemplationem

*) V. p. 268. B. et p. 275. B.

**) Iniquius multi de usu fabularum apud Platonem iudicaverunt. Ita iam Colotes apud Macrobium Saturn. libr. I. c. 4. „*Ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret.*“ At enim vero istiusmodi iudicia ex eo originem habuerunt, quod plerique caussis rei non perspectis Platonis rationem ex sua ipsorum ratione iudicaverunt.

universi; res humanas comparare cum divinis; denique mutuam necessitudinem, qua singula cum communi et universo contineantur, aliqua ratione significare. Quod inprimis etiam in iis fecit dialogis, qui cum Politico argumenti quadam cognatione continentur. Ut quum in Politia civitatem suam naturae hominis bene morati eique perfectae et absolutae similem finxit, aut in Timaeo hominis indolem et naturam docuit cum rerum universitate ita convenire, ut plane cernere nobis videamur tanquam macrocosmum aliquem atque microcosmum tanta similitudine inter se cognatum, ut mutua utriusque coniunctio paene in oculorum conspectum veniat. Quid igitur? num forte philosophus simile quiddam etiam in eo sequutus est, quod Eleatam in Politico copiosissimam de variis mundi aetatibus narrationem exponere iussit? num similitudinem quandam ac necessitudinem civitatum humanarum cum totius rerum universitatis gubernatione et fortuna voluit significare in eaque re explicanda fabulae involucro ideo usus est, quia eius cognitio, si qua esse videretur, quasi quadam contineretur animi coniectura ac divinatione? Fatemur libere eam sententiam nobis probari unice. Sed ut appareat quo iure ita sentiamus, age primum exquiramus, quaenam coniunctio huic operis parti cum disputatione de arte gubernandae reipublicae instituta intercedat; ac deinde videamus, quid ex ea re de vera Platonis sententia probabiliter coniicere liceat. Quibus exploratis denique de singulis totius narrationis partibus ita disputabimus, ut simul de eius fontibus, si qua opus sit, admoneamus.

Et connexio quidem fabulae cum ea, quae de civitatis gubernandae arte ac ratione instituitur, disputatione ita intelligetur facillime, si antea exploratum habeatur, unde philosophus humanarum civitatum virtutem atque laudem omnem maxime suspensam esse voluerit. Id vero animadvertere et intelligere haud sane difficile arbitramur. Nam quicunque vel mediocri animi attentione perlustraverint quae antea de variis civitatum generibus earumque administratione duce Platone exposuimus; iis neutiquam poterit dubium aut incertum videri, philosophum in ea fuisse sententia, ut quamque civitatem eo meliorem, praestantiorem ac perfectiorem esse iudicaverit, quo magis in ea vigeat vis rationis atque mentis imperium. Atque hinc profectus duo maxime discrevit rerumpublicarum genera, alterum perfectae illius civitatis, qua nihil me-

lius mente et cogitatione fingi queat, propterea quod in ea absoluta sapientis ratio vigeat ac pro summa et communi lege valeat; alterum earum civitatum, quae ortum suum habeant ab humana imbecillitate, quaeque ita tantum propius ad perfectae illius reipublicae laudem ac praestantiam accedant, si leges publicae et a sapientibus viris scribantur et incidente mutandi necessitate ab iisdem emendentur; a ceteris autem civibus omnibus pro sanctis et inviolabilibus habeantur. Quid igitur? his duobus civitatum generibus nonne manifestum est plane respondere duas illas aetates, quas in totius universi gubernatione et quasi vita conspicuas esse arbitratus est? Enimvero ego si quid video, aetas illa Saturnia, quam describit Eleates, tanquam e regione collocata est optimae civitatis gubernationi, in qua unice perfectae rationis imperium valet; Iovis autem aetas quae dicitur, ea certe non absimilis est iis civitatibus, quae pro ratione scriptis utuntur legibus, quaeque quum omnino a perfectae reipublicae specie et imagine longo intervallo distent, tum inter ipsas multum eo discrepant, quod aliae aliis habentur deteriores. Haec igitur est coniunctio illa atque necessitudo, qua tota haec narratio cum rerum civilium disputatione continetur. Atque hanc tenentes facile, opinor, reperiemus, quidnam tandem illud sit, quod Plato hac sua narratione sibi voluerit. Nam illud quidem iam nemo sibi persuadebit, quod iam antea refellere conati sumus, haec unice subtilioris definitionis reperiendae caussa sic esse narrata: hanc unam enim si philosophus anquisivisset, certe tantis ambagibus haudquaquam fuisset opus. Sed videamus quid rei sit.

Ac primum quidem illud omnibus apparere arbitramur, gubernationi humanarum civitatum omnium tanquam exempli instar e regione collocari regimen universi, unde cognosci et intelligi liceat, unamquamque rempublicam ita tantum beatam perfectamque fore, si per omnes eius partes vis rationis atque auctoritas quasi diffusa sit planeque dominetur, sed tanto existere praviorem atque miseriorem, quo magis a rectae rationis usu desciscat et ad lubidinis et cupiditatis indomitam licentiam abripiatur; huius autem mali eventis ita tantum occurri, si rationis vis et efficientia non plane auferatur sed subinde cupiditati per eam tanquam frena iniiciantur. Quocirca philosophus civitatum rectoribus tanquam exemplum quoddam ob oculos posuit, in quod intuentes, quid in

iis administrandis sequendum esset, admonerentur. Quod quale sit, etsi in Politico non claris verbis enuntiavit, sed legentium coniecturae reliquit, tamen aperte proloquutus est libro IV. Legum p. 713. C sqq. Ibi enim postenquam de Saturni imperio eiusque beatitate iisdem paene verbis, quibus in Politico, explicatum est, Clinias haec addit: „Itaque verissime, inquit, dicitur, civitati, quam non Deus sed hominum aliquis regat, malorum et laborum nullum esse effugium; sed omni studio nos imitari oportere vitam, quam Crono imperante degerint homines, et immortalis in nobis naturae praeceptis obsecutos publice privatimque regere civitatem atque domum, *τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας νόμον.*“ Quae profecta ita sunt comparata, ut Politici loco clarissimam affundant lucem et prope eius illustrandi gratia scripta videantur. Proposuit igitur Plato, ut apparet, civitatum moderatoribus totius rerum naturae exemplum, ut haberent, in quod intuentes illis regendis administrandisque rectam rationem sequerentur.

Nec tamen in eo omnia inesse putamus. Imo ille, si quid iudicare possumus, etiam maius quiddam spectavit. Nam illud ipsum rerum universitatis exemplum ob oculos positum eiusmodi est, ut altioris illius sapientiae vestigia ostendat, cuius caussa philosophus ad fabulosae potissimum narrationis usum sibi confugiendum esse iudicavit. Quippe philosophus sese fabulam narrare simulans etiam totius rerum naturae mysteria quaedam aperit, quae certe eiusmodi sunt, ut mente humana non plane intelligi, sed tantum incerta animi coniectura divinari queant. Etenim disputans de humani ac divini rerum communium gubernatoris discrimine, et quid illi potissimum propositum esse debeat exquirens sapientissime eam interposuit narrationem, unde, priusquam de humanarum civitatum discrimine et vicissitudine disputatur, facile suspicari liceat, etiam in universo dominari hanc legem, ut certis quibusdam temporum orbibus circumactis omnia modo in peius ruant, modo in melius mutentur. Itaque significatur et universi mundi et humanarum civitatum eandem aut similem certe esse fortunam. Qua quidem comparatione efficitur hoc, ut quum in humanarum civitatum moderamine ac statu iudicando universum quasi speculum aliquod propositum cernamus, in quo illarum tanquam repercussam imaginem quandam videre liceat, tum ex humanarum rerum similitudine de omni

rerum universitate eiusque natura et conditione coniecturam capere possimus. Significavit igitur Plato, etiam hoc totius mundi animal, quod alio loco appellavit, natura sua ita esse comparatum, ut modo divinae rationi pareat et obsequatur, modo coeco sui amore captum cupidini indulgeat, eoque ipso accidere, ut exactis certis quibusdam temporum circuitibus rerum omnium status et conditio immutetur.

Sed ne id temere suspicati esse potius quam prudenter ita statuisse videamur, exquisivisse iuvabit, quid Platoni omnino de his rebus visum sit. Nam ubi demonstratum fuerit, hanc sententiam de variis mundi conversionibus earumque caussis revera Platoni fuisse probatam aut certe universae eius doctrinae non adversari, certius etiam exploratum habebimus, veram esse loci interpretationem a nobis propositam.

Et illud quidem extra omnem dubitationem positum est, Platonem certos quosdam temporum orbes et quasi circuitus statuisse, quibus rerum adspectibilium omnium vel origines vel interitus evenirent. Quapropter non modo hanc terram nostram multas olim variasque subiisse mutationes censet, aqua vel igne effectas, sed etiam omnia, quae aliquando orta sint, etiamsi originem habeant divinam, interitui obnoxia esse arbitratur *). Iam vero quum nihil usquam extet, quod non sententia ipsius mutationis ac vicissitudinis necessitati subiectum sit; ecquis est, qui sibi persuadeat eum de tota rerum universitate aliter existimavisse? At enim vero, inquit aliquis, docuit tamen philosophus mundum esse aeternum et indissolubilem; qui igitur fieri potest, ut eundem iudicaverit interitus necessitati subiectum? Audio. Nimirum ista mundi aeternitas certe non prohibet, quo minus varium ac multiplicem subeat statum et conditionem. Quocirca vel sic philosophus potuit existimare, certis quibusdam temporum intervallis rerum ortarum incidere vicissitudinem. Atque id ita esse certissime ex Timaeo intelligitur. Nam ibi loco nobilissimo, ubi de anima mundana disputatur, huic ipsi, quippe ex elemento diviniore atque corporeo compositae, proprium esse dicitur, ut et recta sentire atque intelligere et vero etiam falsa

*) V. De Rep. VIII. p. 546. A. γενομένῳ πα τὶ φθορά ἐστιν. Ibid. B. Tim. p. 22. C. Legg. III. p. 677.

opinari queat *). Quid igitur? nonne inde consequitur, ut etiam universi mundi tanquam vitam variam esse statuendum sit, prouti anima ei indita vel recta et vera cognoscit vel vanis occupata est opinionibus? Nimirum omnis mali principium secundum Platonem in corporum cernitur materia. Quae quum proclivis sit ad motus turbulentos et infinitatis inconstantiam, accidere interdum solet, ut animi, quamvis divinae rationis capaces, tamen ad fraudem et errorem abripiantur ideoque tanquam necessitate quadam coacti rationi non obtemperantes ruant in deteriora. Nemo enim sua sponte malus est: nec tamen idcirco impune licet corporis pravitati ac lubidini indulgere, quoniam propensio ad has perturbationes rationis usu vinci ac perdomari potest. Et hoc quidem sicuti de hominibus ita iudicandum est, ita etiam de toto mundo tanquam animali existimari oportet. Nam huic quum animus inditus sit item ex elemento non intelligibili modo verum etiam sensili compositus; fieri profecto etiam potest, ut divinae ipsum gubernationis capiat oblivio. Gaudet tamen ipse quoque sua libertate, sicuti humanus animus, ut similiter atque hic libere agere queat, quamvis ipse Deus rerum omnium curam gerat. Quamobrem ei etiam motus tribuitur proprius atque suus, sicuti Tim. p. 34. C sqq. factum. Atque ex ea re explicationem habet difficilis ille locus Legum libr. X. p. 896. E sqq., ubi malus mundi animus non est alius, quam quem rerum divinarum invasit incuria ac negligentia; neque cogitandum de duplici animo mundano, bono altero, altero malo, quod nonnullis placuisse videmus **). Et haec quidem si vera sunt, facile apparebit, potuisse Platonem

*) V. Tim. p. 37. A. coll. 44. A. et 51. D.

**) Verum ex parte iam perspexit Tennemann. System. Philos. Plat. T. III. p. 175 sqq., quem nollem accusavisset Boeckhius in Studiis a Daubio et Creuzero editis Vol. III. P. I. p. 25 sq. malum animum mundi nullum omnino esse arbitratus. Scribit enim haec: *Der Intelligenz allein kommt das wahre Sein zu; folglich ist die böse Weltseele gar nichts Wahrhaftiges, sondern ein Nichtiges, wie die ausser der Vernunft gedachte Körperwelt selbst, — und nur die gute ist in Wahrheit, wie die Ideenwelt, und dadurch dass sie der Ideenwelt theilhaftig ist.* At eodem argumento facile probaveris animum hominis malum atque improbum esse omnino nullum: quod certe a Platonis sententia plurimum abhorret.

utique doctrinae suae convenienter ita iudicare, ut mundum certis quibusdam temporum intervallis pravo corporis amore captum et sensili animi parti nimium indulgentem ad deteriora relabi statueret utpote divinae rationis non satis memorem. Atque id ipsum est quod ab eo in Politico fabula nobilissima significari existimamus. Coniunxit enim hic priscas de variis mundi aetatibus narrationes cum suis ipsius opinionibus, atque mundum iudicavit, quamdiu divinae rationi obtemperet, non modo salvum et incolumem, verum etiam beatum permanere; ubi autem a divino quasi desciscat et nativae indulgeat lubidini, tristiora habere tempora, quam ut divinioris vitae beatitas consistere ac permanere queat. Sed his ipsis dum philosophus opinionem suam de caussis depravationis quum in universo tum in rebus humanis subinde ingruentis tanquam per transennam ostendit; simul etiam id consecutus est, ut grandi sane et magnifica narratione suam de humanarum civitatum salute sententiam confirmaverit, qua certissime sibi persuaserat, unamquamque civitatem ita demum bonam perfectamque fore, si tanquam Saturniae aetatis aemula quaedam rectam rationem habeat ducem et magistram; sin autem neglecto rationis imperio coeca quadam lubidine administretur et cupiditatum vim dominari sinat, tum vero perpetuo in peius ruere et ad interitum ferri praecipitem, nisi rursus ad rectae rationis legem atque normam componatur. Quamquam perfectae mundi gubernationis aetatem censendus est voluisse idealem, ideoque perfectae civitatis imagini quodammodo respondentem.

Exquisivimus tandem et invenimus, quid Plato narranda fabula illa in universum quidem spectaverit et quatenus argumentum eius cum reliqua viri doctrina consentiat. Nam etsi de totius mundi conversionibus et commutationibus alibi, quantum nos quidem sciamus, non iteravit quae hic perscripta leguntur, tamen quum ea cum philosophi ratione planissime conveniant, dubitari certe non potest quin plane pro Platonicis probanda sint.

Sed adiicienda hic nonnulla videntur, quae ad ea, quae diximus, melius iudicanda rectiusque aestimanda valeant. Quibus expositis transire licebit ad indagandos fontes, quibus philosophus in componenda hac narratione usus est. Qua quidem disputationis nostrae parte confirmatum iri speramus, quae de totius fabulae argumento et proposito iudicavimus.

Quaesivisse vero iuvabit, num cum Platonis doctrina conveniat, quod Deus dicitur aevo Saturnio quidem mundi tenuisse gubernacula, sed eo fatorum necessitate finito illa tractare desiisse et in speculam discessisse suam, cursum eius fortunamque tanquam e longinquo observaturus. Et Meinersius quidem in *Historia Artium et Litterar. Graec.* T. II. p. 727. atque Socherus *De Scriptis Platon.* p. 275. in ea re offenderunt vehementissime, quorum alter miratur Platonem in eam opinionem unquam devenire potuisse, ut Deum interdum curam suam a rerum universitate amovere statuerit; alter id eiusmodi esse censet, unde Politicum Platonis nomen mentiri non verisimiliter coniicias, sed certo concludas et intelligas *). Quocirca res utique digna est diligentiore examine.

Certum est autem atque exploratum, Platonem statuisse res huius universi pariter atque res hominum omnes ita a Deo curari, ut eius providentia nullo unquam tempore cesset aut desinat. Id quod unumquemque vel ea docere poterunt quae leguntur Legg. X. 900. C sqq. 904. E sqq. Phileb. p. 30. C. Phaedon. p. 62. B., quibus locis ita de divina rerum terrestrium et humanarum procuratione disputatur, ut deos vel potius Deum ostendatur minimarum atque maximarum rerum curam gerere. Quid igitur? num tandem credibile est Deum a Platone ita removeri a mundi gubernatione, ut subinde curam eius omnino nullam habere existimandus sit? Enimvero hoc si ita in Politico factum esset a philosopho, nos quidem fatemur facile Sochero esse assensuros, qui miratus huius sententiae insolentiam et indignitatem protenus totum librum Platoni ereptum ivit. At enim vero nostra quidem sententia tantum abest ut Plato in hoc opere providentiam divinam sustulerit, ut eam perpetuam ac sempiternam esse arbitratus sit. Nam Deus

*) Digna sunt verba Socheri, quae hic adscribantur: „*Nicht nur fast unglaublich ist es, dass der Platon, der das von Gott und Weltregierung schrieb, was wir im Phaedon, in der Politia, im Timaeus, in den Gesetzen lesen, auch das, was im Politicus steht, geschrieben habe. Fast unglaublich, guter alter Meiners, sagst du? Warum ziehst du nicht den allernatürlichsten Schluss daraus: also hat es Platon gar nicht geschrieben? — Das Räsonnement, durch welches der Mythus hier in die Philosophie eingeführt wird, dies ist nicht platonisch.*“

eius iudicio subinde recedit quidem a rerum gubernaculo, sed recedit non ut incuriosus mundi sua utentis libertate spectator, sed ut observator eius diligentissimus, qui eum in maximo versantem interitus periculo praesentissimo auxilio suo tuetur atque salvum et incolumem praestat. Quod quid aliud est nisi indicium perpetuae eius curae longe certissimum? Etenim pie philosophus sibi persuaserat, ad universi huius salutem perpetuam Dei curam nullo unquam tempore non requiri. At vero, inquit aliquis, nonne huic ipsi sententiae gravissime adversatur illud, quod mundum fecit interdum per se euntem ac divina gubernatione plane carentem? Quae dubitatio facillime auferetur, ubi quid philosophus hac imagine significaverit, diligentius indagatum fuerit.

Deseri igitur a Deo dicitur mundus, quum animus ei inditus, immemor divinae institutionis, prae nativa imbecillitate sua a rationis praeceptis atque legibus deflectit, et prorumpens corporis vis eius tanquam imperio potitur. Quod certe non magis impedit ne providentiam divinam saluti eius consulere existimemus, quam quod homines quoque pravis opinionibus aut vitiis indulgentes interdum a Deo deseri iudicantur ideoque miserrimam agere vitam. An quis haerebit in istis Legg. IV. p. 716. A. B. *ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας ἢ χρήμασιν ἐπαιρόμενος ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ φλέγεται τὴν ψυχὴν μεθ' ὕβρεως, ὡς οὔτ' ἄρχοντος οὔτε τινὸς ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ, καταλειφθεὶς δὲ καὶ ἔτι ἄλλους προσλαβὼν σκιρτᾷ ταράττων πάνθ' ἅμα, καὶ πολλοῖς τισὶν ἔδοξεν εἶναί τις, μετὰ δὲ χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτὴν τῇ δίκῃ ἑαυτόν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἄρδην ἀνάστατον ἐποίησεν,* aut offendemur eo, quod alibi, qui sunt boni et honesti, a Deo diligi dicuntur? Nimirum sicuti singulis hominibus ea tributa est sentiendi agendique libertas, ut non modo honesta sequi sed etiam prava appetere possint, ita etiam totum hoc rerum universitatis animal, quia animum habet ex divinioribus et terrenis partibus conflatum, ea utitur libertate, ut quantumvis imperio divino subiectum sit, tamen semet ipsum moveat atque vitam degat humanae vitae certe non absimilem. Apparet igitur, opinor, ex his omnibus certissime, nihil in his inesse, quod a Platonis ratione vel tantillum abhorreat aut cum ea pu-

gnet: imo omnia amicissime consentiunt cum iis, quae philosophus in aliis libris de mundi gubernatione ac divina providentia exposuit.

Atque his expositis sequitur, ut de singulis fabulae partibus dispiciendum sit. Quod quidem ita facere consultum duximus, ut simul de fontibus quaeramus, unde Plato fabulae elementa depromserit. Qua re simul efficiemus hoc, ut quid improprie, quid proprie intelligendum sit, facilius perspiciatur. Videmur autem non iniuria statuere, coniunxisse Platonem vulgares Graecorum fabulas et antiquas narrationes de priscis rerum omnium mutationibus, fortasse ab Aegyptiis acceptas, cum iis de rerum natura opinionibus, quas ipse ex Pythagoreorum hauserat sapientia et tanquam adhibito quodam temperamento cum sua ipsius sententia quam aptissime conciliaverat. Quod ut certius appareat, age potiores certe totius narrationis partes singulatim excutiamus.

Et illud quidem apertum putamus, totius fabulae tanquam involucrum sumtum esse a pervulgata illa de variis mundi aetatibus narratione deque iactura priscae beatitatis, quae olim saeculo aureo, quod vocatur, viguisse credebatur. Quam quidem narrationem quum poetae variis modis exornassent, etiam Plato ita eam tractavit, ut totam suo scribendi consilio attemperaverit. Nam quum verbis cum illis consentiat, tamen re ipsa longe alia tradidit atque omnia scite ad philosophiae dogmata retulit. Narrat igitur utique de Saturni et Iovis imperio *): sed tantum abest, ut mundi gubernationem hisce diis popularibus commiserit, ut cogitaverit de summo Deo, quem ipse credidit huius rerum universitatis esse rectorem atque moderatorem. Qui si quaeris qualis sit, certe non est alius nisi *νοῦς* ille *βασιλεύς*, sive mens divina ac summa ratio, de quo inter alia Phileb. p. 28. C. scribit: *πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοί, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς.* Hunc igitur vulgaribus illis deorum nominibus significavit, idque fecit

*) Quod duas tantum distinxit aetates, Saturni et Iovis, de eo v. Voelker. *Mythologie des Japetischen Geschlechtes* p. 257 sq. coll. Buttmann. in Commentatt. Academ. Scient. Berolin. a. 1814 — 1815. p. 257 sqq. Fr. Schlegel. *Ueber die Hesiodeischen Weltalter* Opp. III. p. 208 sqq. I. H. Voss. ad Virgil. Eclog. IV, 45. VI, 41. qui varias poetarum narrationes uberius sunt persequuti.

profecto arte prorsus admirabili *). Nam quum mundi totius exemplo docere sibi proposuerit, variam esse atque diversam humanarum civitatum fortunam, prouti in iis imperium rationis aut valeat integre aut debilitatum contemtumve sit, prudentissime eam universi aetatem, qua vis cupiditatum ingruit ac mundus, utpote sibimet ipsi permissus, in dies magis a divinis institutis recedit, Iovi attribuit; alteram autem meliorem, qua omnia summae rationi paruerunt, assignavit Saturno. Quocirca alterum rationis per omnia vigentis dominantisque, alterum eiusdem per ingruentem corporeae lubidinis vim et potentiam repressae ac debilitatae imaginem esse voluit; quod quum primo aspectu cum opinionibus Graecorum convenire videatur, qui Iovis aetatem Saturnia multo deteriorem fuisse credebant, tamen re accuratius pensitata longissime ab iis discrepare neminem fugiet. Atque par fere eorum ratio est, quae philosophus de daemonibus Saturni in gubernanda rerum universitate administris narravit. Nam hic quoque quum vulgares de daemonibus opiniones retinere ac tueri videatur, quas quum alibi, tum in Apolog. Socr. p. 27. C sqq. tetigit **), tamen, ubi rem accuratius consideraveris, illas facile largiens sententiae ipsius de divina ratione omnes mundi partes permeante exornandae declarandaeque inservire. Nam genii illi, quos singulis mundi partibus atque animantibus tanquam curatores quosdam praefecit, non sunt, ut Apuleii utar verbis ***), divinae illae mediae potestates inter summum aethera et infimas terras in isto interstitae aeris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad deos commeant, aut inter terricolas coelicolasque vectores hinc precum, inde donorum, atque utrorumque voluntatis interpretes, quos Graeci nomine δαίμονος ap-

*) Plato enim quum dei nomina variis rebus tribuerit, neque deos populares tollere ausus sit, tamen summum aeternumque Deum unicum voluit esse. Qua in re ipsi exemplum inprimis praeivit Socrates, de quo v. Xenoph. Mem. I, 4, 17. IV, 3, 13. Etiam Anthistenes teste Cicer. N. D. I, 3. Minut. Fel. c. 19. Lactant. Inst. I, 1. *Deum naturalem unum, populares multos esse* dixit.

**) De daemonologia Graecorum v. Creuzer. Symb. et Mytholog. III, 4 sqq. p. 511 sqq. et Virum doctum in Zimmermanni Diariis Scholasticis a. 1833. P. II. N. I sqq. inprimisque N. III. p. 20 sqq.

***) De deo Socrat. p. 45 sq.

pellabant; sed potius radii quasi quidam mentis divinae per totam rerum universitatem diffusi atque omnia divinitatis luce collustrantes. Itaque *δαίμονας* philosophus voluit ibi esse, ubi mens vigeret atque ratio divinae originis suae sibi conscia et ad vitam diviniorem tendens atque perducens. Quod quidem neutiquam ab eius mente et sententia abhorrere liquido testatur locus Timaei p. 90. A. *τὸ δὲ δὴ περὶ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε, τοῦτο ὃ δὴ φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἀκρῷ τῷ σώματι, πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ ξυγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν ὡς ὄντας φυτὸν οὐκ ἔγγειον ἀλλ' οὐράνιον, ὀρθότατα λέγοντες.* Ibi enim apertum est *τὸν νοῦν* tanquam daemonem aliquem dici unicuique homini additum esse; quam sententiam constat postea temporis etiam Stoicis placuisse *). Testatur item locus Cratyli p. 397. D sqq., ubi *δαίμονες* dicti iudicantur a *δαῆναι*, *sapientem esse*, quasi *δαήμονες* quidam, quandoquidem, quum alii a virtute ac sapientia defecerint, hi soli permanserint boni ac sapientes. Quae vocabuli originatio etsi lusu quodam ficta videtur, tamen quales daemones populares secundum Platonem existimandi sint, unumquemque edocere potest. Quod igitur philosophus rerum universitatis gubernationem scribit aetate Saturnia inter summum Deum atque daemones fuisse distributam, id etsi cum popularibus opinionibus planissime videtur concordare, tamen magnopere cavendum est, ne ex litterarum scriptione interpretemur. Nam sicuti nominibus Saturni et Iovis longe aliud quid significatur, quam vulgaris loquendi usus ferebat, ita etiam daemones non proprie intelliguntur, sed dicuntur pro mentis divinae tanquam potestatibus, quibus omnia atque singula obtemperaverint. Quocirca nostra quidem sententia Plato hoc indicavit, mundum olim ideo fuisse beatiorem, quia non modo summi Dei imperio paruerit, verum etiam divinae mentis rationisque vis et auctoritas

*) Ab hoc Timaei loco profectus Plotinus Enn. III, 4, 5 sqq. daemonem singulis hominibus comitem additum apud Platonem significare censuit perfectum vitae ac virtutis exemplar, ad quod, qui illud intueantur, perpetuo contendant et enitantur. Quod probatur unice Steinharto Meletem. Plotin. p. 20., nobis improbatur, siquidem Plotinus pro more suo hic quoque cum Platonis doctrina suas opiniones permiscuit.

per omnes eius partes ita viguerit, ut innatae ipsi vis materiae nihil quidquam perturbaverit.

Quemadmodum autem philosophus fabulas illas de aurea et argentea aetate arte prorsus singulari toti narrationi suae tanquam fundamenti loco subiecit; ita etiam potiores illius partes, in quibus novi quiddam intulit et cum vulgari de mundi aetatibus opinione commiscuit, ne illae verisimilitudinis specie ex veteribus traditionibus petita penitùs carerent, similiter illustrandas vel exornandas iudicavit. Nihil autem in tota narratione, si ab aureae et ferreae aetatis commemoratione discesseris, gravius est et in quo magis tanquam in cardine aliquo reliqua omnia versentur, quam quod utrique mundi aetati diversum rerum universitatis motum diversamque animantium generationem, ortum et vitam attribuit, atque universum eius corpus inde ab eo tempore, quo illud, quippe a divina ratione abalienatum, suo impetu agitatum sit, contrario atque antea motu cieri coepisse arbitratus est.

Itaque haec ne mero arbitrio videretur posuisse, ad partes vocavit celeberrimas illas narrationes de sideribus propter sceleris ab Atreo admissi atrocitatem retro relapsis ac de terrigenis, qui pristinis olim temporibus vixisse credebantur. Quas narrationes dum aptissime cum principali fabula contexuit, profecto effecit hoc, ut omnia priscae aetatis fide et auctoritate communiri videantur. Nec vero quam solerter illas ad rem praesentem retulerit, cuiquam obscurum erit. Nam illud quidem, quod sidera propter immanitatem Atrei retro cucurrisse narrabantur, egregie sane convenit cum ea sententia, qua sequutus, sicuti postmodo videbimus, Pythagoreos duplicem mundi motum statuit. Hoc autem aptissimum est ad illustrandum illum rerum statum, in quo homines pariter atque ceterae animantes adeo cum rerum natura divinae mentis et rationis vi repleta coniuncti vixisse dicuntur, ut cum illa unum idemque essent necdum tanquam pars aliqua totius naturae, coeco sui amore capti, sibi unice vivere incepissent. Etenim tunc quidem nondum soluto vinculo illo, quo res terrenae cum divinis continebantur, nec homines suum atque proprium ortum habuerunt, sed vita eorum cum vita totius naturae fuit coniunctissima. Haec igitur satis, opinor, docebunt, quam eleganter philosophus his fabulis ad illustrandas ornandasque principales quasdam sui commenti partes usus sit.

Ceterum ne reliquis omnibus antiquitatis commendatio deesset, prudenter commonuit universe, multas alias superesse priscae aetatis traditiones, quae ex eo, quem descripturus sit, rerum universitatis statu suam explicationem habeant. Qua quidem admonitione effecit, ut ne alia quidem, quae exposuit, antiquorum temporum testimonio carere videantur. Ac fortasse etiam significare aliquo modo voluit se nec in reliquis temere meris fictionibus indulsisse.

Atque haec quidem de mythologiae involucris, quibus usus philosophus eam fabulam concinnavit, quae priscorum temporum fide et auctoritate confirmari videretur. Veniamus ad eorum considerationem, quae ex philosophiae penetralibus sunt repetita, deque eorum caussis et rationibus disquiramus. Facile autem apparet pleraque omnia, quae exponuntur, eiusmodi esse, ut non ad dialecticam, sed ad physicam, sive ad philosophiam naturae, quam hodie vocant, pertinere existimanda sint. In qua doctrinae suae parte Platonem constat maxime Pythagoreos duces sequutum esse, sicuti ex Timaeo clarum est atque perspicuum. Iam vero etsi naturalium rerum notitiam in magno habuit honore, tamen multum fallatur, si quis existimet tanti illam ab eo aestimatam esse, quanti eas philosophiae partes fecit, quae non experientia et usu rerum, sed sola mentis cognitione continentur. Imo tanto intervallo hanc ab illis distare iudicavit, quanto verisimilitudinem ab ipsa veritate, opinionem a scientia nomine suo digna. Certissimum huius rei testimonium in Timaeo habemus. Hic enim Timaeum fecit aperte profitentem, se non veritatis sed potius verisimilitudinis doctrinam traditurum esse. Nam p. 29. A seqq. ille dicit haec: *ὧδε οὖν περί τε εἰκόνος* (*de mundo generato*) *καὶ περὶ τοῦ παραδείγματος αὐτῆς*, (*de exemplari eius intelligibili*) *διοριστέον, ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὥνπερ εἰσὶν ἐξηγηταί, τούτων αὐτῶν καὶ ξυγγενεῖς ὄντας. τοῦ μὲν οὖν μονίμου καὶ βεβαίου καὶ μετὰ νοῦ καταφανοῦς μονίμους καὶ ἀμεταπτώτους καὶ καθ' ὅσον οἷόν τε ἀνελέγκτους προσήκει λόγους εἶναι καὶ ἀκινήτους, τούτου δὲ μηδὲν ἐλλείπειν, τοὺς δὲ τοῦ πρὸς μὲν ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος, ὄντος δὲ εἰκόνος, εἰκότας ἀνὰ λόγον τε ἐκείνων ὄντας· ὅ τί περ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια.* et p. 44. C. *τὰ δὲ πρὸ τούτων, περὶ σωμάτων κατὰ μέρη τῆς γενέσεως καὶ περὶ ψυχῆς, δι' ἃς τε αἰτίας*

καὶ προνοίας γέγονε θεῶν, τοῦ μάλιστα εἰκότος ἀντεχομένοις, οὕτω καὶ κατὰ ταῦτα πορευομένοις διεξιτέον. v. quae diximus Prolegg. ad Tim. p. 35 sqq. *). Quae si tenemus, etiam in iis iudicandis versabimur prudentius, quae hoc Politici loco de iisdem rebus similiter traduntur. Neutiquam enim philosophus putandus est haec omnia pro veris atque certis venditasse; imo ea ut verisimilia tantum, non ut certa, proposuit, eamque ob caussam ea fabulosae narrationis specie obtexit, atque adeo, suis aliorumque philosophorum usus decretis et opinionibus, liberius immutavit atque exornavit. Sed his praemissis videamus de singulis.

Primarium autem placitum, unde reliqua fere omnia suspenduntur, illud putamus, quod mundum voluit anima atque mente praeditum esse, ut propria quadam atque sua vivendi libertate utatur, ideoque sese arbitrio suo moveat. Quod quidem nemo erit quin protenus videat planissime congruere cum iis, quae loco nobilissimo Timaei p. 29. D. de eadem re disputantur. Ibi enim Deus, quippe intelligens nullam rem mente destitutam assequi virtutem eorum, quae mente praedita sint, mentem vero sine anima esse posse nullam, etiam corpori mundano animam cum mente tribuit, eoque modo opus mundi fabricae longe praestantissimum absolvit. Enimvero accepit philosophus hanc de anima mundi opinionem a superioris aetatis philosophis, imprimis Pythagoreis, quorum sententiam tamen nonnihil immutavit et ad suae doctrinae rationem conformavit, sicuti demonstrasse videmur Prolegg. ad Tim. p. 48 sqq. Eadem igitur etiam in Politico usus est ad illustrandum varium mundi statum et conditionem, qualem pro aetatum vicissitudine fuisse vel futurum esse arbitratus est. Sed praeterquam quod mundum instruxit anima atque mente, eidem etiam attribuit hoc, ut divinorum praeceptorum meminisse et rectum

*) Itaque falluntur sane, qui quae Plato in Timaeo de originibus mundi aliisque id genus rebus exposuit, ad merae allegoriae speciem referunt, quod nuper fecit Ed. Zellerus: *Platonische Studien* p. 208 sqq.; sumsit enim philosophus atque posuit propter suas quasdam rationes quae verisimilia essent; sed non minus errare existimandi sunt, qui quae ibi traduntur, ab eo putant pro certis et exploratis posita esse neque reputant caussas, cur ea fabularum involucris potius quam argumentationibus dialecticis ostensa sint.

cursum aliquamdiu tenere possit, usque dum vi innatae cupidinis prorumpente nimio sui amore captus institutionis divinae prorsus immemor fiat et indulgentia sui corporeae materiae vitia alat potius quam coerceat et expellat. Quae etsi prima specie habere videntur quaedam singularia, tamen re diligentius considerata haudquaquam pugnare existimanda sunt cum iis, quae de mundi anima et natura in aliis Platonis libris docentur. Nam etiam in Timaeo p. 37. A sqq. animae mundi h. e. ipsi mundo tanquam animali cuidam, hoc proprium esse dicitur, ut ita tantum rectas opiniones vel etiam rationem et scientiam suscipiat, si partes animae omnes libere moveantur neque ullo modo perturbentur. Quid igitur, si contra eveniat? Enimvero a Deo quidem mundus bona omnia accepit. Sed quum universum ex materia esset componendum, necessitatis vis effecit, ut ipsi naturae corporeae labes atque infirmitas adhaereret, in quo secundum Platonem malorum fons est longe uberrimus. Hinc igitur fit, ut sicuti homo, ita etiam mundus possit a rationis legibus aberrare ac discedere: nam materiae vires perpetuo reluctantur huius imperio; sed eaedem illae *μονωθεῖσαι φρονήσεως τὸ τυχὸν ἄτακτον ἑκάστοτε ἐξεργάζονται.* Ita igitur haec quoque satis perspicua sunt, facileque apparet, ex quibus ea ducta sint fontibus. Nam omnia referunt maximam cum iis similitudinem, quae exposita in Timaeo leguntur. Iam vero nec ea, quae de duplici mundi motu traduntur, obscura videntur esse. Fieri quidem potest, ut philosophus in hac sententia exponenda vulgarem traditionem sacerdotum Aegyptiorum ob oculos habuerit. Narrat enim Herodotus libr. II. c. 142. p. 178. ed. Wesseling. ab istis de priscis mundi temporibus non pauca similia posteritatis memoriae tradita fuisse. Inter alia ille etiam haec scribit: Quocirca intra undecies mille trecentos et quadraginta annos narrabant deum nullum forma ac specie humana extitisse: intra illud vero temporis spatium dicebant solem quater extra solitam sedem suam ortum esse, et ubi nunc occidit, ibi bis occidisse? Haec igitur atque alia similia fieri sane potest, ut Plato in hac sua narratione respexerit *). At enim vero ut id sic se habeat, tamen haec quoque

*) V. Plessingii Memnon. Cap. II. P. III. Sect. 2. et Part. IV. Sect. 3. §. 2. p. 293 sqq.

planissime ipsius cum ratione conveniunt, qualem ad Pythagoreorum exemplum in Timaeo exposuit. Nam in Timaeo p. 35. A sqq. ex eo, quod animae mundanae duplex tribuitur elementum, alterum corporibus simile, *τὸ θάτερον*, alterum *τὸ ταὐτόν*, quod divinitati est cognatum, etiam duplex coeli motus declaratur, siquidem orbi fixarum stellarum sive coelo extimo tanquam diviniori *ἡ φορὰ τῆς τοῦ ταὐτοῦ φύσεως* tribuitur, hoc est, motus sempiternus, aequabilis, constans, qui orientem versus cietur; planetis autem atque soli assignatur *ἡ φορὰ τῆς θατέρου φύσεως*, quae alteri illi contraria est atque minoris perfectionis virtutisque argumentum. Quae et ipsa partim ex Pythagoreorum doctrina repetita esse non iniuria nobis videmur statuisse in iis, quae huius loci illustrandi gratia scripsimus in commentariis nostris p. 147 sqq. Quid igitur? nonne quae ibi de duplici siderum et planetarum cursu traduntur, plane hic traducta sunt ad duplicem mundi aetatem, ita quidem, ut quae coelo extimo attribuitur conversio, ea Saturnio aevo tanquam divino adscribatur, quae autem reliquis corporibus mundanis illic propria dicitur esse, ea ferreae aetati vindicetur? Enimvero magnopere fallor, aut observatio illa discriminis inter motum coeli extimi et reliquorum siderum cursum huic commento tanquam ansam praebuisse existimanda est.

Pergimus ad considerandas caussas, cur beata illa tempora, quibus omnia divino imperio paruerunt, aliquando cessavisse dicantur. Repetuntur vero illae a fati quadam necessitate, qua ita destinatum fuerit, ut omnia certo quodam temporum orbe exacto in deteriorem statum laberentur. Qua de re lectu digna sunt quae hospes Eleaticus p. 272. D. E. disputat: *ἐπειδὴ γὰρ πάντων τούτων χρόνος ἐτελεώθη καὶ μεταβολὴν ἔδει γίγνεσθαι καὶ δὴ καὶ τὸ γήϊνον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος, πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας, ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσταχθέντα, τοσαῦτα εἰς γῆν σπέρματα πεσούσης, τότε δὴ τοῦ παντὸς ὁ μὲν κυβερνήτης — εἰς τὴν αὑτοῦ περιωπὴν ἀπέστη, τὸν δὲ δὴ κόσμον πάλιν ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη τε καὶ ξύμφυτος ἐπιθυμία;* ubi illud *ἔδει* nihil aliud est quam: *erat in fatis.* Sed qua tandem re illam fatorum necessitatem adductam esse putabimus? Nimirum, ego si quid video, hic quoque philosophus significat, propter terrenae materiae concretionem factum esse, ut aliquando omnia in peius verterent,

id autem inexplicabili quadam ratione ita evenisse. Etenim ὃν οὐρανὸν καὶ κόσμον ἐπωνομάκαμεν, πολλῶν μὲν καὶ μακαρίων παρὰ τοῦ γεννήσαντος μετείληφεν, ἀτὰρ οὖν δὴ κεκοινώνηκέ γε καὶ σώματος· ὅθεν αὐτῷ μεταβολῆς ἀμοίρῳ γίγνεσθαι διὰ παντὸς ἀδύνατον, ut ait Eleates p. 269. E. Itaque corporeae materiae vi aliquando ingruente, quum omnia a divina ratione averterentur, factum esse censet, ut alia temporum periodus initium caperet. Tunc igitur etiam omne genus terrenum consumtum erat: hoc est, non amplius nascebantur homines a sui amore alieni et cum divino rerum universitatis ordine tanquam natura sua concreti, quandoquidem unaquaeque anima omnes persolverat generationes tanquam debitum aliquod, ut iam tandem necesse esset, alios nasci homines, alia generari animalia *). Quocirca nati sunt mox qui suarum rerum studiis unice dediti essent, suas cupiditates explerent, denique suas sibi res haberent, evanuitque prorsus beata illa aetas, qua omnia tanquam communi divinitatis vinculo continebantur. Nolumus quaerere quo iure Plato ita de caussis mutatorum temporum statuerit; illud autem pro instituti nostri ratione videndum est, num haec cum iis concordent, quae alibi de similibus rebus disseruit. Atque hoc iure quodam nostro affirmare nobis videmur. Nam quae in libris Reipublicae de caussis interitus optimae civitatis et in Phaedro de animorum lapsu exponuntur, ea profecto his adeo sunt similia, ut facile appareat, eundem hominem, qui ista scripserit, etiam quae in Politico leguntur, scribere potuisse. Videamus igitur, quid sit, quod de optimae civitatis ruina docetur. Pertinet huc notissimus ille locus Reipubl. libri VIII. p. 546. A sqq. Ibi igitur fatali quadam lege aliquando ita eventurum docetur, ut exacto certo quodam numero annorum peior parentibus progenies oriatur atque civitatis principes in iuvenibus et puellis ad procreandam sobolem deligendis delinquant. Quocirca Musae introducuntur sic vaticinantes: οὐ μόνον φυτοῖς ἐγγείοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπιγείοις ζώοις φορὰ καὶ ἀφορία ψυχῆς τε καὶ σωμάτων γίγνονται, ὅταν περι-

*) Sic enim locus ille p. 272. E. intelligendus est. Conf. Phaedr. p. 247. C. — 250. B. Tim. p. 43. A., ex quibus locis sententia Platonis suam lucem accipit. De verbis eorumque constructione hic dicere non attinet.

τροπαὶ ἑκάστοις κύκλων περιφοραὶς ξυνάπτωσι, βραχυβίοις μὲν βραχυπόρους, ἐναντίοις δὲ ἐναντίας. γένους δὲ ὑμετέρου εὐγονίας τε καὶ ἀφορίας, καίπερ ὄντες σοφοί, οὓς ἡγεμόνας πόλεως ἐπαιδεύσασθε, οὐδὲν μᾶλλον λογισμῷ μετ' αἰσθήσεως τεύξονται, ἀλλὰ πάρεισιν αὐτοὺς καὶ γεννήσουσι παῖδας ποτε, οὐ δέον. Quid igitur? nonne ibi optimae civitatis cives pariter dicuntur vitiosa natura degeneravisse, atque id factum in Politico est, ubi aureae aetatis homines iudicantur ideo esse desiisse, quia tota rerum natura ad vitiositatem vel potius ad deteriorem statum et condicionem inclinaverit? Haec igitur adeo inter sese consentiunt, ut nihil magis possit. Non minus vero huc pertinent quae in Phaedro de animis e coelesti vita lapsis disseruntur. Nam quod animi hominum p. 247. C sqq. dicuntur, quum omnes a Deo boni et perfecti essent creati, tamen propter naturae quandam labem et infirmitatem a rerum divinarum contemplatione extitisse alieniores ideoque e beatorum deorum atque daemonum choro in terram detrusi et mortali hoc corpore tanquam carcere inclusi esse; id profecto non aliis nititur caussis atque rationibus, quam quibus firmatur illud, quod in Politico docetur, aureae aetatis finem et exitum ipsius naturae ad corporis vitiositatem proclivioris necessitate esse adductum. Quocirca hic quoque omnia videmus ita esse comparata, ut cum Platonis de talibus rebus opinionibus in aliis operibus explicatis non modo non pugnent sed pulcerrime consentiant.

Sequitur, ut ad utriusque aetatis descriptionem examinandam accedendum sit. Et hanc quidem dubium non est quin philosophus quam solertissime ad similitudinem eorum composuerit, quae a poëtis inprimisque ab Hesiodo erant tradita et exposita. Verum quantumvis omnia coloris poëtici referant speciem, tamen re accuratius considerata videbuntur ad ipsius sententiam illustrandam esse accommodatissima. Distinguit Plato, ut antea vidimus, duas mundi aetates. Harum alteram voluit esse divinam, quippe qua omnia perfectissime obedierint voluntati divinae, nec quidquam ab ea ita abhorruerit, ut per se solum esset aut ab universi natura, plena illa tunc divino numine, seiunctum ac separatum. Quocirca tunc omnia uno divinitatis vinculo quam arctissime continebantur, necdum terrestria a divinis erant divulsa aut abalienata, quippe vi corporis nondum grassante petulantius sed rationis imperio perpetuo subiecta. Itaque

nec inter homines tunc ullus erat amor sui, quo a rerum natura divinoque imperio aversi sibi solis viverent, suis rebus studerent, suis denique cupiditatibus fovendis alendisque ad pravitatem deducerentur. Summa autem regnabat vitae felicitas, quum nullae cupiditates ac lubidines ex corporum necessitatibus oriundae beatum illum vitae humanae ac divinae concentum turbarent. Unde nec civitatibus fuit opus. Hanc igitur aetatem philosophus descripsit iis usus imaginibus, quas magnam certe partem iam a poëtis adhibitas videret. Huc pertinent quae de regno Saturni ceterorumque deorum eius imperio subiectorum narrantur; huc spectant item, quae de felicitate illius aetatis explicata legimus, qua ita factum esse dicitur, ut ipsa natura, quippe voluntati divinae morigera, ultro ac sua sponte praebuerit quae ad vitam sustentandam ornandamque necessaria essent; huc denique referuntur, quae de mutua animantium generatione tunc quidem nondum usitata disseruntur; nam quum omnia cum universa rerum natura copulata essent arctissime nihilque reperiretur, quod ab ea seiunctum separatumque sibi soli viveret aut sibi uni indulgeret, consequens sane fuit, ut nec genera animalium per se vigerent et ab natura rerum communi segregata, sed ex divinarum corporearumque rerum consensione vi divina sese exserente sponte orirentur. Atque haec quidem omnia iam nemini obscurum erit quomodo intelligenda sint et quam eleganti solertia ad ea significanda adhibeantur, quae philosophus de priscae illius aetatis conditione sensit. Ab hac autem periodo distinguitur ac seiungitur altera, qua fatali quadam necessitate dicitur ita factum esse, ut novus rerum omnium ordo oriretur. Quae qualis depingatur, ex superioribus perspicuum esse debet. Nam discidium quasi quoddam naturae tunc factum esse iudicatur, siquidem vis materiae invalescere ac se in libertatem quasi quandam imperio divino immunem atque vacuam vindicare occoepit. Etenim summus Deus, ut est in fabula, a mundi gubernaculis recesserat; discesserant item dii inferiores a suis quisque stationibus; denique mundus suo ferebatur impulsu atque impetu, sed ferebatur sic, ut materiae vi ingravescente statim ab initio contrario atque antea motu agitaretur et in dies magis institutionis rationisque divinae immemor existeret. Nam anima mundo indita Deo ipso absente non tantum valebat, ut feras et exsultantes materiae vires in omne tempus per-

domaret, quandoquidem ipsa quoque, quia est dividua, corporum naturae cognata est. Iam vero facto rerum divinarum atque corporearum divortio inter animantes etiam ingruit ista quasi abalienatio a rerum naturae divinitate repletae communione. Nam unumquodque genus animantium per se seorsum vigere coepit; sua potius cupiditate quam totius naturae studio et amore communi impelli maluit; ad suum arbitrium constituit agere; denique suae indulsit lubidini, ut vis rationis pedetentim magis evanesceret. Quocirca etiam homines tunc non communem habuerunt parentem naturam, sed ex se mutuo generati sunt. Et quum olim summa securitate et tranquillitate usi essent regni Saturnii cives, tunc ita evenit, ut singulari deorum procuratione destituti multos labores et calamitates experirentur. Quae omnia quum facile iam perspiciatur qua ratione intelligenda sint, copiosiore eorum interpretatione haudquaquam opus esse existimamus. Sed illud non supervacaneum erit observasse, quaenam initia et primordia civitatum fuisse philosophus arbitretur. Retulit igitur ea ad hominum indigentiam vitaeque communis utilitatem. Quocirca aureo quidem saeculo censet civitates extitisse nullas, quia homines nulla inopia laboraverint; nam ubi Deus exercet imperium, ibi una regnat perfecta aeternaque ratio, quae sola est felicis vitae caussa ac tutela; sed condi coeptas eas iudicat ex quo homines fatali quadam naturae lege, divina custodia destituti, suo more suoque arbitrio vivere coeperint. Tum vero, inquit Eleates, multa mala in eos irruerunt. Nam premebantur artium omnium inopia, propterea quod finita vita priori, qua iis omnia ultro suppeditabantur, res ad vitam sustentandam necessarias sibi comparare nondum didicerant. Laborabant praeterea discordia, rixis, contentionibus. Infestabantur denique a feris, a quarum impetu se defendere aegre poterant. Itaque dii eorum miseriti istam indigentiam et inopiam levare et avertere decreverunt. Nam ignem iis attulit Prometheus, artes dederunt Vulcanus et Minerva, semina atque plantas alii largiti sunt. Hinc igitur inventa sunt denique quae ad vitam instruendam ornandamque valerent: nam deerat hominibus benigna deorum procuratio ideoque ipsos oportebat vitam moderari ac tutari suam eiusque necessitatibus prospicere, quemadmodum idem etiam universus mundus facere tunc coactus fuit; cuius imitantes exemplum in aeternum modo hac modo

illa ratione vivimus, atque nascimur *). Haec igitur Eleates de vita hominum, quae altera mundi periodo extiterit. Quae dici non potest quantopere conveniant cum iis, quae Protagoras in dialogo cognomini p. 320. C. — 322. D. de originibus civitatum disputat. Nam ibi homines item ab initio dicuntur fuisse nudi, inermes, denique eorum omnium expertes, quae ad vitam degendam necessaria sunt, usque dum denique per Prometheum Vulcani et Minervae artem acceperint atque a Mercurio, Iovis nuntio, ius et pudorem adepti sint, ut essent civitatum vincula et ornamenta. Itaque utroque loco philosophus poëticas narrationes, in quibus philosophiae quasi semina quaedam abscondita laterent, ad suam ipsius rationem prodendam exornandamque sapienter adhibuit. Ipse enim sibi persuaserat penitus, civitatum initia non aliunde nisi ab hominum indigentia atque necessitate repetenda esse **); id quod etiam in Politia libr. II. p. 369. B., ubi Socrates optimam civitatem condere instituit, his verbis professus est: *γίγνεται τοίνυν πόλις ὡς ἐγῷμαι, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής· ἢ τίν' οἴει ἀρχὴν ἄλλην πόλιν οἰκίζειν;* professus etiam est Leg. III. p. 678. Quamobrem haec quoque quam solerti artificio sint enarrata, neminem fore putamus quin protenus perspiciat. Superest una narrationis pars, de qua aliquid monendum videatur.

Dicuntur enim initio cuiusque aetatis, ubi corpus mundanum in contrariam atque antea partem agitari coeperit, maximae rerum omnium mutationes evenisse: quae quales sint, antea in totius sermonis enarratione ostendimus. Quarum descriptio dubitari sane potest quomodo intelligenda sit. Non omnia tamen hic premenda esse, ut ex singulis aliquam sententiam eruas, sed pleraque omnia lusui ingenii deberi atque toti fabulae convenienter exornata esse, vix ambigere licebit ***). Redeunt autem

---

*) V. p. 274. B — E.

**) V. Heusdii Initia Philos. Plat. Vol. III. p. 55. et 135 sq. Platoni adversatur Aristoteles Reipubl. III, 9.; qui non tam necessitatis quam boni et honesti caussa societatem civilem fundatam esse censet. De aliorum sententia dixit Ang. Maius ad Cicer. De Rep. I. c. 35. p. 70. ed. Tubing.

***) Pertinent huc illa p. 270. D. E. quo loco perquam lepide rerum conversiones describuntur ex contrariis universi motibus oriundae. Nam ubi agitationis contrariae tempus adve-

omnia denique eo, ut in rerum natura ostendatur tum maximas incidere rerum conversiones, quum ipsius mundi rationes commutentur. Putarunt tamen sancti quidam patres ecclesiae, inter quos sunt Eusebius Praeparat. Evang. c. 18. et 33. p. 561. ed. Viger., et Augustinus De Civitate Dei X. c. 18. Platonem eo loco, ubi Saturnia aetate denuo exoriente omnia dicit alia fieri atque homines rursus ex terra prodire, de rerum omnium restitutione atque resurrectione mortuorum cogitavisse in eaque sententia exponenda clam usum esse sapientia Hebraeorum *). Et fatetur utique hospes Eleaticus aliunde se haec didicisse. Sed neutiquam ille Hebraeos significat, sed potius eos maiorum, qui primi post antegressam aetatem nati fuerint **). Nec profecto quemquam fugiet inter Platonis de his rebus sententiam atque

---

nit, ibi dicitur primum cuiusque aetas consistere nec procedere ulterius; deinde etiam reverti ad iuventutem et infantiam, usque dum evanescat. Quocirca cani senum capilli, ut ait Eleates, rursus nigrescunt; barbae lanugo in genis eorum, qui iam adoleverunt, rursus evanescit, ut ipsi repente imberbes evadant et ad pristinum florem aetatis reducantur; adultorum corpora porro paullatim decrescunt redeuntque in naturam infantium; marcescentia corpora et languentia brevi absumuntur; occisorum cadavera paucis diebus extinguuntur.“ Haec igitur atque alia id genus quis est quin videat rerum naturae quidem convenienter, at tamen lepide et facete ficta esse? Quocirca operam perdiderit, si quis haec omnia ad vivum resecare voluerit ideoque quaerendum existimet, cur capillorum potissimum aut barbae mentio sit iniecta.

*) Eusebius quidem certe c. 18. Hebraeorum sapientes dicit ipsum occupavisse, *αὐτὸν εἶναι προειληφότας*, scilicet probaturus, Graecum philosophum ab illis aliquid discere potuisse. Sed longius processit Augustinus. Nimirum fuit omnino hic mos patrum ecclesiasticorum, ut similitudinem philosophiae Platonicae cum doctrina religionis Christiana, quae videbatur, exinde peteretur, quod Plato in itinere in Aegyptum suscepto vel libros sacros Iudaeorum cognovisset, vel cum doctis Iudaeis esset conversatus. Quam sententiam etiam Iosepho, Aristobulo et Numenio fuisse probatam docebunt quae his de rebus disseruit Ackermannus in libro: ***Das Christliche im Plato*** p. 4 sq.

**) Nam p. 271. A. *ἀπεμνημονεύετο δὲ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων προγόνων τῶν πρώτων οἳ τελευτώσῃ μὲν τῇ προτέρᾳ περιφορᾷ τὸν ἐξῆς χρόνον ἐγειτόνουν, τῆς δὲ κατ' ἀρχᾶς ἐφύοντο.* Omnino temere veteres sumunt, quod nullo argumento idoneo probaveris, Platonem, Aristotelem, aliosque doctrinam suam ab Iudaeis accepisse aut ex libris sacris hausisse.

ea, quae a sacris scriptoribus de iisdem traduntur, plurimum discriminis intercedere. Etenim philosophus ista adumbravit potius ad similitudinem eorum, quae de ortu terrigenarum in fabulis narrabantur: quod autem quandam quasi rerum palingenesiam statuit, ad eam sententiam per ipsius fabulae argumentum et rationem deductus videtur. Quanquam fieri potest, ut hic quoque superiorum philosophorum opiniones quasdam ad rem suam traduxerit.

Atque haec quidem de loci gravissimi atque difficillimi sententia exposuisse sufficiet. Videmur enim iam planum fecisse, quorsum et universa narratio pertineat et singulae eius partes referendae sint: neque amplius dubitabitur, opinor, de via et ratione, qua philosophus in tota fabula componenda et exornanda versatus sit.

Sequitur, ut quae de singulis Platonici operis partibus hactenus exposuimus, ea nunc tandem in unum colligamus eoque modo demonstremus, quidnam sit summum illud atque ultimum, quod universo operi propositum esse iudicari oporteat. Quod enim in poetis scenicis merito expectamus, ut fabulae eorum, etiamsi ex variis et multiplicibus partibus sint compositae, tamen in se consentiant et unum quasi corpus efficiant, propterea quod mentis nostrae ea est indoles ac natura, ut quaecunque de quapiam re sentiuntur atque cogitantur, ea, si quidem absolutionis numerum habitura sint, denique in unum coire cupiamus; idem prorsus etiam in dialogis Platonis requiritur, quippe qui iure suo pro perfectissimis artis operibus et olim habita sunt et nunc quoque haberi solent. Quid igitur? quamnam tandem formam ac speciem universi operis dicemus esse, quae menti scriptoris obversata sit et ad quam singula atque cuncta retulerit? et quamnam censebimus esse singularum partium convenientiam, ut ista forma ac species eius perfecte exprimatur et tanquam imago quaedam mentis quasi oculis proposita cernatur? Explorabimus, opinor, hoc optime sic, si quaenam sit omnium cogitatorum tanquam summa, ad cuius explicationem et illustrationem omnia ac singula referantur, paucis exquisiverimus.

Perspicuum est autem ex superioribus, tres potissimum totius libri partes principales discerni oportere, quarum una maxime in dialecticis versatur, altera narrationem continet de mundi gubernatione pro varietate aetatum varia ac diversa, tertia denique in informando

perfecto civitatis rectore ac depingendis vanis eius imitatoribus occupata est. Quae quidem partes qua ratione coagmentatae sint et quo vinculo inter se contineantur, ut omnia sibi constent et ad unum eundemque finem tendere videantur, id sic putamus tutissime exploratum iri, si primum de eo loco viderimus, qui sine controversia omnium gravissimus censendus est. Is vero quinam sit, neminem profecto fugiet, qui omnem disputationis rationem progressionemque accuratius lustraverit ac secum perpenderit. Etenim hac re diligentius deliberata protenus apparebit, summam operis maxime in rerum civilium expositione ac diiudicatione cerni, ac ne ea quidem, quae ad dialectica pertinent quaeque de variis mundi aetatibus narrantur, si summam rei spectes, aliorsum referri nisi ad quaestionem de vera et adulterata arte civili variisque eius vel simulatoribus vel possessoribus agitatam. Ex quo consequens est, ut scriptoris consilium in iis potissimum cerni existimandum sit, quae disputantur de rebus civilibus.

Haec omnia autem quorsum denique pertineant, post eam, quam in superioribus dedimus, singularum rerum explicationem videmur verbis paucissimis declarare posse. Depinxit enim Plato formam ac speciem perfecti civitatum rectoris ac gubernatoris, quem eundem voluit esse philosophum. Cuius quidem imago quo redderetur illustrior, habita temporum suorum ratione, opposuit ei et veluti e regione collocavit quotidianos istos rerum publicarum administratores, qui vulgi opinione scientiae civilis laude ac virtute plurimum excellere existimabantur. Quocirca unum sapientem censet verum esse regem, verum principem, verum virum civilem, civitatemque eam, in qua talis vir reipublicae gubernacula teneat, longe optimam atque perfectissimam, quippe quae mentem atque rationem legibus omnibus potiorem habeat rerum suarum magistram et gubernatricem; illos autem qui vulgo artis civilis laude celebrabantur, nihil aliud esse vult nisi perfecti illius principis vanos quosdam imitatores eosque ab illius laude atque virtute tanto maiore intervallo remotos, quo magis in iis civitatibus, quibus praefecti sint, neglectis rationis praeceptis, vis lubidinis et prava cupiditatum studia gliscere coeperint. Hoc igitur illud esse putamus, quod Plato in hoc opere ostendere potissimum ac demonstrare sibi proposuerit, nec ullo pacto iis assentimur, qui id maxime spectari iudicarunt, ut aut

dialecticae artis quaedam exhiberetur institutio aut illi castigarentur ac reprehenderentur, qui vulgo in tractanda republica versabantur. Atque illam ipsam sententiam, quam diximus, quum philosophus praeclaro artificio summaque elegantia illustraverit, nostro quidem iudicio simul hoc consecutus est, ut redarguerentur voces eorum, qui philosophos, a republica alienos, vel maligne carperent et reprehenderent vel etiam prae aliis fastuose contemnerent ac despicerent. Quod quam conveniens iis fuerit temporibus, quibus librum litteris consignatum atque editum esse verisimile est, antea videmur satis demonstravisse. Haec igitur principalis est operis sententia, in cuius illustratione atque expositione reliqua omnia tanquam in cardine aliquo versantur. Cum hac ipsa igitur etiam conveniant necesse est, quae praeterea in hoc sermone disputantur. Nam alioquin profecto de eius maxima virtute actum fuerit. Et conveniunt sane prorsus egregie.

Cohaerent enim primum cum civilium rerum disputatione arctissime quae de varia mundi gubernatione et fortuna narrantur. Quae etsi prima specie aliorsum videntur pertinere, tamen sapientissime cum primario disputationis argumento nexa et coniugata sunt. Nam quo clarius appareat certiusque intelligatur, quantum ad civitatum salutem atque felicitatem referat, ut in iis regendis administrandisque mens et ratio valeat, quae omnia ad eius, quod optimum sit, normam et regulam exacta moderetur, illarum regimini atque fortunae tanquam e regione collocatur totius mundi exemplum, quippe in quo eadem naturae lex dominetur, quam in rebus publicis observare liceat. Itaque optima illa civitas, in qua unus sapiens imperium exercet, cum aevo mundi Saturnio comparatur, quo ob id ipsum, quod ratio divina per omnia viguerit, summa regnaverit beatitas; reliquae autem civitates, quae ex humanae naturae imbecillitate dicuntur duxisse originem, componuntur cum ea aetate, qua per totam rerum universitatem, ingruente vi materiae, cupiditatum impotentia et coecus amor sui a divinarum rerum communione aversus invaluerit et quum ubique tum etiam inter homines grassari coeperit. Quae si evidentius etiam explanandum sit quomodo cum primario operis argumento connexa sint, mentem et sententiam philosophi sic fere declaravisse iuvabit. Perfectus germanusque rerum publicarum gubernator unus est verus sapiens,

isque in ea una reperietur civitate, in qua exculta atque perfecta sapientis ratio pro una atque summa lege valeat, sicuti divini rerum universitatis imperii praestantiam et virtutem credere fas est ea tantum mundi aetate eluxisse, qua cuncta divinae rationis imperio paruerint: qui autem in iis civitatibus publicis funguntur muneribus, in quibus nunc fere vivitur, ii, quoniam non ratione pro norma et regula agendi utuntur, sed ex legibus, illa multo inferioribus, et nunc sapientius nunc imprudentius scriptis, suam potestatem exercent aut illis adeo contemtis mero arbitrio dominantur, fieri non potest ut veram rectamque artem civilem tenere existimandi sint; imo etiam civitates ipsae, quarum illi res administrant, tanto sunt deteriores atque miseriores, quo magis, gliscentibus partium studiis atque cupiditatibus, rationis iussa negliguntur atque contemnuntur; prorsus ut divinare licet etiam tota rerum universitate inde ab eo tempore factum esse, quo, rupto communi divini imperii vinculo, corporum vi ac potentia sese iactante petulantius, omnia atque singula tanquam sui iuris fieri concupiverint ideoque non amplius vitae divinae praesidiis munita in dies magis corporeae materiae lubidini indulserint. Ita igitur si haec inter se copulaveris, facile opinor senties, quam arcte omnia inter ipsa cohaereant, ut prorsus ad unam se rationem referre existimanda sint. Verum singulari artificio philosophus sic instituit, ut interposita illa narratione simul aliud quid significaverit, quod et ipsum ad rem praesentem gravissimum censeri debet. Nam sicuti humanis civitatibus totius rerum universitatis exemplum proposuit, unde quid de sapienti illarum gubernatione statuendum sit cognoscatur; ita vicissim illarum cum rerum natura comparatione obscure videtur indicavisse, quid liceat divinare de temporum quasi orbibus illis et circuitibus, quibus antiquitatis testimonio et prudentissimorum hominum iudicio res divinae pariter atque humanae magnas subinde conversiones ac vicissitudines experiantur. Etenim vitam humanam Plato censuit tanquam repercussam quandam imaginem esse communis illius vitae, qua tota rerum natura veget, ideoque ab illius rationibus de hac ipsa coniecturam capi posse certo sibi persuasit. Quae quidem sententia sicuti per se granditate atque sublimitate valde insignis est, ita etiam universae disputationi in hoc libro institutae eam affert gravitatis atque dignitatis commendationem, ut hinc de-

mum sentire plane atque intelligere incipiamus, quaestionem agitari de re non ad humanam tantum vitam sed etiam ad omnem rerum universitatem longe maxima. Quod quis est quin videat cum iis, quae de rebus ad rempublicam pertinentibus disseruntur, ita convenire, ut iis non modo non adversetur verum etiam plurimum luminis afferre existimandum sit?

Et hactenus quidem vidimus, earum certe libri partium, quae in consideranda divina et humana arte gubernatoria versantur, tantam esse necessitudinem et coniunctionem, ut altera cum altera aptissimo unitatis vinculo contineatur, utraque autem ad absolvendam consummandamque universae disputationis tractationem prorsus necessaria sit. Sequitur ut de tertia operis parte quaerendum sit, quam antea ostendimus praecipue pertinere ad dialectica. In qua recte aestimanda iudicandaque illud inprimis tenendum est, de quo identidem in superioribus monuimus, id agi in Politico, ut philosophus in ipsius vitae actione tanquam reipublicae gubernator constitutus informetur. Verus autem germanusque philosophus secundum Platonem idem est dialecticus, quippe quum dialecticae demum usu fieri queat, ut ad veri, boni, honesti vim naturamque cognoscendam perveniatur *). Quam sententiam ei tum quoque fuisse probatam, quum Politicum litteris consignavit, clarissime intelligitur ex eo, quod eam et in Sophista p. 253. C sqq. eleganter explicuit et in Parmenide ipsius disputatoris exemplo illustravit clarissime. Itaque eundem illum disputatorem, quem de philosopho perfecta rerum civilium scientia ornato disserentem fecit, prudenter talem instituit, qui dialecticam facultatem non mediocrem adeptus utique philosophi nomine dignus videatur: est enim idem etiam moderatus, veri amantissimus, eiusque exquirendi adeo studiosus, nihil ut intentatum relinquat, quo ad eius rei, de qua quaeritur, perspicientiam perveniatur. Quod quam accommodate ad primarium operis argumentum ita fictum sit, nemo erit quin ipse pro se facile animadvertat. Nam ita is, qui disputans inducitur, suo ipsius exemplo quodammodo indicat, qualem esse deceat

*) V. de Republ. V. p. 480. VI. p. 511. VII. p. 534. B. C. conf. Phaedr. p. 265. D. 266. C. 270. DE. 273. E. Phileb. p. 15. D. 16. E. 17. A.

philosophum, qui sophistae eodem modo oppositus sit, quo verus ille perfectusque rerum publicarum rector et gubernator a vulgaribus civitatum procuratoribus differat. Apparet enim non alium esse nisi eum, qui veri reperiendi studio incensus etiam dialecticam facultatem sibi acquirere studeat, ideoque ad id, quod revera est, reperiendum ac diiudicandum omni studio feratur. Quocirca in Politico dum philosophus ut perfectus civitatis gubernator instituitur, qui ab iis longissime diversus sit, qui in veris rebuspublicis communia curent negotia et publica munera obeant, ipso disputandi genere significatur, quatenus idem, siquidem disserendi subtilitate uti velit, qua sophistae superbire soleant, sophistae plane contrarius videri debeat. Quanquam philosophus tanquam dialecticus plene atque perfecte in Parmenide demum describitur. Iam vero talem disputatorem quod Plato nunc non Socratem suum, sed sapientem aliquem Eleaticum fecit, eius rei caussae plures possunt afferri. Primum enim reputandum est, hunc dialogum arctissima necessitudine cum Sophista et Parmenide contineri, in quibus libris cur disputatio ab Eleaticis instituatur, alio loco explicavimus. Deinde philosophus in memoriam temporum Megaricorum, quae ipsius animum atque mentem ad dialecticam subtilitatem advertissent, et quantum secernendi pariter atque coniungendi solertia ad philosophandi virtutem valerent commonuissent, condere voluit monumenta, quae testimonium quoddam exhiberent grati erga eos animi, qui ipsum ad meliora quaerenda et investiganda non modo excitassent, verum etiam impulissent. Porro etiam id egit, ut quae a Megaricis praeclare essent inchoata nec sine laude suscepta, ea vel ad suam quandam legem adstringeret vel cum Socratica ac sua ipsius disserendi ratione conciliaret. Quamobrem hospitem Eleaticum sic fecit disserentem, ut non modo iis, quae suo more et consuetudine ratiocinatur et concludit, subinde prudentissima dialectices praecepta interponat, verum etiam denique imprudens ad Socraticam colloquendi disputandique rationem delabatur. Denique quum vellet philosophum ut dialecticum e regione ponere sophistae dialectico acumine male abutenti, ne potuit quidem Socratem inducere disputantem, quippe qui ab isto disputandi genere omnino abhorruisset. Quamquam praeclaro sane invento qua ratione acuta ista ex arte disserendi ratio ad Socraticae dialecticae exemplum

conformari emendarique vel posset vel deberet utique demonstravit. Atque ex his perspicuum erit, opinor, qua coniunctione et necessitudine etiam ea, quae more Megaricorum ex arte disputata esse iudicavimus, cum universi operis proposito et argumento contineantur. Sunt enim et ipsa eiusmodi, quae cum summa disputationis, praesertim si ex temporum rationibus aestimetur, arctissime cohaerere iudicari oporteat.

Ita igitur perventum tandem eo est, ut iam paucis verbis totius scriptionis rationem et consilium declarare liceat. Itaque Plato temporum rationibus invitatus, prudenter cum disputationibus in Theaeteto et Sophista institutis coniunxit philosophi tanquam unius veri germanique civitatum gubernatoris adumbrationem atque descriptionem. Quae quo redderetur perfectior, grandior, illustrior, eadem opera non modo falsos opinatosque rerum publicarum ductores illi opposuit taxavitque eas respublicas, quibus Graeci utebantur, verum etiam omnem de civitatum gubernatione disputationem retulit ad totam rerum universitatem, ut quemadmodum vitae humanae tanquam parti lux sua ex totius contemplatione affunderetur, ita vicissim ex partis cum toto comparatione, quid de universo divinare fas esset, tanquam coniectura quadam iudicaretur. Iam vero imaginem perfecti philosophi quum dupliciter vellet exhibere, vel constituti in publicae vitae actione, vel in subtili rerum gravissimarum contemplatione defixi sive dialectici, hoc quidem etsi in Parmenide demum fecit, quem librum Sophistae ex altera parte respondere voluit, tamen in Sophista pariter atque in Politico ipsa disputandi ratione non obscure significavit, philosophum in rerum contemplatione occupatum atque sophistae contrarium non esse alium quam qui ope artis dialecticae sapienter usurpatae recteque excultae ad veri rectique scientiam et cognitionem pervenire studeat. Quamobrem hospitem aliquem Eleaticum induxit disserentem, quem delectum et ipsum temporibus convenienter factum esse nullo modo dubitari potest.

Absolvimus tandem quam suscepimus de Politici Platonici summa deque rerum in eo tractatarum argumento disputationem. Quam quod sic pertractavimus, ut praemissa dialogi enarratione et singulas sermonis partes et totum tanquam corpus descripserimus, eo non iniuria nobis videmur hoc effecisse, ut nunc de rerum disputa-

tarum ordine ac dispositione non videatur separatim dicendum esse. Sponte enim iam intelligetur, opinor, quibus locis quibusque de caussis quidque positum sit et quaenam singularum partium sit coagmentatio. Quocirca sine mora licebit ad id aggredi, quod in superioribus significavimus ultimo loco breviter expositum iri. Quod etsi non est per se necessarium, tamen neutiquam supervacaneum fore putamus. Quemadmodum enim antea plurimum referre vidimus ad Politicum recte intelligendum aestimandumque, ut quo vinculo cum libris proxime ante ipsum a Platone scriptis coniunctus sit exploratum habeatur, sic etiam suam quandam habebit utilitatem, si quae opera ex eius tanquam stirpe postea temporis naturali incremento prodierint, probabiliter exquisiverimus.

Videmur autem non a vero aberrare, praeter Parmenidem, qui quomodo cum Politico cohaereat supra ostensum est, tres potissimum libros existimantes cum eo quasi quadam cognatione contineri, Civitatem, Timaeum, Leges, quorum operum sane nullum est, quod non tanquam radicibus suis in iis defixum haereat, quae in Politico sunt disputata. Quod quanquam copiosa rerum expositione demonstrari potest, tamen ne longi simus, paucis significavisse sufficiet, praesertim quum res vel sic satis clara et perspicua futura sit. Ut igitur verbis paucissimis absolvamus, videtur nobis de Politici cum tribus illis Platonis scriptis cognatione sic esse existimandum.

Exposuit philosophus in Civitate rationem civilem eamque theoreticam, quam vocant, sive idealem, quandoquidem ad optimi hominis imaginem, quam nullus unquam mortalium referat, optimae civitatis exemplum composuit, in qua qui regnent, eos vult perfectos esse sapientes. Quibus omnibus quis est quin videat quae in Politico de perfecto viro civili eiusque imperii exercendi ratione deque optima republica disseruntur tam plane respondere, ut hic amplissimi operis, quod philosophus postea molitus est, tanquam fundamenta iacta videantur? Proposuit Plato porro in Legum libris rationem civilem, quam recte practicam dixeris. Nam in his condidit civitatem superstructam quidem optimae illius fundamentis, sed tamen ab eadem plurimum diversam, quippe quae humanae naturae, qualis revera est, quantum fieri possit accommodata sit. Idcirco ipse superiorem illam civita-

tem divinis tantum hominibus convenire iudicavit; hanc autem accommodatam arbitratur hominibus, qui nunc sint, quamquam eam pro rerum conditione ceteris, quae reperiantur, meliorem esse voluit *). Idem prorsus in Politico sequutus est. Nam unam hic statuit perfectam civitatem, in qua perfectus sapiens regnat: ceteras civitates, quippe hominum imbecillitate ortas, ab ea perfectione multum abesse vult, ita tamen ut inter has ipsas una aliqua reliquis omnibus sit praestantior. Hanc igitur in Legum opere ita instituit, ut ad quam maximam evecta videatur perfectionis laudem atque virtutem. Timaeus denique quid aliud propositum habet, nisi hoc, ut universae naturae tradatur philosophia, unde quaenam homini cum universo cognatio sit et necessitudo intelligatur? Huius vero doctrinae vestigia manifesta in eo loco Politici expressa cernuntur, qui fabulam illam de universi temporibus continet, ut dubitari nemo possit, eum, qui Timaeum scripserit, fere eadem de his rebus sensisse atque scriptorem Politici.

Ita igitur videmus horum operum omnium origines ex Politico potissimum declarari posse atque intelligi. Sed vicissim Politicum quoque putamus ex horum scriptorum comparatione aliquantum lucis recuperare, quandoquidem multa, quae in eo obscurius aut brevius sunt significata, ea exinde maxime declarari illustrarique possunt. Atque hanc ob caussam necessarium utique putavimus, hic paucis saltem de horum librorum cum Politico similitudine commonere, praesertim quum ea, quae in superioribus de temporibus disputavimus, quibus Politicum scriptum vel editum esse suspicari liceat, etiam harum rerum observatione non mediocriter confirmari nobis penitus persuaserimus. Ac possumus hic sane longius progredi, atque docere, alios etiam libros esse, qui cum istis omnibus, quos philosophus eodem fere tempore quo Politicum scripsit, interiore quadam coniunctione ac necessitudine contineantur, ut quoque ipsi brevi post illos intervallo scripti videantur. Sed huius rei demonstratio quoniam non ad unum Politicum pertinet neque sine amplioris quaestionis ambagibus absolvi potest, ab hoc loco videtur esse aliena. Quocirca eam in aliud tempus differre satius duximus.

---

*) Legg. V. p. 739. C — E.

Atque his ita expositis tandem aliquando telam, quam exorsi sumus, pertexuisse videmur. Quod si, qua suscepimus voluntate, eodem successu operis peregisse iudicabimur, habebimus sane, cur nos maximum laboris exantlati praemium consecutos existimemus.

Ceterum cum hac nostra disputatione conferri possunt quae de iisdem rebus disseruerunt Fr. Schleiermacherus Opp. Platon. Germ. Vol. II. P. II. p. 251 sqq. ubi tamen inter alia quae de ordine scriptorum Platonicorum e sua ratione constituendo disputavit, ea paene omnia pro falsis habenda censemus; Fr. Astius De Vita et Scriptis Platonis p. 217 sqq. qui quum multa docte eleganterque illustraverit, tamen de universo opere non omnino nobiscum consentit; Iosephus Socherus De Scriptis Platon. p. 270 sqq. cuius perversissimum est de Politico iudicium; denique Fr. Guil. Hertel. Commentat. De Platonis Politico Specimen. Halis, 1837. 8. qui etsi pauca quaedam non male exposuit, tamen summam rei minime assequutus est, quandoquidem vim dialogi, ut ait ipse, praecipue negativam esse arbitratur atque Platonem censet id maxime esse secutum, ut hoc dialogo scribendo sibi viam patefaceret ac muniret, qua ad communem omnis philosophiae finem, quem in idea civitatis inesse voluerit, perveniretur. Unde quanti errores nasci debuerint, facile omnibus apparebit. Sed nolumus hic censuram agere libelli, in quo auctor subinde videtur *νεανιεύεσθαι* voluisse.

Codices manuscripti.

Clarkianus s. Bodleianus quem Gaisfordius excussit.
Vaticanus *Δ*.
Coislinianus *Γ*.
Veneti quattuor *ΑΞΠΣ*.
Vindobonensis *Υ*.
Parisienses quinque BCEFH.

Hos contulit I. Bekkerus, qui etiam alios quosdam codd. Politici inspexit, nec tamen exploravit dili-

gentius. v. Indic. codicum Commentariis criticis adiectum p. V. not.

Praeterea nos usi sumus codicibus sex: Zittaviensi, Florentinis a. b. c. i. et Palatino Creuzeri.

His undeviginti codicibus igitur nititur ea, quam nunc accuratiorem dedimus, verborum Platonis recensio.

Editiones.

Librum qui separatim ediderit Commentariis illustratum, novimus neminem. Nam Platonis Dialogi tres, Sophista, Politicus, Parmenides, editi a Fischero, Lipsiae 1774. 8. non habent nisi varias lectiones ex vett. editt. et scriptoribus, qui Platonis verba afferunt, enotatas; ad verborum et sententiarum explicationem vix hic et illic aliquid suppeditant.

ΠΟΛΙΤΙΚΟΣ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΘΕΟΔΩΡΟΣ, ΞΕΝΟΣ,
ΣΩΚΡΑΤΗΣ Ο ΝΕΩΤΕΡΟΣ.

Cap. I. *Ἡ πολλὴν χάριν ὀφείλω σοι τῆς Θεαιτήτου γνωρίσεως, ὦ Θεόδωρε, ἅμα καὶ τῆς τοῦ ξένου.* 257

ΘΕΟ. Τάχα δέ γε, ὦ Σώκρατες, ὀφειλήσεις ταύ-

P. 257. *Ἡ πολλὴν χάριν*] *ὦ π. χ.* Zitt. Omittunt *ἦ* Ven *Σ*. Par. CEF. Dein Flor. i. *τῆς τε Θεαιτήτου.*

Τάχα δέ γε, ὦ Σ.] *γε* om. Clark. Vat. Ven. *ΑΠ*. Flor. b. i. male v. ann. Pro *ταύτης* Ven. *ΞΣ*. Vind. 2. Par. H. Zitt. *ταύτην.*

P. 257. *Ἡ πολλὴν χάριν —*] Ex ipso hoc dialogi initio apparet certissime, cohaerere eum cum illo libro, qui Sophistae nomine inscriptus est. Fingitur enim habitus eodem die quo sermo ille peroratus est, qui in Sophista enarratur. conf. p. 258. A. Istud *ἦ* quod codd. nonnulli omittunt, noli pro suspecto habere. Eurip. Med. v. 566. *ἦ πολλὰ πολλοῖς εἰμὶ διάφορος βροτῶν.* ubi Elmsleius comparavit Phoeniss. v. 704. *ἦ πολλ' ἐπῆλθον, εἰσιδεῖν χρῄζων σ', ἄναξ.* Helen. v. 771. *ἦ πολλ' ἀνήρου μ' ἐνὶ λόγῳ, μιᾷ θ' ὁδῷ.* al. Dein *τῆς τε Θεαιτήτου* in optimo Flor. i. scriptum, quod si libri complures firmarent, protenus comprobandum foret. Nam *τε καί* addito *ἅμα* Platoni sane creberrimum, ut Charmid. p. 150. A. Legg. I. p. 620. E. 634. B. al. Sed obtemperandum in talibus utique codicibus est. Usum voc. *γνώρισις* et *γνωρίζειν*, quod dicitur de iis, qui in alicuius notitiam et familiaritatem perveniunt, tetigimus ad Lachet. p. 181. C. Sic mox p. 258. A. etiam *ἀναγνωρίζειν* dicitur, qui pristinam familiaritatem ac notitiam in mentem revocant et denuo redintegrant, ut Parmenid. p. 124. A.

Τάχα δέ γε, ὦ Σωκρ.] Etsi codices praestantissimi *γε* omittunt, tamen voculam retinendam putamus, quam in talibus saepe a scribis neglectam esse multis exemplis constat. Verissime Porsonus ad Euripid. Orest. v. 1234: „Ubi persona secunda, inquit, prioris sententiam auget aut corrigit, post *δέ*, modo interposito, modo non interposito alio verbo, sequitur particula

της τριπλασίαν, ἐπειδὰν τόν τε πολιτικὸν ἀπεργάσωνταί σοι καὶ τὸν φιλόσοφον.

ΣΩ. Εἶεν· οὕτω τοῦτο, ὦ φίλε Θεόδωρε, φήσομεν ἀκηκοότες εἶναι τοῦ περὶ λογισμοὺς καὶ τὰ γεωμετρικὰ κρατίστου;

B *ΘΕΟ. Πῶς, ὦ Σώκρατες;*

ΣΩ. Τῶν ἀνδρῶν ἕκαστον θέντος τῆς ἴσης ἀξίας, οἳ τῇ τιμῇ πλέον ἀλλήλων ἀφεστᾶσιν ἢ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τὴν τῆς ὑμετέρας τέχνης.

Εἶεν· οὕτω τ.] V. *Εἶεν οὕτω· τοῦτο*, quod ex codd. emendatum a Bekkero est.

B. *Θέντος τῆς ἴσης ἀξίας*] Libri *Θέντες*. Emendavit Heindorfius apud Schleiermacherum. Tum Clark. Vat. Ven. *II. ἀλλήλων* omittunt; male, opinor.

εἰςαῦθις μέτειμι] Sic libri omnes; nullus *ἐςαῦθις*, quod unice probat Astius ad Gorg. Commentar. p. 8. conf. Schneider. Praefat. ad Polit. Vol. I. p. LIII sq. Zittav. *εἰς αὖθις*.

C. *τὸν φιλόσοφον προαιρεῖ*] Libri mss. cum vett. editt. *προαιρῇ*, quam formam rarissime accidit ut omnes una consensione tueantur. Nihilominus alteram hic restituendam putavi-

γε." Quod plane in hunc locum convenit. Quum enim Socrates sese fassus sit magnam Theodoro debere gratiam, hic, rem augens et iocose exaggerans, triplam sibi ait debitum iri gratiam, ubi virum civilem et philosophum quoque informaverint. — *ταύτης τριπλασίαν*, sc. *τῆς πολλῆς*, triplo maior, quam ea est, de qua modo dixisti. Unde apparet, quo iure in codd. quibusdam *ταύτην* scriptum sit. Genitivum post *διπλάσιος*, *τριπλάσιος*, alia id genus vocabula, illustrabunt quae congessit A. Matthiae Gr. Gr. §. 356. 4. — *ἀπεργάσωνται*, sc. *τῷ λόγῳ*, quando disputatione sua perfecerint et absolverint viri civilis ac philosophi speciem et imaginem. Utrumque enim descriptum iri, significatum est in Sophist. p. 216. E sq.

Εἶεν· οὕτω τοῦτο — κρατίστου] Prave vett. editt. distinguunt: *Εἶεν οὕτω· τοῦτο κ. τ. λ.* Pertinet enim *οὕτω* non ad antegressa, sed ad ea, quae deinceps adiiciuntur. Voc. *εἶεν* sic interrogationi praemissum non subsequente *δέ* aut alia coniunctione, nihil habet insolentiae. Phaed. p. 117. A. *εἶεν, ἔφη· τί χρὴ ποιεῖν;* Eurip. Hecub. v. 317. *εἶεν· τί δῆτ' ἐρεῖ τις, ἢν τις αὖ φανῇ στρατοῦ τ' ἄθροισις, πολεμίων τ' ἀγωνία;* Med. v. 387. *εἶεν· καὶ δὴ τεθνᾶσι· τίς με δέξεται πόλις;* Phoeniss. v. 863. *εἶεν· πάρεσμεν· τί μ' ἐκάλεις σπουδῇ, Κρέον;* Ibid. v. 1631. *εἶεν· τί δράσω δῆθ' ὁ δυςδαίμων ἐγώ;* Hippolyt. v. 297. Electr. v. 907. Hercul. v. 451. Troad. v. 945. 998. Iphig. Aul. v. 454. Suppl. v. 1694. Usurpatur autem *εἶεν* in talibus quoque locis non aliter, quam eo modo, quem significavimus ad Phaedon. p. 95. A. et 117. A. Etenim missis iis, de quibus dictum est, protenus ad aliud quid se convertit oratio.

ΘΕΟ. *Εὖ γε νὴ τὸν ἡμέτερον θεόν, ὦ Σώκρατες, τὸν Ἄμμωνα, καὶ δικαίως, καὶ πάνυ μὲν οὖν μνημονικῶς ἐπέπληξάς μοι τὸ περὶ τοὺς λογισμοὺς ἁμάρτημα. καὶ σὲ μὲν ἀντὶ τούτων εἰσαῦθις μέτειμι· σὺ δ' ἡμῖν, ὦ ξένε, μηδαμῶς ἀποκάμῃς χαριζόμενος, ἀλλ' ἕξῃς, εἴτε τὸν πολιτικὸν ἄνδρα πρότερον εἴτε* C *τὸν φιλόσοφον προαιρεῖ, προελόμενος διέξελθε.*

ΞΕ. *Ταῦτ', ὦ Θεόδωρε, ποιητέον· ἐπείπερ ἅπαξ γε ἐγκεχειρήκαμεν, οὐκ ἀποστατέον πρὶν ἂν αὐτῶν*

mus, quam libri optimi servarunt p. 261. E. 264. B. 268. A. 270. D. 294. A. 304. C. servarunt etiam libri alii, quod factum esse scito iis locis omnibus, ubi non disertis verbis narravimus vulgarem sribendi rationem praeter codicum fidem esse mutatam. Et codicem Vaticanum semper terminationem in ει servare, saepe idem facere Ven. *Π.* et Coisl., Bekkerus testatur ad p. 261. E.

ἅπαξ γε ἐγκεχειρήκαμεν] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣ.* Vind. Par. B C H. Flor. a. b. c. i. Zittav. cum ed. Bas. 2. pro vulg. *ἐνεχειρήσαμεν.* Praeterea interpunctione verborum emendata *καὶ* ante *οὐκ ἀποστατέον* vulgo interpositum cum Clark. Vat. Par. H. Flor. i. eiecimus.

Itaque hoc loco Socrates rem ipsam missam facit, ac repente Theodorum, mathematicum, lepide reprehendit, qui de tripla locutus sit gratia, quum tamen sophista, vir civilis et philosophus non eiusdem sint dignitatis, ut ratio eius sibi parum constare existimanda sit.

B. *Τῶν ἀνδρῶν ἕκαστον θέντος*] Veterem lectionem, *θέντες*, quam libri omnes tuentur, feliciter correxit Heindorfius, a quo loci emendationem accepit Schleiermacherus. Etenim *θέντος*, quod refertur ad praegressum *τοῦ κρατίστου*, continet epexegesin vocabuli *οὕτω* et *Πῶς*; quae ratio criticos fefellit. Phaedon. p. 59. A. *οὕτω διεκείμεθα, ὁτὲ μὲν γελῶντες, ἐνίοτε δὲ δακρύοντες.* ad quem locum plura id genus dedimus. Sic infra p. 260. E. *καὶ ταύτῃ ταῦτα διελώμεθα, τὸ μὲν τῶν βασιλέων γένος εἰς τὴν αὐτεπιτακτικὴν θέντες κ. τ. λ. — ἢ κατὰ τὴν ἀναλογίαν κ. τ. λ.* quam pro mathematicae artis proportione, h. e. quam ut cum proportione mathematica conveniant.

Εὖ γε νὴ τὸν ἡμέτερον—] Ad *εὖ γε καὶ δικαίως* intelligas *λέγεις*, frequenti ellipsi. Gorg. p. 494. C. *Εὖ γε, ὦ βέλτιστε, διατέλει γὰρ ὥσπερ ἤρξω.* Itaque recte et commode subiungitur, *καὶ πάνυ μὲν οὖν μνημονικῶς κ. τ. λ.* in quibus *ἐπέπληξας* facete dicitur de leniore amici reprehensione. v. ad Theaet. p. 158. A. Pro *ἀντὶ τούτων* expectaveris *ἀντὶ τούτου*; sed v. ad Gorg. p. 447. A. Apolog. p. 19. D.

ἀλλ' ἕξῃς εἴτε τὸν πολιτικὸν ἄνδρα —] sed ordine deinceps, sive virum civilem sive philosophum elegeris, hunc eligens persequere. Nam utriusque speciem et imaginem adumbrare decreverunt.

C. *ἐπείπερ ἅπαξ γε ἐγκεχειρήκαμεν, οὐκ ἀποστ.*] Haec quoniam praecedentibus

πρὸς τὸ τέλος ἔλθωμεν. ἀλλὰ γὰρ περὶ Θεαιτήτου τοῦδε τί χρὴ δρᾶν με;

ΘΕΟ. Τοῦ πέρι;

ΞΕ. Διαναπαύσωμεν αὐτὸν μεταλαβόντες αὐτοῦ τὸν συγγυμναστὴν τόνδε Σωκράτη; ἢ πῶς συμβουλεύεις;

ΘΕΟ. Καθάπερ εἶπες, μεταλάμβανε· νέω γὰρ ὄντε ῥᾷον οἴσετον πάντα πόνον ἀναπαυομένω.

D ΣΩ. Καὶ μὴν κινδυνεύετον, ὦ ξένε, ἄμφω ποθὲν ἐμοὶ ξυγγένειαν ἔχειν τινά. τὸν μέν γε οὖν ὑμεῖς κατὰ τὴν τοῦ προσώπου φύσιν ὅμοιον ἐμοὶ φαίνεσθαί φατε, τοῦ δ' ἡμῖν ἡ κλῆσις ὁμώνυμος οὖσα καὶ
258 ἡ πρόσρησις παρέχεταί τινα οἰκειότητα. δεῖ δὴ τούς γε ξυγγενεῖς ἡμᾶς ἀεὶ προθύμως διὰ λόγων ἀναγνωρίζειν. Θεαιτήτῳ μὲν οὖν αὐτός τε συνέμιξα χθὲς

πρὸς τὸ τέλος] τὸ om. Coisl. Ven. Σ. Vind. 2.

τί χρὴ δρᾶν με] χρῆν editt. vett. omnes, quod mutavi ex Clark. Coisl. Flor. a. b. c. i.

τόνδε Σωκράτη] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. ΑΞΣ. Vind. Par. BCFH. Flor. a. b. Zitt. Ceteri cum editt. vett. Σωκράτην, ut fere alibi scriptum.

ΘΕΟ. Καθάπερ εἶπες, μεταλάμβανε] Vett. editt. per-

verbis, ταῦτα ποιητέον, illustrandis inserviunt, recte sine coniunctionis ligamento annectuntur. Quam rationem qui non perspexerunt, ante οὐκ ἀποστατέον inseruerunt, καί, et verba ἐπείπερ ἅπαξ ἐγχειρήκαμεν cum praecedenti ταῦτα ποιητέον coniunxerunt.

τὸν συγγυμναστὴν τόνδε —] De hoc Socrate iuvene v. Sophist. p. 218. B. ibique annot. conf. etiam Theaet. p. 147. C. — μεταλαβόντες αὐτοῦ κ. τ. λ. vicissim assumentes eius in re gymnastica socium. Nam μεταλαμβάνειν saepenumero est facta permutatione sumere; de quo verbi usu v. ad Phaedr. p. 241. A.

τὸν μέν γε οὖν ὑμεῖς —] Intelligit Theaetetum, cuius facies describitur elegantissime Theaet. p. 143. E. quem totum locum contulisse iuvabit. Pro μέν γε ne quis malit μὲν γάρ, conf. ann. ad Sympos. p. 180. D. Exempla huius usus bene multa suppeditabunt Schneider. ad Xenoph. Hier. I, 11. Dobraeus ad Aristophan. T. VII. p. 560. ed. Lips. Schaefer. Appar. ad Demosth. I. p. 785.

P. 258. δεῖ δὴ τούς γε ξυγγενεῖς — ἀναγνωρίζειν] h. e. tanquam veteres amicos agnoscere. Loquitur enim urbane et iocose de adolescente sibi cognomini. — καὶ νῦν ἀκήκοα ἀποχρ. nam quaedam modo loquuti esse finguntur, in quo colloquio etiam

διὰ λόγων καὶ νῦν ἀκήκοα ἀποκρινομένου, Σωκράτους δὲ οὐδέτερα· δεῖ δὲ σκέψασθαι καὶ τοῦτον. ἐμοὶ μὲν οὖν εἰσαῦθις, σοὶ δὲ νῦν ἀποκρινέσθω.

ΞΕ. Ταῦτ' ἔσται. Ὦ Σώκρατες, ἀκούεις δὴ Σωκράτους;

ΝΕΟΣ ΣΩ. Ναί.

ΞΕ. Συγχωρεῖς οὖν οἷς λέγει;

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Οὐ τὰ σὰ κωλύειν φαίνεται, δεῖ δὲ ἴσως B
ἔτι ἧττον τἀμὰ διακωλύειν. ἀλλὰ δὴ μετὰ τὸν σοφιστὴν ἀναγκαῖον, ὡς ἐμοὶ φαίνεται, τὸν πολιτικὸν ἄνδρα διαζητεῖν νῷν. καί μοι λέγε, πότερον τῶν ἐπιστημόνων τιν' ἡμῖν καὶ τοῦτον θετέον, ἢ πῶς;

ΝΕ. ΣΩ. Οὕτως.

sonarum partes distribuunt sic: *ΘΕΟ. Καθάπερ εἶπες. ΞΕ. Μεταλάμβανε· νέω γὰρ ὄντι — ἀναπαυομένῳ.* Mutavit Bekkerus ex Coisl. Ven. Ξ. Par. E., suadente Schleiermachero.

P. 258. *ἀκήκοα ἀποκρινομένου*] *ἀποκρινάμενον* Clark. Vat. Ven. *Π.* Flor. i., quod receperunt Turicenses.

B. *τὸν πολιτικὸν ἄνδρα*] *πολιτικὸν τὸν ἄνδρα* Clark. Vat. et pr. Ven. *Π. τὸν πολιτικὸν τὸν ἄνδρα* Coisl. pr. Par. EH. Ven. *Λ.*

Theaeteti aliquae partes fuere. Quod si tenes, facile probabis lectionem optimorum librorum *ἀποκριναμένου*.

Ταῦτ' ἔσται. Ὦ Σώκρατες, ἀκούεις δὴ Σ.] Ita haec recte distinxit Bekkerus. Nam vett. editt. *Ταῦτ' ἔσται, ὦ Σώκρατες, ἀκούεις δὴ Σωκράτους*; quod secutus etiam Ficinus est. At manifestum est compellari iam iuvenem Socratem, non senem. Offensioni fortasse fuit verborum collocatio, in quā mirum accidit, quod *ὦ* cum vocativo primum locum tenet. Sed eodem modo Charmid. p. 163. D. Phaedr. p. 227. A. 228. A. al. Mox *συγχωρεῖς οἷς λέγει* dictum ut Eurip. Hippolyt. v. 299. *συγχωρεῖς λόγοις*; Phaedon. p. 100. C. *τῇ τοιᾷδε αἰτίᾳ συγχωρεῖς*; De Rep. VI. p. 490. D. *πᾶς μὲν ἀναγκασθήσεται ὁμολογεῖν οἷς λέγομεν.* Horat. Sermon. II, 3, 305. concedere veris.

B. *Οὐ τὰ σὰ κωλύειν φαίνεται*] Formulā loquendi proverbialis, quam multum frequentarunt posterioris aetatis scriptores. Plato ipse Gorg. p. 458. D. *τό γ' ἐμὸν οὐδὲν κωλύει.* Xenoph. Hellen. I, 65. *οὐ κωλύει τὰ κατ' ἐμέ.* Aristides Epist. ad Antonin. et Commod. T. I. p. 514. *οὐδέν γε τὸ ἐμὸν κωλύει.* De Paraphthegm. T. II. p. 369. *εἰ μὴ τὸ σὸν κωλύει.* Plutarch. Conviv. Sept. Sapient. p. 151. C. *οὐ τἀμὰ κωλύσει.* ubi v. Wyttenbach.

Cap. II. *ΞΕ. Τὰς ἐπιστήμας ἄρα διαληπτέον, ὥσπερ ἡνίκα τὸν πρότερον ἐσκοποῦμεν;*

ΝΕ. ΣΩ. Τάχ' ἄν.

ΞΕ. Οὐ μὲν δὴ κατὰ ταὐτόν γε, ὦ Σώκρατες, φαίνεται μοι τμῆμα.

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

C *ΞΕ. Κατ' ἄλλο.*

ΝΕ. ΣΩ. Ἔοικέ γε.

ΞΕ. Τὴν οὖν πολιτικὴν ἀτραπὸν πῇ τις ἀνευρήσει; δεῖ γὰρ αὐτὴν ἀνευρεῖν, καὶ χωρὶς ἀφελόντας

Οὐ μὲν δὴ κατὰ ταὐτόν γε] καὶ τ. Coisl. Ven. *A.* Par. EFH. Flor. a. b. c. cum edit. Bas. 2. Id verum videtur, sicuti in loci interpretatione demonstravimus.

Οὐ μὲν δὴ κατὰ ταὐτόν γε—] Hunc locum Heusdius Specim. Crit. p. 130. sic refingendum censet: *Τί μήν; ΞΕ. Κατ' ἄλλο· ἔοικέ γε· τὴν οὖν πολιτικὴν ἄτραπον κ. τ. λ.* Qua emendatione tamen vereor ut loco sua restituatur integritas. Nam ita fatua profecto, imo inepta manet Hospitis responsio *Κατ' ἄλλο*, qua certe plane idem indicatur, quod inest in verbis praecedentibus *Οὐ κατὰ ταὐτόν*. Itaque nos quidem in ea sumus sententia, ut scribendum putemus: *Οὐ μὲν δὴ καὶ ταὐτόν γε κ. τ. λ.* sicuti in codd. aliquot et Bas. 2. scriptum est. Qua lectione recepta protenus omnes tolluntur molestiae ac difficultates. Nam ita Socrates primum loquens universe hoc dicit: Veruntamen non item mihi videtur divisio eadem fore, quamquam artes ac disciplinae nunc quoque bifariam dividendae erunt. Deinde autem adolescenti, interroganti: Quidni vero? — nam *τί μήν*; i. q. *τί μὴν ἄλλο*, ut p. 259. D. E. al. — clarius rem significat verbis *Κατ' ἄλλο*, quibus indicatur, alio opus fore dividendi principio ac fundamento. Quo intellecto ille iam rectissime respondet *Ἔοικέ γε.*

C. *Τὴν οὖν πολιτικὴν ἀτραπὸν πῇ τις* —] Eleganter hanc de Politico disputationem *πολιτικὴν ἀτραπόν* vocat: qua metaphora varia subinde ratione utitur. Lysid. p. 213. E. *ἀλλὰ ταύτῃ μὲν μηκέτι ἴωμεν· καὶ γὰρ χαλεπή τίς μοι φαίνεται ὥσπερ ὁδὸς ἡ σκέψις· ᾗ δὲ ἐτράπημεν, δοκεῖ μοι χρῆναι λέναι, σκοποῦντα τὰ κατὰ τοὺς ποιητάς.* Soph. p. 231. C. *πρῶτον δὴ στάντες οἷον ἐξαναπνεύσωμεν· καὶ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διαλογισώμεθα ἅμα ἀναπαυόμενοι.* Rep. VII. p. 532. E. *οἷ ἀφικομένῳ ὥσπερ ὁδοῦ ἀνάπαυλα ἂν εἴη καὶ τέλος τῆς πορείας.* Sic item Themist. Orat. II. 38. B. *μικρὸν ἐπιστήσαντες, εἰ δοκεῖ, καὶ διαναπαυσάμενοι ἐκ τοῦ δρόμου σκοπῶμέν τοι κ. τ. λ.* Max. Tyr. Diss. XXV. in. *ἀναλαβόντες αὖθις αὖ τοὺς περὶ ἔρωτος λόγους ὥσπερ ἀρχὴν μακρᾶς ὁδοῦ μετ'*

ἀπὸ τῶν ἄλλων ἰδέαν αὐτῇ μίαν ἐπισφραγίσασθαι, καὶ ταῖς ἄλλαις ἐκτροπαῖς ἓν ἄλλο εἶδος ἐπισημηναμένους ἁπάσας τὰς ἐπιστήμας ὡς οὔσας δύο εἴδη διανοηθῆναι τὴν ψυχὴν ἡμῶν ποιῆσαι.

ΝΕ. ΣΩ. Τοῦτ' ἤδη σόν, οἶμαι, τὸ ἔργον, ὦ ξένε, ἀλλ' οὐκ ἐμὸν γίγνεται.

ΞΕ. Δεῖ γε μήν, ὦ Σώκρατες, αὐτὸ εἶναι καὶ D *σόν, ὅταν ἐμφανὲς ἡμῖν γένηται.*

ΝΕ. ΣΩ. Καλῶς εἶπες.

ΞΕ. Ἆρ' οὖν οὐκ ἀριθμητικὴ μὲν καί τινες ἑτε-

C. *πῇ τις ἀνευρήσει*] V. *ἂν εὑρήσει*, quod ex Ven. Ξ. Coisl. Par. B. emendatum a Bekkero est.

ἁπάσας τὰς ἐπιστ.] *πάσας* Clark. Vat. Ven. *Π.* quod praetulerunt Turicenses, me quidem non assentiente.

ἀνάπαυλαν βαδίζωμεν ἐπὶ τὸ τέλος, ἡγεμόνας παρακαλέσαντες τῆς ὁδοῦ Ἑρμῆν κ. τ. λ." *Heusdius.* Loquutionem *ἰδέαν αὐτῇ μίαν ἐπισφραγίσασθαι* illustravimus ad Phaedon. p. 75. D. *οἷς ἐπισφραγιζόμεθα τοῦτο, ὅ ἐστιν.* Phileb. p. 26. D. *ἐπισφραγισθέντα τῷ τοῦ μᾶλλον καὶ ἐναντίου γένει ἓν ἐφάνη.* Legg. XII. p. 957. B. *ἀκίνητα οὕτως ἐπισφραγισαμένους χρῆσθαι τὸν ἅπαντα βίον.* Est igitur loci sententia haec: Oportet enim civilem semitam inveniri ac segregatam seiunctamque ab aliis una insigniri specie (communi genere notionis definiri), et ceteris digressionibus alia eaque una forma signatis id effici, ut mens nostra cunctas artes ac disciplinas tanquam divisas in duo genera complectatur.

Τοῦτ' ἤδη — σὸν τὸ ἔργον] In hac formula omitti fere solet articulus. v. ad Tim. p. 17. A. Lachet. p. 189. C. Men. p. 75. D. Sophocl. Phil. v. 15. Aeschyl. Prom. v. 636. Eurip. Bacch. v. 847. Helen. v. 836. Iphig. Taur. v. 1079. Aristoph. Rann. v. 598. Avv. v. 863. Nubb. 1490. al. Nec tamen aliter atque hoc loco Herodot. V, 1. *νῦν ἡμέτερον τὸ ἔργον.* Xenoph. Cyrop. II, 1, 11. *ὑμέτερον τὸ ἔργον.* Memorab. III, 3, 3. *τοῦτο μὲν, ἔφη, οὐκ ἐμὸν οἶμαι τὸ ἔργον εἶναι, ἀλλ' ἰδίᾳ ἕκαστον δεῖν τοῦ ἑαυτοῦ ἔπιμελεῖσθαι.* Videlicet addito articulo verba hunc in modum iungenda: *τοῦτο τὸ ἔργον ἤδη σὸν (ἔργον) γίγνεται ἀλλ' οὐκ ἐμόν.* Nec dispar est aliorum locorum ratio.

D. *Ἆρ' οὖν οὐκ ἀριθμητικὴ μὲν —*] Laudat haec usque ad verba *τῆς ὕλης εἴδη δύο* Stobaeus Eclogg. Eth. c. 59. p. 382. Florileg. titul. 61. n. 6. ed. Gaisf. Pro vulgato *παρέχονται* ex optimis libris dedimus *παρέχοντο*, h. e. praebere solent, de quo aoristi usu v. ad Phaedon. p. 73. D. Symp. p. 188. B. Tim. p. 23. A.

ραι ταύτῃ συγγενεῖς τέχναι ψιλαὶ τῶν πράξεών εἰσι, τὸ δὲ γνῶναι παρέσχοντο μόνον;

ΝΕ. ΣΩ. Ἔστιν οὕτως.

ΞΕ. Αἱ δέ γε περὶ τεκτονικὴν αὖ καὶ σύμπασαν χειρουργίαν ὥσπερ ἐν ταῖς πράξεσιν ἐνοῦσαν σύμ-
E φυτον τὴν ἐπιστήμην κέκτηνται, καὶ συναποτελοῦσι τὰ γιγνόμενα ὑπ' αὐτῶν σώματα, πρότερον οὐκ ὄντα.

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

ΞΕ. Ταύτῃ τοίνυν συμπάσας ἐπιστήμας διαίρει, τὴν μὲν πρακτικὴν προειπών, τὴν δὲ μόνον γνωστικήν.

ΝΕ. ΣΩ. Ἔστω σοι ταῦθ' ὡς μιᾶς ἐπιστήμης τῆς ὅλης εἴδη δύο.

ΞΕ. Πότερον οὖν τὸν πολιτικὸν καὶ βασιλέα καὶ δεσπότην καὶ ἔτ' οἰκονόμον θήσομεν ὡς ἓν πάντα ταῦτα προσαγορεύοντες, ἢ τοσαύτας τέχνας αὐτὰς εἶναι φῶμεν, ὅσαπερ ὀνόματα ἐρρήθη; Μᾶλλον δέ μοι δεῦρο ἔπου.

ΝΕ. ΣΩ. Πῇ;

250 *ΞΕ.* Τῇδε. εἴ τῳ τις τῶν δημοσιευόντων ἰατρῶν ἱκανὸς ξυμβουλεύειν ἰδιωτεύων αὐτός, ἆρ' οὐκ ἀναγ-

D. παρέσχοντο μόνον] V. παρέχονται. Clark. παρέχοντο: Recte παρέσχοντο Zitt. Flor. a. b. c. i. alii, quos tamen non enumeravit Bekkerus.

E. Πότερον οὖν τὸν πολ.] πότερ' οὖν Par. F., quod recepit Bekker.

ὀνόματα ἐρρήθη] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. ΑΞΠ. et corr. Σ., Par. BCH. Vett. editt. ἐῤῥέθη.

P. 259. ταὐτόν ὅπερ ᾧ συμβουλεύει] V. ταὐτόν περ ὥσπερ ἐν ταῖς πράξεσιν—] Connectas verba sic: κέκτηνται τὴν ἐπιστήμην ὥσπερ σύμφυτον ἐνοῦσαν ἐν ταῖς πράξεσιν.

E. ἢ τοσαύτας τέχνας αὐτὰς εἶναι φῶμεν] In his αὐτὰς positum per attractionem pro eo quod ratio vulgaris exigebat αὐτῶν vel αὐτά.

P. 259. εἴ τῳ τις τῶν δημοσιευόντων —] Ea discrimen inter medicos privatos et medicos publicos. Etenim creabantur in concione populi subinde medici, ortu nobiles et ingenui, qui opera et consiliis suis rem publicam adiuvarent pro eaque re ex aerario publico stipendia acciperent. A quibus differunt οἱ ἰδιωτεύοντες; qui servorum utebantur condicione neque publice mercedem accipiebant: conf. Plat. Gorg. p. 455. B. De Rep. VI. p. 452. A. Legg. IV. p. 720. A sqq. Xenoph. Mem. IV, 2, 5. ubi memorantur οἱ βουλόμενοι παρὰ τῆς πόλεως ἰατρικὸν ἔργον λαβεῖν. Strabo

καῖον αὐτῷ προσαγορεύεσθαι τοὔνομα τῆς τέχνης ταὐτὸν ὅπερ ᾧ συμβουλεύει;

ΝΕ. ΣΩ. Ναί.

ΞΕ. Τί δ'; ὅστις βασιλεύοντι χώρας ἀνδρὶ παραινεῖν δεινὸς ἰδιώτης ὢν αὐτός, ἆρ' οὐ φήσομεν ἔχειν αὐτὸν τὴν ἐπιστήμην ἣν ἕδει τὸν ἄρχοντα αὐτὸν κεκτῆσθαι;

ΝΕ. ΣΩ. Φήσομεν.

ΞΕ. Ἀλλὰ μὴν ἥ γε ἀληθινοῦ βασιλέως βασι- B
λική;

ΝΕ. ΣΩ. Ναί.

ΞΕ. Ταύτην δὲ ὁ κεκτημένος οὐκ, ἄν τε ἄρχων ἄν τ' ἰδιώτης ὢν τυγχάνῃ, πάντως κατά γε τὴν τέχνην αὐτὴν βασιλικὸς ὀρθῶς προρρηθήσεται;

ΝΕ. ΣΩ. Δίκαιον γοῦν.

ΞΕ. Καὶ μὴν οἰκονόμος γε καὶ δεσπότης ταὐτόν.

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

ΞΕ. Τί δέ; μεγάλης σχῆμα οἰκήσεως ἢ σμικρᾶς αὖ πόλεως ὄγκος μῶν τι πρὸς ἀρχὴν διοίσετον;

ᾧ σ. Recte ὅπερ pro περ Clark. Vat. Ven. ΞΠΣ. Vind. Flor. i. Zitt.

B. ὀρθῶς προρρηθήσεται] προσαγορευθήσεται Coisl. Ven. A. Par. BCH. Flor. a. b. c.

μῶν τι πρὸς ἀρχὴν] Sic pro vulg. μῶν δὴ πρὸς ἀρχὴν Clark. Vat. Ven. ΞΠ. Flor. i. In aliis non paucis τι om., quod tamen requiritur vel ob proximum οὐδέν.

IV. p. 125. Suidas in v. Δημοσιεύω. et Schneider. ad Aristot. Polit. II, 4. p. 108. intpp. ad Aristoph. Nubb. v. 331. Casaubon. ad Strabon. IV. p. 181. Boeckh. Oecon. Athen. T. I. p. 132.

B. Ἀλλὰ μὴν ἥ γε ἀληθινοῦ βασ.] Clemens Alex. II. p. 438. a Fischero memoratus: ὥστε ἡ τοῦ ἀληθινοῦ βασιλέως βασιλική, καὶ ὁ ταύτην κεκτημένος, ἐάν τε ἄρχων ἐάν τε ἰδιώτης ὢν τυγχάνῃ, πάντως κατά γε τὴν τέχνην αὐτὴν βασιλικὸς ὀρθῶς προσαγορευθήσεται. Idem affert eodem loco haec: τὸ μὲν ὀρθὸν ἂν εἴη νόμιμον καὶ νόμος φύσει ὢν ὁ λόγος ὁ ὀρθός, καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν οὐδὲ ἑτέροις· ὁ δὲ Ἐλεάτης ξένος τὸν βασιλικὸν καὶ πολιτικὸν ἄνδρα νόμον ἔμψυχον ἀποφαίνεται. Mox in verbis Καὶ μὴν οἰκονόμος — ταὐτόν, postremum hoc ταὐτόν est pariter, ut sexcenties.

μῶν τι πρὸς ἀρχὴν διοίσετον] Prave editt. vett. μῶν

ΝΕ. ΣΩ. Οὐδέν.

C *ΞΕ. Οὐκοῦν, ὃ νῦν δὴ διεσκοπούμεθα, φανερὸν ὡς ἐπιστήμη μία περὶ πάντ' ἐστὶ ταῦτα. ταύτην δὲ εἴτε βασιλικὴν εἴτε πολιτικὴν εἴτε οἰκονομικήν τις ὀνομάζει, μηδὲν αὐτῷ διαφερώμεθα.*

ΝΕ. ΞΩ. Τί γάρ;

Cap. III. *ΞΕ. Ἀλλὰ μὴν τόδε γε δῆλον, ὡς βασιλεὺς ἅπας χερσὶ καὶ ξύμπαντι τῷ σώματι σμικρὸ ἄττα εἰς τὸ κατέχειν τὴν ἀρχὴν δύναται πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς σύνεσιν καὶ ῥώμην.*

ΝΕ. ΣΩ. Δῆλον.

ΞΕ. Τῆς δὴ γνωστικῆς μᾶλλον ἢ τῆς χειροτεχνι-
D *κῆς καὶ ὅλως πρακτικῆς βούλει τὸν βασιλέα φῶμεν οἰκειότερον εἶναι;*

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

D. *πάντα ταῦτα ξυνθ.*] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΠΣ*. Vett. editt. *ταῦτα πάντα.*

ἐξῆς, εἰ μετὰ τ.] *εἰ*, vulgo neglectum, reddiderunt Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠ*. Par. B C E F H. Flor. a. b. c. d. Zitt.

δὴ πρὸς ἀρχὴν δ. Vitium ope codicum sublatum. Theaet. p. 145. E. *τοῦτο δὲ μῶν διαφέρει τι ἐπιστήμης;* Sed quid iuvat in re manifesta alia huius loquendi rationis exempla congessisse? Censet igitur Eleates ad imperium nihil interesse, utrum quis magnam domum an parvae civitatis corpus regat ac gubernet: eadem enim opus esse prudentia, eodemque consilio. Sic etiam Socrates apud Xenoph. Mem. III, 4, 12. *μὴ καταφρόνει τῶν οἰκονομικῶν ἀνδρῶν· ἡ γὰρ τῶν ἰδίων ἐπιμέλεια πλήθει μόνον διαφέρει τῆς τῶν κοινῶν, τὰ δὲ ἄλλα παραπλήσια ἔχει· τὸ δὲ μέγιστον, ὅτι οὔτε ἄνευ ἀνθρώπων οὐδέτερα γίγνεται, οὔτε δ' ἄλλων μὲν ἀνθρώπων τὰ ἴδια πράττεται, δ' ἄλλων δὲ τὰ κοινά· οἷς οἱ ἐπιστάμενοι χρῆσθαι καὶ τὰ ἴδια καὶ τὰ κοινὰ πόλεως πράττουσιν, οἱ δὲ μὴ ἐπιστάμενοι ἀμφοτέρωθι πλημμελοῦσιν.* Disputat contra hanc sententiam Aristoteles Politic. I. cap. 1. et 2. ubi hunc ipsum locum ob oculos habuit. Enimvero illud quidem Plato verissime iudicavit, unam aliquam esse scientiam, quae et *βασιλικὴν* et *πολιτικὴν* et *οἰκονομικὴν* tanquam partes sibi subiectas habeat.

C. *ὡς βασιλεὺς ἅπας*] Hic quoque *ἅπας* est unusquisque, de quo usu v. ad Phaedon. p. 108. B.

D. *εἰς ταὐτὸν ὡς ξυ πάντα ταῦτα*] Iterantur per hoc *πάντα ταῦτα* superiora illa po-

ΞΕ. Τὴν ἄρα πολιτικὴν καὶ πολιτικὸν καὶ βασιλικὴν καὶ βασιλικὸν εἰς ταὐτὸν ὡς ἓν πάντα ταῦτα ξυνθήσομεν;

ΝΕ. ΣΩ. Δῆλον.

ΞΕ. Οὐκοῦν πορευοίμεθ' ἂν ἑξῆς, εἰ μετὰ ταῦτα τὴν γνωστικὴν διοριζοίμεθα;

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ γε.

ΞΕ. Πρόσεχε δὴ τὸν νοῦν, ἂν ἄρα ἐν αὐτῇ τινὰ διαφυὴν κατανοήσωμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Φράζε ποίαν.

ΞΕ. Τοιάνδε. λογιστική πού τις ἡμῖν ἦν τέχνη.

ΝΕ. ΣΩ. Ναί. E

ΞΕ. Τῶν γνωστικῶν γε, οἶμαι, παντάπασι τεχνῶν.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΞΕ. Γνούσῃ δὲ λογιστικῇ τὴν ἐν τοῖς ἀριθμοῖς

διαφυὴν κατανοήσωμεν] Sic Ven. II. et Par. E. corr. Flor. i. Pessime vulgo διαφυγήν.

E. Γνούσῃ δὲ λογιστικῇ] Pro vulg. δή ex Clark. Vat. Ven. ΞΠΣ. Zitt. Flor. i. dedi δέ, quod sensus postulat. Sic etiam Turic.

λιτικὴν καὶ πολιτικόν. Eodem modo p. 258. E. πότερον οὖν τὸν πολιτικὸν καὶ βασιλέα καὶ δεσπότην καὶ ἐπ' οἰκονόμον θήσομεν ὡς ἓν πάντα ταῦτα προσαγορεύοντες; Mox εἰ ante μετὰ ταῦτα nunc ex optimis libris insertum male olim aberat. Sententia verborum haec est: Nonne ordine deinceps iam procedemus, si τὴν γνωστικὴν rursus bifariam dividamus? Nam διορίζεσθαι est in partes suas describere.

τινὰ διαφυὴν κατανοήσωμεν] Perverse scribebatur vulgo διαφυγήν, quod quomodo emendandum esset, acute pervidit Heindorfius. Veram lectionem etiam codices nonnulli servarunt. Est autem διαφυὴ partium commissura, veluti ossium et articulorum; v. Phaedon. p. 98. C.

E. Γνούσῃ δὲ λογιστικῇ] Bas. 2. cum aliquot codd. γνώσει, quod secutus etiam Ficinus est. Atqui nunc non de γνώσει, sed potius de ipsa arte λογιστικῇ agitur. Quamobrem γνούσῃ unice verum. Pro δή, quod editt. omnes habent, dedi δέ, quod argumentationis tenor flagitat. Posteaquam enim demonstratum est pertinere λογιστικὴν ad τὰς γνωστικὰς τέχνας, nunc ita pergitur: Sed huic γνούσῃ λογιστικῇ (h. e. τῶν γνωστικῶν τεχνῶν οὔσῃ) num quid amplius muneris assignabimus, quam hoc, ut quae cognoverit diiudicet? Et confirmant optimi libri lectionem a nobis dudum restitutam.

διαφορὰν μῶν τι πλέον ἔργον δώσομεν ἢ τὰ γνωσθέντα κρῖναι;

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

ΞΕ. Καὶ γὰρ ἀρχιτέκτων γε πᾶς οὐκ αὐτὸς ἐργατικός, ἀλλὰ ἐργατῶν ἄρχων.

ΝΕ. ΣΩ. Ναί.

ΞΕ. Παρεχόμενός γέ που γνῶσιν, ἀλλ' οὐ χειρουργίαν.

ΝΕ. ΣΩ. Οὕτω.

260 ΞΕ. Δικαίως δὴ μετέχειν ἂν λέγοιτο τῆς γνωστικῆς ἐπιστήμης.

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ γε.

ΞΕ. Τούτῳ δὲ γε, οἶμαι, προσῆκει κρίναντι μὴ τέλος ἔχειν μηδ' ἀπηλλάχθαι, καθάπερ ὁ λογιστὴς ἀπήλλακτο, προστάττειν δὲ ἑκάστοις τῶν ἐργατῶν τό γε πρόσφορον, ἕως ἂν ἀπεργάσωνται τὸ προσταχθέν.

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθῶς.

ΞΕ. Οὐκοῦν γνωστικαὶ μὲν αἵ τε τοιαῦται ξύμ-

αὐτὸς ἐργατικὸς] V. ἐργαστικός, praeter fidem codicum fere omnium.

P. 260. Τούτῳ δέ γε, οἶμαι] V. τοῦτο, quod ex Clark. Vat. Ven. Π. Flor. b. i. emendatum.

οὐκ αὐτὸς ἐργατικός, ἀλλὰ ἐργατῶν] Legebatur ἐργαστικός invitis codicibus plerisque omnibus. Neque dubitari licet ab his veram lectionem conservatam esse. Quum enim architecto opponantur ἐργάται, h. e. opifices, operae, non ἐργασταί; ipse profecto debuit vocari οὐκ ἐργατικός absonumque est prorsus quod vulgo circumfertur οὐκ ἐργαστικός. De utriusque vocabuli discrimine et confusione exposuerunt Lennep. ad Phalar. V. p. 22. et Lobeck. Paralipomen. p. 437. conf. etiam Bekkeri Anecdot. p. 500, 21. 545, 10. 549, 8.

P. 260. Τούτῳ δέ γε, οἶμαι] Inepte ante Bekkerum scribebatur Τοῦτο, quod sane non habet quorsum commode referatur. Recte libri Τούτῳ δέ γε, quod pertinet ad architectum, qui nunc opponitur τῷ λογιστικῷ, cuius negotium antea id unum esse dictum est, ut quae cognoverit diiudicet. Architectus igitur nunc iudicatur non in eo posse subsistere, ut cognita diiudicet, sed hoc eius munus et officium esse significatur, ut operis id quod factu opus sit imperet ac praecipiat. — μὴ τέλος ἔχειν, h. e. μὴ παύεσθαι.

B. τούτῳ τῷ γένει] Sic hoc quidem loco editt. et mss. omnes unanimi consensione. Unus

πασαι καὶ ὁπόσαι ξυνέπονται τῇ λογιστικῇ, κρίσει δὲ καὶ ἐπιτάξει διαφέρετον ἀλλήλοιν τούτω τὼ γένεε; B

ΝΕ. ΣΩ. Φαίνεσθον.

ΞΕ. Ἆρ' οὖν συμπάσης τῆς γνωστικῆς εἰ τὸ μὲν ἐπιτακτικὸν μέρος, τὸ δὲ κριτικὸν διαιρούμενοι προσείποιμεν, ἐμμελῶς ἂν φαῖμεν διῃρῆσθαι;

ΝΕ. ΣΩ. Κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν.

ΞΕ. Ἀλλὰ μὴν τοῖς γε κοινῇ τι πράττουσιν ἀγαπητὸν ὁμονοεῖν.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΞΕ. Τούτου τοίνυν μέχρι περ ἂν αὐτοὶ κοινωνῶμεν, ἐατέον τά γε τῶν ἄλλων δοξάσματα χαίρειν.

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

Cap. IV. *ΞΕ.* Φέρε δή, ταύταιν ταῖν τέχναιν C ἡμῖν τὸν βασιλικὸν ἐν ποτέρᾳ θετέον; ἆρ' ἐν τῇ κριτικῇ, καθάπερ τινὰ θεατήν; ἢ μᾶλλον τῆς ἐπιτακτικῆς ὡς ὄντα αὐτὸν τέχνης θήσομεν, δεσπόζοντά γε;

B. *τὼ γένεε*] *γένη* Par. C.

προσείποιμεν] Non pauci *προσείπωμεν* vitiose.

C. *ἐν ποτέρᾳ θετέον*] Libri nonnulli *ποτέρω*. errore.

Par. C. habet *γένε*. Eiusdem formae vestigia extant De Rep. III. p. 410. E. ubi codd. nonnulli *φύσεε*, alii fluctuant inter *φύσιε*, *φύσει*, *φύση*, quod postremum Schneidero placuit. Item libro VIII. p. 547. B. optimi *γένεε*, alii *γένε*, quidam *γένει*, alii rursus *γένη*. Iam veteres grammaticos de his formis disceptavisse facile cognoscas ex Choeroboscо apud Bekker. Anecdot. p. 1130. 1190. et 1205. Nec recentiores, quid de iis sit statuendum, satis exploratum habere docebunt quae narrat A. Matthiae Gr. T. I. p. 221. ed. 3. Itaque hic consultum duximus communem codicum omnium lectionem retinere. Illud tamen fatendum est, *τὼ γένη* fuisse videri formam communi usu receptam et probatam.

Τούτου τοίνυν μέχρι περ ἂν αὐτοὶ κ.] Int. *τοῦ ὁμονοεῖν*. De *μέχρι περ ἄν*, quod est *μέχρι περ οὗ ἄν*, conferas p. 278. B. *μέχρι περ ἂν πᾶσι — δειχθῇ*. Sophist. p. 259. A. *μέχρι περ ἂν ἀδυνατῇ*. Tim. p. 56. D. 61. A. Phileb. p. 16. D. Legg. I. p. 632. B. al.

C. *ἢ μᾶλλον τῆς ἐπιτακτικῆς ὡς ὄντα —*] h. e. *ὡς ὄντα τῆς ἐπιτακτικῆς τέχνης*. Legitimum hunc et fere constantem verborum positum illustravimus ad Sophist. p. 242. C.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς γὰρ οὐ μᾶλλον;

ΞΕ. Τὴν ἐπιτακτικὴν δὴ τέχνην πάλιν ἂν εἴη θεατέον εἴ πῃ διέστηκε. καί μοι δοκεῖ τῇδέ πῃ, καθάπερ ἡ τῶν καπήλων τέχνη τῆς τῶν αὐτοπωλῶν
D *διώρισται τέχνης, καὶ τὸ βασιλικὸν γένος ἔοικεν ἀπὸ τοῦ τῶν κηρύκων γένους ἀφωρίσθαι.*

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς;

ΞΕ. Πωληθέντα που πρότερον ἔργα ἀλλότρια παραδεχόμενοι δεύτερον πωλοῦσι πάλιν οἱ κάπηλοι.

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Οὐκοῦν καὶ τὸ κηρυκικὸν φῦλον ἐπιταχθὲν τἀλλότρια νοήματα παραδεχόμενον αὐτὸ δεύτερον ἐπιτάττει πάλιν ἑτέροις.

ΝΕ. ΣΩ. Ἀληθέστατα.

ΞΕ. Τί οὖν; εἰς ταὐτὸν μίξομεν βασιλικὴν ἑρμη-

τῶν αὐτοπωλῶν] *αὐτοπώλων* Coisl. Ven. *ΑΞΣ*. Vind. et alii nonnulli.

D. *ἐπιταχθὲν τἀλλότρια νοήματα*] Ven. *Α. ἀλλότρια*. Flor. i. *ἐπιταχθέντα ἀλλότρια* v. unde olim scripsimus *ἐπιταχθέντ' ἀλλότρια νοήματα κ. τ. λ.* quod placuit nuper Turicensibus. Dein Schleiermacherus pro *αὐτὸ* coni. *αὖ τὸ*: nos *αὐτὰ* praeferendum putamus.

καθάπερ ἡ τῶν καπήλων — αὐτοπωλῶν] De discrimine *τοῦ καπήλου* et *τοῦ αὐτοπώλου* conferendi sunt praeter ceteros loci Reip. II. p. 371. D sqq. Gorg. 517. D. Sophist. p. 223. D sqq. Praeterea utiliter legeris quae exposuerunt Boissonad. ad Aristaen. p. 740. Heindorf. ad Horat. Satyr. I, 1, 6. Mox quae sequuntur, *πωληθέντα που πρότερον ἔργα ἀλλότρια παραδεχόμενοι δεύτερον πωλοῦσι*, ea memorat Pollux. VII, 10.

Οὐκοῦν καὶ τὸ κηρυκικὸν φῦλον ἐπιταχθὲν —] Heusdius Specim. Crit. p. 131. scribendum coniecit: *ἐπιταχθέντα τἀλλότρια νοήματα παραδεχόμενον αὐτὰ δευτ.* Ac sane haec si ita reflexeris, ad amussim congruent cum praecedentibus: *πωληθέντα που πρότερον — παραδεχόμενοι δεύτερον πωλοῦσι*. Neque deest huic coniecturae librorum mss. praesidium. Nam optimus Flor. i. liquido scriptum testatur *ἐπιταχθέντα ἀλλότρια νοήματα*. Verum in tanta ceterorum librorum omnium consensione nunc admodum vereor ut quidquam loco movendum sit, si ab uno *αὐτὸ* discesseris, quod fortasse in *αὐτὰ* mutandum. Nam recte *τὸ κηρυκικὸν φῦλον* dicitur *ἐπιταχθὲν — δεύτερον ἐπιτάττειν*, neque opus est concinnitatis membrorum gratia *ἐπιταχθέντα* corrigere, v. Matthiae Gr. §. 424. 3. Imo id quodammodo est praestabilius. Iam isti *ἐπιταχθέν* per epexegesin additur *τἀλλότρια νοήματα παραδεχόμε-*

τευτικῇ, κελευστικῇ, μαντικῇ, κηρυκικῇ καὶ πολλαῖς E
ἑτέραις τούτων τέχναις συγγενέσιν, αἳ ξύμπασαι τό γ'
ἐπιτάττειν ἔχουσιν; ἢ βούλει, καθάπερ εἰκάζομεν νῦν
δή, καὶ τοὔνομα παρεικάσωμεν, ἐπειδὴ καὶ σχεδὸν
ἀνώνυμον ὂν τυγχάνει τὸ τῶν αὐτεπιτακτῶν γένος,
καὶ ταύτῃ ταῦτα διελώμεθα, τὸ μὲν τῶν βασιλέων
γένος εἰς τὴν αὐτεπιτακτικὴν θέντες, τοῦ δὲ ἄλλου
παντὸς ἀμελήσαντες, ὄνομα ἕτερον αὐτοῖς παραχωρή-
σαντες θέσθαι τινά; τοῦ γὰρ ἄρχοντος ἕνεκα ἡμῖν
ἡ μέθοδος ἦν, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἐναντίου. 261

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

Cap. V. *ΞΕ. Οὐκοῦν ἐπειδὴ τοῦτο μετρίως*
ἀφέστηκεν ἀπ' ἐκείνων, ἀλλοτριότητι διορισθὲν πρὸς
οἰκειότητα, τοῦτο αὐτὸ πάλιν αὖ διαιρεῖν ἀναγκαῖον,
εἴ τινα τομὴν ἔτι ἔχομεν ὑπείκουσαν ἐν τούτῳ;

εἰς ταὐτὸν μίξομεν] Clark. Vat. Ven. *II.* Par. F. *μίξωμεν*, quod probavit Bekkerus. et ed. Tur. sed vid. ann.

E. *τό γ' ἐπιτάττειν*] V. *τότ' ἐπιτάττειν*, quod corrigi oportere recte vidit Stephan. Et confirmant huius rationem codd. fere omnes.

ἢ βούλει, καθάπερ —] *εἰ* Clark. Vat. et pr. Ven. *II.*

τοῦ, quae iuncturae ratio admodum est pervulgata. Reliquum igitur est *αὐτό*. Quod etsi aliquam defensionem exinde paratam habet, quod post *τὸ κηρυκικὸν φῦλον* abundanter illatum esse videri possit, sicuti Theaet. p. 155. E. Sympos. p. 195. A. al. factum meminimus: tamen aegre desideraveris accusativum, qui ex *ἐπιτάττει* suspensus sit. Nolumus tamen rem ita decernere, ut *αὐτό* defendi posse omnino negemus, siquidem ad *ἐπιτάττει* sponte intelligi potest *αὐτά*, qui usus loquendi non est infrequens.

εἰς ταὐτὸν μίξομεν β.] Tres optimi libri *μίξωμεν*: quod Bekkerus recipere non debebat. Significat enim Hospes regiam artem sibi non videri cum aliis artibus, quae aliena mandata cum aliis communicent, commisceri debere: quod ipsum eleganter indicativo futuri exprimitur.

E. *ἢ βούλει, καθάπερ εἰκάζομεν —*] an vis secundum eam, qua modo utebamur, similitudinem, etiam nomen fingamus. Etenim comparaverat artem regiam cum arte *τῶν αὐτοπωλῶν*, unde eam nunc ad genus *τῶν αὐτεπιτακτῶν*, quod vocat, referendam censet. De usu verbi *εἰκάζειν* v. Ruhnken. ad Tim. p. 95.

P. 261. *ἀλλοτριότητι διορισθὲν πρὸς οἰκειότητα*] quum distinctum sit ratione alieni ad proprium. Nam *πρός* est im Vergleich zu, ut saepe. conf. p. 262. A.

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ γε.

ΞΕ. Καὶ μὴν φαινόμεθα ἔχειν· ἀλλ' ἑπακολουθῶν σύντεμνε.

ΝΕ. ΣΩ. Πῇ;

ΞΕ. Πάντας ὁπόσους ἂν ἄρχοντας διανοηθῶμεν ἐπιτάξει προσχρωμένους, ἆρ' οὐχ εὑρήσομεν γενέσεώς τινος ἕνεκα προστάττοντας;

B *ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δ' οὔ;*

ΞΕ. Καὶ μὴν τά γε γιγνόμενα πάντα δίχα διαλαβεῖν οὐ παντάπασι χαλεπόν.

ΝΕ. ΣΩ. Πῇ;

ΞΕ. Τὰ μὲν ἄψυχα αὐτῶν ἐστί που ξυμπάντων, τὰ δ' ἔμψυχα.

ΝΕ. ΣΩ. Ναί.

ΞΕ. Τούτοις δέ γε αὐτοῖς τὸ τοῦ γνωστικοῦ μέρος ἐπιτακτικὸν ὄν, εἴπερ βουλόμεθα τέμνειν, τεμοῦμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Κατὰ τί;

ΞΕ. Τὸ μὲν ἐπὶ ταῖς τῶν ἀψύχων γενέσεσιν αὐτοῦ τάσσοντες, τὸ δ' ἐπὶ ταῖς τῶν ἐμψύχων. καὶ

C *πᾶν οὕτως ἤδη διαιρήσεται δίχα.*

ΝΕ. ΣΩ. Παντάπασί γε.

P. 261. *Καὶ μὴν τά γε γιγνόμενα*] V. *τά τε γιγ.* quod Stephanus vidit in *τά γε γιγνόμενα* mutari oportere, ut scriptum exstat in Coisl. corr. Par. F.

B. *Τὰ μὲν ἄψυχα αὐτῶν — ἔμψυχα*] V. *τὰ μὲν ἔμψυχα — ἄψυχα*, invitis Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΠ.* aliis non paucis.

τὰ τοῦ γνωστικοῦ μέρος] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *Π.* et corr. *Ξ.* Prave vett. editt. *μέρους.*

Mox pro *ὑπείκουσαν* fuit qui *ὑπάρχουσαν* legendum putaret. Quo minime opus est. Dicitur enim *τομὴ* ipsa *ὑπείκειν*, quatenus secantibus veluti locum concedit.

B. *Τούτοις δέ γε αὐτοῖς*] h. e. *κατὰ ταῦτα δέ γε αὐτά.*

C. *ἤδη διαιρήσεται δίχα*] Differt hoc ab *διαιρεθήσεται.* v. ad Parmenid. p. 341. D. = p. 402. ed. Lips. Idem dictum esto de *Προθυμήσομαι* p. 262. A.

D. *ἱπποκόμον ἀλλ' ἱπποφορβῷ τε καὶ βουφορβῷ*] Notissima haec est figura chiasmi, qua verba ita collocantur, ut quartum primo, tertium se-

ΞΕ. Τὸ μὲν τοίνυν αὐτῶν παραλίπωμεν, τὸ δὲ ἀναλάβωμεν, ἀναλαβόντες δὲ μερισώμεθα εἰς δύο τὸ σύμπαν.

ΝΕ. ΣΩ. Λέγεις δ' αὐτοῖν ἀναληπτέον εἶναι πότερον;

ΞΕ. Πάντως που τὸ περὶ τὰ ζῶα ἐπιτακτικόν. οὐ γὰρ δὴ τό γε τῆς βασιλικῆς ἐπιστήμης ἐστί ποτε τῶν ἀψύχων ἐπιστατοῦν, οἷον ἀρχιτεκτονικόν, ἀλλὰ γενναιότερον, ἐν τοῖς ζώοις καὶ περὶ αὐτὰ ταῦτα τὴν δύναμιν ἀεὶ κεκτημένον. D

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθῶς.

ΞΕ. Τήν γε μὴν τῶν ζώων γένεσιν καὶ τροφὴν τὴν μέν τις ἂν ἴδοι μονοτροφίαν οὖσαν, τὴν δὲ κοινὴν τῶν ἐν ταῖς ἀγέλαις θρεμμάτων ἐπιμέλειαν.

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθῶς.

ΞΕ. Ἀλλ' οὐ μὴν τόν γε πολιτικὸν εὑρήσομεν ἰδιοτρόφον, ὥσπερ βοηλάτην ἤ τινα ἱπποκόμον, ἀλλ' ἱπποφορβῷ τε καὶ βουφορβῷ μᾶλλον προσεοικότα.

ΝΕ. ΣΩ. Φαίνεταί γε δὴ ῥηθὲν νῦν.

ΞΕ. Πότερον οὖν τῆς ζωοτροφίας τὴν τῶν ξυμ- E

τὸ δ' ἐπὶ ταῖς τῶν ἐμψύχων] Plerique libri *ταῖς* om., quod tamen recte cum Steph. servant Flor. b. i. Ven. *Ξ*. Par. H.

D. *τὴν δὲ κοινὴν τῶν ἐν τ. ἀγ.*] *κοινῇ* Clark. Vat. Ven. *Α Π*. Par. B. Flor. b. male.

εὑρήσομεν ἰδιοτρόφον] Libri omnes praeter Ven. *Π*. et Par. H. corr. *ἰδιότροπον*. Lectionem receptam iam Cornarius atque Stephanus ex Ficini interpretatione eruerunt.

cundo respondeat: cuius figurae exempla alibi notavimus. Clarum est autem atque evidens ex hac verborum oppositione, quid *ἱπποφορβός* ab *ἱπποκόμῳ* differat. Hic enim est equiso; ille equos complures in agris pratisve pascendos curat. Atque idem discrimen est inter *βοηλάτην* et *βουφορβόν*.

Πότερον οὖν τῆς ζωοτροφίας —] h. e. eam partem *τῆς ζωοτροφίας*, quae *τὴν τῶν ξυμπόλλων κοινὴν τροφὴν* complectitur. Dein vett. editt. *συμβαίνοι*, quod vel sine codicibus in coniunctivum mutandum fuit. Intelligendum autem, *τοῦτο ὀνομάσωμεν*.

πόλλων κοινὴν τροφὴν ἀγελαιοτροφίαν ἢ κοινοτροφικήν τινα ὀνομάζωμεν;

ΝΕ. ΣΩ. Ὁπότερον ἂν ἐν τῷ λόγῳ ξυμβαίνῃ.

Cap. VI. *ΞΕ. Καλῶς γε, ὦ Σώκρατες· κἂν διαφυλάξῃς τὸ μὴ σπουδάζειν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι, πλουσιώτερος εἰς τὸ γῆρας ἀναφανήσει φρονήσεως. νῦν δὲ τοῦτο μέν, καθάπερ διακελεύει, ποιητέον· τὴν δὲ ἀγελαιοτροφικὴν ἆρ' ἐννοεῖς πῇ τις, δίδυμον ἀποφήνας τὸ ζητούμενον ἐν διπλασίοισι τὰ νῦν, ἐν τοῖς*
262 *ἡμίσεσιν εἰς τότε ποιήσει ζητεῖσθαι;*

E. *τινα ὀνομάζωμεν*] Sic Ven. *ΑΞ*. Flor. b. Zitt. cum Steph. Ceteri codd. *ὀνομάζομεν*. Mox pro vulg. *συμβαίνοι* recte Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣ*. Par. BH. *συμβαίνῃ* vel *ξυμβαίνῃ*.

P. 262. *ἐν διπλασίοισι τὰ νῦν, ἐν τ.*] Ald. Bas. 1 2. *ἐν διπλασίοις ἢ τὰ νῦν*. Stephanus *ἢ* delevit, quod ortum ex *διπλασίοισι*, quam formam servavit Par. H. De formis dativi Ionicis ab Atticorum lingua non alienis dixerunt Dorvill. ad Chariton. p. 237.

E. *κἂν διαφυλάξῃς —*] Laudant haec Athenaeus III, 21. et Clemens Alex. Strom. I. p. 105. ed. Victor. Facete ridentur qui in verbis et nominibus legendis erant difficiliores ac morosiores. Theaet. p. 182. B. *τὸ δὲ εὐχερὲς τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἐξεταζόμενον τὰ μὲν πολλὰ οὐκ ἀγεννές, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τούτου ἐναντίον ἀνελεύθερον, ἔστι δὲ ὅτε ἀναγκαῖον*. Euthydem. p. 277. E. Legg. I. p. 644. A. III. 693. A. Eo nomine saepe Prodicus apud Platonem carpitur, veluti Cratyl. p. 384. B. Euthydem. p. 277. E. Lachet. p. 197. D. Protag. p. 358. E. Cicero ap. Augustin. adv. Acad. II, 11. quae si tu alio nomine vis vocare, nihil repugno: non enim vocabulorum opificem, sed verum inquisitorem decet esse sapientem. conf. Davis. ad Tyr. Max. XXVII, 4.

ἆρ' ἐννοεῖς, πῇ τις δίδυμον ἀποφ.] num intelligis, quomodo quis, gregali pastione bifariam divisa, effecturus sit, ut quod nunc in duplo quaerimus, id deinde quaeratur in dimidio? Censet igitur artem *ἀγελαιοτροφικήν*, quam nunc tanquam genus quoddam repererint, in duas partes dividi oportere, in quarum alterutra deinde id quod quaeratur rursus investigandum sit. Istud *εἰς τότε* autem abunde illustrabunt quae exposuerunt Monkius ad Eurip. Alcest. v. 542. Lobeckius ad Phrynich. p. 46. ex quibus ille id Atticis ereptum ivit.

P. 262. *ἑτέρα τις εἶναι — ἄλλη τροφή*.] Ita *ἕτερον* et *ἄλλο* sese non raro excipiunt. Loquendi genus iam apud Homerum obvium, veluti Iliad. IX. v. 313. et v. 468 sq. de quibus v. Eustath. p. 764. ed. Rom. extr. Platonica si cupias, en accipe: Infra p. 279. D. Theaet. p. 185. A. Legg. X. p. 889. E. Phileb. p. 57. A. ubi est, *ἑτέρας ἄλλη καθαρωτέρα*. Parmenid. p. 143. B. Alcibiad. I. p. 116. E. De Rep. IV. p. 436. A. So-

ΝΕ. ΣΩ. Προθυμήσομαι. καί μοι δοκεῖ τῶν μὲν ἀνθρώπων ἑτέρα τις εἶναι, τῶν δὲ αὖ θηρίων ἄλλη τροφή.

ΞΕ. Παντάπασί γε προθυμότατα καὶ ἀνδρειότατα διῆρησαι. μὴ μέντοι τοῦτό γε εἰσαῦθις κατὰ δύναμιν πάσχωμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ ποῖον;

ΞΕ. Μὴ σμικρὸν μόριον ἓν πρὸς μεγάλα καὶ πολλὰ ἀφαιρῶμεν, μηδὲ εἴδους χωρίς· ἀλλὰ τὸ μέρος B *ἅμα εἶδος ἐχέτω. κάλλιστον μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν ἄλλων*

et Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 375 sq. Platonici usus exempla plurima in Legum libris reperiuntur, unde pauca depromsit Astius Commentar. p. 11. Dein Coisl. *εἰς τοῦτο ποιήσει τότε ζητεῖσθαι*: sed vide annot. unde nihil sollicitandum esse apparebit.

Προθυμήσομαι] *προθυμηθήσομαι* Ven. *ΣΣ.*

πρὸς μεγάλα καὶ πολλὰ] Vulgo *πρὸς πολλὰ καὶ μεγάλα*, quod tuetur Par. E. Sed v. infra.

phist. p. 224. C. al.

Μὴ σμικρὸν μόριον ἓν πρὸς μεγάλα καὶ πολλὰ] Non statim a generis notione censet transiliri oportere ad singularem aliquam partem vel rem, neglectis notionibus intermediis: vel, ut clarius dicam, in dividendo praecipit coordinatas, quae vocantur, generis formas diligenter observandas esse, neque admiscenda protenus singularia generalioribus; quod ipsum fecisse videtur Socrates iuvenis, qui hominum et ceterorum animalium pastum distinxerat. Nam bestiarum notio multo latius patet quam hominum. Itaque Hospes: *μὴ σμικρόν*, inquit, *μόριον ἓν πρὸς μεγάλα καὶ πολλὰ ἀφαιρῶμεν*, h. e. cavendum nobis est, ne unam exiguamque particulam h. e. notionem sive formam generis angustiorem et particularem, eximamus ad multas et magnas partes, h. e. ad notiones generaliores, atque latius patentes, quae multas formas ac partes in se complectantur. Haec igitur clara sunt nec ulla premuntur obscuritate; consentiuntque egregie cum iis, quae Socrates apud Platonem disserit in Philebo p. 14. D sqq. quo loco docet in divisionibus rite faciendis non esse protenus a summi generis notione ad singularum rerum infinitatem aut vicissim a rebus singulis et individuis ad generis notionem progrediendum. conf. Prolegomm. nostra ad Phileb. p. LII. Sed difficilius paulo est exquirere, quid sibi velit istud *μηδὲ εἴδους χωρίς, ἀλλὰ τὸ μέρος ἅμα εἶδος ἐχέτω*. Quod ut recte intelligatur, recordari debemus locum Sophistae p. 253. B. C. D. de quo nuper explanatius diximus in Commentariis nostris. Docetur ibi unam generalem notionem per multas singulas ac particulares, quarum quaeque ab aliis seiuncta ac separata sit, veluti aequabiliter esse diffusam, eaque ipsa ceteras omnes tanquam communi quodam vinculo contineri: singulas autem, ubi per se considerentur, inter ipsas discrepare nec ulla generis com-

εὐθὺς διαχωρίζειν τὸ ζητούμενον, ἂν ὀρθῶς ἔχῃ, καθάπερ ὀλίγον σὺ πρότερον οἰηθεὶς ἔχειν τὴν διαίρεσιν ἐπέσπευσας τὸν λόγον, ἰδὼν ἐπ' ἀνθρώπους πορευόμενον. ἀλλὰ γάρ, ὦ φίλε, λεπτουργεῖν οὐκ ἀσφαλές, διὰ μέσων δὲ ἀσφαλέστερον ἰέναι τέμνοντας, καὶ μᾶλλον ἰδέαις ἄν τις προστυγχάνοι. τοῦτο δὲ διαφέρει τὸ πᾶν πρὸς τὰς ζητήσεις.

C. *προαγαγεῖν εἰς τὸ πρ.*] Sic Clark. Vat. Ven. *ΠΣΥ.* et corr. Par. B. pro vulg. *προαγαγεῖν.* Emendavit Bekker. Coisl.

munitate coniunctas videri. Praeterea infra Politic. p. 262. E. de hac ipsa re explicatur sic, ut *μέρος* doceatur esse aliquam totius particulam, quae non investigato genere afferatur, *εἶδος* autem species sive forma generis dicatur, quae recto ordine inventa et indicata sit. Quae omnia ubi tenemus, huic loco lux desiderata protenus affulgebit. Nam cavendum esse dicitur, ne partitio fiat *εἴδους χωρίς*, hoc est, nulla habita ratione notionis latioris, qua singula semper inter se connexa sunt et cum generali idea tanquam communi vinculo continentur; hoc autem fit, ubi neglecto ordine notionum statim ad inferiora et individua properamus et proponimus partes totius, non formas generis. Itaque qui recte dividere voluerit, is videre debet etiam hoc, ut *τὸ μέρος ἅμα εἶδος* habeat suoque subiectum generi sit. Haec igitur loci sententia est. Restat ut de singulis verbis aliquid dicendum sit. Scribitur enim vulgo *πρὸς πολλὰ καὶ μεγάλα;* quod mutandum fuisse in *πρὸς μεγάλα καὶ πολλὰ* codicum evincunt testimonia. Enimvero ordo verborum mutatus est ab iis, qui hanc loquendi rationem ignorarent, cuius tamen exempla adeo certa reperiuntur, nulla ut possit de ea locum habere controversia. Xenoph. Vectig. V, 12. *παντοδαπὰ καὶ καλά.* de quo loco v. Schneider. ad Opusc. Polit. p. XVI. Isocrat. De pace p. 173. ed. Cor. *δεινὰ καὶ πολλά.* ubi v. Cornes Tom. II. p. 105. Demosthen. c. Mid. p. 526. 1. ed. Bekker. *δεινὰ καὶ πολλά.* quod defendit Dindorf. Praefat. ad Demosthen. p. IX. probante Schaefero, etiam alia similia ex codd. oratoris in medium afferens. Caussam inversi ordinis acute perspexit Schaeferus Appar. ad Demosth. T. III. p. 339. „Scilicet in vulgari ordine, inquit, cum copula paene redundet, *πολλὰ καὶ δεινὰ* aequabili voce pronuntiantur: sin propter vim sententiae ordo invertitur, *δεινὰ καὶ πολλὰ* sic pronuntiari oportet, ut vocis tonus *καὶ πολλὰ* acuat.“ Habet igitur hic similis ratio locum atque in formula *τινὲς καὶ πολλοί*, de qua dictum est alio loco. Ceterum *πρός* in his eodem modo positum quo supra p. 261. A.

λεπτουργεῖν οὐκ ἀσφαλές] *Λεπτουργεῖν* nunc dicitur qui neglecto notionum ordine et connexione minuta statim quasi frustula affert, h. e. singulas partes ac formas commemorat, quum adhuc plura genera sint recensenda. Hinc eleganti dilogia subiunguntur haec: *διὰ μέσων δὲ ἀσφαλέστερον ἰέναι τέμνοντας*, in quibus respicitur ad loquutionem proverbialem *τέμνειν*

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς, ὦ ξένε, λέγεις τοῦτο; C

ΞΕ. Πειρατέον ἔτι σαφέστερον φράζειν εὐνοίᾳ τῆς σῆς φύσεως, ὦ Σώκρατες. ἐν τῷ μὲν οὖν παρεστηκότι τὰ νῦν δηλῶσαι μηδὲν ἐνδεῶς ἀδύνατον· ἐπιχειρητέον δέ τι καὶ σμικρῷ πλέον αὐτὸ προαγαγεῖν εἰς τὸ πρόσθεν σαφηνείας ἕνεκα.

πρόσθε.

μέσον, proprie de nautis usurpatam, qui periculosis interclusi scopulis medium tenent cursum, ut ne in alterutrum impingant. v. Stephan. Thesaur. III. p. 1390. F. coll. Protagor. p. 338. A. Hanc autem rationem qui in dividendo sequitur, is *μᾶλλον ἂν ἰδέαις προστυγχάνοι*, propterea quod ita demum quae sit generum et formarum inter se coniunctio ac consentudo perspicere potest. De *ἰδέαις* non temere post *εἴδη* memoratis v. ad Parmenid. p. 128. E.

τοῦτο δὲ διαφέρει τὸ πᾶν πρὸς τὰς ζητήσεις] hoc autem ut ita fiat, ad quaestiones instituendas refert plurimum, s. in hoc insunt omnia. Quanquam Latini non habent quo vim verborum *τὸ πᾶν* penitus exprimant. Legg. XII. p. 944. B. *διαφέρει ὅλον που καὶ τὸ πᾶν.* Xenoph. Cyrop. I, 6, 13. *λέγων, ὅτι τὸ πᾶν διαφέρει ἐν παντὶ λόγῳ προθυμία ἀθυμίας.* Ibid. IV, 3, 8. *οὐδεὶς ἂν ἀντιγνωμονήσειε, μὴ οὐχὶ τὸ πᾶν διαφέρειν γενέσθαι Περσῶν οἰκεῖον ἱππικόν.* Plat. Apolog. p. 32. D. *τούτου δὲ τὸ πᾶν μέλει.* Verbum *διαφέρει*, quod nunc Latino refert respondet, sic positum Xenoph. Oecon. 20, 16. *μέγα διαφέρειν εἰς τὸ λυσιτελεῖν γεωργίαν καὶ μὴ λυσιτελεῖν, ὅταν ὁ μὲν κ. τ. λ.*

P. 268. *ὀρθῶς ἂν λέγοιεν;*] *λέγοιμεν* Clark. Vat. Ven. *Π. τοῦτο μὲν ἐπισκεψόμεθα*] Bas. 1. 2. *ἐπισκεψάμεθα.* Ald. Steph *ἐπισκεψώμεθα.* Sed *ἐπισκεψόμεθα* verissime Clark. Coisl. Vat. Ven. *ΞΠ.* Dein ante *βουκόλῳ* omisimus *τῷ* cum Bekkero auctoritate Vat. Coisl. Ven. *ΑΠ.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i., et pro vulg. *ἀμφισβητεῖται* ex Clark. Coisl. Vat. Ven. *ΞΠΣΥ.* Zitt. ed. Bas. 2. revocavimus *ἀμφισβητήσει.*

artis nomen gerens communiter gregis socium se esse et dicat et simulet. Quae quid significent, ex iis, quae deinceps sequuntur, perspicuum esse debet omnibus. *τῷ λόγῳ διαμάχοιντ' ἂν οὗτοι σύμπαντες*] Istud *οὗτοι σύμπαντες* iterat cum vi subiecti notionem praecedentibus nominibus comprehensam. Similiter paullo ante, *τὸ δὲ ἀπὸ τούτου τμῆμα — τοῦτ' αὐτό ἐστιν ἤδη τὸ ζητηθέν.* conf. ad Charmid. p. 163. C. Matthiae Gr. §. 472. 1. — *διαμάχοιντ' ἄν* pugnarent et contenderent, ut sexcenties.

P. 268. *ἀλλ' αὐτὸς τῆς ἀγέλης τροφὸς —*] De Rep. II. p. 383. B. *ὁ δ', αὐτὸς ὑμῶν, αὐτὸς τάδ' εἰπών, αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν τὸν παῖδα τὸν ἐμόν.* qui versus petiti sunt ex Aeschyli Psychostasia. Xenoph. Cyrop. III, 3, 2. *αὐτὸς ὁμόσας ἡμῖν, αὐτὸς δεξιὰς δούς, αὐτὸς ἐξαπα-*

βός, αὐτὸς ἰατρός, αὐτὸς οἷον νυμφευτὴς καὶ περὶ
B τοὺς τῶν γιγνομένων τόκους καὶ λοχείας μόνος ἐπιστή-
μων τῆς μαιευτικῆς. ἔτι τοίνυν παιδιᾶς καὶ μουσικῆς
ἐφ' ὅσον αὐτοῦ τὰ ῥήματα φύσει μετείληφεν, οὐκ
ἄλλος κρείττων παραμυθεῖσθαι καὶ κηλῶν πραΰνειν,
μετά τε ὀργάνων καὶ ψιλῷ τῷ στόματι τὴν τῆς αὑτοῦ
ποίμνης ἄριστα μεταχειριζόμενος μουσικήν. καὶ δὴ καὶ
τῶν ἄλλων περὶ νομέων ὁ αὐτὸς τρόπος. ἢ γάρ;

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθότατα.

ΞΕ. Πῶς οὖν ἡμῖν ὁ λόγος ὀρθὸς φανεῖται καὶ
ἀκέραιος ὁ περὶ τοῦ βασιλέως, ὅταν αὐτὸν νομέα καὶ
C τροφὸν ἀγέλης ἀνθρωπίνης θῶμεν μόνον ἐκκρίνοντες
μυρίων ἄλλων ἀμφισβητούντων;

ΝΕ. ΣΩ. Οὐδαμῶς.

ΞΕ. Οὐκοῦν ὀρθῶς ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐφοβήθη-
μεν ὑποπτεύσαντες μὴ λέγοντες μέν τι τυγχάνοιμεν
σχῆμα βασιλικόν, οὐ μὴν ἀπειργασμένοι γε εἴμέν πω

B. *μετά τε ὀργάνων*] Sic Clark. Coisl. Vat. Ven. *ΑΠΞ*. Par. BCHI. Flor. a. b. c. i. Scribebatur olim *μετά γε ὀργ.*

θῶμεν μόνον] Sic Clark. Vat. Coisl. Par. *ΑΠΞ*. Par. BCH. Flor. a. b. c. i. cum edit. Bas. 2. Vulgo *φῶμεν*. Dein Flor. i. *ἐγκρίνοντες*, quod placebat Heusdio.

τήσας. Lysias adv. Eratosth. p. 81. ed. Bremi. *αὐτὸς ἐπαγγειλάμενος σώσειν τὴν πόλιν αὐτὸς ἀπώλεσε.* Aristid. T. I. p. 131. ed. Iebb. *θεὸς αὐτὸς ἐπιστὰς, αὐτὸς αἰτήσας, ὅσον αὐτός γ' ἐβούλετο.* Xenoph. Anab. II, 3, 4. al.

B. *κρείττων παραμυθεῖσθαι*] h. e. ad sedandas moderandasque cupiditates et affectus. Diximus de huius verbi usu ad Phaedon. p. 70. B.

λόγος — ἀκέραιος] h. e. sincerus et cui nihil fraudis atque erroris admixtum sit. v. Timaei Glossar. p. 16. ibique Ruhnken. Pro *μόνον ἐκκρίνοντες* Heusdius Specim. Crit. p. 132. legendum censebat *μένον ἐγκρίνοντες*. Nobis tamen nunc non opus videtur mutatione. Nam *ἐκκρίνοντες* est eum de numero ceterorum secernentes ideoque solum hoc munere ornantes praeter ceteros.

C. *ὑποπτεύσαντες, μὴ λέγοντες μέν τι*] Respicit ad illa p. 267. D. *ἢ τοῦτ' αὐτὸ καὶ μάλιστα ἡ ζήτησις ἐλλείπει, τὸ τὸν λόγον εἰρῆσθαι μέν πως, οὐ μὴν παντάπασί γε τελέως ἀπειργάσθαι;* Pro *εἰμέν πω* vett. edit. prave *ἠμέν πω*, quod correctum nunc e libro Vat. Post hos optativos vero quod *ἕως ἂν ἀποφήνωμεν* infertur, oratio aliunde suspensa repente mutari existimanda est. Eodem modo Gorg. p. 480. C. ubi verum est unice,

δι' ἀκριβείας τὸν πολιτικόν, ἕως ἂν τοὺς περικεχυμένους αὐτῷ καὶ τῆς συννομῆς αὐτῷ ἀντιποιουμένους περιελόντες καὶ χωρίσαντες ἀπ' ἐκείνων καθαρὸν μόνον αὐτὸν ἀποφήνωμεν;

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθότατα μὲν οὖν. D

ΞΕ. Τοῦτο τοίνυν, ὦ Σώκρατες, ἡμῖν ποιητέον, εἰ μὴ μέλλοιμεν ἐπὶ τῷ τέλει καταισχῦναι τὸν λόγον.

ΝΕ. ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν οὐδαμῶς τοῦτό γε δραστέον.

Cap. XII. *ΞΕ.* Πάλιν τοίνυν ἐξ ἄλλης ἀρχῆς δεῖ καθ' ἑτέραν ὁδὸν πορευθῆναί τινα.

ΝΕ. ΣΩ. Ποίαν δή;

ΞΕ. Σχεδὸν παιδιὰν ἐγκερασαμένους· συχνῷ γὰρ μέρει δεῖ μεγάλου μύθου προσχρήσασθαι, καὶ τὸ λοιπὸν δή, καθάπερ ἐν τοῖς πρόσθεν, μέρος ἀεὶ μέρους ἀφαιρουμένους ἐπ' ἄκρον ἀφικνεῖσθαι τὸ ζητούμενον. E οὐκοῦν χρή;

C. *εἶμεν πω δι' ἀκρ.*] V. *ἦμεν*. Clark. *εἰμέν*. Vat. *εἶμεν*, quod unice verum esse iam Stephanus perspexit.

καὶ τῆς συννομῆς] Sic Coisl. Ven. *ΑΠΣΥ*. Par. BCEF. Flor. a. b. c. i. Zitt. idque firmat etiam scriptura Clark. Vat. et Par. H. *συνομῆς*. Vulgo *συννομικῆς*.

ὃς ἂν ἀεὶ τῶν φίλων τυγχάνῃ, quamvis optativus obliquae orationis praecedat. Ceterum *καθαρὸν μόνον* similiter dictum atque *ἵνα μόνον*, designatque eum, qui plane sit ab aliis, idem negotium sibi vindicantibus, seiunctus atque separatus. De Rep. IX. p. 572. A. *αὐτὸ* (*τὸ βέλτιστον*) *αὐτὸ καθ' αὑτὸ μόνον καθαρὸν σκοπεῖν*.

D. *εἰ μὴ μέλλοιμεν ἐπὶ τῷ τέλει*] Libri omnes *μέλλοιμεν*. Sed verum esse contendo *μέλλομεν*, quod video etiam Astio placuisse. Alius certe generis sunt quae A. Matthiae Gr. §. 524. 5. aliique notarunt. Nisi forte volueris verba hunc in modum intelligere: Hoc igitur nobis faciendum, nisi forte nobis in votis sit, ut denique orationem s. disputationem nostram ignominia afficiamus. At vereor id ut commode sic dicatur ab eo, qui nisi ita faciant, futurum esse censet, ut ipsorum disputatio turpitudinis maculam suscipiat.

ΣΩ. Ποίαν δή] Repetendum *κατά*. v. p. 283. C. et ann. ad Sophist. p. 243. D. Cratyl. p. 408. D. Gorg. p. 449. E. p. 450. A. Nec tamen semper praepositio sic omittitur. Infra p. 269. D. *τοῦτο δὲ αὐτῷ τὸ ἀνάπαλιν ἴέναι διὰ τόδ' ἐξ ἀνάγκης ἔμφυτον γέγονε. ΣΩ. Διὰ τὸ ποῖον δή;*

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Ἀλλὰ δὴ τῷ μύθῳ μου πάνυ πρόσεχε τὸν νοῦν, καθάπερ οἱ παῖδες· πάντως οὐ πολλὰ ἐκφεύγεις παιδιᾶς ἔτη.

ΝΕ. ΣΩ. Λέγοις ἄν.

ΞΕ. Ἦν τοίνυν καὶ ἔτι ἔσται τῶν πάλαι λεχθέντων πολλά τε ἄλλα καὶ δὴ καὶ τὸ περὶ τὴν Ἀτρέως τε καὶ Θυέστου λεχθεῖσαν ἔριν φάσμα. ἀκήκοας γάρ που καὶ ἀπομνημονεύεις ὅ φασι γενέσθαι τότε.

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ περὶ τῆς χρυσῆς ἀρνὸς ἴσως σημεῖον φράζεις.

269 *ΞΕ. Οὐδαμῶς, ἀλλὰ τὸ περὶ τῆς μεταβολῆς δύσεώς τε καὶ ἀνατολῆς ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων,*

E. *τῷ μύθῳ μου π.*] V. *που*, invitis codicibus mss. Dein Astius coni. *πάντως γάρ*, vel *πάντως καί*. neutro opus. Tum *παιδίας* Ven. *Y*, Par. *EF*. Zitt. *παιδείας* Zitt. et corr. Ven. *Π*. sed v. ann.

καὶ δὴ καὶ τὸ περὶ τ.] *δὴ καὶ* om. Clark. Vat. Ven. *Π*. male. v. ad Ion. p. 530. B. Usurpatur ut Latinum quum-tum, ubi in altero membro generalioribus subiungitur aliquid singulare,

E. *πάντως οὐ πολλὰ ἐκφεύγεις* —] Errant qui cum Stephano *πάντως γὰρ οὐ π.* scribendum censent. v. ad Theaet. p. 143. A. Tim. p. 26. E. Symp. p. 173. B. al. Dein pro *παιδιᾶς ἔτη* Stephanus legendum iudicavit *παιδίας ἔτη*, idque assensu suo probarunt Fischerus, Astius, alii. Vereor tamen magnopere, ut ulla opus sit mutatione. Nam etsi Hospes pueritiam significat, tamen id ipsum fit elegantius eodem servato nomine, ita quidem, ut *παιδιᾶς ἔτη* intelligenda sint de aetate, cui lusus imprimis placent, h. e. de aetate puerili, quemadmodum nos quoque dicimus, Jahre des Spieles, Jahre des Scherzes. Omnino recte dubitarunt Casaubonus ad Athen. VII. p. 323. et Dorvill. ad Chariton. p. 405. num Attici *παιδία* de pueritia dixerint, neque hunc scrupulum exemit Schneiderus ad Remp. VII. p. 537. B. Apud Platonem certe Legg. VII. p. 808. E. *παιδιᾶς* et Legg. IX. p. 864. D. *παιδιᾷ* unice verum esse contendimus. Pro *οὐ πολλὰ ἐκφεύγεις* haud scio an rectius scripturus sis *οὐ πολὺ ἐκφεύγεις*.

καὶ δὴ καὶ τὸ περὶ τὴν Ἀτρέως —] et vero etiam illud in Atrei ac Thyestae, quae fertur, lite prodigium. De aurea agna in Atrei et Thyestae rebus memorabili v. Eurip. Orest. v. 800. et 989. ed. Matthiae ibique Schol. Tzetz. Chiliad. 18. coll. Paus. II, 18. Ceterum de totius huius fabulae (mythum nunc vocant *σεμνότερον*) argumento et proposito in Prolegg. ita exposuimus, ut quae ibi scripta sunt, ea, priusquam singula pertractentur, nunc

ὡς ἄρα ὅθεν μὲν ἀνατέλλει νῦν, εἰς τοῦτον τότε τὸν τόπον ἐδύετο, ἀνέτελλε δ' ἐκ τοῦ ἐναντίου, τότε δὲ δὴ μαρτυρήσας ἄρα ὁ θεὸς Ἀτρεῖ μετέβαλεν αὐτὸ ἐπὶ τὸ νῦν σχῆμα.

ΝΕ. ΣΩ. Λέγεται γὰρ οὖν δὴ καὶ τοῦτο.

ΞΕ. Καὶ μὴν αὖ καὶ τήν γε βασιλείαν, ἣν ἦρξε Κρόνος, πολλῶν ἀκηκόαμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Πλείστων μὲν οὖν. B

ΞΕ. Τί δέ; τὸ τοὺς ἔμπροσθεν φύεσθαι γηγενεῖς καὶ μὴ ἐξ ἀλλήλων γεννᾶσθαι;

ΝΕ. ΣΩ. Καὶ τοῦτο ἓν τῶν πάλαι λεχθέντων.

ΞΕ. Ταῦτα τοίνυν ἔστι μὲν ξύμπαντα ἐκ ταὐτοῦ πάθους, καὶ πρὸς τούτοις ἕτερα μυρία καὶ τούτων ἔτι

quod illis tanquam pars generi subiectum est. Sed nescio quomodo in codd. illis *δὴ καὶ* saepenumero deletum est. Nimirum non placuisse videtur naribus grammaticorum, qui illos libros recensuerunt.

P. 269. B. *καὶ μὴ ἐξ ἀλλήλων γ.*] *ἀδήλων* Coisl. Par. BCEFH. Flor. a. c. et editt. Ald. Bas. 1. 2. conf. Hesiod. Theog. v. 183 sqq.

lectione iteranda censeamus. Confer igitur Prolegg. p. 99 sqq.

P. 269. *μαρτυρήσας ἄρα ὁ θεὸς Ἀτρεῖ*] Vulgaris fuit narratio, quam Hyginus Fab. LXXXVIII. et Pausan. II, 18. memoriae prodiderunt, ipsum Solem Atrei crudelitatem adeo horruisse, ut cursu inflexo retro reverteretur. Quod idem philosophus etiam ab ceteris sideribus ita factum esse dicit, illustraturus nimirum ingentem illam totius rerum naturae conversionem, de qua deinceps exponere constituit.

B. *τὸ τοὺς ἔμπροσθεν φύεσθαι γηγενεῖς*] Plerique enim poetae mortales volebant a Coelo ac Tellure procreatos esse. v. Hesiodi Theog. v. 183 sqq. Homer. Iliad. VII. v. 99. ubi v. Eustath. Eurip. ap. Dionys. Hal. Vol. II. p. 58. et 103. Sext. Emp. adv. Matth. X, 315. Euseb. Praep. Evang. 20. Quam sententiam postea philosophi, Parmenides, Xenophanes, Pythagoras, Empedocles, alii, suo quisque modo exornarunt. v. Plutarch. De placit. philos. V, 7. Censorinus De die nat. c. 4. Lactant. De praem. Div. VII. c. 7. Physicam rei expositionem habes apud Diodor. Sic. I, 7. conf. Lucret. V. v. 781 sqq. et 923 sqq.

Ταῦτα τοίνυν ἔστι] Haec omnia, quae de miraculis Atrei tempore visis, de Saturni regno, de hominibus terrigenis, aliis id genus rebus, memoriae prodita sint, ex eadem causa repetenda esse censet, quandoquidem explicationem suam habeant ex rerum universitatis conversionibus, quae exactis certis quibusdam temporum circuitibus evenerint.

θαυμαστότερα, διὰ δὲ χρόνου πλῆθος τὰ μὲν αὐτῶν ἀπέσβηκε, τὰ δὲ διεσπαρμένα εἴρηται χωρὶς ἕκαστα
C *ἀπ' ἀλλήλων. ὃ δ' ἐστὶ πᾶσι τούτοις αἴτιον τὸ πάθος, οὐδεὶς εἴρηκε, νῦν δὲ δὴ λεκτέον· εἰς γὰρ τὴν τοῦ βασιλέως ἀπόδειξιν πρέψει ῥηθέν.*

Cap. XIII. *ΝΕ. ΣΩ. Κάλλιστ' εἶπες, καὶ λέγε μηδὲν ἐλλείπων.*

ΞΕ. Ἀκούοις ἄν. τὸ γὰρ πᾶν τόδε τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς ξυμποδηγεῖ πορευόμενον καὶ συγκυκλεῖ, τοτὲ δ' ἀνῆκεν, ὅταν αἱ περίοδοι τοῦ προσήκοντος αὐτῷ μέτρου εἰλήφωσιν ἤδη χρόνου, τὸ δὲ πάλιν αὐ-
D *τόματον εἰς τἀναντία περιάγεται, ζῶον ὂν καὶ φρό-*

C. *πρέψει ῥηθέν*] *ἀπόδειξιν τὸ ῥηθέν* Ven. *ΣΥ.* Zitt. et corr. Ven. *Ξ.* v. annn. Dein *ἐλλεῖπον* Clark. Vat. Ven. *Π.*

εἰλήφωσιν ἤδη] Vitiose vulgo *εἰλήφασιν*, quod emendatum dedimus ex Clark. Vat. Cois!. Ven. *ΑΠΞΣΥ.* Par. BH. Flor. a. b. c. i. Zitt. Euseb. Paullo ante Eusebius *πορευόμενος*; male.

τὰ μὲν αὐτῶν ἀπέσβηκε] h. e. evanuerunt. Ponitur enim *ἀπέσβηκε* intransitive, ut loquuntur grammatici. Grammaticus Bekker. Anecd. I. p. 422. *Ἀπέσβη· ἐσβέσθη ἢ ἐπαύσατο, τέθνηκε.* Eadem fere habent Hesychius, Photius, alii. Timaeus Gloss. p. 40. *Ἀπέσβη* (corr. *ἀπέσβηκε*)· *τέθνηκεν*, ubi legenda est Ruhnkenii disputatio. Nonnulla de hoc verbo etiam Valckenar. Diatrib. p. 57, et Elmsleius ad Eurip. Med. v. 1187. exposuerunt. Proxima inter ipsa cohaerent sic: *τὸ δὲ πάθος, ὃ ἐστι πᾶσι τούτοις αἴτιον, οὐδεὶς εἴρηκεν.* Mox de *πρέψει* cum *ῥηθέν* iuncto conferas infra p. 288. C. *τούτοις τοίνυν ἓν ὄνομα πρέψει προσαγορευθέν.* Sophist. p. 219. C. *κτητικὴ λεχθεῖσα ἂν διαπρέψειεν.* Ibid. p. 227. C. *ποιόν τι λεχθὲν εὐπρεπέστατον εἶναι δόξει.*

C. *Ἀκούοις ἄν.*] h. e. *ἄκουε*. Solemne fuit narrandi initium *ἄκουε δή*. v. Tim. p. 20. D. Gorg. p. 522. E. ibique annn. Declarat vero philosophus optimarum civitatum origines ex antiquis narrationibus, quod ipsum similiter ab eo factum esse meminimus Legg. l. III. p. 678 sqq. Qua in re pro more suo ita versatus est, ut priscae aetatis traditiones ad suae ipsius sententiae rationes accommodaverit et cum iis in unum coniunxerit. Quod igitur narrat, summi dei imperio omnia optime contineri, et quam diu illud valuerit, omnibus contigisse vitam beatissimam, qualem Crono imperante homines egerint; ubi autem Deus ab imperio recesserit, ibi omnia turbari coepisse et in peius mutari, usque dum laboranti rerum universitati rursus ultro succurrerit; id videtur eo pertinere, ut mundum significetur sine divina mente non posse diu per se consistere, quippe qui, etiamsi aliquamdiu queat ipse moveri, tamen denique saevae necessitatis vi cedere cogatur.

νησιν εἰληχὸς ἐκ τοῦ συναρμόσαντος αὐτὸ κατ' ἀρχάς. D
τοῦτο δὲ αὐτῷ τὸ ἀνάπαλιν ἰέναι διὰ τόδ' ἐξ ἀνάγκης
ἔμφυτον γέγονεν.

ΝΕ. ΣΩ. Διὰ τὸ ποῖον δή;

ΞΕ. Τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ καὶ
ταὐτὸν εἶναι τοῖς πάντων θειοτάτοις προσήκει μόνοις,
σώματος δὲ φύσις οὐ ταύτης τῆς τάξεως. ὃν δὲ οὐρα-
νὸν καὶ κόσμον ἐπωνομάκαμεν, πολλῶν μὲν καὶ μακα-
ρίων παρὰ τοῦ γεννήσαντος μετείληφεν, ἀτὰρ οὖν δὴ
κεκοινώνηκέ γε καὶ σώματος. ὅθεν αὐτῷ μεταβολῆς
ἀμοίρῳ γίγνεσθαι διὰ παντὸς ἀδύνατον, κατὰ δύναμίν E
γε μὴν ὅ τι μάλιστα ἐν τῷ αὐτῷ κατὰ ταὐτὰ μίαν φο-

D. Τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν —] Laudat haec Theodoret. Affect. Graec. Cur. p. 63. 13. ed. Sylburg. = p. 172. ed. Gaisford. Is post καὶ ταὐτὸν εἶναι addit πάντως; pro ὃν δὲ οὐρανὸν habet καὶ δὴ ὃν οὐρανόν; et pro τοῦ γεννήσαντος legit τοῦ πεποιηκότος.

πολλῶν μὲν καὶ μακαρίων] μὲν οὖν. Clark. Vat. Ven. *II.*

Sed de his accuratius diximus in Prolegomm. p. 99 sqq. quae hic iterare supervacaneum est. Laudat locum usque ad verba γίγνεται τροπή. p. 270. D. Euseb. Praep. Ev. XI, 32. p. 559 sqq.

τοτὲ δὲ ἀνῆκεν] h. e. dimittere solet, quod fit exactis quibusdam temporum circuitibus.

ζῷον ὂν καὶ φρόνησιν —] Indidit enim Deus ei animam, rationis participem; de qua Platonis sententia v. Tim. p. 30. B sqq. Hinc igitur cessante Dei imperio mundus utique per aliquod tempus in orbem circumagitur et quidem in partem contrariam; sed non ea est in rerum natura animi vis, ut diu possit rectum tenere cursum: igitur mox prorumpente innata ipsi imbecillitate ab iusto ordine rectaque ratione deflectit: quippe colligatum ipsi corpus est, quod est constantiae ac sempiternitatis expers. Atque in hoc ipso etiam contrarii motus causa quaeri debet. Est enim corporis natura divino opposita et contraria: quamobrem ei etiam contrarius motus convenit, prouti aut divino paret imperio aut ipsa vi sua rotatur ac circumagitur. Conferri cum his utiliter possunt quae plenius paullo alioque consilio de corporum coelestium motibus exponuntur in Timaeo p. 36. B. C. Ibidem p. 27. B. sqq. de rerum mutabilium et sempiternarum discrimine disputatur.

E. κατὰ δύναμίν γε μὴν ὅ τι μάλιστα —] h. e. veruntamen pro viribus quam maxime in eodem (h. e. in eodem spatio) eadem ratione una agitatione movetur: quapropter nactum est circuitum, qui haberet quam minimam in sua ipsius motione declinationem. Rerum universitatem motum orbicularem accepisse, ut quam proxime ad rerum divinarum constantiam accederet, etiam

ρὰν κινεῖται· διὸ τὴν ἀνακύκλησιν εἴληχεν, ὅ τι σμικροτάτην τῆς αὐτοῦ κινήσεως παράλλαξιν. αὐτὸ δὲ ἑαυτὸ στρέφειν ἀεὶ σχεδὸν οὐδενὶ δυνατὸν πλὴν τῷ τῶν κινουμένων αὖ πάντων ἡγουμένῳ. κινεῖν δὲ τούτῳ τοτὲ μὲν ἄλλως, αὖθις δὲ ἐναντίως οὐ θέμις. ἐκ πάντων δὴ τούτων τὸν κόσμον μήτε αὐτὸν χρὴ φάναι στρέφειν ἑαυτὸν ἀεί, μήτ' αὖ ὅλον ἀεὶ ὑπὸ θεοῦ στρέφεσθαι διττὰς καὶ ἐναντίας περιαγωγάς, μήτ' αὖ
270 δύο τινὲ θεὼ φρονοῦντε ἑαυτοῖς ἐναντία στρέφειν αὐτόν, ἀλλ' ὅπερ ἄρτι ἐῤῥήθη καὶ μόνον λοιπόν, τοτὲ μὲν ὑπ' ἄλλης συμποδηγεῖσθαι θείας αἰτίας, τὸ ζῆν πάλιν ἐπικτώμενον καὶ λαμβάνοντα ἀθανασίαν ἐπισκευαστὴν παρὰ τοῦ δημιουργοῦ, τοτὲ δ' ὅταν ἀνε-

E. *αὖ πάντων ἡγουμένῳ*] *αὖ* additum nunc ex Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΠΣΥΞ*. Par. BCEFH. Eusebio et edit. Bas. 2. In Flor. i. scriptum extat *τῶν κινουμένων ἁπάντων*. non male.

P. 270. *δι' ἑαυτοῦ αὐτὸν ἰέναι*] Sic scripsi ex Eusebio, assentientibus nuperis editoribus. Vett. editt. cum codd. *δι'*

in Timaeo p. 40. A. B. docetur. Haec ipsa vero sententia quod ibi aliquanto dilucidius exponitur, inde iure colligi videtur posse, Timaeum post Politicum demum litteris consignatum esse; id quod etiam aliis argumentis probabile fit, de quibus in Prolegomenis disputavimus. Pro *τῆς αὐτοῦ κινήσεως* Astius legendum censet *τῆς ταὐτοῦ κινήσεως*, quod in codicibus repertum non est. Neque opus est illa mutatione, siquidem locum eo quo nos fecimus modo interpretari licet. Accedit quod, si Astii ratio vera esset, scriptum oportebat esse *τῆς τοῦ ταὐτοῦ κινήσεως παράλλαξιν*.

ἐκ πάντων δὴ τούτων τὸν κόσμον —] Ex eo, quod nihil ipsum se movere possit praeter illud unum, quod sit omnis motus caussa et principium, id ipsum autem eodem semper modo moveat, consequi censet, mundum nec semper semetipsum circumagere, nec semper totum moveri a Deo, neque etiam a duobus Diis inter se contraria sentientibus agitari; sed quod unum superest statuendum esse, mundum modo a Deo, modo per per se ipsum moveri, atque inde fieri, ut orientis et occidentis plagae repente mutentur. Post *ὅπερ ἄρτι ἐῤῥήθη καὶ μόνον λοιπόν* sc. *ἐστίν*, repetendum ex superioribus *χρὴ φάναι*.

P. 270. *λαμβάνοντα ἀθανασίαν ἐπισκευαστὴν παρὰ τοῦ δ.*] immortalitatem ab opifice comparatam. Dein ex Eusebio scripsimus *δι' ἑαυτοῦ αὐτὸν ἰέναι*. Nam quod libri Platonis habent *δι' ἑαυτόν*, id cum sententia scriptoris minime concordat, qui hoc dicit, mundum, ubi a Deo dimissus sit, *per se* ipsum ire, *κατὰ καιρόν*, h. e. opportune, s. opportuno tempore iam dimissum talem, ut multas possit rursus conficere conversiones. Nam pertinet *κατὰ καιρόν* ad *ἀφεθέντα τοιοῦτον*, neque audiendus

θῇ, δι' ἑαυτοῦ αὐτὸν ἰέναι, κατὰ καιρὸν ἀφεθέντα τοιοῦτον, ὥστε ἀνάπαλιν πορεύεσθαι πολλὰς περιόδων μυριάδας διὰ τὸ μέγιστον ὂν καὶ ἰσορροπώτατον ἐπὶ σμικροτάτου βαῖνον ποδὸς ἰέναι.

ΝΕ. ΣΩ. Φαίνεται γοῦν δὴ καὶ μάλα εἰκότως B *εἰρῆσθαι πάνθ' ὅσα διελήλυθας.*

Cap. XIV. *ΞΕ. Λογισάμενοι δὴ ξυννοήσωμεν τὸ πάθος ἐκ τῶν νῦν λεχθέντων, ὃ πάντων ἔφαμεν εἶναι τῶν θαυμαστῶν αἴτιον. ἔστι γὰρ οὖν δὴ τοῦτ' αὐτό.*

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ ποῖον;

ΞΕ. Τὸ τὴν τοῦ παντὸς φορὰν τοτὲ μὲν ἐφ' ἃ νῦν κυκλεῖται φέρεσθαι, τοτὲ δ' ἐπὶ τἀναντία.

ἑαυτὸν αὐτὸν ἰέναι. Praeterea emendavi nunc interpunctionem, de qua v. infra.

διὰ τὸ μέγιστον] *διὰ δὲ τὸ μ.* Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΠΣΥ.* Nonne *δή* legendum?

B. *Φαίνεται γοῦν δὴ —*] Sic dedi ex Eusebio. Editt. omnes cum codd. *γ' οὖν δή*. v. ann.

est Schleiermacherus, qui illud ad praegressa *δι' ἑαυτὸν ἰέναι* referebat locumque interpretabatur sic: dann aber von sich selbst geht so gut sie kann. Prave locus vulgo in hunc modum interpungebatur: *κατὰ καιρὸν ἐφεθέντα, τοιοῦτον ὥστε κ. τ. λ.* Maius tamen vitium haeret in proximis, ubi caussa indicatur, cur mundus, quamvis sibi soli permissus, tamen multa periodorum millia retrogradus peragere queat. Etenim quum sit maximus, tamen et aequilibris est et propter figuram, quam accepit, orbicularem minimo insistens pedi incedit. Haec autem sententia ut e Graecis exeat, scribendum est: *διὰ τὸ μέγιστον ὄντα ἰσορροπώτατον ἐπὶ σμικροτάτου βαίνοντα ποδὸς ἰέναι.* Aliter haec expedire nuper studuit Herm. Sauppius Act. Societ. Gr. Lips. Vol. II. Fasc. II. p. 420. quibus tamen non adducor ut quidquam meorum retractem. Prave is etiam *τοιοῦτον* retulit ad *καιρόν*, quod per sententiae rationem fieri non potest.

B. *Φαίνεται γοῦν δὴ καὶ μάλα*] Sic scripsi nunc ex Eusebio. Libri Platonis omnes *Φαίνεταί γ' οὖν δή*. Differunt *γοῦν* et *γ' οὖν* eo, quod *γοῦν* habet vim asseverandi cum quadam restrictione, ut Latinum quidem certe sive certe quidem, pertinetque ad universam sententiam, *γ' οὖν* autem sic usurpatur, ut *γε* praecedentis vocabuli vim acuat et dein *οὖν* per se inferatur. Itaque supra p. 257. D. recte dicitur: *τὸν μέν γε οὖν ὑμεῖς κατὰ τὴν τοῦ προσώπου φύσιν ὅμοιον ἐμοὶ φαίνεσθαί φατε*; nam *γε* pertinet ad *τὸν μέν*, eique *οὖν* ita subiicitur, ut sit argumentantis et ratiocinantis. Iam his expositis facile erit ad diiudicandum, cur hoc loco *γοῦν* requiratur. Habet enim locum asseveratio cum restrictione, quae totam sententiam afficit. Quippe dicit Socra-

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δή;

ΞΕ. Ταύτην τὴν μεταβολὴν ἡγεῖσθαι δεῖ τῶν περὶ τὸν οὐρανὸν γιγνομένων τροπῶν πασῶν εἶναι μεγίστην καὶ τελεωτάτην τροπήν.

C *ΝΕ. ΣΩ. Ἔοικε γοῦν.*

ΞΕ. Μεγίστας τοίνυν καὶ μεταβολὰς χρὴ νομίζειν γίγνεσθαι τότε τοῖς ἐντὸς ἡμῖν οἰκοῦσιν αὐτοῦ.

ΝΕ. ΣΩ. Καὶ τοῦτ' εἰκός.

ΞΕ. Μεταβολὰς δὲ μεγάλας καὶ πολλὰς καὶ παντοίας συμφερομένας ἆρ' οὐκ ἴσμεν τὴν τῶν ζώων φύσιν ὅτι χαλεπῶς ἀνέχεται;

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΞΕ. Φθοραὶ τοίνυν ἐξ ἀνάγκης τότε μέγισται ξυμβαίνουσι τῶν τε ἄλλων ζώων, καὶ δὴ καὶ τὸ τῶν
D *ἀνθρώπων γένος ὀλίγον τι περιλείπεται. περὶ δὲ τούτους ἄλλα τε παθήματα πολλὰ καὶ θαυμαστὰ καὶ καινὰ ξυμπίπτει, μέγιστον δὲ τόδε καὶ ξυνεπόμενον*

Πῶς δή] Schleiermacherus coni. *Πῶς δ' οὔ;*

τελεωτάτην τροπήν] Sic Clark. Vat. Ven. *ΠΞ*. Flor. i. Vulgo erat *τελειοτάτην*.

C. *Καὶ τοῦτ' εἰκός*] Sic Flor. i. et Euseb. Editt. *Καὶ τοῦτο εἰκός*. Dein Euseb. *Μεταβολὰς δέ γε πολλὰς ἢ μεγάλας*.

D. *τοῦ παντὸς ἀνειλίξει*] Sic Clark. Vat. Coisl. Veneti, Parisini, alii, pro vulg. *ἀνελίξει*. v. Lobeck. ad Phrynich. p. 29 sq, *ἔστη πάντων*] *ἔστι* Clark. Vat. et pr. Ven. *Π*, errore.

tes hoc: Illud quidem certum est, omnia videri admodum probabiliter esse disputata, quae exposuisti. Sic Sophist. p. 232. E. *Φαίνεται γοῦν δὴ σχεδὸν οὐδὲν ὑπολιπεῖν*. Ibid. p. 232. B. *Λέγεται γοῦν δὴ περὶ αὐτῶν ταῦτα*. conf. ad Euthydem. p. 299. E.

C. *τοῖς ἐντὸς ἡμῖν οἰκοῦσιν αὐτοῦ*] h. e. *ἡμῖν τοῖς ἐντὸς αὐτοῦ οἰκοῦσιν*.

καὶ παντοίας συμφερομένας] h. e. concurrentes, convenientes. — *οὐκ ἴσμεν τὴν — φύσιν ὅτι χ. ἀν.* Notum genus attractionis. Sic p. 277. E. *τοὺς γὰρ παῖδας ἴσμεν — ὅτι — διαισθάνονται*. Euthydem. p. 294. C. *οἶσθα Εὐθύδημον ὁπόσους ὀδόντας ἔχει*. Ibid. p. 297. B. *ἐπίσταμαι τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ὅτι ἄδικοί εἰσιν*. Sed plurima rei exempla suppeditabunt quos laudavit Matthiae Gr. §. 296.

D. *καὶ δὴ καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος —*] Expectabas *καὶ δὴ καὶ τῶν ἀνθρώπων*. Nunc constructione leviter immutata dixit, *καὶ δὴ καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ὀλίγον τι περιλείπεται*. Ceterum conf. Legg. III. p. 676. C. *βραχύ τι τὸ τῶν ἀνθρώπων λείπεσθαι γένος*.

μέγιστον δὲ τόδε καὶ ξυνεπ.] Hoc *δέ* respondet praegresso *τε* in verbis *ἄλλα τε παθή-*

τῇ τοῦ παντὸς ἀνειλίξει, τότε ὅταν ἡ τῆς νῦν καθεστηκυίας ἐναντία γίγνηται τροπή.

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ ποῖον;

ΞΕ. Ἣν ἡλικίαν ἕκαστον εἶχε τῶν ζώων, αὕτη πρῶτον μὲν ἔστη πάντων, καὶ ἐπαύσατο πᾶν ὅσον ἦν θνητὸν ἐπὶ τὸ γεραίτερον ἰδεῖν πορευόμενον, μεταβάλλον δὲ πάλιν ἐπὶ τοὐναντίον οἷον νεώτερον καὶ ἀπαλώτερον ἐφύετο. καὶ τῶν μὲν πρεσβυτέρων αἱ λευκαὶ τρίχες ἐμελαίνοντο, τῶν δ' αὖ γενειώντων αἱ παρειαὶ λεαινόμεναι πάλιν ἐπὶ τὴν παρελθοῦσαν ὥραν ἕκαστον καθίστασαν, τῶν δὲ ἡβώντων τὰ σώματα λεαινόμενα καὶ σμικρότερα καθ' ἡμέραν καὶ νύκτα ἑκάστην γιγνόμενα πάλιν εἰς τὴν τοῦ νεογενοῦς παιδὸς φύσιν ἀπῄει, κατά τε τὴν ψυχὴν καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἀφομοιούμενα· τὸ δ' ἐντεῦθεν ἤδη μαραινόμενα κομιδῇ τὸ πάμπαν ἐξηφανίζετο. τῶν δ' αὖ βιαίως τελευτώντων ἐν τῷ τότε χρόνῳ τὸ τοῦ νεκροῦ E

E. ἕκαστον καθίστασαν] Mendose vulgo et praeter codicum fidem καθέστασαν. Deinceps τῶν δὲ ἡβ. recte Clark. Vat. Ven. *Α Π.* Par. H. Flor. a. c. i. pro v. τῶν τε ἡβ.

κατά τε τὴν ψυχὴν] τε om. Coisl. Ven. *Α.* Par. BCEFH. Flor. a. b. c. cum Ald. et Bas. 1. Caussa omissionis cernitur in voculae collocatione, de qua v. ad Criton. p. 43. B. Phaedon. p. 86. C. 89. D. 94. D.

τὸ τοῦ νεκροῦ σῶμα] σῶμα om. Clark. Vat. Ven. *Π.*

ματα, cuius structurae exempla bene multa enumeravimus ad Tim. p. 20. A. Symp. p. 186. E. Men. p. 93. C. Dein pro vulg. ἀνελίξει recte libri optimi ἀνειλίξει, quod iidem servarunt etiam infra p. 286. B. περὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀνείλιξιν. Sic Phileb. p. 15. E. πάλιν ἀνειλίττων. Symp. p. 206. D. ἀποτρέπεται καὶ ἀνείλεται. conf. Lobeck. ad Phrynich. p. 29 sq.

ἐπὶ τὸ γεραίτερον ἰδεῖν πορευόμενον] ad aetatem provectiorem spectare et procedere. Similiter De Rep. VII. p. 514. B. εἰς τὸ πρόσθεν ὁρᾶν. Theaetet. p. 174. E. al.

E. ἐπὶ τὴν παρελθοῦσαν ὥραν] h. e. ad pristinum florem aetatis, qua nondum barbati extitissent. Pro καθίστασαν, quod codd. praebuerunt, male vulgo καθέστασαν, quo servato Stephanus ἑκάστου scribendum putabat. Sed praestat quod nunc ex libris fere omnibus restitutum est.

P. 271. τὸ δὲ γηγενὲς εἶναί ποτε — τοῦτ' ἦν] Eodem modo p. 286. E. τὸν περὶ τὰς τοιάσδε ξυνουσίας ψέγοντα λόγων μήκη καὶ τὰς ἐν κύκλῳ περιόδους οὐκ ἀποδεχόμενον, τοῦτον σπουδάζειν. P. 310. B. μᾶλλον δέ γε δίκαιον τῶν περὶ τὰ γένη ποιουμένων ἐπιμέλειαν, τούτων πέρι λέγειν. Theaet. p. 171.

σῶμα ταὐτὰ ταῦτα πάσχον παθήματα διὰ τάχους
271 ἄδηλον ἐν ὀλίγαις ἡμέραις διεφθείρετο.

Cap. XV. ΝΕ. ΣΩ. Γένεσις δὲ δὴ τίς τότ' ἦν, ὦ ξένε, ζώων; καὶ τίνα τρόπον ἐξ ἀλλήλων ἐγεννῶντο;

ΞΕ. Λῆλον, ὦ Σώκρατες, ὅτι τὸ μὲν ἐξ ἀλλήλων οὐκ ἦν ἐν τῇ τότε φύσει γεννώμενον, τὸ δὲ γηγενὲς εἶναί ποτε γένος λεχθέν, τοῦτ' ἦν τὸ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐκ γῆς πάλιν ἀναστρεφόμενον, ἀπεμνημονεύετο δὲ ὑπὸ τῶν ἡμετέρων προγόνων τῶν πρώτων, οἳ τελευτώσῃ μὲν τῇ προτέρᾳ περιφορᾷ τὸν ἑξῆς

διὰ τάχους ἄδηλον] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Par. B C H. Flor. i. et ed. Bas. 2. Vulgo scribebatur *διὰ τέλους*.

P. 271. *τὸ δὲ γηγενὲς*] *δὴ* post *δὲ* addit unus Flor. 1.

B. *τῷ τοὺς πρεσβύτας*] *τὸ* Vat. Ven. *Π.*

ἀναβιωσκομένους ἕπεσθαι] *ἕπεσθαι* om. Clark. Vat. Ven. *Π.* v. annot., unde clara fiet huius omissionis caussa et ratio.

D. *καὶ τὰ δοκοῦντα ἀεὶ ταῦτα λέγειν.* Ibid. p. 172. B. *τὸ κοινῇ δόξαν τοῦτο γίγνεσθαι ἀληθές.* Charmid. p. 163. C. *τὸν τὰ ἑαυτοῦ πράττοντα τοῦτον σώφρονα καλεῖν.* ubi v. ann. Ceterum totum hunc locum inde ab *Γένεσις δὲ δὴ τίς τότ' ἦν* usque ad *ἕπεται τοῖς ἔμπροσθεν* habet Eusebius Praepar. Evang. XI, 33. p. 561. ed. Viger.

οἳ τελευτώσῃ μὲν τῇ προτέρᾳ —] qui exeunti priori circuitui tempore deinceps insequuto erant vicini, et huius initio nati.

B. *ἐχόμενον γάρ ἐστι τῷ τοὺς πρ.*] Hic locus dubitari vix potest quin corruptelae labem susceperit. Nam primum quidem insolens est istud *ἐχόμενόν ἐστι τῷ ἰέναι*, quum nec Platoni nec cuiquam alii scriptori dativus post *ἐχόμενόν ἐστιν* usquam placuerit. Nam alia certe ratio adverbii *ἑξῆς* est, quod modo cum genitivo modo cum dativo copulari utique exploratum habemus. Sed magis etiam offendit, quod deinde simplex infinitivus *ἕπεσθαι* infertur, qui non potest aliunde nisi ex *ἐχόμενόν ἐστι* suspensus esse. Quis vero unquam sic loquutus est: *ἐχόμενόν ἐστι τῷ τοὺς πρεσβύτας ἐπὶ τὴν τοῦ παιδὸς ἰέναι φύσιν ἄλλους ἀναβιωσκομένους ἕπεσθαι τῇ τροπῇ*? Omnem hanc loci difficultatem protenus sustuleris una litterula mutata: Etenim ubi pro *ἐχόμενον* scripseris *ἑπόμενον*, omnia plana erunt et expedita. Nam ita et dativi ratio satis constabit, et infinitivus cum accusativo idoneam habebit explicationem. Est enim verborum sententia haec: Quod enim senes in pueri redeunt naturam, huic consequens est, e mortuis vicissim et in terra sepultis rursus ibi concrescentes et reviviscentes (homines), sequi rerum conversionem utpote in generationis contrarium revolutos. Emendationem nostram non mediocriter confirmat quod Socra-

χρόνον ἐγειτόνουν, τῆσδε δὲ κατ' ἀρχὰς ἐφύοντο· τού- B
των γὰρ οὗτοι κήρυκες ἐγένονθ' ἡμῖν τῶν λόγων, οἳ
νῦν ὑπὸ πολλῶν οὐκ ὀρθῶς ἀπιστοῦνται. τὸ γὰρ ἐν-
τεῦθεν, οἶμαι, χρὴ ξυννοεῖν. ἐχόμενον γάρ ἐστι τῷ
τοὺς πρεσβύτας ἐπὶ τὴν τοῦ παιδὸς ἰέναι φύσιν, ἐκ
τῶν τετελευτηκότων αὖ, κειμένων δ' ἐν γῇ, πάλιν ἐκεῖ
ξυνισταμένους καὶ ἀναβιωσκομένους ἕπεσθαι τῇ τροπῇ
συνανακυκλουμένους εἰς τἀναντία τῆς γενέσεως, καὶ
γηγενεῖς δὴ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον ἐξ ἀνάγκης φυ- C
μένους οὕτως ἔχειν τοὔνομα καὶ τὸν λόγον, ὅσους μὴ
θεὸς αὐτῶν εἰς ἄλλην μοῖραν ἐκόμισεν.

συνανακυκλουμένους εἰς τἀναντία] V. *συνανακυκλουμένης*, quod ex Zitt. emendavi. Suaserat iam Schleiermacher.

C. *μοῖραν ἐκόμισεν*] Sic Clark. Vat. Ven. *ΠΣΥΑΞ*. Par. BC. Flor. a. c. i. Zitt. Euseb. et edit. Bas. 2. Legebatur *ἐκόμησεν*. Paullo ante Euseb. *κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον*, probante Heusdio Specim. p. 134.

tes deinde Hospiti respondet: *Κομιδῇ μὲν οὖν τοῦτό γε ἔσεται τοῖς ἔμπροσθεν*. Et faciunt huc etiam illa p. 271. E. *ἄλλα θ' ὅσα τῆς τοιαύτης ἐστὶ κατακοσμήσεως ἑπόμενα*. Nec vero quidquam offensionis habet, quod ex *ἑπόμενόν ἐστι* suspensus est qui mox infertur infinitivus *ἕπεσθαι*. Quid enim molestiae habere potest, quod idem verbum bis, sed diversa significatione positum legitur? Quanquam in hac iteratione videntur offendisse grammatici, quibus codicum Bodl. et Vat. debemus recensionem. Nam in his libris *ἕπεσθαι* est deletum. Verum illi iniuria. Praeter illud *ἐχόμενον* vero etiam aliud mendum in hoc loco inerat. Scribebatur enim *συνανακυκλουμένης*, quod cohaereret cum *τῆς γενέσεως*. At enim vero ipsam generationem nunc non posse dici *συνανακυκλοῦσθαι*, adeo est manifestum, ut id demonstrare velle paene ineptum videatur. Recte igitur Schleiermacherus accusativum *συνανακυκλουμένους* restituendum iudicavit, quem tandem ex codice Zittaviensi revocavimus. Etenim ita participio significatur, qui fiat, ut illi rursus concrescant et reviviscant, quam constructionis rationem aliis locis abunde illustravimus.

C. *οὕτως ἔχειν τοὔνομα καὶ τὸν λόγον*] Verissime Heusdius iudicavit, neque Eusebii lectionem *τοὔνομα καὶ τὸν τρόπον*, nec Stephani coniecturam *τοὔνομα κατὰ τὸν λόγον*, sed unice vulgatam *τοὔνομα καὶ τὸν λόγον* pro vera probandam esse. Sententia enim haec est: terrigenas et nomine dici et definitione significari. Ita fere *ὄνομα* et *λόγος* inter se distinguuntur, ut *λόγος* sit quo nomen definitur ac declaratur. v. Sophist. p. 218. C. 221. A. Euthydem. p. 285. 286. conf. D. Heins. ad Max. Tyr. in not. p. 90.

ὅσους μὴ θεὸς αὐτῶν — ἐκόμισεν] nisi quos deus ad aliam sortem deduxis-

ΝΕ. ΣΩ. Κομιδῇ μὲν οὖν τοῦτό γε ἕπεται τοῖς ἔμπροσθεν. ἀλλὰ δὴ τὸν βίον ὃν ἐπὶ τῆς Κρόνου φῂς εἶναι δυνάμεως, πότερον ἐν ἐκείναις ἦν ταῖς τροπαῖς ἢ ἐν ταῖςδε; τὴν μὲν γὰρ τῶν ἄστρων τε καὶ ἡλίου μεταβολὴν δῆλον ὡς ἐν ἑκατέραις ξυμπίπτει ταῖς τροπαῖς γίγνεσθαι.

ΞΕ. Καλῶς τῷ λόγῳ ξυμπαρηκολούθηκας. ὃ δ' D *ἥρου περὶ τοῦ πάντα αὐτόματα γίγνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ἥκιστα τῆς νῦν ἐστὶ καθεστηκυίας φορᾶς,*

φῂς εἶναι δυνάμεως] *δυναστείας* Ven. *ΞΠ.* Flor. i. et edit. Bas. 2. Habent idem in marg. Par. BC. Flor. a. c. recte fortasse.

set, ut non rursus homines nascerentur. Male libri nonnulli *ἐκόσμησε*: quod deberi videtur iis, qui mortuos vellent in naturas commutari humana praestantiores.

τῶν ἄστρων τε καὶ ἡλίου μεταβολήν] Non opus est *τοῦ* articulo ante *ἡλίου*. De Rep. VII. p. 516. A. *προσβλέπων τὸ τῶν ἄστρων τε καὶ σελήνης φῶς*. Phaedon. p. 111. C. *καὶ τὸν γε ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι.*

D. *ὡς νῦν κατὰ τόπους*—] Posteaquam dictum est, Deum universi circuitus gessisse curam, nunc singularum mundi partium gubernationem singulis diis inferioribus demandatam fuisse narratur. Quum igitur superioribus novum quiddam adiiciatur, primum desideratur vocula aliqua, qua huius sententiae cum antecedentibus coniunctio ac necessitudo significetur; deinde verbum finitum requiritur, quo profecto carere non possumus. Quamobrem nos quidem etiamnunc locum sic refingendum censemus: *ὡς δὲ νῦν κατὰ τόπους, ταὐτὸν τοῦτο ὑπὸ θεῶν ἀρχόντων πάντ' ἦν τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα*, quemadmodum autem nunc singuli loci (diis sacri sunt) ita omnes mundi partes inter deos principes erant divisae ab iisque gubernatae. Quo casu accideret, ut *δὲ* omitteretur, vel ex praegresso *ὡς* intelligere licet, cuius littera finalis errori ansam praebuit. Et potuit *δέ* tanto lubentius a grammaticis extrudi, posteaquam *πάντ' ἦν* in *πάντῃ* depravatum fuit. Tunc enim coniunctionis ligamento non amplius opus visum est. Verum enim vero *πάντῃ* per se esse ineptum aut certe perquam incommodum et molestum, vix est quod demonstremus. Nam quod subsequitur *τὰ τοῦ κόσμου μέρη*, id potius *πάντα* flagitare videtur. Ita igitur *κατὰ τόπους* et *πάντα τὰ τοῦ κόσμου μέρη* inter se opponitur, idque rectissime. Enimvero *κατὰ τόπους* idem est quod singuli loci, obtinetque locum nominativi; quem usum loquendi illustravimus ad Remp. IV. p. 436. A. Hoc igitur qui non perspicerent, illi *κατὰ τόπους* potius adverbium aliquod respondere oportere sibi persuaserunt ideoque pravo consilio invexerunt istud suum *πάντῃ*. Praeter hos erro-

ἀλλ' ἦν καὶ τοῦτο τῆς ἐμπροσθεν. τότε γὰρ αὐτῆς πρῶτον τῆς κυκλήσεως ἦρχεν ἐπιμελούμενος ὅλης ὁ Θεός· ὡς νῦν κατὰ τόπους, ταὐτὸν τοῦτο ὑπὸ Θεῶν ἀρχόντων πάντῃ τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα. καὶ δὴ καὶ τὰ ζῶα κατὰ γένη καὶ ἀγέλας οἷον νομῆς θεῖοι διειλήφεσαν δαίμονες, αὐτάρκης εἰς πάντα ἕκαστος ἑκάστοις ὢν οἷς αὐτὸς ἔνεμεν, ὥστε οὔτ' ἄγριον ἦν οὐδὲν οὔτε ἀλλήλων ἐδωδαί, πόλεμός τε οὐκ ἐνῆν οὐδὲ στάσις τὸ παράπαν· ἄλλα θ' ὅσα τῆς τοιαύτης ἐστὶ κατακοσμήσεως ἑπόμενα, μυρί' ἂν εἴη λέγειν. τὸ E

D. *οἷον νομῆς θειοῖ*] V. *νομεῖς*, quod non dubitavimus cum Bekkero auctoritate Coisl. Ven. *A.* Par. BCFH. Flor. a. b. c. mutare.

res, quibus Platonis oratio misere corrupta est, notandus etiam Stephani error est, qui aut *κατὰ ταὐτὸν τοῦτο* legendum putabat, aut dicendum *ταὐτὸν* irrepsisse pro alio verbo. Quasi vero *ταὐτὸ τοῦτο* non sexcenties significaret hoc eodem modo; itidem. Exempla rei si requiras, conferas quaeso quae ad Sympos. p. 178. E. consignavimus. Sauppius Act. Soc. Gr. Lips. II. 2. p. 421. malebat *εἶτ' ἦν* pro *ὡς νῦν*, quo nihil proficitur. Atque haec quidem de verbis. Sequitur, ut de loci sententia explicandum sit. Censet igitur Hospes Eleaticus, mundi universi circuitum totum provida cura sua rexisse Deum; singulas autem mundi plagas Diis imperantibus fuisse demandatas ac distributas, atque Daemones tanquam gregis pastores singulorum animalium saluti prospexisse, ita tamen, ut homines ipsius Dei cura gavisi sint. Egregie cum his conveniunt quae Legg. IV. p. 713. C sqq. de eodem argumento exponuntur. Ibi enim Hospes Saturni imperium laudans felicitatis illius, quae tunc regnaverit, caussas maxime etiam exinde repetit, quod rerum humanarum cura Daemonibus fuerit demandata, *ταὐτὸν δή*, inquit, *καὶ ὁ Θεὸς ἅρα καὶ φιλάνθρωπος ὢν τὸ γένος ἄμεινον ἡμῶν ἐφίστη, τὸ τῶν δαιμόνων, ὃ διὰ πολλῆς μὲν αὐτοῖς ῥᾳστώνης, πολλῆς δ' ἡμῖν ἐπιμελουμένοις ἡμῶν εἰρήνην τε καὶ αἰδῶ καὶ εὐνομίαν καὶ ἀφθονίαν δίκης παρεχόμενον ἀστασίαστα καὶ εὐδαίμονα τὰ τῶν ἀνθρώπων γένη ἀπειργάζετο.* Quibus deinde addit praeclaram hanc sententiam: „λέγει δὴ καὶ νῦν οὗτος ὁ λόγος ἀληθείᾳ χρώμενος, ὡς, ὅσων ἂν πόλεων μὴ Θεός, ἀλλά τις ἀρχὴ θνητός, οὐκ ἔστι κακῶν αὐτοῖς οὐδὲ πόνων ἀνάφυξις· ἀλλὰ μιμεῖσθαι δεῖν ἡμᾶς οἴεται πάσῃ μηχανῇ τὸν ἐπὶ τοῦ Κρόνου λεγόμενον βίον, καὶ ὅσον ἐν ἡμῖν ἀθανασίας ἐστί, τούτῳ πειθομένους δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ τὰς τ' οἰκήσεις καὶ τὰς πόλεις διοικεῖν, τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας νόμον. conf. etiam Tim. p. 39. E. sqq. Ceterum haec omnia quorsum pertineant, copiose in Prolegomenis expositum est.

E. *ὅσα τῆς τοιαύτης ἐστὶ κατακοσμήσεως ἑπόμενα*] Nemo quisquam dixit *ἕπεσθαί τινος*. Quamobrem fortasse correxeris *ἐχόμενα*, ut contrarium hic vitium agnoscatur, quam

δ' οὖν τῶν ἀνθρώπων λεχθὲν αὐτομάτου πέρι βίου διὰ τὸ τοιόνδε εἴρηται. θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῷον ὂν ἕτερον θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι. νέμοντος δὲ ἐκείνου πολιτεῖαί τε οὐκ ἦσαν οὐδὲ κτή-
272 σεις γυναικῶν καὶ παίδων· ἐκ γῆς γὰρ ἀνεβιώσκοντο πάντες, οὐδὲν μεμνημένοι τῶν πρόσθεν· ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα ἀπῆν πάντα, καρποὺς δὲ ἀφθόνους εἶχον ἀπό τε δένδρων καὶ πολλῆς ὕλης ἄλλης, οὐχ ὑπὸ γεωργίας φυομένους, ἀλλ' αὐτομάτης ἀναδιδούσης τῆς γῆς. γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο· τὸ γὰρ τῶν ὡρῶν αὐτοῖς ἄλυπον ἐκέκρατο, μαλακὰς δὲ εὐνὰς εἶχον ἀναφυομένης ἐκ γῆς πόας

E. *γένη φαυλότερα αὐτῶν νομ.*] V. *αὐτῶν*. Ven. Ξ. Flor. i. *ἑαυτῶν*.

πολιτεῖαί τε οὐκ ἦσαν] *γε* coni. Stephanus. male; v. ann.

P. 272. *εἶχον ἀπό τε δένδρων*] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *AΠ*. Par. BCEFH. Flor. a. b. c. i. Legebatur *δρυῶν*.

quod in superioribus sustulimus. Cautius tamen hic versandum putamus. Potest enim genitivus ex *ἑπόμενα* ideo pendere, quia participium vim et potestatem substantivi nominis exercet. Quae constructio etsi plerumque ibi tantum locum habet, ubi participium cum articulo iungitur, tamen interdum etiam apud solum participium reperitur. De Rep. I. p. 343. C. *ἡ δικαιοσύνη τε καὶ τὸ δίκαιον ἀλλότριον ἀγαθὸν τῷ ὄντι, τοῦ κρείττονος καὶ ἄρχοντος ξυμφέρον*. Ibid. II. p. 367. C. *ξυμφέρον τοῦ κρείττονος*. Alia suppeditabit Lobeck. ad Aiac. v. 360. Similiter Cicero De Fin. IV, 24. cuius consequens sit.

τὸ δ' οὖν τῶν ἀνθρώπων λεχθὲν] Verba sic iungenda: *τὸ δ' οὖν λεχθὲν περὶ βίου αὐτομάτου τῶν ἀνθρώπων*. Istud *βίου* nunc de victu sive rebus ad vitam necessariis, intelligendum maximeque de alimentis; quam vocabuli usum nec Platoni fuisse incognitum docuit Astius ad Legg. XI, 14. Voculae *δ' οὖν* hic rursus in epanalepsi sic dicuntur, ut eas reddere liceat, sed ut illuc revertar, sed ut mittam haec etc. v. ad p. 264. B. Mox ne *οἱ ἄνθρωποι* vel *ἄνθρωποι*, addito articulo, legendum putes, v. Criton. p. 51. A. Protagor. p. 321. D. 322. A. C. 355. A. E. 356. E. De Rep. X. p. 603. C. 619. B. Apol. p. 39. C. Sympos. p. 206. A. al. quibus locis articulum infercire velle ideo temerarium foret, quia casuum obliquorum usus omnem aufert mutationis facilitatem.

πολιτεῖαί τε οὐκ ἦσαν] Stephanus *γε* scribendum putabat, probante Fischero. At *τε* non semper sequentem habet *τε* vel *οὔτε*, sed etiam *δέ* et *οὐδέ*. v. Boeckh. in Min. p. 86. Hermann. ad Viger. p. 836. nostra ad Euthyphr. p. 3. E. Crat. p. 406. E. Symp. p. 186. E.

ἀφθόνου. τὸν δὴ βίον, ὦ Σώκρατες, ἀκούεις μὲν τὸν B
τῶν ἐπὶ Κρόνου· τόνδε δ', ὃν λόγος ἐπὶ Διὸς εἶναι,
τὸν νυνί, παρὼν αὐτὸς ἤσθησαι. κρῖναι δ' αὐτοῖν τὸν
εὐδαιμονέστερον ἆρ' ἂν δύναιό τε καὶ ἐθελήσειας;

ΝΕ. ΣΩ. Οὐδαμῶς.

ΞΕ. Βούλει δῆτα ἐγώ σοι τρόπον τινὰ διακρίνω;

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

Cap. XVI. ΞΕ. Εἰ μὲν τοίνυν οἱ τρόφιμοι
τοῦ Κρόνου, παρούσης αὐτοῖς οὕτω πολλῆς σχολῆς
καὶ δυνάμεως πρὸς τὸ μὴ μόνον ἀνθρώποις ἀλλὰ
καὶ θηρίοις διὰ λόγων δύνασθαι ξυγγίγνεσθαι, κατε- C
χρῶντο τούτοις ξύμπασιν ἐπὶ φιλοσοφίαν, μετά τε θη-
ρίων καὶ μετ' ἀλλήλων ὁμιλοῦντες, καὶ πυνθανόμενοι

B. τόνδε δ', ὃν λόγος —] V. δ' ὡς λόγος. Par. BCH. ὃν ὡς λόγος, quod ex διττογραφίᾳ natum. Nam ceteri quidem libri constanter δ' ὃν λόγος. Aliter istud ὃν ὡς λόγος posset explicari ex illa constructionis ratione, de qua diximus ad Phaedr. p. 272. D. Utut est, certe Sauppius non audiendus est legendum ratus δ' ὃς ὡς λόγος κ. τ. λ.

Enimvero ita hoc dicitur: nec civitates erant, *nec vero etiam* uxores habebant atque liberos.

P. 272. ἄστρωτοι θυραυλοῦντες] Timaeus Gloss. θυραυλεῖν· ἔξω τῶν θυρῶν αὐλίζεσθαι καὶ ἀναστρέφεσθαι. ubi v. Ruhnk. Dein τὸ τῶν ὡρῶν sunt anni tempestates, vel coeli temperies, ut Sympos. p. 188. A. ἡ τῶν ὡρῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ σύστασις. Crat. p. 408. E. ὡρῶν καὶ ἐνιαυτοῦ. Tim. p. 24. C. τὴν εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν κατιδοῦσα. Phaed. p. 111. B. τὰς ὥρας αὐτοῖς κρᾶσιν ἔχειν τοιαύτην. Horat. Carm. I, 12, 14. qui res hominum ac deorum, qui mare ac terras, variisque mundum *temperat horis*.

B. αὐτοῖν τὸν εὐδαιμονέστερον] h. e. iudicare, utra vita sit felicior.

Εἰ μὲν τοίνυν οἱ τρόφιμοι—] Beatissimos censet utique futuros fuisse homines, qui Saturni aetate vixerint, si in maxima omnium rerum abundantia rationis atque orationis excolendae opportunitate usi fuerint: quod tamen num ita ab iis factum sit, non certo constare. Elegantissime igitur philosophus significat, summum quod mortalibus obtingere potuerit bonum, unam solam esse philosophiam; qua si caruerint alumni Saturni, tum eos beatissimos fuisse utique negari oportere. Τρόφιμοι, alumni, nunc dicuntur substantive, ut Legg. VII. p. 804. A. τοὺς ἡμετέρους τροφίμους. De Rep. VII. p. 520. D. ἀπειθήσουσιν οὖν ἡμῖν οἱ τρόφιμοι.

καὶ θηρίοις] Fingit igitur etiam brutas animantes tum temporis fuisse mente et ratione praeditas. Enimvero divina ratio per omnes rerum universitatis partes erat diffusa. Hinc quid Bergkius De Reliquiis Com. Attic. p. 278. collegerit narrare nolumus.

παρὰ πάσης φύσεως εἴ τινά τις ἰδίαν δύναμιν ἔχουσα ἥσθετό τι διάφορον τῶν ἄλλων εἰς συναγωγὴν φρονήσεως, εὔκριτον, ὅτι τῶν νῦν οἱ τότε μυρίῳ πρὸς εὐδαιμονίαν διέφερον. εἰ δὲ ἐμπιπλάμενοι σίτων ἄδην καὶ ποτῶν διελέγοντο πρὸς ἀλλήλους καὶ τὰ θηρία
D *μύθους, οἷα δὴ καὶ τὰ νῦν περὶ αὐτῶν λέγονται, καὶ τοῦτο, ὡς γε κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν ἀποφήνασθαι, καὶ μάλ' εὔκριτον. ὅμως δ' οὖν ταῦτα μὲν ἀφῶμεν,*

C. *ἐμπιπλάμενοι σίτων*] ἐμπιμπλάμενοι Clark. Ven. *A*. Dein vulgo erat *ἄδην*, quod ex Flor. b. aliisque mutavimus veterum grammaticorum consilio obsequuti. Par. H. *ἄδδην*.

οἷα δὴ καὶ τὰ νῦν] Sic codd. exceptis Flor. b. et Ven. *Ξ*. qui cum Steph. *οἷοι* habent.

C. *εἴ τινά τις ἰδίαν δύναμιν*] si quae propriam quandam habens facultatem aliquid eximie prae ceteris sentiret et cognosceret ad colligendas sapientiae copias. Pollux III, 129. et IX, 142. habet formam *συναγερμός*. Sed Etym. M. *Ἀγερμός, οὐκ ἀγυρμός. Πλάτων δὲ ἀγυρμὸν εἴρηκε τὸν συναθροισμόν*. Etiam De Legg. VIII. p. 845. E. dixit *ὕδωρ εἴτε πηγαῖον εἴτε συναγυρτόν*.

οἷα δὴ καὶ τὰ νῦν—] Stephanus invitis codd. omnibus praeter Ven. *Ξ*. *οἷοι* scripsit. Quod factum nollemus, licet lectio ab eo suscepta deinde in omnes manaverit editiones. Nam *οἷα* non pertinet ad *μύθους*, sed ad totum hoc *μύθους διαλέγεσθαι*; hac sententia: si inter se belluasque narrabant fabulas, *qualia* scilicet nunc quoque de iis dicuntur. Pluralem ita positum non moleste ferent qui legerint ann. ad Gorg. p. 447. A. Apol. Socr. 19. D. Aliter verba accepit Bernhardy Syntax., p. 295. qui *οἷα* cum *μῦθοι* ita connectit, ut neutrum dicat multitudini fabularum infinitae designandae inservire. De numero verbi plurali post *οἷα* illato v. ad Cratyl. p. 425. A. coll. Matthiae Gr. §. 300.

D. *τὸν μῦθον ἡγείραμεν*] Locutionem hanc, *τὸν μῦθον ἐγείρειν* et *κινεῖν* illustravit Wyttenbach. ad Plutarch. De ser. num. vind. p. 83. — *εἰς τὸ πρόσθεν περαίνωμεν*, ulterius profligemus. Ita Sophist. p. 258. C. *εἰς τὸ πρόσθεν ἔτι ζητήσαντες*.

καὶ μεταβολὴν ἴδει γίγνεσθαι] h. e. quum in fatis erat. Sic *ἴδει* positum Protagor. p. 321. C. *ἤδη δὲ ἡ εἱμαρμένη ἡμέρα παρῆν ἐν ᾗ ἴδει καὶ ἄνθρωπον ἐξιέναι ἐκ γῆς εἰς φῶς*. Apolog. Socr. p. 39. B. *ταῦτα μὲν οὖν που ἴσως οὕτως καὶ ἴδει σχεῖν*. Herodot. II, 161. *ἐπεὶ δέ οἱ ἴδεε κακῶς γενέσθαι*. Ibid. IV, 79. V, 90. 92. Soph. Oed. Tyr. v. 823. *εἴ με χρὴ φυγεῖν*. Ibid. v. 825. *ἢ γάμοις με δεῖ μητρὸς ζυγῆναι*, ubi *χρὴ* et *δεῖ* sic interpretandum esse quosdam fugisse video. Sed otium nobis fecit Hermann. ad Lucian. De hist conscr. p. 125. qui etiam *χρῆν* ita usurpari demonstravit.

καὶ δὴ καὶ τὸ γήϊνον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο —] Locus intellectu difficillimus. Videamus igitur primum de sententia, de-

ἕως ἂν ἡμῖν μηνυτής τις ἱκανὸς φανῇ, ποτέρως οἱ τότε τὰς ἐπιθυμίας εἶχον περί τε ἐπιστημῶν καὶ τῆς τῶν λόγων χρείας· οὗ δ' ἕνεκα τὸν μῦθον ἠγείραμεν, τοῦτο λεκτέον, ἵνα τὸ μετὰ τοῦτο εἰς τὸ πρόσθεν περαίνωμεν. Ἐπειδὴ γὰρ πάντων τούτων χρόνος ἐτελεώθη καὶ μεταβολὴν ἔδει γίγνεσθαι καὶ δὴ καὶ τὸ γῆϊνον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος, πάσας ἑκάστης τῆς E

D. *ὥς γε κατὰ τὴν ἐμὴν δ.*] Sic Coisl. Ven. *Αξ.* Flor. a. b. c. i. et corr. Par. F. pro *ὥστε κ. τ. ἐ. δ.* Verum Stephanus coniectura assequutus est.

χρόνος ἐτελεώθη] Sic hic quoque tres optimi, Clark. Vat. Ven. *II.* pro vulg. *ἐτελειώθη*. v. Schneider. ad Remp. T. II. p. 194. b.

inde de verbis dispiciamus. Et sententiam quidem scriptoris quod attinet, videtur ille significare, animis in mundana corpora distributis hoc fuisse iniunctum, ut certum quendam haberent generationum numerum, quibus iungerentur cum corporibus eorum, qui ex terra procreandi essent. Quo numero impleto ita evenisse dicitur, ut iam totum terrenum genus absumeretur penitusque evanesceret. Etenim fatis destinatum erat sic, ut magno illo temporum circuitu ad exitum vergente etiam *οἱ γηγενεῖς* exolescerent. Hic autem si sensus verborum est, facile apparet, ista omnia, *πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς* usque ad *πεσούσης* inservire illustrandis verbis praecedentibus, *τὸ γῆϊνον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος*. Itaque primum quidem haec: *πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας*, sic interpretanda censemus: quum unaquaeque anima omnes generationes ipsi impositas, (hoc enim inest in articulo *τὰς γενέσεις*) tanquam debitum persolvisset. Qua in explicatione observandus ac tenendus est usus ille verbi *ἀποδιδόναι*, quo dicitur de iis, qui dant vel tribuunt sive factis sive alio modo id, quod ipsis convenit, vel quod debent. v. ad Tim. p. 19. C. ubi rei exempla bene multa attulimus. Haec igitur satis clara esse putamus et perspicua. Sed plus difficultatis habent quae subiiciuntur. Et hic quidem ante omnia delendum fuit *καί*, vulgo ante *ὅσα ἦν* interpositum. Recte illud omittunt codd. omnes cum Ald. Bas. 1. 2., ut uni Stephano deberi videatur. Hoc igitur deleto dubium esse non potest, quin haec: *ὅσα ἦν — πεσούσης* rursus eam vim et potestatem habeant, ut verba proxime praegressa, *πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας*, accuratius definiant magisque dilucident. Est enim fere haec ratio participiorum ita sine copula cumulatorum, ut alterum alteri explicando inserviat; de quo genere constructionis v. ad Euthyphr. p. 4. C. Gorg. p. 479. D. al. Itaque his verbis describitur modus, quo animae suo generationis munere functae sint. Quippe decidisse illae toties in terram dicuntur, quoties iis destinatum fuit, ut cum terrenis corporibus colligarentur. Iam his ita exploratis quaerendum est,

ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκνίας, ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσταχθέν, τοσαῦτα εἰς γῆν σπέρματα πεσούσης, τότε δὴ τοῦ παντὸς ὁ μὲν κυβερνήτης, οἷον πηδαλίων οἴακος

E. *ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσταχθέν, τοσαῦτα εἰς γῆν* —] Quod Stephanus ante *ὅσα* interposuit *καί*, id uni debetur Cornario. Nam neque Ald. Bas. 1. 2. neque codd. mss. vocem agnoscunt pro genuina. Neque eam credo apud Eusebium legi, quem dolemus nobis nunc non ad manum esse haec scribentibus. Pro *ἑκάστῃ* Clark. Vat. *ἑκάστην*, quod errore ex iota subscripto natum puto. Pro *προσταχθὲν τοσαῦτα*, quod cum Ald. Bas. 1. 2. et Eusebio tuentur Flor. a. c. Par. B C H. et corr. Ven. *II*., plerique omnes cum Clark. Vat. et Coisl. habent *προσταχθέντος αὐτά*. Sed

quid de singulorum verborum constructione et usu statuendum sit. Et plurimi quidem interpretes in isto *πεσούσης* offenderunt. Itaque Stephanus Ficino duce legendum coniecit *βαλούσης*. Cornarius *διδούσης* maluit. Astius pro vero habuit *νεμούσης*. Quorum omnium nihil est quod non cum ipsa loci sententia discordet vehementissime. Neque enim animae secundum Platonis sententiam, in Phaedro p. 247. C. — 250. B. Tim. p. 43. A. atque alibi expositam, semina emittunt, quibus hominum corpora animentur, sed ipsae tanquam vitae effectrices cum iis colligantur. Quamobrem equidem in ea sententia sum, ut aut *πεσούσης* utcunque defendendum esse existimem, aut aliud anquiri verbum oportere, quod sententiae loci melius conveniat. Illud tameu si fieri commode possit, alterum non necessarium fore sponte intelligitur. Vulgatam lectionem defendit Fischerus cum Vigero ad Eusebium, *πεσούσης*, verbum intransitivum, active positum ratus pro *βαλούσης*. Quod longe est absurdissimum, siquidem hic usus loquendi suis quibusdam inclusus tenetur terminis atque finibus. Itaque summo iure aliam tentavit viam Hermannus ad Viger. p. 740. Not. 140., cuius haec sunt verba: Dicitur *ψυχὴ σπέρματα πεσοῦσα εἰς γῆν*, h. e. vita recidisse in terram sic, ut semen esset alius vitae. Quod non consentit cum Platonis sententia. Neque enim *ψυχή* est vita. Nobis igitur verba *τοσαῦτα σπέρματα* videntur aut ea significatione accipienda esse, ut idem fere denotent quod *κατὰ τοσαῦτα σπέρματα*, quanquam illud vehementer deprecamur, ne quis a nobis *κατὰ* omissum putari dictitet, aut pro *ὡς τοσαῦτα σπέρματα* dicta esse, nominativo pro genitivo posito. Priorem rationem praeferimus, quanquam etiam posteriorem habere putamus quo haud inepte defendatur. Etenim accusativus *τοσαῦτα σπέρματα* per attractionem quandam praecedentium verborum, *ὅσα ἦν προσταχθέν*, explicandus est, quibus primum *τοσαῦτα*, deinde vero etiam nomen *σπέρματα* se accommodavit. Vulgaris autem ratio sanequam exigebat hoc: *πεσούσης εἰς γῆν ὡς τοσούτων σπερμάτων κ. τ. λ.* Praevidemus quidem, hanc rationem nostram multis visum iri paullo insolentiorem. Sed singularis totius loci ratio eam apud circumspectos atque cautos criticos satis, opinor, commendabit, ac tanto magis commendabit, si quis similia huius attractionis exempla in medium at-

ἀφέμενος, εἰς τὴν αὐτοῦ περιωπὴν ἀπέστη, τὸν δὲ δὴ κόσμον πάλιν ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη τε καὶ ξύμφυτος

id ex prava syllabarum distractione vocabuli *τοσαῦτα* ortum esse apparet. Pro *προσταχθέν* Stephanus auctore Cornario dedit *προστεταχθέντα*, etiam Bekkero servatum. Pro *εἰς γῆν σπέρματα* Sauppius parum considerate coniecit *εἰς γῆς σπέρματα*, quod Turicenses non debuerunt protenus in ordinem verborum recipere. Nam *εἰς γῆς σπέρματα* non potest esse: in terrigenas illos, praesertim quum sic desideretur articulus. Accedit quod *σπέρμα* ad animam referri praegressa verba satis evincunt.

ὁ μὲν κυβερνήτης, οἷον πηδαλίων —] Exscripsit haec Theodoretus Cur. Affect. Graec. p. 63. 22. ed. Sylb. usque ad verba *παντοίων ἀπειργάσατο.*

tulerit, quae quidem quaerentibus non esse defutura nobis plane persuasimus. Ita igitur videmus, ne opus quidem esse, ut pro *πεσούσης* aliud quid substituatur. Neque iam deleto *καί* quenquam male habebit aoristus, quo rectissime illud *τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας* declaratur, quandoquidem animae identidem humum decidisse dicuntur, ut debitum quasi suum persolverent. Ceterum corrupit locum nuper Sauppius Turicensis, qui scripsit: *εἰς γῆς σπέρματα.*

τότε δὴ τοῦ παντὸς ὁ μὲν κυβερνήτης] Magnifica profecto ac sublimis sententia. Comparatur Deus, quatenus hunc mundum regit et moderatur, cum gubernatore aliquo, qui misso subinde gubernaculi clavo in suam discedit speculam navigii cursum observaturus, ac deinde ubi illud videt in periculo versari, rursus ad gubernacula assidet. Cavendum tamen ne haec ex scriptione litterarum interpretemur. Quomodo intelligenda sint, in Prolegg. exposuimus. Quid sit *οἴαξ*, optime docet Pollux I, 89. qui interpretatur *τὸ ἄκρον τοῦ πηδαλίου.* Idem tamen addit: *καὶ τὸ πᾶν δὲ οἴαξ καὶ πηδάλιον καλεῖται.* conf. Eustath. ad Odyss. V, 255. Wagner ad Alciphron. I, 10. De *περιωπῇ* Hesychius: *Περιωπή· ἀποψις, τόπος ὑψηλός, ὅθεν ἔστι περισκοπῆσαι ἀκριβῶς.*

ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη τε καὶ ξυμφ.] Prorsus haec cum iis consentiunt, quae de eodem argumento in Timaeo explicantur. Docetur enim ibi mundum a Deo effectum esse *αὐτάρκη τε καὶ τελεώτατον θεόν* ac per omne tempus sempiternum. v. Tim. p. 29. E sqq. 38. C. 68. E. eidemque etiam inditum esse animum animoque mentem, quae motum eius cieret aleretque totum. v. 34. E sqq. Neque vero illic dicitur perpetuam Dei curam ad Universi salutem non esse opus: imo id ita esse vel ex eo apparet, quod in Philebo p. 28. al. summam rationem mundum gubernare, et in Phaedone p. 62. B. Legg. IV. p. 709. B sqq. et libro X. etiam homines divino imperio subesse iudicatur. Sed omnium clarissime hic locus demonstrat, quid senserit philosophus de divinae providentiae ad mundi gubernationem et administrationem necessitate. Censuit enim ille, rerum generatarum eam esse infirmitatem atque imbecillitatem, ut nisi iis Deus praesenti auxilio suo adsit, omnia protenus ad peiora ruant, nec animam mundi hoc valere, ut perpetuo corporum materiam ad infinitae sapientiae leges atque normam regat et modere-

ἐπιθυμία. πάντες οὖν οἱ κατὰ τοὺς τόπους συνάρχοντες τῷ μεγίστῳ δαίμονι θεοί, γνόντες ἤδη τὸ γιγνόμενον, ἀφίεσαν αὖ τὰ μέρη τοῦ κόσμου τῆς αὐ-
273 τῶν ἐπιμελείας. ὁ δὲ μεταστρεφόμενος καὶ ξυμβάλλων, ἀρχῆς τε καὶ τελευτῆς ἐναντίαν ὁρμὴν ὁρμηθείς, σεισμὸν πολὺν ἐν ἑαυτῷ ποιῶν, ἄλλην αὖ φθορὰν ζώων παντοίων ἀπειργάσατο. μετὰ δὲ ταῦτα προελθόντος ἱκανοῦ χρόνου, θορύβων τε καὶ ταραχῆς ἤδη παυόμενος καὶ τῶν σεισμῶν, γαλήνης ἐπιλαβόμενος εἴς τε
B τὸν εἰωθότα δρόμον τὸν ἑαυτοῦ κατακοσμούμενος ἦει, ἐπιμέλειαν καὶ κράτος ἔχων αὐτὸς τῶν ἐν αὐτῷ τε καὶ ἑαυτοῦ, τὴν τοῦ δημιουργοῦ καὶ πατρὸς ἀπομνημονεύων διδαχὴν εἰς δύναμιν. κατ᾽ ἀρχὰς μὲν οὖν ἀκριβέστερον ἀπετέλει, τελευτῶν δὲ ἀμβλύτερον. τούτων δὲ αὐτῷ τὸ σωματοειδὲς τῆς συγκράσεως αἴτιον, τὸ τῆς πάλαι ποτὲ φύσεως ξύντροφον, ὅτι πολλῆς ἦν

P. 273. καὶ ξυμβάλλων] *συμβαλών* Theod. Vulgo *συμβάλλων*. Simplicii codex Taurinensis apud Peyronem De Parmenidis Fragmentis p. 12. *ξυλλαβών*.

προελθόντος ἱκανοῦ χρόνου] *προσελθόντος* Clark. Vat. Ven. *II*. male. Dein pro vulg. *θορύβου* Clark. Vat. Ven. *II*. Flor. i. praebuerunt *θορύβων*.

B. ὅτι πολλῆς ἦν μετέχον ἀταξίας] V. *μέτοχον*. Sed

tur. Quippe pars animae mundi deterior, quae naturae dividuae cognata est, nec materiae corporeae viribus semper potest resistere. Itaque Deus ubi a gubernaculis huius Universitatis recessit, protenus Fatum dominatur et innata Cupido, quorum vi mundus revolvitur et contrario agitatur motu, idque sic, ut denique periculum sit, ne legibus divinis omnino neglectis omnia pessum eant. Quamobrem Deus tandem mundi rursus miseretur atque gubernatione eius denuo suscepta ipse omnia „imperio regit unus aequo.“ Sed hoc ipsum quorsum pertineat et quid significet, de eo explicavimus copiosius in Prolegomenis.

οἱ κατὰ τοὺς τόπους] Iniuria Vigerus ad Eusebium Praep. Evang. XI. 33. p. 561 sq. ubi totus hic locus excerptus legitur, articulum *τούς* delendum censuit. Nam res quia iam in superioribus memorata est, recte utique *τούς* adiici existimari oportet. conf. p. 271. D.

P. 273. ὁ δὲ μεταστρεφόμενος —] Sc. ὁ κόσμος. Dein *συμβάλλων* est simul, coniunctim; cohaeret enim arctissime cum proximis *ἐναντίαν ὁρμὴν ὁρμηθείς*, ut perperam vulgo ante *ἀρχῆς* comma interponatur. Mox *ἀπετέλει* sine casu obiecti positum, ut intelligi liceat *αὐτό*, usu non ita raro.

μετέχον ἀταξίας πρὶν εἰς τὸν νῦν κόσμον ἀφικέσθαι. παρὰ μὲν γὰρ τοῦ συνθέντος πάντα καλὰ κέκτηται· παρὰ δὲ τῆς ἔμπροσθεν ἕξεως, ὅσα χαλεπὰ καὶ ἄδικα C ἐν οὐρανῷ γίγνεται, ταῦτα ἐξ ἐκείνης αὐτός τε ἔχει καὶ τοῖς ζώοις ἐναπεργάζεται. μετὰ μὲν οὖν τοῦ κυβερνήτου τὰ ζῶα τρέφων ἐν αὐτῷ σμικρὰ μὲν φλαῦρα, μεγάλα δὲ ἐνέτικτεν ἀγαθά· χωριζόμενος δὲ ἐκείνου τὸν ἐγγύτατα χρόνον ἀεὶ τῆς ἀφέσεως κάλλιστα πάντα διάγει, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ λήθης ἐγγιγνομένης ἐν αὐτῷ μᾶλλον καὶ δυναστεύει τὸ τῆς παλαιᾶς ἀναρμοστίας πάθος, τελευτῶντος δὲ ἐξανθεῖ τοῦ D χρόνου καὶ σμικρὰ μὲν τἀγαθά, πολλὴν δὲ τὴν τῶν ἐναντίων κρᾶσιν ἐπεγκεραννύμενος ἐπὶ διαφθορᾶς κίνδυνον αὐτοῦ τε ἀφικνεῖται καὶ τῶν ἐν αὐτῷ. διὸ δὴ καὶ τότ' ἤδη θεὸς ὁ κοσμήσας αὐτόν, καθορῶν ἐν ἀπορίαις ὄντα, κηδόμενος ἵνα μὴ χειμασθεὶς ὑπὸ ταραχῆς

μετέχον Vat. Coisl. Ven. *Π.* Par. BCH. Flor. a. c. et Theodoretus l. c. p. 63, 54.

πάντα καλὰ κέκτηται] V. κέκληται, quod ex Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΞΠ.* Flor. b. c. i. Zitt. corr. Par. BCE. Ven. *Α.* itemque ex cod. Simplicii Taurin. et Theodoret. p. 63, 47. emendatum. Articulum τὰ ante καλὰ inferciunt Clark. Vat. Ven. *Π.*

C. τῆς ἀφέσεως] Clark. Vat, Coisl. Ven. *Π.* et alii non pauci τῆς φύσεως, sed perinepte.

B. τὸ σωματοειδὲς τῆς συγκράσεως] h. e. corporeum elementum compositionis, quod vocatur τὸ τῆς πάλαι ποτὲ φύσεως ξύντροφον, hoc est, quod iam olim naturae eius concreverat. De materia mundi ab initio turbulentis motibus agitata v. Tim. p. 48. E. 46. E. al.

C. μετὰ μὲν οὖν τοῦ κυβερνήτου] h. e. ubi deum habet gubernatorem. Dein φλαῦρα i. q. κακά; v. Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 474. ed. 2. In proximis τῆς ἀφέσεως ex ἐγγύτατα pendet, ut verba iungenda sint hunc in modum: τὸν ἀεὶ τῆς ἀφέσεως ἐγγύτατα χρόνον. Qua verborum collocatione offensi grammatici locum temere sollicitarunt. Sed v. Xenoph. Hellen. V, 2, 4. τὸν ῥέοντα ποταμὸν διὰ τῆς πόλεως. Matthiae Gr. §. 279. ann. 2.

προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου — μᾶλλον καὶ δ.] Hoc μᾶλλον καὶ δυναστεύει quid significet, facile senties, ubi sententiam verborum hanc esse animadverteris: ὅσῳ δὲ μᾶλλον προέισιν ὁ χρόνος καὶ λήθη ἐγγίγνεται, τοσούτῳ μᾶλλον καὶ δυναστεύει τὸ τῆς παλαιᾶς ἀναρμοστίας πάθος. Monui, quoniam fuit qui in his haereret, Dein ἐξανθεῖν dictum de malo ad summum usque gradum excrescente. Sic infra p. 310. D. ἐξανθεῖν μανίαις, in furorem

διαλυθεὶς εἰς τὸν τῆς ἀνομοιότητος ἄπειρον ὄντα τόπον δύῃ, πάλιν ἔφεδρος αὐτοῦ τῶν πηδαλίων γιγνόμενος, τὰ νοσήσαντα καὶ λυθέντα ἐν τῇ καθ' ἑαυτὸν προτέρᾳ περιόδῳ στρέψας κοσμεῖ τε καὶ ἐπανορθῶν ἀθάνατον αὐτὸν καὶ ἀγήρων ἀπεργάζεται. τοῦτο μὲν οὖν τέλος ἁπάντων εἴρηται· τὸ δ' ἐπὶ τὴν τοῦ βασιλέως ἀπόδειξιν ἱκανὸν ἐκ τοῦ πρόσθεν ἁπτομένοις τοῦ λόγου. στρεφθέντος γὰρ αὖ τοῦ κόσμου τὴν ἐπὶ τὴν νῦν γένεσιν ὁδὸν τὸ τῆς ἡλικίας αὖ πάλιν ἵστατο καὶ καινὰ τἀναντία ἀπεδίδου τοῖς τότε. τὰ μὲν γὰρ ὑπὸ σμικρότητος ὀλίγου δέοντα ἠφανίσθαι τῶν

E

τὰ νοσήσαντα] *τὰ* delendum censet Heusdius Specim. Crit. p. 135.

E. *ἐν τῇ καθ' ἑαυτὸν*] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *AII.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i. Zitt. pro vulg. *καθ' αὑτόν*. Eusebius *κατ' αὐτόν*.

erumpere. Plutarch. Thes. c. 6. *ἐξήνθησαν αἱ κακίαι καὶ ἀνερράγησαν, οὐδενὸς πιεζοῦντος.* Aeschyl. Pers. v. 821. *ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης.*

εἰς τὸν τῆς ἀνομοιότητος ἄπειρον—] Displicet istud *τόπον*, quo metaphorae elegantia pessumdatur. Corrigendum putamus *πόντον*. *Ἀνομοιότης* est mundi illa condicio, in qua caret prorsus aequabilitate et constantia, ut sui ipsius dissimilis sit nec usque quaque sibi consentiat. Nam *ὅμοιον* et *ἀνόμοιον* vocatur non modo id, quod alteri est simile vel dissimile, verum etiam illud, quod sibimet ipsi vel simile est vel dissimile, ideoque in se consentiens aut contrarium habetur. v. ad. Tim. p. 42. C. p. 67. B. Phaed. p. 109. A. Symp. p. 173. D. et 188. B. ubi *ἀνόμοιον* est sibi dissimile. In proximis Heusdius Specim. Crit. p. 135. *τὰ* ante *νοσήσαντα καὶ λυθέντα* expungendum censet, ut participia referantur ad *κόσμον*. At vero ita mundus diceretur antea fuisse non modo affectus morbo, verum etiam plane dissolutus; id quod philosophi sententiae adversari manifestum putamus. Recte igitur *τὰ νοσήσαντα καὶ λυθέντα* scriptum est, quo significantur partes mundi morbosae ac dissolutae: quae quidem partes Deus dicitur facta conversione (*στρέψας*) rursus ordinare et corrigere, eoque modo ipsum mundum immortalem et senectutis expertem reddere. Cum *τὰ νοσήσαντα καὶ λυθέντα* cohaerent proxima, *ἐν τῇ καθ' αὑτὸν προτέρᾳ περιόδῳ*, superiore periodo, quum mundus sibi ipsi esset permissus neque Dei gubernatione regeretur.

E. *τὸ δ' ἐπὶ τὴν τοῦ βασιλέως ἀπόδειξιν*] quod autem ad declarandam regis naturam pertinet, sufficit hoc iis, qui secundum superiora orationem suscipiant et persequantur. Ita enim haec intelligenda putamus, quae interpretes non satis recte solent

ζώων ηὐξάνετο, τὰ δ' ἐκ γῆς νεογενῆ σώματα πολιὰ φύντα πάλιν ἀποθνήσκοντα εἰς γῆν κατήει. καὶ τἆλλά τε πάντα μετέβαλλεν, ἀπομιμούμενα καὶ ξυνακολουθοῦντα τῷ τοῦ παντὸς παθήματι, καὶ δὴ καὶ τὸ τῆς κυήσεως καὶ γεννήσεως καὶ τροφῆς μίμημα συνείπετο τοῖς πᾶσιν ὑπ' ἀνάγκης. οὐ γὰρ ἐξῆν ἔτ' ἐν γῇ δι' ἑτέρων συνιστάντων φύεσθαι ζῶον, ἀλλὰ καθάπερ τῷ κόσμῳ προσετέτακτο αὐτοκράτορα εἶναι τῆς αὐτοῦ πορείας, οὕτω δὴ κατὰ ταὐτὰ καὶ τοῖς μέρεσιν αὐτοῖς δι' αὐτῶν, καθ' ὅσον οἷόν τ' ἦν, φύειν τε καὶ γεννᾶν καὶ τρέφειν προσετάττετο ὑπὸ τῆς ὁμοίας 274

καὶ ἀγήρων ἀπ.] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *Α Π.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i. Euseb. Vett. editt. *ἀγήρω.*

P. 274. *φύεσθαι ζῶον*] *ζώων* Clark. Vat. Ven. *Π Υ.* male. Mox Flor. i. *αὐτοκράτορι εἶναι*; sed v. annot.

exponere. Quippe *ἐκ τοῦ πρόσθεν* est secundum ea, quae dicta sunt antea, dem vorigen gemäss; qui usus loquendi non est infrequens. Sic Gorg. p. 516. D. *ἐκ τούτου τοῦ λόγου.* quod hoc loco item dici poterat *ἐκ τοῦ πρόσθεν λόγου.* Loquutio autem haec, *ἅπτεσθαι τοῦ λόγου*, est nostrum die Rede anfassen s. angreifen, quod dicitur de iis, qui sermonem vel ingrediuntur vel persequuntur. v. ad Remp. VI. p. 497. E. VII. p. 539. A. De participio *ἁπτομένοις* sine articulo posito contulisse iuvabit Phaedon. p. 63. D. *φησὶ γὰρ Θερμαίνεσθαι μᾶλλον διαλεγομένους.* Menon. p. 90. D. *πολλὴ ἄνοιά ἐστι βουλομένους αὐλητήν τινα ποιῆσαι μὴ ἐθέλειν πέμπειν*; quo loco deinde *ζητοῦντα*, numerus singularis, subiungitur. Cratyl. p. 438. B. Sympos. p. 198. D. v. Matthiae Gr. § 271. ann. Ast. ad Legg. p. 10. Welcker. ad Theogn. p. 95.

καὶ καινὰ τἀναντία ἀπεδίδου τοῖς τότε] et quae erant superioribus contraria, ea vicissim exhibebat tanquam nova. Ita si haec intellexeris, non erit cur in articulo haereas, quem fuit qui sublatum vellet. Mox *μετέβαλλεν*, in contrarium vertebant, dictum intransitive, ut Parmenid. p. 126. A. p. 136. C. p. 156. E. infra *μεταβέβληκε* p. 274. B. Sed frequentior hic usus loquendi est, quam ut exemplorum enumeratione illustrandus sit.

P. 274. *τοῖς πᾶσιν ὑπ' ἀνάγκης*] h. e. *ἐξ ἀνάγκης, ἀνάγκῃ.* Phaed. p. 108. C. *ὑπ' ἀνάγκης φέρεται εἰς τὴν αὐτῇ πρέπουσαν οἴκησιν.* ubi v. Heindorf. — *οὐ γὰρ ἐξῆν κ. τ. λ.* neque enim fieri poterat, ut per alia concrescentia animal procrearetur etc. Male codd. quidam, inter quos etiam optimi sunt, *ζώων.* De accusativo *αὐτοκράτορα* post *τῷ κόσμῳ* illato v. Matthiae Gr. §. 576. ann. Rost §. 127. ann. 2. — *ὑπὸ τῆς ὁμοίας ἀγω-*

B ἀγωγῆς. οὗ δὲ ἕνεκα ὁ λόγος ὥρμηκε πᾶς, ἐπ' αὐτῷ νῦν ἐσμὲν ἤδη. περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων θηρίων πολλὰ ἂν καὶ μακρὰ διεξελθεῖν γίγνοιτο, ἐξ ὧν ἕκαστα καὶ δι' ἃς αἰτίας μεταβέβληκε· περὶ δὲ ἀνθρώπων βραχύτερα καὶ μᾶλλον προσήκοντα. τῆς γὰρ τοῦ κεκτημένου καὶ νέμοντος ἡμᾶς δαίμονος ἀπερημωθέντες ἐπιμελείας, τῶν πολλῶν αὖ θηρίων, ὅσα χαλεπὰ τὰς φύσεις ἦν, ἀπαγριωθέντων, αὐτοὶ δὲ ἀσθενεῖς ἄνθρωποι καὶ ἀφύλακτοι γεγονότες, διηρπάζοντο ὑπ' αὐτῶν,
C καὶ ἔτ' ἀμήχανοι καὶ ἄτεχνοι κατὰ τοὺς πρώτους ἦσαν χρόνους, ἅτε τῆς μὲν αὐτομάτης τροφῆς ἐπιλελοιπυίας, πορίζεσθαι δὲ οὐκ ἐπιστάμενοι πω διὰ τὸ μηδεμίαν αὐτοὺς χρείαν πρότερον ἀναγκάζειν. ἐκ τούτων πάντων ἐν μεγάλαις ἦσαν ἀπορίαις. ὅθεν δὴ τὰ πάλαι λεχθέντα παρὰ θεῶν δῶρα ἡμῖν δεδώρηται μετ' ἀναγκαίας διδαχῆς καὶ παιδεύσεως, πῦρ μὲν παρὰ Προμηθέως, τέχναι δὲ παρ' Ἡφαίστου καὶ τῆς συντέχνου,

B. *αὐτοὶ δὲ ἀσθενεῖς*] Stephanus *δὲ* aut expungendum aut in *δὴ* mutandum censebat.

C. *πορίζεσθαι δὲ*] *δὲ* om. Clark. Vat. et pr. *Π.* Iidem pro *πω* habent *τι ὦν*.

ἦσαν ἀπορίαις] Sic Coisl. Vulgo *ἀπορίαις ἦσαν*.

D. *φυτὰ παρ' ἄλλων*] *ἀλλήλων* Clark. Ven. *Π.* alii non pauci, cum Ald. Bas. 1. 2. male.

γῆς, a simili imperio, similiductu et moderatione.

B. *ἐπ' αὐτῷ νῦν ἐσμὲν ἤδη.*] Euthyphron. p. 14. C. *ἐπειδὴ ἐπ' αὐτῷ ἦσθα.* Phileb. p. 18. D. *ἦ μὴν ἐπ' αὐτῷ γε ἤδη γεγονότες ζητεῖτε, ὡς φῄς, πάλαι.* Multa huius formulae exempla attulimus ad Cratyl. p. 422. A. De Rep. VII. p. 532. C.

τῶν πολλῶν αὖ θηρίων—] Stephanus *δὲ* post *αὐτοὶ* aut expungendum censebat, aut mutandum in *δή*. Neutrum opus. Non raro enim post genitivos absolutos alii casus participiorum addito *δέ* vel *καί* subiiciuntur. v. Hermann. ad Lucian. De conscrib. histor. p. 87.

C. *παρὰ θεῶν δῶρα*] Sic De Rep. II. p. 363. D. E. *μισθοὶ παρὰ θεῶν.* et gemino modo Politic. p. 291. D. *τὴν ὑπὸ τῶν ὀλίγων δυναστείαν.* ubi v. ann. — *τῆς συντέχνου*, Minervae.

D. *ἐπειδὴ τὸ μὲν ἐκ θεῶν* —] Iungas: *τὸ μὲν ἐκ θεῶν τῆς ἐπιμελείας.* Post *δι' ἑαυτῶν* male vulgo pro *δὲ* scribebatur *τε*, quod quum nos dudum emendavissemus, postea auctoritate libri Clarkiani in melius mutatum est. Ad *καθάπερ ὅλος ὁ κόσμος* int. *αὐτὸς ἔχει τὴν αὐτοῦ ἐπιμέλειαν.* conf ad Phaedon. p. 111. A. Nihil igitur insolentiae habet, quod post ac-

σπέρματα δὲ αὖ καὶ φυτὰ παρ' ἄλλων· καὶ πάνθ', D
ὁπόσα τὸν ἀνθρώπινον βίον συγκατεσκεύακεν, ἐκ τούτων γέγονεν, ἐπειδὴ τὸ μὲν ἐκ θεῶν, ὅπερ ἐῤῥήθη νῦν δή, τῆς ἐπιμελείας ἐπέλιπεν ἀνθρώπους, δι' ἑαυτῶν δὲ ἔδει τήν τε διαγωγὴν καὶ τὴν ἐπιμέλειαν αὐτοὺς αὑτῶν ἔχειν, καθάπερ ὅλος ὁ κόσμος, ᾧ ξυμμιμούμενοι καὶ ξυνεπόμενοι τὸν ἀεὶ χρόνον νῦν μὲν οὕτως, τότε δὲ ἐκείνως ζῶμέν τε καὶ φυόμεθα. καὶ τὸ μὲν δὴ τοῦ μύθου τέλος ἐχέτω, χρήσιμον δὲ αὐτὸν ποιη- E
σόμεθα πρὸς τὸ κατιδεῖν, ὅσον ἡμάρτομεν ἀποφηνάμενοι τὸν βασιλικόν τε καὶ πολιτικὸν ἐν τῷ πρόσθεν λόγῳ.

Cap. XVII. *ΝΕ. ΣΩ.* Πῶς οὖν καὶ πόσον ἁμάρτημα φῆς εἶναι γεγονὸς ἡμῖν;

ΞΕ. Τῇ μὲν βραχύτερον, τῇ δὲ μάλα γενναῖον καὶ πολλῷ μεῖζον καὶ πλέον ἢ τότε.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς;

δι' ἑαυτῶν δὲ ἔδει] Vulgo τε. Sed verissime Clark. Flor. b. i. δέ.

οὕτως, τότε δὲ] Sic Clark. Flor. a. b. c. i. Zitt. Editt. οὕτω, τότε δή. Sibilam litteram nec Bekkeri libros nosse suspicamur, quippe qui nihil de Clarkiano monuerit, ex quo tamen Gaisford. eam enotavit religiose.

cusativum cum infinitivo καθάπερ cum nominativo infertur.

τὸ μὲν δὴ τοῦ μύθου τέλος ἐχέτω] Legg. III. p. 698. A. τὰ μὲν δὴ περί γε Πελοπῶν — τέλος ἐχέτω. Ibid. V. p. 734. E. καὶ τὸ μὲν προοίμιον τῶν νόμων ἐνταῦθα λεχθὲν τῶν λόγων τέλος ἐχέτω. Phaedr. p. 241. D. ἀλλ' ἤδη σοι τέλος ἐχέτω ὁ λόγος.

E. Πῶς οὖν καὶ πόσον—] Dupliciter ait in viri civilis definitione erratum esse, primum quod inter pastores relatus sit, quales fuerint tantummodo daemones, qui priore mundi aetate humano generi fuerint praefecti; deinde, quod qua ille ratione civitatem regat ac gubernet, parum subtiliter sit indagatum. Sed priusquam ad rem ipsam explicandam accedit, exemplo artis textoriae demonstrare instituit, quo modo versandum sit in describendo informandoque eo, qui ad rempublicam regendam idoneus sit, quo possit recte distingui ab artificibus, operariis, mercatoribus, aliis hominum generibus. Quibus expositis, posteaquam excusavit disputationis ambages, ad rem ipsam revertitur. 287. B.

πλέον ἢ τότε] magis, quam tum, quum rem nondum per fabulam declarare instituissemus.

ΞΕ. Ὅτι μὲν ἐρωτώμενοι τὸν ἐκ τῆς νῦν περι-
φορᾶς καὶ γενέσεως βασιλέα καὶ πολιτικὸν τὸν ἐκ τῆς
ἐναντίας περιόδου ποιμένα τῆς τότε ἀνθρωπίνης ἀγέ-
275 λης εἴπομεν, καὶ ταῦτα θεὸν ἀντὶ θνητοῦ, ταύτῃ
μὲν πάμπολυ παρηνέχθημεν· ὅτι δὲ ξυμπάσης τῆς πό-
λεως ἄρχοντα αὐτὸν ἀπεφήναμεν, ὄντινα δὲ τρόπον
οὐ διείπομεν, ταύτῃ δὲ αὖ τὸ μὲν λεχθὲν ἀληθές, οὐ
μὴν ὅλον γε οὐδὲ σαφὲς ἐρρήθη, διὸ καὶ βραχύτερον
ἢ κατ' ἐκεῖνο ἡμαρτήκαμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Ἀληθῆ.

ΞΕ. Δεῖ τοίνυν τὸν τρόπον, ὡς ἔοικε, διορίσαν-
τας τῆς ἀρχῆς τῆς πόλεως οὕτω τελέως τὸν πολιτικὸν
ἡμῖν εἰρῆσθαι προοδοκᾶν.

ΝΕ. ΣΩ. Καλῶς.

Β ΞΕ. Διὰ ταῦτα μὴν καὶ τὸν μῦθον παρεθέμε-

P. 275. *οὐ διείπομεν*] Desunt haec verba in Coisl. Ven. *A.* Par. BCEFH. Flor. a. c. In Flor. b. solum *διείπομεν* omissum.

B. *μόνον κατὰ τὸ παράδειγμα*] Sic optimi quattuor cum aliis non paucis. V. *κατὰ τὸ π. μόνον.*

Ὀρθῶς] Om. Clark. Vat. Ven. *Π.*

Οἶμαι δέ γε, ὦ Σ.] Sic dedi ex Clark. Vat. Ven. *Ξ.* Flor. b. i. Vulgo *οἶμαι δὲ ἔγωγε, ὦ Σ.* Dein *μὲν ἔτι* om. Clark. Vat. Ven. *Π.*

P. 275. *καὶ ταῦτα θεὸν ἀντὶ θνητοῦ*] Nam superiore illa temporum periodo Deus generi humano praeerat; posteriore homines, sicuti tota rerum natura factum, sibi ipsis erant permissi.

ταύτῃ δὲ αὖ τὸ μὲν λεχθὲν ἀλ.] Male vulgo ante *ταύτῃ* plene interpungebatur. Respondent enim inter se invicem *ὅτι μέν — ταύτῃ μέν*, et *ὅτι δέ — ταύτῃ δέ.* Apolog. Socr. p. 28. D. E. *εἰ ὅτε μὲν οἱ ἄρχοντες ἕνα τινὰ —, τότε μὲν οὗ ἐκεῖνοι ἕνα τινὰ, ἓμενον —, τοῦ δὲ θεοῦ τάττοντος — ἐνταῦθα δέ — κ. τ. λ.* Gorg. p. 512. A. *εἰ μέν τις μεγάλοις καὶ ἀνιάτοις νοσήμασι κατὰ τὸ σῶμα συνεχόμενος μὴ ἀπεπήγη, οὗτος μὲν ἄθλιός ἐστιν —, εἰ δέ τις ἄρα ἐν τῷ τοῦ σώματος τιμιωτέρῳ — πολλὰ νοσήματα ἔχει καὶ ἀνίατα, τοῦτῳ δὲ βιωτέον ἐστίν.* Menon. p. 94. D. *οὗ μὲν ἔδει δαπανώμενον διδάσκειν, ταῦτα μὲν ἐδίδαξε —, οὗ δέ οὐκ ἔδει ἰδεῖ ἀναλώσαντα ἀγαθοὺς ἄνδρας ποιῆσαι, ταῦτα δὲ οὐκ ἐδίδαξεν.* Similiter post simplex *μέν* deinde duplex *δέ* infertur Protagor. p. 313. A. Phileb. p. 30. B. al. Geminatarum in his particularum caussa et ratio in eo est posita, quod protasis protasi et apodosis apodosi opponitur. — *βραχύτερον ἢ κατ' ἐκεῖνο ἡμαρτήκαμεν*, minus hic quam illic erravimus.

B. *ὡς πάντες αὐτῆς ἀμφισβητοῦσι τῷ ζητουμένῳ*

θα, ἵν' ἐνδείξαιτο περὶ τῆς ἀγελαιοτροφίας μὴ μόνον ὡς πάντες αὐτῆς ἀμφισβητοῦσι τῷ ζητουμένῳ τὰ νῦν, ἀλλὰ κἀκεῖνον αὐτὸν ἐναργέστερον ἴδοιμεν, ὃν προσήκει μόνον, κατὰ τὸ παράδειγμα ποιμένων τε καὶ βουκόλων τῆς ἀνθρωπίνης ἐπιμέλειαν ἔχοντα τροφῆς, τούτου μόνον ἀξιωθῆναι τοῦ προσρήματος.

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθῶς.

ΞΕ. Οἶμαι δέ γ', ὦ Σώκρατες, τοῦτο μὲν ἔτι μεῖζον ἢ κατὰ βασιλέα εἶναι τὸ σχῆμα τὸ τοῦ θείου νομέως, τοὺς δ' ἐνθάδε νῦν ὄντας πολιτικοὺς τοῖς ἀρχομένοις ὁμοίους τε εἶναι μᾶλλον πολὺ τὰς φύσεις καὶ παραπλησιαίτερον παιδείας μετειληφέναι καὶ τροφῆς. C

ΝΕ. ΣΩ. Πάντως που.

ΞΕ. Ζητητέοι γε μὴν οὐδὲν ἂν εἴησαν οὔθ' ἧττον οὔτε μᾶλλον, εἴθ' οὕτως εἴτ' ἐκείνως πεφύκασι.

C. *μᾶλλον πολὺ*] Hunc ordinem codd. tuentur omnes uno excepto Ven. Ξ., qui cum vett. editt. exhibet *πολὺ μᾶλλον*.

Ζητητέοι γε μὴν οὐδὲν ἂν εἴησαν] V. *Ζητητέον γε μὴν οὐδὲν ἂν εἰ ἦσαν*. quam scripturam verissime emendavit Heusdius Specim. Crit. p. 135. Firmarunt viri egregii coniecturam codices. Nam *ζητητέοι* habet Coislin. et *ἂν εἴησαν* suppeditant Clark. Coisl. Vat. Ven. *II.* Flor. i.

τὰ νῦν] non solum omnes de ea contendere cum eo quem nunc quaerimus. Sic p. 279. A. *ἐπειδὴ τῷ βασιλικῷ γένει τῆς περὶ τὰς πόλεις ἐπιμελείας ἀμφισβητοῦσι μύριοι.* P. 281. C. *τῆς γε θεραπείας ἀμφισβητήσουσιν αὐτοι ξύμπασαι καὶ τῆς γενέσεως τῆς τῶν ἱματίων τῇ τῆς ὑφαντικῆς δυνάμει.* P. 291. A. B. De sententia conferas p. 267. E. sqq. 268. D. E. ad quem locum respicitur.

τοῦτο μὲν ἔτι μεῖζον ἢ κατὰ βασιλέα—] divini pastoris condicionem (*σχῆμα*) esse maiorem, quam quae in regem conveniat. Notissimum loquendi genus, de quo vide, si tanti est, Matthiae Gr. §. 449. Ita autem iudicat Eleates, sicuti ait ipse, quia viri civiles, qui nunc in hac rerum condicione vivant, illis sint similiores, qui imperio pareant, quam iis, qui illud exerceant. Pro vulgato *πολὺ μᾶλλον* codices optimi *μᾶλλον πολύ*, quod neutiquam fuisse spernendum facile persuadebunt, quae scripsimus ad Alcibiad. II. p. 143. D. — *παραπλησιαίτερον*, sc. *αὐτοῖς*. De forma hac comparativi v. Sturz. nott. ad Etymol. Magn. p. 706. quae Etymologico Gudiano addita leguntur. De *παιδείας* autem ac *τροφῆς* coniunctione ipsi diximus ad Criton. p. 50. D.

C. *Ζητητέοι γε μὴν οὐδὲν ἂν εἴησαν* —] Veruntamen explorandi et investi-

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΞΕ. Τῇδε δὴ πάλιν ἐπανέλθωμεν. ἦν γὰρ ἔφαμεν αὐτεπιτακτικὴν μὲν εἶναι τέχνην ἐπὶ ζώοις, οὐ μὴν ἰδίᾳ
D *γε ἀλλὰ κοινῇ τὴν ἐπιμέλειαν ἔχουσαν, καὶ προσείπομεν δὴ τότε εὐθὺς ἀγελαιοτροφικήν, — μέμνησαι γάρ;*

ΝΕ. ΣΩ. Ναί.

ΞΕ. Ταύτης τοίνυν πῃ διημαρτάνομεν. τὸν γὰρ πολιτικὸν οὐδαμοῦ συνελάβομεν οὐδ' ὠνομάσαμεν, ἀλλ' ἡμᾶς ἔλαθε κατὰ τὴν ὀνομασίαν ἐκφυγών.

Τῇδε δὴ πάλιν ἐπ.] Libri *τί δὲ δὴ π.* Verum pervidit Stephanus.

ἦν γὰρ ἔφαμεν] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. *φαμέν.* In proximis iidem *τέχνην* om.

D. *τότε εὐθὺς ἀγελ.*] V. *τότε γε εὐθύς.* Omisimus *γε* cum Clark. Vat. Ven. *ΠΣ.* et pr. *Ξ.* Flor. i.

gandi erunt nihilo nec minus nec magis, sive hoc sive illo modo comparati sunt. Ita recte haec et emendavit et illustravit primus Heusdius Specim. Crit. p. 135. cuius ratio postea confirmata a codicibus est.

Τῇδε δὴ πάλιν ἐπανέλθωμεν] Redeamus igitur ad superiora hac via. Sic emendavit Stephanus librorum omnium scripturam *Τί δὲ δή; ἐπαν.* quam ex itacismo, quem vocant, ortam esse nemo temere dubitabit. Censet vero ita in propositae rei quaestione versandum esse, ut ante omnia corrigantur errores in superioribus admissi. Ex quibus hos maxime notat. Primum ait in illa *αὐτεπιτακτικῆς* divisione nonnihil esse peccatum, quandoquidem quum ei *ἀγελαιοτροφική* subiecta esse iudicata sit, tamen neutiquam civilis viri habita sit ratio. Nam gregis pascendi negotium aliis quidem custodibus posse attribui, viro civili attribui non posse, quippe qui non pascat gregem, sed potius curet et foveat. Itaque generalius aliquod nomen deligendum fuisse arbitratur, quod pariter in virum civilem atque in ceteros conveniat, veluti *ἀγελαιοκομικήν* aut *θεραπευτικήν.* Deinde vitium arguit in extrema divisionis parte admissum. Nam quum cetera illius membra omnia, si ab eo, quod modo memoratum sit, discesseris, possint servari, tamen post bipedis gregis alendi artem non continuo artem regalem ac civilem debuisse memorari, quasi re iam penitus confecta et absoluta. Primum enim ita emendandum fuisse nomen sic, ut id ad curam potius quam ad pastionem designandam valeret; deinde circumspici etiam debuisse, num quae aliae divisionis partes superessent, quae sane non paucae reperiantur.

D. *καὶ προσείπομεν δὴ τότε* —] et quam statim gregis alendi artem nominavimus: h. e. et cui tanquam partem statim subiectam esse diximus *ἀγελαιοτροφικήν.* Dein sermo interruptus post adolescentuli interrogationem continua-

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς;

ΞΕ. Τοῦ τὰς ἀγέλας ἑκάστας τρέφειν τοῖς μὲν ἄλλοις που πᾶσι μέτεστι νομεῦσι, τῷ πολιτικῷ δὲ οὐ μετὸν ἐπηνέγκαμεν τοὔνομα, δέον τῶν κοινῶν ἐπενεγκεῖν τι ξύμπασιν. E

ΝΕ. ΣΩ. Ἀληθῆ λέγεις, εἴπερ ἐτύγχανέ γε ὄν.

ΞΕ. Πῶς δ' οὐκ ἦν τό γε θεραπεύειν που πᾶσι κοινόν, μηδὲν διορισθείσης τροφῆς μηδέ τινος ἄλλης

Ταύτης τοίνυν πῃ δ.] Astius coni. *ταύτῃ*. Flor. i. *ταύτην*. Dein *οὐδαμοῦ* pro v. *οὐδαμῇ* libri fere omnes cum quattuor optimis.

E. *δέον τῶν κοινῶν*] V. *δέοντι τῶν κ.* quod emendatum ex Coisl. Ven. *ΑΞΠΣΥ*. Par. BCH. Zitt. Flor. a. c. o. In Clark. et Vat. est *λεόντων*, quo firmatur recepta lectio.

τό γε θεραπεύειν] *τε* Clark. Vat. Ven. *II*. Iidem pro *που* habent *πολύ*.

tur his verbis: *Ταύτης τοίνυν πῃ διημαρτήκαμεν*, ubi interposita responsio effecit ut *τοίνυν* adiiceretur. Eodem fere modo infra p. 277. E. Menon. p. 81. A. De Rep. X. p. 609. D. Sophist. p. 265. C. — Pro *ταύτης διημαρτάνομεν*, ab hac aberravimus, i. e. hanc non recte partiti sumus, Astius legendum coniecit *ταύτῃ δ.* — *κατὰ τὴν ὀνομασίαν ἐκφυγών*, clam nos effugit in nominatione, quandoquidem ille *ἀγελαιοτροφικῆς* nomine non continetur, quippe cuius ambitus virum civilem non complectitur. *τῷ πολιτικῷ δὲ οὐ μετὸν ἐπηνέγκαμεν*] Breviter haec dicta sunt pro vulgari: *τῷ πολιτικῷ δὲ οὐ μέτεστιν. οὐ μετὸν δὲ ἐπηνέγκαμεν αὐτῷ τοὔνομα κ. τ. λ.* Premit igitur verbum *τρέφειν*, quod in reliquos pastores convenire ait, in regem convenire negat. Quamobrem censet ipsos oportuisse *τῶν κοινῶν τι ξύμπασιν ἐπενεγκεῖν*, h. e. generalius nomen ponere, quod in regalem et civilem virum aeque atque in ceteros pastores conveniret. Claram hanc et perspicuam sententiam mirum est quod Heusdius Specim. Crit. p. 136. non percepit. Ferri enim non posse arbitratur, politicum dici generis humani non esse pastorem; id ipsum enim in antecedentibus maxime demonstratum esse. Quamobrem totum locum sic refingendum putat: *τῷ πολιτικῷ δὲ αὖ μετὸν ἐπηνέγκαμεν τοὔνομα, δέον γε τῶν κοινῶν ἐπενεγκεῖν τι σύμπασι. ΣΩ. ἀληθῆ λέγεις, εἴπερ ἐτύγχανε μετὸν πᾶσι. ΞΕ. πῶς κ. τ. λ.* Quorum omnium nihil est, quod assensione nostra comprobare audeamus. Nam etiam Socratis responsio integra est atque recta, quum ad *εἴπερ ἐτύγχανέ γε ὄν* ex superioribus iterandum sit *κοινόν τι σύμπασιν*, siquidem suppetebat nomen omnibus commune.

E. *μηδὲν διορισθείσης τροφῆς* —] Stephanus pro *μηδὲν* requirebat *μηδέ*. Quem recte confutavit Fischerus, qui *μηδέν* ut Lat. nihil vidit pro *μή* dici cum aliqua vi et gravitate. Dein libri plerique

πραγματείας; ἀλλ' ἤ τινα ἀγελαιοκομικὴν ἢ θεραπευτικὴν ἢ καί τινα ἐπιμελητικὴν αὐτὴν ὀνομάσασιν, ὡς κατὰ πάντων, ἐξῆν περικαλύπτειν καὶ τὸν πολιτικὸν ἅμα τοῖς ἄλλοις, ἐπειδὴ δεῖν τοῦτ' ἐσήμαινεν ὁ λόγος.

Cap. XVIII. *ΝΕ. ΣΩ.* Ὀρθῶς. ἀλλ' ἡ μετὰ
276 τοῦτο διαίρεσις αὖ τινα τρόπον ἐγίγνετ' ἄν;

ΞΕ. Κατὰ ταὐτά, καθάπερ ἔμπροσθεν διῃρούμεθα τὴν ἀγελαιοτροφικὴν πεζοῖς τε καὶ ἀπτῆσι, καὶ ἀμίκτοις τε καὶ ἀκεράτοις, τοῖς αὐτοῖς ἄν που τούτοις διαιρούμενοι καὶ τὴν ἀγελαιοκομικὴν τήν τε νῦν καὶ τὴν ἐπὶ Κρόνου βασιλείαν περιειληφότες ἂν ἦμεν ὁμοίως ἐν τῷ λόγῳ.

ἀλλ' ἤ τινα ἀγελ.] Sic Vat. Ven. *Π.* Par. F. Flor. i. Steph. καὶ ἄλλην δέ τ' ἀγ. quod suaserat Cornarius. In Clark. scriptum ἄλλη, quod firmat receptam scripturam. Alii cum Ald. Bas. 1. 2. ἄλλην τινά.

ὡς κατὰ πάντων] καὶ ἁπάντων Clark. Vat. et pr. *Π.*

ἐπειδὴ δεῖν τοῦτ'] δεῖν om. Clark. Vat. Ven. *Π.*

ἄλλην τινὰ ἀγελαιοκομικήν κ. τ. λ. cum Aldo et Basileensibus; quam lectionem Stephanus monitu Cornarii mutavit sic, ut καὶ ἄλλην δέ τινα ἀγ. ediderit. Verum eam scripturam in codicibus frustra quaesieris. Verum est unice quod Bekkerus ex Vat. et Ven. *Π.* restituit; ἀλλ' ἤ τινα κ. τ. λ., quod confirmatur etiam scriptura libri Clarkiani ἄλλη. Quo revocato haec emergit sententia: At vero vel ἀγελαιοκομικὴν vel θεραπευτικὴν vel etiam aliquam ἐπιμελητικήν eam nominantibus nobis, utpote de omnibus (de communi genere), licebat quasi involvere etiam virum civilem una cum reliquis, quandoquidem hoc opus esse oratio declarabat. Formula ὁ λόγος σημαίνει apud Platonem creberrimi usus est; v. Phaedon. p. 66. E. De Rep. I. p. 334. A. III. p. 388. E. Gorg. p. 511. B. p. 527. C. Theaet. p. 160. C. al.

P. 276. Κατὰ ταὐτά, καθάπερ —] Recte Bekkerus scripsit ταὐτά pro vulgato κατὰ ταῦτα. Nam iterantur haec statim deinde verbis τοῖς αὐτοῖς διαιρούμενοι. Pro καθάπερ autem quod Stephanus malebat καθ' ἅπερ, eo non opus esse docebunt, quae ad Phaedon. p. 86. A. de ὥςπερ post ὁ αὐτὸς usurpato disseruimus.

καὶ τὴν ἐπὶ Κρόνου βασιλείαν] Fuit quum legendum putarem βασιλείας, ut ad τὴν νῦν et τὴν ἐπὶ Κρ. βασιλείας intelligendum esset ἀγελαιοκομικήν. Sed video nunc ea mutatione non opus esse. Hoc enim dicit Hospes: τὴν ἀγελαιοκομικὴν eodem modo dividentes, quo antea τὴν ἀγελαιοτροφικὴν divisimus, et praesens mundi regnum et Croni imperium oratione nostra complectemur, neque accidet nobis, ut eam dividamus artem, cuius vir noster civilis

ΝΕ. ΣΩ. Φαίνεται· ζητῶ δὲ αὖ, τί τὸ μετὰ τοῦτο.

ΞΕ. Δῆλον, ὅτι λεχθέντος οὕτω τοῦ τῆς ἀγελαιοκομικῆς ὀνόματος οὐκ ἄν ποτ' ἐγένεθ' ἡμῖν τό B *τινας ἀμφισβητεῖν ὡς οὐδ' ἐπιμέλεια τὸ παράπαν ἐστίν, ὥσπερ τότε δικαίως ἠμφισβητήθη μηδεμίαν εἶναι τέχνην ἐν ἡμῖν ἀξίαν τούτου τοῦ θρεπτικοῦ προσρήματος· εἰ δ' οὖν τις εἴη, πολλοῖς πρότερον αὐτῆς καὶ μᾶλλον προσήκειν ἢ τινι τῶν βασιλέων.*

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθῶς.

ΞΕ. Ἐπιμέλεια δέ γε ἀνθρωπίνης συμπάσης κοινωνίας οὐδεμία ἂν ἐθελήσειεν ἑτέρα μᾶλλον καὶ πρ[ᾳ]ο-

P. 276. B. *ὥσπερ τότε δικαίως*] V. *τότε καὶ δικαίως.* invitis codd. omnibus.

ἑτέρα μᾶλλον] Hunc ordinem codd. tenent, exceptis paucissimis. Eundem habet Stobaeus Eclogg. Eth. c. 45. p. 325. V. *μᾶλλον ἑτέρα.* Ceterum v. Interpr.

et regalis omnino non sit particeps.

ὅτε λεχθέντος οὕτω τῆς ἀγελ.] posito s. usurpato ita nomine *τῆς ἀγελαιοκομικῆς*, quod plane aliud quid significat quam nomen *ἀγελαιοτροφικῆς*, quo antea utebamur. Qua verborum sententia non percepta Hertelius pro *λεχθέντος*, legendum esse contendit *δειχθέντος*, quod nihili est — *ὥσπερ τότε δικαίως κ. τ. λ.* quemadmodum tum iure opponebatur, nullam esse artem apud nos dignam hac altricis appellatione; sin autem ulla reperiretur, eam multis aliis prius et magis convenire, quam regum cuiquam. Respiciuntur ilta p. 275. B. D. ubi regalem artem monebatur non pertinere ad *τὸ θρεπτικόν.* Pro *αὐτῆς* vide an *αὐτὴν* revocandum sit, quod ipsum in marg. Par. F. ascriptum legitur. De *θρεπτικοῦ προσρήματος* v. ann. ad Sophist. p. 226. B.

B. *Ἐπιμέλεια δέ γε ἀνθρωπίνης* —] Iunge: *οὐδεμία δέ γε ἑτέρα τέχνη ἐθελήσειεν ἂν μᾶλλον καὶ πρωτέρα τῆς βασιλικῆς φάναι εἶναι ἐπιμέλεια κοινωνίας ἀνθρωπίνης ξυμπάσης καὶ ἀρχῆς κατὰ πάντων ἀνθρώπων.* Verba paullulum traiecta etiam corruptionis labem contraxerunt. Nam illud *πρωτέρα* quid nunc sibi velit, nemo quisquam indicaverit. Corrigendum equidem censeo *προτέρα*, quod ob rariorem cum *μᾶλλον* adverbio coniunctionem depravatum est. Sed conf. Phileb. p. 41. C. *τίς μᾶλλον καὶ τίς σφοδροτέρα ἡδονή.* Phaedon. p. 93. A. *μᾶλλόν τε ἂν ἁρμονία εἴη καὶ πλείων — ἧττόν τε καὶ ἔλαττον.* ubi v. ann. Ceterum excerpsit hunc locum Stobaeus Eclogg. Eth. c. 45. p. 325. = Florileg. Tit. 47. sect. 25. ed. Gaisford. ubi postremus editor *προτέρα* ex Trincav. ed. reposuit.

τέρα τῆς βασιλικῆς φάναι καὶ κατὰ πάντων ἀνθρώπων
C ἀρχῆς εἶναι τέχνη.

ΝΕ. ΣΩ. Λέγεις ὀρθῶς.

ΞΕ. Μετὰ ταῦτα δέ γε, ὦ Σώκρατες, ἆρ' ἐννοοῦμεν ὅτι πρὸς αὐτῷ δὴ τῷ τέλει συχνὸν αὖ διημαρτάνετο;

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ ποῖον;

ΞΕ. Τόδε, ὡς ἄρ' εἰ καὶ διενοήθημεν ὅ τι μάλιστα τῆς δίποδος ἀγέλης εἶναί τινα θρεπτικὴν τέχνην, οὐδέν τι μᾶλλον ἡμᾶς ἔδει βασιλικὴν αὐτὴν εὐθὺς καὶ πολιτικὴν ὡς ἀποτετελεσμένην προσαγορεύειν.

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

ΞΕ. Πρῶτον μὲν ὃ ἐλέγομεν τοὔνομα μετασκευω-
D ρήσασθαι, πρὸς τὴν ἐπιμέλειαν μᾶλλον προσαγαγόντας ἢ τὴν τροφήν, ἔπειτα ταύτην τέμνειν· οὐ γὰρ σμικρὰς ἂν ἔχοι τμήσεις ἔτι.

ΝΕ. ΣΩ. Ποίας;

ΞΕ. Ἥι τε τὸν θεῖον ἄν που διειλόμεθα νομέα χωρὶς καὶ τὸν ἀνθρώπινον ἐπιμελητήν.

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθῶς.

ΞΕ. Αὖθις δέ γε τὴν ἀπονεμηθεῖσαν ἐπιμελητικὴν δίχα τέμνειν ἀναγκαῖον ἦν.

ΝΕ. ΣΩ. Τίνι;

C. *Λέγεις ὀρθῶς*] *λέγε* Clark. Vat. Ven. *Π.* *αὐτὴν εὐθὺς καὶ π.*] Hoc dedi ex Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣΥ.* Par. BCH. Flor. b. Zitt. et Stobaeo. Editt. vett. *εὐθὺς αὐτήν.* Mox ὃ ante *ἐλέγομεν* om. Clark. Vat. Ven. *Π.* Flor. i. Extruserunt Turicenses.

D. *μᾶλλον προσαγαγόντας*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Par. E. corr. Flor. a. b. c. i. Zitt. et alii plurimi, consentiente Stobaeo. Vulgo erat *ἐπαγαγόντας.*

C. *τῆς δίποδος ἀγέλης εἶναί τινα θρεπτ. τ.*] i. e. esse aliquam alendi artem gregis bipedis; s. pertinere ad gregem bipedem.

Πρῶτον μὲν ὃ ἐλέγομεν —] Intelligit nomen *τῆς θρεπτικῆς* s. *ἀγελαιοτροφικῆς*, quod dicit oportuisse ante omnia emendari. Ad *μετασκευωρήσασθαι* enim ex superioribus repetendum relinquitur *ἔδει.* — *πρὸς τὴν ἐπιμέλειαν μᾶλλον πρ.*, h. e. ita mutavisse, ut magis ad curam designandam quam ad pastionem et nutritionem pertineat. — *ταύτην τέμνειν*, sc. *τὴν ἐπιμέλειαν*, s. *ἐπιμελητικήν*, aut potius artem il-

ΞΕ. Τῷ βιαίῳ τε καὶ ἑκουσίῳ.

ΝΕ. ΣΩ. Τί δή;

ΞΕ. Καὶ ταύτῃ που τὸ πρότερον ἁμαρτάνοντες εὐηθέστερα τοῦ δέοντος εἰς ταὐτὸν βασιλέα καὶ τύραννον ξυνέθεμεν, ἀνομοιοτάτους ὄντας, αὐτούς τε καὶ τὸν τῆς ἀρχῆς ἑκατέρου τρόπον. E

ΝΕ. ΣΩ. Ἀληθῆ.

ΞΕ. Νῦν δέ γε πάλιν ἐπανορθούμενοι, καθάπερ εἶπον, τὴν ἀνθρωπίνην ἐπιμελητικὴν δίχα διαιρώμεθα, τῷ βιαίῳ τε καὶ ἑκουσίῳ;

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Καὶ τὴν μέν γέ που τῶν βιαίων τυραννικήν, τὴν δὲ ἑκούσιον καὶ ἑκουσίων διπόδων ἀγελαιοκομικὴν ζώων προσειπόντες πολιτικήν, τὸν ἔχοντα αὖ τέχνην ταύτην καὶ ἐπιμέλειαν ὄντως ὄντα βασιλέα καὶ πολιτικὸν ἀποφαινώμεθα;

Cap. XIX. ΝΕ. ΣΩ. Καὶ κινδυνεύει γε, ὦ ξένε, τελέως ἂν ἡμῖν οὕτως ἔχειν ἡ περὶ τὸν πολιτικὸν ἀπόδειξις. 277

ΞΕ. Καλῶς ἄν, ὦ Σώκρατες, ἡμῖν ἔχοι. δεῖ δὲ μὴ σοὶ μόνῳ ταῦτα, ἀλλὰ κἀμοὶ μετὰ σοῦ κοινῇ ξυνδοκεῖν. νῦν δὲ κατά γε τὴν ἐμὴν οὔπω φαίνεται τέ-

E. *Νῦν δέ γε πάλιν*] *νῦν ᾧδέ γε π.* Clark. Vat. Ven. *II. δίχα διαιρώμεθα*] *διαιρώμεθα γε* vett. editt. Sed recte *γε* om. codd. praeter unum Par. E.

τὸν ἔχοντα αὖ τέχνην ταύτην] V. *τὸν ἔχοντα οὖν τὴν τέχνην ταύτην*, quod mutatum ex Clark. Vat. Coisl. Ven. *A Π.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i. Zitt.

P. 277. *ἡ περὶ τὸν πολιτικὸν ἀπόδειξις*] V. *τῶν πολιτικῶν*. Verum tuentur Clark. Vat. Ven. *Π.* Par. H. Flor. b.

lam, cuius nomine antea cura significabatar, quale fuit *ἀγελαιοκομική*. Hanc vero censet rursus sic fuisse dispertiendam:



E. *αὐτούς τε καὶ τὸν τῆς ἀρχῆς τρόπον*] De hac appositionis forma v. ad Criton. p. 50.

P. 277. *κατά γε τὴν ἐμὴν*] Sc. *δόξαν* s. *γνώμην*, frequenti ellipsi. Infra p. 291. C. *οὔκουν δὴ κατά γε τὴν ἐμήν*. Phileb. p. 41. B. *ἀλλ' ὦ Πρώταρχε, εἰοὶ κατά γε τὴν ἐμήν*. Alia exem-

λεον ὁ βασιλεὺς ἡμῖν σχῆμα ἔχειν, ἀλλὰ καθάπερ ἀνδριαντοποιοὶ παρὰ καιρὸν ἐνίοτε σπεύδοντες πλείω καὶ μείζω τοῦ δέοντος ἕκαστα τῶν ἔργων ἐπεμβαλλόμενοι
B *βραδύνουσι, καὶ νῦν ἡμεῖς, ἵνα δὴ πρὸς τῷ ταχὺ καὶ μεγαλοπρεπῶς δηλώσαιμεν τὸ τῆς ἔμπροσθεν ἁμάρτημα διεξόδου, τῷ βασιλεῖ νομίσαντες πρέπειν μεγάλα παραδείγματα ποιεῖσθαι, θαυμαστὸν ὄγκον ἀράμενοι*

κατά γε τὴν ἐμὴν] Par. BCH. Flor. a. b. c. et rec. Ven. *Π.* cum ed. Bas. 2. addunt *δόξαν*, quod ortum ex glossemate est.
B. *πρὸς τῷ ταχὺ καὶ μ.*] V. *ταχεῖ*, invitis Clark. Ven. *ΑΠ.* Par. BEFH. Flor. a. b. c. i. et pr. Coisl. Ven. *Y.* v. annot.

pla suppeditabunt Heusdius Specim. Crit. p. 102. intpp. ad Gregor. Corinth. p. 11 sq. Fischer. ad Weller. T. III. P. I. p. 204. Stephanus, quia post *φαίνεται* verbis his, *κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν*, nihil opus esse putabat, videre iussit, annon potius *ἀπόδειξιν* intelligendum esset. Quod cave credideris. Sophist. p. 225. D. *δοκῶ μὴν — καλεῖσθαι κατὰ γνώμην τὴν ἐμὴν οὐχ ἕτερον ἀδολεσχικοῦ.* ubi v. ann. Phileb. p. 32. C. *οἶμαι — κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν ἐμφανὲς ἔσεσθαι.* Alia dedimus ad Phaedon. p. 60. C. Et quis dubitabit Latine sic dicere: nunc autem mea quidem sententia rex nondum videtur absolutam nobis accepisse speciem?

ἀλλὰ καθάπερ ἀνδριαντοποιοί —] Elegans comparatio. Statuarios ait, interdum opera sua intempestive accelerantes, addere etiam iusto plura et maiora, quo scilicet illis speciosam aliquam venustatem atque dignitatem concilient; sed ea ipsa re non raro effici, ut tardius ad finem laboris sui perveniant. Haud aliter ipsis iam accidisse: quum enim virum regalem non modo breviter instituere, verum etiam magnificis exemplis illustrare voluerint, factum esse sic, ut rei demonstrationem reddiderint copiosiorem, quandoquidem pictura adumbrata potius, quam perfecta et omni colorum varietate illustrata sit. De verbis *πρὸς τῷ ταχύ* conferas ann. ad Remp. X. p. 610. B. Phaedr. p. 240. B. E. Phaedon. p. 106. C. Sympos. p. 195. C. Charm. p. 169. B. unde apparebit in hac compositione solemnem fuisse dativum, *πρὸς τῷ ταχεῖ*, quem vulgo editt. exhibent. Sed codd. praestantissimi *ταχύ*, quod non temere spernendum. Plutarch. De malignit. Herodoti p. 855. E. *τὸ γὰρ ἀπροθύμως ἐπαινεῖν τοῦ ψέγοντα χαίρειν οὐκ ἐπιεικέστερον, ἀλλὰ πρὸς τῷ μὴ ἐπιεικέστερον ἴσως καὶ χεῖρον*, ubi ad *πρὸς τῷ μὴ ἐπιεικέστερον* ex praegresso *ἐστίν*, quod supplendum relinquitur, infinitivum *εἶναι* intelligere licet; de quo structurae genere v. ad Protagor. p. 332. D. Hoc autem loco *ταχύ* pro adverbio haberi oportet, ad quod ex sequentibus infinitivum *δηλῶσαι* intelligas. De collocatione verborum, *τὸ τῆς ἔμπροσθεν ἁμάρτημα διεξόδου*, comparasse iuvabit Hipp. mai. p. 300. C. *τῆς τῶν παρόντων λέξεως λόγων.* Tim. p. 39. D. *πρὸς τὴν τῆς διαιωνίας μίμησιν φύσεως.* Ibid. p. 50. B. *περὶ τῆς τὰ πάντα δεχομένης σώματα φύσεως.*

τοῦ μύθου, μείζονι τοῦ δέοντος ἠναγκάσθημεν αὐτοῦ μέρει προσχρήσασθαι. διὸ μακροτέραν τὴν ἀπόδειξιν πεποιήκαμεν καὶ πάντως τῷ μύθῳ τέλος οὐκ ἐπέθεμεν, ἀλλ' ἀτεχνῶς ὁ λόγος ἡμῖν ὥσπερ ζῶον τὴν ἔξωθεν μὲν περιγραφὴν ἔοικεν ἱκανῶς ἔχειν, τὴν δὲ οἷον τοῖς φαρμάκοις καὶ τῇ συγκράσει τῶν χρωμάτων ἐνάργειαν οὐκ ἀπειληφέναι πω. γραφῆς δὲ καὶ συμπάσης C

μείζονι τοῦ δέοντος] μεῖζον ἢ τοῦ δ. Coisl. et alii plurimi cum Ald. Bas. 1. In Bas. 2. est μείζονι ἢ τοῦ δέοντος. Scilicet Arlenius recte ex μεῖζον fecerat μείζονι, sed oblitus erat delere particulam ἤ.

C. ἐνάργειαν οὐκ ἀπειλ.] ἐνέργειαν Clark. Vat. Ven. *II.*

Euthyphrou. p. 4. C. Gorg. p. 451. A. B. qualia vulgo grammatici opinantur in Ionicorum tantummodo scriptorum libris reperiri. — Θαυμαστὸν ὄγκον ἀράμενοι τοῦ μύθου, miram fabulae molem in nos suscipientes.

μακροτέραν τὴν ἀπόδειξιν πεποιήκαμεν] effecimus, auctores fuimus, ut longior existeret demonstratio. Ex qua interpretatione satis, opinor, intelligetur, cur activum verbum, non medium, positum sit. v. ad Menexen. p. 234. B. ubi quid ταφὰς ποιεῖσθαι et ταφὰς ποιεῖν differat, breviter significavimus.

C. ἀλλ' ἀτεχνῶς ὁ λόγος ἡμῖν ὥσπερ ζῶον] Voc. ἀτεχνῶς in comparationibus et proverbiis frequentari, quum alibi tum ad Ion. p. 534. D. ostendimus, quod hic rursus admonere non abs re visum est: neque enim interpretes vim vocabuli videntur satis assecuti esse. Comparatur autem oratio eleganter pictae imagini sive simulacro nondum perfecto et absoluto. Quamobrem ζῶον intelligendum est de pictura sive picta imagine. Cratyl. p. 425. A. ὥσπερ ἐκεῖ τὸ ζῶον τῇ γραφικῇ ἐνταῦθα τὸν λόγον τῇ ὀνομαστικῇ (συστήσομεν). Ibid. p. 429. A. τὰ ζῶα καλλίω παρέχονται. Legg. VI. p. 769. C. εἴ ποτέ τις ἐπινοήσειε γράψαι — ὡς κάλλιστον ζῶον. De Rep. VII. p. 515. A. Tim. p. 19. B. al. Hoc usu loquendi neglecto Schleiermacherus olim scribendum putabat, ὡς περὶ ζώων, s. ὁ περὶ ζώων: quam opinionem vir doctus ipse postea temporis repudiavit. Περιγραφή est adumbratio, delineatio (der äussere Umriss), quae opponitur perfectae exactaeque picturae; v. Legg. VI. p. 770. B. IX. p. 876. E. ubi eundem habes vocabuli usum. Ceterum personatus Plutarch. De audiendis poëtis p. 16. C. ἐν γραφαῖς κινητικώτερόν ἐστι χρῶμα γράμμῆς διὰ τὸ ἀνδρεικελον καὶ ἀπατηλόν. ubi v. Wyttenbach., qui cum hoc loco contendit Aristid. Orat. Plat. I. p. 39. τὸ κάλλιστον τῆς τέχνης καὶ τελεώτατον, καὶ ᾧ γραφικὴν ἢ πλαστικὴν εἶναι διαφέρει, τοῦτ' ἔστιν ἡ τοῦ χρώματος μῖξις· ἐγγὺς γὰρ ἄγει τὸ εἰκασθὲν πρὸς τὴν ἀλήθειαν.

C. γραφῆς δὲ καὶ ξυμπάσης χειρ.] H. e. μᾶλλον δὲ πρέπει λέξει καὶ λόγῳ πᾶν ζῶον δηλοῦν τοῖς δυναμένοις ἕπεσθαι (iis qui assequi possunt orationem), ἡ γραφὴ καὶ συμπάσῃ χειρουργίᾳ. De hoc usu ge-

χειρουργίας λέξει καὶ λόγῳ δηλοῦν πᾶν ζῶον μᾶλλον πρέπει τοῖς δυναμένοις ἕπεσθαι· τοῖς δ' ἄλλοις διὰ χειρουργιῶν.

ΝΕ. ΣΩ. Τοῦτο μὲν ὀρθῶς· ὅπῃ δὲ ἡμῖν οὔπω φῂς ἱκανῶς εἰρῆσθαι, δήλωσον.

D *ΞΕ. Χαλεπόν, ὦ δαιμόνιε, μὴ παραδείγμασι χρώμενον ἱκανῶς ἐνδείκνυσθαί τι τῶν μειζόνων. κινδυνεύει γὰρ ἡμῶν ἕκαστος οἷον ὄναρ εἰδὼς ἅπαντα πάντ' αὖ πάλιν ὥςπερ ὕπαρ ἀγνοεῖν.*

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς τοῦτ' εἶπες;

ΞΕ. Καὶ μάλ' ἀτόπως ἔοικά γε ἐν τῷ παρόντι κινήσας τὸ περὶ τῆς ἐπιστήμης πάθος ἐν ἡμῖν.

ΝΕ. ΣΩ. Τί δή;

ΞΕ. Παραδείγματος, ὦ μακάριε, αὖ μοι καὶ τὸ παράδειγμα αὐτὸ δεδέηκε.

D. *πάντ' αὖ πάλιν*] *πάντ'* om. Clark. Vat. Ven. *II.*

D. *ἔοικα γε — κινήσας*] Editt. Ald. Bas. 1. 2. *ἐοίκαμεν ἕκαστον ἐν ταῖς ἐξῆς βραχυτάταις γε ἐν τῷ παρόντι κινῆσαι, τὸ περὶ τῆς ἐπ. πάθος ἐν ἡμῖν.* Bas. 2. *ἐοικά γε ἕκαστον ἐν τῷ παρόντι κινήσας τὸ περὶ τῆς ἐπιστήμης ἐν ταῖς τῷ ἑξῆς βραχυτάταις γε πάθος ἐν ἡμῖν.* Recte Cornarius verba, *ἕκαστον ἐν ταῖς ἑξῆς βρ. γε*, delenda censuit, quippe quae huc venissent ex sequentibus. Hanc emendationem sequutus Stephanus edidit: *Καὶ μάλα ἀτόπως ἐοικα-*

nitivi apud comparativum paullo rariore v. Matthiae Gr. §. 454. ann. 2. et quae collegerunt Wolf. ad Demosth. de Coron. p. 247. ed. Harless. alt. Bauer. ad Thucyd. T. II. p. 270. Weisk. ad Longin. p. 449. Schneider. ad Cyrop. XI, 1, 17. p. 642. Reisig. ad Soph. Oed. Col. v. 561. Dicitur autem *πᾶν τὸ ζῶον* ob praegressam comparationem pro omnem rem, de qua incerti sumus, idque minime ineptum est, quum de viro civili quaeratur.

D. *Χαλεπόν, ὦ δαιμόνιε, μὴ παραδείγμ.*] Quod difficile ait esse sine exemplis aliquid eorum, quae maiora sunt, recte declarare, non inepte contuleris illa Sophist. p. 218. C. D. *ὅσα δ' αὖ τῶν μεγάλων δεῖ διαπονεῖσθαι καλῶς, περὶ τῶν τοιούτων δέδοκται πᾶσι καὶ πάλαι τὸ πρότερον ἐν σμικροῖς καὶ ῥᾴοσιν αὐτὰ δεῖν μελετᾶν, πρὶν ἐν αὐτοῖς τοῖς μεγίστοις, κ. τ. λ.* Proxima verba, *κινδυνεύει γάρ — ἀγνοεῖν*, exscripsit Stobaeus Eclogg. Eth. II. p. 157. (p. 12. Heer.) qui *εἰδὼς ἕκαστα πάντα αὖ πάλιν* legit, idque praeferebat Valckenar. ad Ammon. p. 217. Sed praeferam tamen lectionem vulgatam, quum *ἅπαντα εἰδὼς* et *πάντα πάλιν ἀγνοεῖν* cum vi et gravitate inter se opponantur. Ceterum recte Valckenarius, Ex veterum usu, inquit, *ὄναρ* fallacem et ob-

ΝΕ. ΣΩ. Τί οὖν; λέγε μηδὲν ἐμοῦ γε ἕνεκα E
ἀποκνῶν.

Cap. XX. *ΞΕ. Λεκτέον, ἐπειδὴ καὶ σὺ ἕτοιμος ἀκολουθεῖν. τοὺς γάρ που παῖδας ἴσμεν, ὅταν ἄρτι γραμμάτων ἔμπειροι γίγνωνται —*

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ ποῖον;

ΞΕ. Ὅτι τῶν στοιχείων ἕκαστον ἐν ταῖς βραχυτάταις καὶ ῥᾴσταις τῶν συλλαβῶν ἱκανῶς διαισθάνονται, καὶ τἀληθῆ φράζειν περὶ ἐκεῖνα δυνατοὶ γίγνονται.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς γὰρ οὔ; 278

ΞΕ. Ταὐτὰ δέ γε ταῦτα ἐν ἄλλαις ἀμφιγνοοῦντες πάλιν δόξῃ τε ψεύδονται καὶ λόγῳ.

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Ἆρ' οὖν οὐχ ὧδε ῥᾷστον καὶ κάλλιστον ἐπάγειν αὐτοὺς ἐπὶ τὰ μήπω γιγνωσκόμενα.

μεν ἐν τῷ παρόντι κινῆσαι τὸ περὶ τῆς ἐπιστήμης πάθος ἐν ἡμῖν. Eam lectionem refinximus ex Clark. Vat. Ven. *Π.* Par. BCH. Flor. i. qui habent et *ἔοικά γε* et *κινήσας*, neque agnoscunt verba illa insiticia, quae recte damnavit Cornarius. Ceterum v. interpretat.

E. *ἐμοῦ γε ἕνεκα*] *γε* om. Clark. Vat. Ven. *Π.*

ἐπειδὴ καὶ σὺ ἕτοιμος] V. *σύ γε ἕτοιμος*, quod ex Clark. Vat. Ven. *Π.* mutatum.

scuram *φαντασίαν*, quales fere in somniis nos deludunt, *ὕπαρ* exploratam rei veritatem designat. conf. Hesych. in v. *ὕπαρ*, et *ἧπαρ*. et Ast. ad Phaedr. p. 392. Legg. p. 356. Tangit hunc locum Proclus in Alcibiad. p. 191. ed. Creuzer. *κινδυνεύομεν*, inquit, *ὡς αὐτός πού φησιν, ὄναρ πάντα ἐγνωκότες, ταὐτὰ ταῦτα ὕπαρ ἀγνοεῖν, κατ' οὐσίαν μὲν ἔχοντες τοὺς λόγους καὶ οἷον ἀποπνέοντες τὰς τούτων γνώσεις, κατ' ἐνέργειαν δὲ καὶ προβολὴν οὐκ ἔχοντες.* Sententiam verborum hanc esse apparet: videtur quisque nostrum quum sibi minus diligenter res contemplans omnia novisse videatur, tamen rursus, ubi rerum veritatem accuratius explorare instituit omnia ignorare.

ἔοικά γε ἐν τῷ παρόντι κινήσας] Sic optimi codd., quorum varias lectiones supra consignavimus. De *ἔοικα* cum participio iungi solito v. Schaefer. ad Longum p. 367 sq. Winckelmannus ad Enthydem. p. 73. Bernhardy Synt. p. 332, et nostra ad Cratyl. p. 408. E.

E. *Τὸ ποῖον*] Sermonis per interrogationem alterius sic interpellati exempla ad p. 275. D. dedimus: quibus addere licebit quae habet Heindorf. ad Sophist. p. 265. C. ubi vir doctus hunc ipsum locum attigit.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς;

ΞΕ. Ἀνάγειν πρῶτον ἐπ' ἐκεῖνα ἐν οἷς ταὐτὰ ταῦτα ὀρθῶς ἐδόξαζον, ἀναγαγόντας δὲ τιθέναι παρὰ
B *τὰ μήπω γιγνωσκόμενα, καὶ παραβάλλοντας ἐνδεικνύναι τὴν αὐτὴν ὁμοιότητα καὶ φύσιν ἐν ἀμφοτέραις οὖσαν ταῖς συμπλοκαῖς, μέχρι περ ἂν πᾶσι τοῖς ἀγνοουμένοις τὰ δοξαζόμενα ἀληθῶς παρατιθέμενα δειχθῇ, δειχθέντα δέ, παραδείγμαθ' οὕτω γιγνόμενα, ποιήσῃ τῶν στοιχείων πάντων ἕκαστον ἐν πάσαις ταῖς συλλαβαῖς, τὸ μὲν ἕτερον ὡς τῶν ἄλλων ἕτερον ὄν,*
C *τὸ δὲ ταὐτὸν ὡς ταὐτὸν ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἑαυτῷ προσαγορεύεσθαι.*

ΝΕ. ΣΩ. Παντάπασι μὲν οὖν.

ΞΕ. Οὐκοῦν τοῦτο μὲν ἱκανῶς συνειλήφαμεν, ὅτι παραδείγματός γ' ἐστὶ τότε γένεσις, ὁπόταν ὂν ταὐτὸν

P. 278. *Ἀνάγειν πρῶτον*] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *ἀναγαγεῖν*. Iidem dein *ἀνάγοντας*, ubi tamen servandus aoristus est. B. *ταῖς συμπλοκαῖς*] V. *ταῖς* om. invitis codd. omnibus. *πάντων ἕκαστον*] Clark. Vat. Ven. M. Flor. i. Vett. editt. *ἕκαστον πάντων*. Paullo ante Clark. Vat. Ven. *Π. δειχθείη*, de quo v. Bernhardy Syntax. p. 413. Praeterea Par. H. Ven. *Ξ. ποιήσει*, unde si optativus ille verus fuerit, effinxeris *ποιήσειε*. At verus est unice coniunctivus.

P. 278. *ἀναγαγόντας δὲ τιθέναι*] Iut. *ταῦτα, ἐν οἷς ὀρθῶς ἐδόξαζον*.

B. *ποιήσῃ τῶν στοιχείων — προσαγορεύεσθαι*] usque dum effecerint, ut unumquodque elementorum omnium omnibus in syllabis diversum quidem tanquam diversum ab ceteris, idem vero idem semper eadem in se ratione appelletur.

C. *Οὐκοῦν τοῦτο μὲν ἱκανῶς —*] Nonne igitur hoc quidem satis percepimus, exemplum tum existere, quum quid, quod idem sit, in alio disiuncto recte cogitatum et cum alio coniunctum de utroque, tanquam ambobus coniunctis, rectam opinionem efficiat? Fallitur Cornarius pro *ἑκάτερον* scribendum ratus *ἕτερον*, quod nec Stephano displicuit. Etenim *περὶ ἑκάτερον* pertinet ad *ἀληθῆ δόξαν ἀποτελῇ*; ad *συναχθὲν* autem facile intellexeris *τινί* vel *ἄλλῳ τινί*, quod in ipso *συναχθὲν* inest.

Θαυμάζοιμεν ἂν οὖν —] Vulgo *Θαυμάζοιμ' ἂν οὖν*, recte adversantibus codd. optimis. Cornarius coni. *Μὴ θαυμάζοιμ' ἂν οὖν*. Qua coniectura facile carueris, ubi nobiscum post *πάλιν ἀγνοεῖ* posueris signum interrogandi, quod iam Bekkerus in puncti locum substituit. — *τοτὲ μὲν ὑπ' ἀληθείας*

ἐν ἑτέρῳ διεσπασμένῳ, δοξαζόμενον ὀρθῶς καὶ συναχθὲν περὶ ἑκάτερον ὡς συνάμφω μίαν ἀληθῆ δόξαν ἀποτελῇ;

ΝΕ. ΣΩ. Φαίνεται.

ΞΕ. Θαυμάζοιμεν ἂν οὖν, εἰ ταὐτὸν τοῦτο ἡμῶν ἡ ψυχὴ φύσει περὶ τὰ τῶν πάντων στοιχεῖα πεπονθυῖα τοτὲ μὲν ὑπ' ἀληθείας περὶ ἓν ἕκαστον ἔν τισι D *συνίσταται, τοτὲ δὲ περὶ ἅπαντα ἐν ἑτέροις αὖ φέρεται, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἁμῇ γέ πῃ τῶν συγκράσεων ὀρθῶς δοξάζει, μετατιθέμενα δ' εἰς τὰς τῶν πραγμάτων μακρὰς καὶ μὴ ῥᾳδίους συλλαβὰς ταὐτὰ ταῦτα πάλιν ἀγνοεῖ;*

ΝΕ. ΣΩ. Καὶ θαυμαστόν γε οὐδέν.

ΞΕ. Πῶς γάρ, ὦ φίλε, δύναιτ' ἄν τις, ἀρχόμε-

C. *συναχθὲν περὶ ἑκάτερον*] Cornarius coni. *ἕτερον*. *Θαυμάζοιμεν ἂν οὖν*] Vett. editt. *θαυμάζοιμ' ἂν οὖν*, praeter fidem Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΠ*. Par. BCH. Flor. a. b. c. i.

D. *ἔν τισι συν.*] *ἔν τι συν.* Clark. Vat. Ven. *Π*.

περὶ ἅπαντα ἐν ἑτέροις] Sic Clark. Vat. Ven. *Π*. Vett. editt. *περὶ πάντων*. Coisl. cum aliis plurimis *περὶ πάντα*.

κ. τ. λ. nunc veritatem assecuta in quibusdam circa unumquodque consistit, neque vagatur dubia aut incerta. Nihili est, quod in tribus optimis codd. legitur *ἔν τι συνίσταται*. Nam *ἔν τισι* recte opponitur isti *ἐν ἑτέροις*, sicuti *περὶ ἓν ἕκαστον* apte respondet proximo *περὶ ἅπαντα*, quod item fuit vitiatum. Verbum *συνίσταται* autem apparet opponi proximo *φέρεται*.

D. *καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἁμῇ γέ πῃ τ. σ.*] In his equidem non perspicio, unde genitivus *τῶν συγκράσεων* suspendatur, nisi ex *ἁμῇ γέ πῃ* pendeat. Verum huius usus alterum exemplum non suppetit. v. intpp. ad Thom. Mag. p. 10. ed. Bern. Wyttenbach. ad Plutarch. Mor. I. p. 432. ed. Lips. Ruhnken. ad Tim. Gloss. p. 29. Itaque facile credo locum esse vitio aliquo contaminatum. Suspicor scribi oportere: *καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἁμῇ γέ πῃ ἐκ τῶν συγκράσεων ὀρθῶς δοξάζει*, et nonnulla quidem rerum omnium elementa aliquo certe modo ex commixtionibus recte percipit. Dixerat enim supra ex brevioribus et facilioribus litterarum coniunctionibus elementorum vim naturamque facilius cognosci, quam ex longioribus.

Πῶς γάρ, ὦ φίλε, δύναιτ' ἄν τις] Hic quid *γάρ* sibi velit, nemo quisquam poterit indicare. Dixerat Eleates, idem

νος ἀπὸ δόξης ψευδοῦς, ἐπί τι τῆς ἀληθείας καὶ μι-
E κρὸν μέρος ἀφικόμενος κτήσασθαι φρόνησιν;

ΝΕ. ΣΩ. Σχεδὸν οὐδαμῶς.

ΞΕ. Οὐκοῦν ταῦτα εἰ ταύτῃ πέφυκεν, οὐδὲν δὴ πλημμελοῖμεν ἂν ἐγώ τε καὶ σὺ πρῶτον μὲν ἐπιχειρήσαντες ὅλου παραδείγματος ἰδεῖν τὴν φύσιν ἐν σμικρῷ κατὰ μέρος ἄλλῳ παραδείγματι, μετὰ δὲ ταῦτα μέλλοντες, ἐπὶ τὸ τοῦ βασιλέως, μέγιστον ὄν, ταὐτὸν εἶδος ἀπ' ἐλαττόνων φέροντές ποθεν, διὰ παραδείγματος ἐπιχειρεῖν αὖ τὴν τῶν κατὰ πόλιν θεραπείαν τέχνῃ γνωρίζειν, ἵνα ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος ἡμῖν γίγνηται;

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν ὀρθῶς.

279 ΞΕ. Πάλιν δὴ τὸν ἔμπροσθεν λόγον ἀναληπτέον, ὡς ἐπειδὴ τῷ βασιλικῷ γένει τῆς περὶ τὰς πόλεις ἐπι-

E. εἰ ταύτῃ πέφυκ.] ἐπ' αὐτῇ Clark. Vat.
ὅλου παραδείγματος] Schleiermacherus παραδείγματος aut eiiciendum aut in πράγματος mutandum censuit. v. interpr.
μετὰ δὲ ταῦτα μέλλοντες] Stephanus de coniectura Cor-

hoc, quod in litterarum elementis pueris accidat, etiam in rerum omnium elementis animis nostris evenire, quandoquidem quae in nonnullis clara nobis sint atque perspecta, eadem in difficilioribus rerum coniunctionibus rursus obscura videantur et penitus ignota. Quod postea-quam Socrates ita esse affirmavit, non potest ille sermonem suum ita continuare: *Πῶς γάρ, ὦ φίλε, δύναιτ' ἄν τις κ. τ. λ.* Vult enim his verbis veluti praeludere iis, quae deinde proponit. Itaque verum videmur assecuti esse scribentes de coniectura nostra: *Πῶς ἄρ', ὦ φίλε, κ. τ. λ.* Ita enim hospes sic argumentatur: Quum igitur animus noster erroris periculo in talibus quidem admodum sit obnoxius, qui tandem fieri poterit, ut quis a falsa profectus opinione vel tantillum veritatis assequatur et ad sapientiae possessionem perveniat? Quamobrem age rem ante omnia contemplemur in rei parvae exemplo, quod non tantum habeat erroris periculum.

E. *Οὐκοῦν ταῦτα εἰ ταύτῃ πέφυκεν*] Schleiermacherus olim *παραδείγματος* post *ὅλου* delendum aut in *πράγματος* mutandum arbitrabatur. Quam sententiam vir doctus ipse in repetita Platonis sui editione recte repudiavit. Nam *ὅλου παραδείγματος φύσιν* significat naturam exempli universe spectati, quam quidem eius naturam in antegressis iam definiverunt. Quamobrem loci sententia haec est: Itaque hoc si ita est (ut in rerum exiguarum nec multipliciter compositarum consideratione erroris periculo minus expositi simus), minime inepte faciemus ego atque tu, si primum quidem studuerimus universi exempli naturam in alio quodam brevi exemplo per partes

ὑβριστικὰ καὶ μανικὰ λέγοντες] Sophist. p. 242. A. extr. *φοβοῦμαι δὴ τὰ εἰρημένα, μή ποτε διὰ ταῦτά σοι μανικὸς εἶναι δόξω παρὰ πόδα μεταβαλὼν ἐμαυτὸν ἄνω καὶ κάτω.* Charmid. p. 153. B. Apol. Socr. p. 21. A. Sympos. p. 173. D. ubi v. ann. De voc. *βλακικά* Schol. ad h. l. *βλακικά· τὰ μωρά, ἀνόητα· ἀπ' ἰχθύος καλουμένου βλακός, ὁμοίου σιλούρῳ, ἀχρήστου τοσοῦτον, ὡς μηδὲ κυνὶ βρώσιμον εἶναι.* quae ipsa verba etiam Etym. M. s. v. *βλάξ* habet. v. Ruhnken. ad Tim. p. 60 sq. qui bene monet, *βλάξ* non solum fatuum ac stupidum significare, sed etiam imbellem ac socordem. Unde *βλακικόν* h. l. est quod agitur tardius ac remissius. Ita enim ipsa oppositionis ratio suadet.

C. *καὶ σχεδὸν ὡς τὸ πολὺ ταῦτά τε —*] ac plerumque fere quum haec tum moderatam indolem et fortem, quae contrariorum est propria, tanquam species hostiles, seditionem sortitas, reperimus

καὶ τὴν σώφρονα φύσιν καὶ τὴν ἀνδρείαν τὴν τῶν ἐναντίων, οἷον πολεμίας διαλαχούσας στάσιν ἰδέας, οὔτ' ἀλλήλαις μιγνυμένας ἐφευρίσκομεν ἐν ταῖς περὶ τὰ τοιαῦτα πράξεσιν, ἔτι τε τοὺς ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτὰς ἴσχοντας διαφερομένους ἀλλήλοις ὀψόμεθα, ἐὰν μεταδιώκωμεν.

Cap. XLV. *ΝΕ. ΣΩ. Ποῦ δὴ λέγεις;*

ΞΕ. Ἐν πᾶσί τε δὴ τούτοις οἷς νῦν εἴπομεν, D *ὡς εἰκός τε ἐν ἑτέροις πολλοῖς. κατὰ γὰρ οἶμαι τὴν αὐτῶν ἑκατέροις ξυγγένειαν τὰ μὲν ἐπαινοῦντες ὡς οἰκεῖα σφέτερα, τὰ δὲ τῶν διαφόρων ψέγοντες ὡς*

Ποῦ δὴ λέγεις;] *σπουδῇ* λ. Clark. Vat. Coisl. Ven. *Π.* Flor. i. Alii habent *Πῶς δὴ* λ. Nimirum offenderunt boni critici in adverbio loci.

ὡς εἰκός τε] *τε* pro *γε καὶ* suppeditarunt Clark. Vat. Ven. *ΑΠ.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i. al.

D. *οἰκεῖα σφέτερα*] Pro *σφέτερα* Clark. Coisl. Vat. Ven. *ΑΞΣΥ.* Par. BEF. *ἐφ' ἕτερα.* Quod quis est quin videat rursus ex male sedula grammaticorum fluxisse mutatione? v. ann.

nec inter se commixtas in iis actionibus, quae ad talia referuntur, et eos, qui ipsas in animis habent, inter se dissidentes videbimus, siquidem eos pervestigemus. Locus rursus ex anacolutho explicandus. Mutatus enim sermonis tenor est inde a verbis *ἔτι τε τοὺς ἐν ταῖς ψυχαῖς κ. τ. λ.* Quae servata inchoatae constructionis ratione sic fere debebant enuntiari: *οὔτε ἐν ταῖς ψυχαῖς τῶν αὐτὰς ἰσχόντων ἀλλήλαις συμφερομένας.* Sed de his verbo monuisse satis erit. Hoc unum addidisse iuvabit, in proximis sermonem sic continuari, ut omnia postremis: *διαφερομένους ἀλλήλοις κ. τ. λ.* accommodata sint.

ὡς εἰκός τε ἐν ἑτέροις πολλοῖς] Codd. plerique *καὶ* ante *ἐν ἑτέροις* omittunt et pro *γε* scriptum exhibent *τε*. Utrumque Bekkerus dedit. Optima sane est sententia veteris lectionis haec: Quum in omnibus iis, quae nunc diximus, sicuti consentaneum est certe, tum in multis aliis. At primum quidem scrupulum iniicit codicum auctoritas. Deinde istud *ὡς εἰκός γε* vereor ut potius *ὡς γε εἰκός* dici debuerit. Itaque secuti sumus Bekkerum. Adhaesit *τε* primis verbis, quum usitatius dici posset *ἐν ἑτέροις τε πολλοῖς, ὥς γε εἰκός.* Dein *οἶμαι* rursus inter praepositionem et nomen interpositum, de qua loquendi ratione v. ann. ad p. 300. B. — Pro *ὡς οἰκεῖα σφέτερα* Stephanus restituendum putabat *ὡς οἰκεῖα καὶ σφέτερα.* At coniunguntur haec ut in sermone Latino suum proprium. Cicer.

ἀλλότρια, πολλὴν εἰς ἔχθραν ἀλλήλοις καὶ πολλῶν πέρι καθίστανται.

ΝΕ. ΣΩ. Κινδυνεύουσι.

ΞΕ. Παιδιὰ τοίνυν αὕτη γέ τις ἡ διαφορᾶ τούτων ἐστὶ τῶν εἰδῶν· περὶ δὲ τὰ μέγιστα νόσος ξυμβαίνει πασῶν ἐχθίστη γίγνεσθαι ταῖς πόλεσι.

ΝΕ. ΣΩ. Περὶ δὴ ποῖα φῄς;

ΞΕ. Περὶ ὅλην, ὡς γε εἰκός, τὴν τοῦ ζῆν παρασκευήν. οἱ μὲν γὰρ δὴ διαφερόντως ὄντες κόσμιοι τὸν ἥσυχον ἀεὶ βίον ἕτοιμοι ζῆν αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς μόνοι τὰ σφέτερ' αὐτῶν πράττοντες, οἵκοι τε πρὸς ἅπαντας οὕτως ὁμιλοῦντες, καὶ πρὸς τὰς ξέω- E

Nimirum talia luculente docent vel optimos libros manus grammaticorum correctrices expertos esse, ut vehementer errent, qui iis, non ponderatis utrinque rationum momentis, ubique tuto confidendum arbitrantur.

Παιδιὰ τοίνυν] Codd. plurimi cum Clark. Vat. Ven. *Π. παιδεία.* male.

E. *ἥσυχον ἀεὶ*] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ἡσύχιον.* *οἵκοι τε πρὸς ἅπαντας*] Sic Clark. Vat. Ven. *ΞΠ.* Flor. i. Vulgo *οἵκοι τε αὖ πρ. ἅπ.*

Or. pro Rosc. Amer. c. 52. omnia, quae *nostra* erant *propria*. De Orat. I, 44. videbitur Crassus — *sua* quadam *propria* facultate posse. Sic etiam Demosthen. Orat. c. Callicl. p. 1274. 5. et 1275. 7. ed. Reisk. *ἡμέτερον ἴδιον.* Lucian. T. III. p. 226. ed. Bip. *τοὐμὸν ἴδιον.* Nihil igitur sollicitandum.

D. *Παιδιὰ τοίνυν αὕτη γέ τις ἡ διαφορὰ*] Lusus, inquit, est iste quidem dissensus de his generibus, quum alia tanquam sibi propria et cognata dilaudant, alia diversa utpote aliena vituperant, eaque opinionum dissensione in mutuas incidunt inimicitias. Nihil amplius. Neque enim Astio assentimur in Commentar. ad Phaedrum p. 257. ed. I. lusum putanti nunc vocari oppositorum principiorum conflictionem, quippe quae interioris vitae naturae quasi lusus quidam sit. Neque illud probamus, quod vir doctus pro *αὕτη* ibidem scribendum censuit *αὐτή*, per se.

E. *αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς μόνοι τὰ σφ.*] Mireris Valckenarium ad Eurip. Hippolyt. v. 785. p. 247. *μόνοι* tanquam glossema deleri iubentem: eundem mireris in eundem scopulum rursus offendisse etiam Phoeniss. p. 1235. ubi pro his: *ἐγὼ γὰρ αὐτός — μόνος συνάψω συγγόνῳ τῷ μῷ μάχην*, reponi voluit *μόνῳ συνάψω*, quod praecederet *αὐτός*. Nihil frequentius hac verborum coniunctione. De Rep. X. p. 604. A. *ὅταν ἐν ἐρημίᾳ μόνος αὐτὸς καθ' αὑτὸν γίγνηται.* Charmid. p. 156. E. Lysid.

θεν πόλεις ὡσαύτως ἕτοιμοι ὄντες τρόπον τινὰ ἄγειν εἰρήνην. καὶ διὰ τὸν ἔρωτα δὴ τοῦτον, ἀκαιρότερον ὄντα ἢ χρῆν, ὅταν ἃ βούλονται πράττωσιν, ἔλαθον αὐτοί τε ἀπολέμως ἰσχοντες καὶ τοὺς νέους ὡσαύτως διατιθέντες ὄντες τε ἀεὶ τῶν ἐπιτιθεμένων, ἐξ ὧν οὐκ ἐν πολλοῖς ἔτεσιν αὐτοὶ καὶ παῖδες καὶ ξύμπασα
308 *ἡ πόλις ἀντ' ἐλευθέρων πολλάκις ἔλαθον αὐτοὺς γενόμενοι δοῦλοι.*

ΝΕ. ΣΩ. Χαλεπὸν εἶπες καὶ δεινὸν πάθος.

ΞΕ. Τί δ' οἱ πρὸς τὴν ἀνδρείαν μᾶλλον ῥέποντες; ἆρ' οὐκ ἐπί πόλεμον ἀεί τινα τὰς αὐτῶν ξυντείνοντες πόλεις διὰ τὴν τοῦ τοιούτου βίου σφοδροτέραν τοῦ δέοντος ἐπιθυμίαν, εἰς ἔχθραν πολλοῖς καὶ δυνατοῖς καταστάντες, ἢ πάμπαν διώλεσαν ἢ

ἕτοιμοι ὄντες] *ἕτοιμοι πάντα ὄντες* Clark. Vat. Coisl. Ven. *Ξ*. Par. B. Flor. i. at vide ann.

ἢ χρῆν] *χρὴ* Clark. Vat. Ven. *Π*. Par. H. Flor. i. Dein *ἃ βούλωνται* Clark. Coisl. Ven. *Υ*. Par. H.

p. 211. C. Pindar. Nem. X, 10. *ψῆφον ἤνεγκε μόνη καθ' ἑαυτήν*. Plutarch. Demetr. c. 4. *ὡς ἐγεγόνεισαν μόνοι καθ' αὑτούς*. Plura dabit Schaefer. ad Demosthen. Appar. T. III. p. 183.

ἕτοιμοι ὄντες τρόπον τινὰ ἄγειν εἰρήνην] Codices non pauci et in iisque etiam Bodl. aliique melioris notae libri *πάντα* ante *ὄντες* inserunt. Quod nos quidem nunc non dubitamus unde ortum sit. Nam *τρόπον τινά* quum hic non sit quodammodo, sed aliquo modo; qui voluerunt rariorem hunc usum notare, *πάντα* adscripserunt; quod postea temere ipsis Platonis verbis, et quidem loco alieno, insertum est.

καὶ διὰ τὸν ἔρωτα δὴ τοῦτον —] Et propter hoc studium iusto inopportunius, quum agunt quae velint, inscientes quum ipsi fiunt imbelles, tum iuvenes similes reddunt, suntque semper in potestate eorum, qui ipsos aggrediuntur. Gorg. p. 508. C. *οἱ ἄτιμοι τοῦ ἐθέλοντός (εἰσιν)*. Sophocl. Oed. T. v. 917. *ἀλλ' ἔστι τοῦ λέγοντος, ἣν φόβους λέγῃ*. conf. Matthiae Gr. §. 315.

αὐτοὶ καὶ παῖδες καὶ ξύμπασα ἡ πόλις] Suspicetur aliquis, *καὶ οἱ παῖδες* v. ad Criton. p. 50. C. At enim vero articulus hic recte omittitur, quia Hospes rem significat universe. Germanice item dixeris: daher wurden in nicht vielen Iahren sie selbst *nebst Kindern* und *dem* ganzen Staate oft unvermerkt, statt frei zu sein, Sclaven. Sic alibi legere nos meminimus *ἄνδρες καὶ γυναῖκες*, Männer und Weiber, et quae

δούλας αὖ καὶ ὑποχειρίους τοῖς ἐχθροῖς ὑπέθεσαν τὰς αὑτῶν πατρίδας;

ΝΕ. ΣΩ. Ἔστι καὶ ταῦτα. B

ΞΕ. Πῶς οὖν μὴ φῶμεν ἐν τούτοις ἀμφότερα ταῦτα τὰ γένη πολλὴν πρὸς ἄλληλα ἀεὶ καὶ τὴν μεγίστην ἴσχειν ἔχθραν καὶ στάσιν;

ΝΕ. ΣΩ. Οὐδαμῶς ὡς οὐ φήσομεν.

ΞΕ. Οὐκοῦν ὅπερ ἐσκοποῦμεν κατ' ἀρχάς, ἀνευρήκαμεν, ὅτι μόρια ἀρετῆς οὐ σμικρὰ ἀλλήλοις διαφέρεσθον φύσει καὶ δὴ καὶ τοὺς ἴσχοντας δρᾶτον τὸ αὐτὸ τοῦτο;

ΝΕ. ΣΩ. Κινδυνεύετον.

ΞΕ. Τόδε τοίνυν αὖ λάβωμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ ποῖον;

P. 308. B. *ἀμφότερα ταῦτα*] *ταῦτα* ex edit. Bas. 2. et codd. mss. omnibus restitutum. Dein *τὰ* ante *γένη* om. Clark. Vat. Ven. *Π.*

ὅπερ ἐσκοποῦμεν] *ὅπερ ἐπεσκοποῦμεν* Clark. Vat. Ven. *Π.* Zittav.

sunt id genus alia similia. Pertinet huc *αὐτὸς καὶ γένος*, de quo dixit Taylorus ad Demosth. p. 428. T. III. ed. Reisk. Et prorsus eodem modo Inscriptiones apud Boeckhium Corp. I. 1. p. 129. *καὶ αὐτὸν καὶ ἐκγόνους.* conf. Sauppius ad Lycurgum p. 133. qui hoc ipsum exemplum rei attulit.

P. 308. *Τί δ' οἱ πρὸς τὴν ἀνδρείαν μᾶλλον ῥέποντες*] Vett. editt. post *Τί δέ;* interpungunt et ante *ἆρ' οὐκ* interpunctionem ignorant. Male. Solet enim *τί δέ* additis iis, de quibus deinceps exponitur, reliquae interrogationi ita praemitti. Phaedon. p. 68. E. *τί δὲ οἱ κόσμιοι αὐτῶν; οὐ ταὐτὸν τοῦτο πεπόνθασιν*; Sic enim ibi distinguendum. Ibid. p. 65. A. C. p. 78. D. Gorg. p. 502. A. *τί δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Μέλης; ἢ πρὸς τὸ βέλτιστον βλέπων ἐδόκει σοι κιθαρῳδεῖν*; ubi plura Heindorf. conf. Matthiae Gr. §. 630. 1. p. 1516. ed. 3. — *τὴν τοῦ τοιαύτου βίου*, qualis est tempore bellorum.

B. *Πῶς οὖν μὴ φῶμεν ἐν τούτοις*] H. e. in hac rerum condicione, quum alii alia sibi expetant atque diligant. Sophocl. Oed. T. v. 892. *τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖσδ' ἀνήρ*; Plat. Menex. p. 238. B. *τὰ μὲν ὀνόματα πρέπει ἐν τῷ τοιῷδε ἔᾶν.* Ibid. p. 244. A. *ἐν τοῖς τοιοῖσδε.* Tim. p. 42. C. *μὴ παυόμενος δὲ ἐν τούτοις ἔτι κακίας.* Ibid. p. 81. D. *φθόνει δὴ πᾶν ζῶον ἐν τούτῳ κρατούμενον.* Theaetet. p. 209. A. *ἐν τῷ τοιούτῳ.*

Οὐδαμῶς ὡς οὐ φήσομεν] Nullo modo id negabimus.

τοὺς ἴσχοντας δρᾶτον τὸ αὐτὸ τοῦτο] Sc. *ὥστε ἀλλήλοις διαφέρεσθαι.*

C Cap. XLVI. ΞΕ. *Εἴ τίς που τῶν συνθετικῶν ἐπιστημῶν πρᾶγμα ὁτιοῦν τῶν αὐτῆς ἔργων, κἂν εἰ τὸ φαυλότατον, ἐκοῦσα ἐκ μοχθηρῶν καὶ χρηστῶν τινῶν ξυνίστησιν, ἢ πᾶσα ἐπιστήμη πανταχοῦ τὰ μὲν μοχθηρὰ εἰς δύναμιν ἀποβάλλει, τὰ δ' ἐπιτήδεια καὶ τὰ χρηστὰ ἔλαβεν, ἐκ τούτων δὲ καὶ ὁμοίων καὶ ἀνομοίων ὄντων, πάντ' εἰς ἓν αὐτὰ ξυνάγουσα, μίαν τινὰ δύναμιν καὶ ἰδέαν δημιουργεῖ.*

ΝΕ. ΣΩ. Τί μήν;

ΞΕ. Οὐδ' ἄρα ἡ κατὰ φύσιν ἀληθῶς οὖσα ἡμῖν D *πολιτικὴ μή ποτε ἐκ χρηστῶν καὶ κακῶν ἀνθρώπων ἐκοῦσα εἶναι συστήσηται πόλιν τινά, ἀλλ' εὔδηλον, ὅτι παιδιᾷ πρῶτον βασανιεῖ, μετὰ δὲ τὴν βάσανον αὖ τοῖς δυναμένοις παιδεύειν καὶ ὑπηρετεῖν πρὸς τοῦτ' αὐτὸ παραδώσει, προστάττουσα καὶ ἐπιστατοῦσα αὐτή, καθάπερ ὑφαντικὴ τοῖς τε ξαίνουσι καὶ τοῖς τἆλλα προπαρασκευάζουσιν, ὅσα πρὸς τὴν πλέξιν*

C. *κἂν εἰ τὸ φαυλότατον*] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣΥ*. Par. BCFH. Flor. a. b. c. i. Zitt. Editt. *κἂν ᾖ τὸ φ. καὶ τὰ χρηστὰ*] *τὰ* istud om. Clark. Vat. Ven. *Π*.

D. *μή ποτε ἐκ χρηστῶν*] Sic Clark. Vat. Ven. *ΠΣΥ*. et pr. *Ξ*. Flor. i. Zitt. Vulgo *μηδέποτε*.

συστήσηται πόλιν] Futurum *συστήσεται* tuentur Ven.

C. *Εἴ τίς που τῶν συνθετικῶν ἐπ.*] num qua usquam artium componentium quidquam operum suorum componat etc. Nam pendet haec interrogatio ex praecedentibus illis *Τόδε τοίνυν αὖ λάβωμεν*. Dein *κἂν εἰ φαυλότατον*, unice verum. Sic Sophist. p. 247. D. *κἂν εἰ μόνον εἰς ἅπαξ*. Ibid. p. 267. E. *κἂν εἰ τολμηρότερον εἰρῆσθαι*. Phileb. p. 58. C. *ἀλλὰ τίς ποτε — τὸ ἀληθέστατον ἐπισκοπεῖ, κἂν εἰ σμικρὰ καὶ σμικρὰ ὀνίνασα*. Quae sic ex codicibus refingenda esse in tanta eorum consensione nemo dubitet. conf. Winckelmann. Praefat. ad Euthydem. p. XIV.

D. *ὅτι παιδιᾷ πρῶτον βασ.*] Quod vulgo legebatur *παιδείᾳ*, disciplina, id vel sequentia falsum esse arguunt. Recte codices plerique omnes *παιδιᾷ*. Enimvero censet philosophus puerorum ingenia ab initio lusu iocoque exploranda esse; exploratos autem vult disciplinae idoneorum magistrorum tradi.

E. *τοιαῦτα ἑκάστοις ἐνδεικν.*] Ne quis *καὶ* ante *τοιαῦτα* inserendum putet. Nam participium hoc cum reliquis verbis inservit explicationi praecedentis illius *προστάττουσα καὶ ἐπιστατοῦσα αὐτή*. Quamobrem hic complurium participiorum

αὐτῆς, ξυμπαρακολουθοῦσα προστάττει καὶ ἐπιστατεῖ, τοιαῦτα ἑκάστοις ἐνδεικνῦσα τὰ ἔργα ἀποτελεῖν, E
οἷα ἂν ἐπιτήδεια ἡγῆται πρὸς τὴν αὐτῆς εἶναι ξυμπλοκήν.

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Ταὐτὸν δή μοι τοῦθ' ἡ βασιλικὴ φαίνεται πᾶσι τοῖς κατὰ νόμον παιδευταῖς καὶ τροφεῦσι, τὴν τῆς ἐπιστατικῆς αὐτὴ δύναμιν ἔχουσα, οὐκ ἐπιτρέπειν ἀσκεῖν, ὅ τι μή τις πρὸς τὴν αὐτῆς ξύγκρασιν ἀπεργαζόμενος ἦθός τι πρέπον ἀποτελεῖ, ταῦτα δὲ μόνα παρακελεύεσθαι παιδεύειν. καὶ τοὺς μὲν μὴ δυναμένους κοινωνεῖν ἤθους ἀνδρείου καὶ σώφρονος ὅσα τε ἄλλα ἐστὶ τείνοντα πρὸς ἀρετήν, ἀλλ' εἰς ἀθεότητα καὶ ὕβριν καὶ ἀδικίαν ὑπὸ κακῆς βίᾳ φύσεως ἀπω- 309
θούμενα, θανάτοις τε ἐκβάλλει καὶ φυγαῖς καὶ ταῖς μεγίσταις κολάζουσα ἀτιμίαις.

ΝΕ. ΣΩ. Λέγεται γοῦν πως οὕτω.

ΛΞΣΥ. Par. H. Zitt. Dein vulgo *τινὰ πόλιν*, invitis Clark. Vat. Ven. *ΞΠΣΥ.* Zitt.

παιδιᾷ πρῶτον] Sic Clark. Vat. Ven. *ΛΠΣΥ.* Par. BC EH. Flor. a. b. c. Bas. 2. Vulgo *παιδείᾳ.* Coisl. Ven. *Ξ. παιδία.*

E. *οὐκ ἐπιτρέπειν*] *ἐπιτρέψειν* Vat. Coisl. Ven. *Π.* et marg. Flor. i.

P. 309. *ἀπωθούμενα*] *ἀπωθούμενος* Par. H.

concursus nihil habet insolentiae v. ad Euthyphron. p. 4. D. al.

Ταὐτὸν δή μοι τοῦθ' ἡ β.] H. e. pariter, eodem modo. v. ad Sympos. p. 178. E.

οὐκ ἐπιτρέπειν ἀσκεῖν—] videtur non permittere, ut id factitent, nisi quatenus quis reddat et efficiat ingenium atque mores ipsius mixturae et temperamento consentaneos, sed ad haec sola tradenda cohortari. In his *ἀσκεῖν* positum est absolute, ut sit suum exercere negotium. Sed *ὅ τι μή* est nisi quatenus. Utrumque ab interpretibus neglectum. Dein *ταῦτα δὲ μόνα*, numero plurali, dictum est generalius pro *τοῦτο δὲ μόνον*, sc. *τὸ ἤθη πρέποντα ἀποτελεῖν πρὸς τὴν τῆς βασιλικῆς ξύγκρασιν ἀπεργαζομένους.* Sed ita pluralem numerum pronominum neutrius generis sexcenties usurpari meminimus. v. ann. ad Gorg. p. 447. A. Protagor. p. 331. E.

P. 309. *ἀλλ' εἰς ἀθεότητα — ἀπωθούμενα*] Haec rursus putamus turpiter vitiata esse. Nam *ἀπωθούμενα* perperam ad *ὅσα τε ἄλλα* refertur, sententia ipsa reluctante. Scribendum *ἀπωθουμένους*. Coniecturam nostram firmat scriptura

ΞΕ. Τοὺς δ' ἐν ἀμαθίᾳ τ' αὖ καὶ ταπεινότητι πολλῇ κυλινδουμένους εἰς τὸ δουλικὸν ὑποζεύγνυσι γένος.

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθότατα.

ΞΕ. Τοὺς λοιποὺς τοίνυν, ὅσων αἱ φύσεις ἐπὶ τὸ γενναῖον ἱκαναὶ παιδείας τυγχάνουσαι καθίστα-
B *σθαι καὶ δέξασθαι μετὰ τέχνης ξύμμιξιν πρὸς ἀλλήλας, τούτων τὰς μὲν ἐπὶ τὴν ἀνδρείαν μᾶλλον ξυντεινούσας, οἷον στημονοφυὲς νομίσασ' αὐτῶν εἶναι τὸ στερεὸν ἦθος, τὰς δὲ ἐπὶ τὸ κόσμιον πίονί τε καὶ μαλακῷ καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα κροκώδει διανήματι προσχρωμένας, ἐναντία δὲ τεινούσας ἀλλήλαις, πειρᾶται τοιόνδε τινὰ τρόπον ξυνδεῖν καὶ ξυμπλέκειν.*

ΝΕ. ΣΩ. Ποῖον δή;

C *ΞΕ. Πρῶτον μὲν κατὰ τὸ ξυγγενὲς τὸ ἀειγενὲς*

B. *νομίσασ' αὐτῶν*] V. *νομίσας*. Correxit Heusdius. *κροκώδει διανήματι*] Libri *διανθήματι*. Correxit Cornarius.

Par. H. *ἀπωθούμενος*. Hoc igitur dicit Hospes: Atque eos, qui non possunt fieri participes animi fortis ac temperantis et eorum omnium, quae praeterea ad virtutem pertinent, sed potius ad impietatem et petulantiam et iniustitiam vitio naturae quasi per vim detruduntur, capitis supplicio vel exilio vel maxima ignominia castigans eiicit e civitate.

ὅσων αἱ φύσεις ἐπὶ τὸ γενναῖον —] Iunge: *ὅσων αἱ φύσεις, τυγχάνουσαι παιδείας, ἱκαναί* (*εἰσι*) *καθίστασθαι ἐπὶ τὸ γενναῖον*, quorum indoles, nacta institutionem ac disciplinam, idonea est, ut possit ad bonum generosumque traduci etc. Dein suscepta constructione subito relicta per anacoluthon subiungitur, *τούτων τὰς μὲν ἐπὶ τὴν ἀνδρείαν κ. τ. λ.* ubi expectabas potius, *τοὺς μὲν ἐπὶ τὴν ἀνδρείαν μᾶλλον ξυντείνοντας κ. τ. λ.* Verum causa mutati sermonis cernitur in relativo orationis membro, *ὅσων αἱ φύσεις ἐπὶ τὸ γενναῖον κ. τ. λ.*

B. *οἷον στημονοφυὲς νομίσασ'* —] firmum ingenium quasi staminis naturam referre existimans. Ad hunc locum penitus intelligendum plane necesse est recorderis eorum, quae c. 23. de arte laneae vestis texendae exposita sunt. Nam Hospes ibi staminis fila contortiora ideoque duriora, subteminis autem fila minus torta ideoque molliora esse solere exposuit. Iam quemadmodum ars textoria in utriusque generis filis apte connectendis versatur, ita artis civilis sive regiae proprium munus hoc esse iudicatur, ut ingenia civium duriora atque molliora prudenter temperentur at-

ὂν τῆς ψυχῆς αὐτῶν μέρος θείῳ ξυναρμοσαμένη δεσμῷ, μετὰ δὲ τὸ θεῖον τὸ ζωογενὲς αὐτῶν αὖθις ἀνθρωπίνοις.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς τοῦτ' εἶπες αὖ;

Cap. XLVII. *ΞΕ. Τὴν τῶν καλῶν καὶ δικαίων πέρι καὶ ἀγαθῶν καὶ τῶν τούτοις ἐναντίων ὄντως οὖσαν ἀληθῆ δόξαν μετὰ βεβαιώσεως, ὁπόταν ἐν ψυχαῖς ἐγγίγνηται, θείαν φημὶ ἐν δαιμονίῳ γίγνεσθαι γένει.*

ΝΕ. ΣΩ. Πρέπει γοῦν οὕτω.

ΞΕ. Τὸν δὴ πολιτικὸν καὶ τὸν ἀγαθὸν νομοθέτην ἆρ' ἴσμεν ὅτι προσήκει μόνον δυνατὸν εἶναι D *τῇ τῆς βασιλικῆς μούσῃ τοῦτο αὐτὸ ἐμποιεῖν τοῖς ὀρθῶς μεταλαβοῦσι παιδείας, οὓς ἐλέγομεν νῦν δή;*

ΝΕ. ΣΩ. Τὸ γοῦν εἰκός.

C. *ὁπόταν ἐν ψυχαῖς*] V. *ἐν ταῖς ψ.* Omisi *ταῖς* cum Clark. Vat. Ven. *Π.*

que sapienter inter ipsa coniungantur. Praeclare igitur Cornarius in proximis pro vulgato *κροκώδει διανθήματι* corrigendum vidit *κροκώδει διανήματι*, quod nunc non pauci codices confirmarunt. Est autem *νῆμα* stamen. Pollux VII, 30. *Πλάτων δὲ — καλεῖ — τὸν δὲ στήμονα νῆμα.* Quod quidem vocatur *κροκῶδες*, quia ei subtemina inseruntur. Nam *κρόκη* subtemen s. trama vocatur. Ad *τὰς δὲ ἐπὶ τὸ κόσμιον* int. *ξυντείνουσας.*

ἐναντία δὲ τεινούσας ἀλλήλαις] Stephanus et Astius ante *ἐναντία* desiderarunt *εἰς* vel *πρός*. Neutro opus. De Rep. VI. p. 492. D. *ἐναντία τούτοις τείνοντας.*

C. *Πρῶτον μὲν κατὰ τὸ ξυγγενές —*] Duplex esse censet vinculum, quo civium ingenia moresque veluti in unum coniungere liceat, alterum divinum, humanum alterum. Et illud quidem eo vult contineri, ut cives omnes de rebus divinis, hoc est, de honesto, de iusto, de bono, atque eorum contrario eadem sentiant. Hoc autem putat inesse in variis vitae humanae coniunctionibus ac necessitudinibus, maximeque in matrimoniis prudenter iungendis. Utroque vinculo cives recte consociare et tanquam iusto temperamento adhibito in unum coniungere, id unum et maximum artis civilis munus esse arbitratur, siquidem humana civitatis continendae artificia respiciantur.

ἐν δαιμονίῳ γ. γένει] H. e. *ἐν τῷ θείῳ τῆς ψυχῆς αὐτῶν μέρει.*

D. *τῇ τῆς βασιλικῆς μούσῃ*] *Μοῦσα* apud Platonem per metonymiam non raro dicitur pro *μουσικῇ*, h. e. arte, doctrina, institutione liberaliore et in-

ΞΕ. Ὃς δ' ἂν δρᾶν γε, ὦ Σώκρατες, ἀδυνατῇ τὸ τοιοῦτον, μηδέποτε τοῖς νῦν ζητουμένοις ὀνόμασιν αὐτὸν προσαγορεύωμεν.

ΝΕ. ΣΩ. Ὀρθότατα.

ΞΕ. Τί οὖν; ἀνδρεία ψυχὴ λαμβανομένη τῆς τοιαύτης ἀληθείας ἆρ' οὐχ ἥμερόῦται καὶ τῶν δικαίων
E μάλιστα οὕτω κοινωνεῖν ἂν ἐθελήσειε, μὴ μεταλαβοῦσα δὲ ἀποκλίνει μᾶλλον πρὸς θηριώδη τινὰ φύσιν;

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΞΕ. Τί δέ; τὸ τῆς κοσμίας φύσεως ἆρ' οὐ τούτων μὲν μεταλαβὸν τῶν δοξῶν ὄντως σῶφρον καὶ φρόνιμον, ὥς γ' ἐν πολιτείᾳ, γίγνεται, μὴ κοινωνῆσαν δὲ ὧν λέγομεν ἐπονείδιστόν τινα εὐηθείας δικαιότατα λαμβάνει φήμην;

ΝΕ. ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΞΕ. Οὐκοῦν ξυμπλοκὴν καὶ δεσμὸν τοῦτον τοῖς

E. *σῶφρον καὶ φρόνιμον*] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. *σῶφρον καὶ κόσμιον.*

καὶ δεσμὸν τοῦτον] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *καὶ ξύνδεσμον.*

μόνιμον φῶμεν γίγνεσθαι] Hunc ordinem servant Clark. Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. *φῶμεν γίγνεσθαι μόνιμον.*

αὐτῷ σπουδῇ] V. *αὐτῷ δὴ σπουδῇ*, quod solus tenet Par. E.

P. 310. *εὐγενέσι γεν.*] Steph. *εὖ γενέσει*, typothetarum incuria, ut videtur.

genua. Sic in hoc ipso libro p. 307. A. *καὶ πᾶσαν ῥυθμικὴν κίνησιν καὶ ὅλην μοῦσαν ἐν καιρῷ βραδυτῆτι προσχρωμένην.* De Rep. III. p. 411. D. VIII. p. 548. D. VI. p. 499. D. Phileb. p. 67. C. Legg. II. p. 655. D. 658. E. 666. D. 667. A. 668. B. aliis locis non paucis. De hoc officio viri rerum civilium vere gnari ac periti conf. Legg. IV. p. 720. E sqq. De Republ. V. p. 459. D. IX. p. 588. C. coll. IV. p. 439. B.

E. *μᾶλλον πρὸς θηριώδη τινὰ φύσιν*] Hanc egregie depinxit philosophus De Republ.

ὥς γε ἐν πολιτείᾳ] prouti civitati convenit. Sophist. p. 234. A. *ταχείαν ὡς ἐμοὶ σκέψιν ἐπιτάττεις.* Parmenid. p. 136. D. *ὡς τηλικῷδε.* Sed haec digito quasi significasse satis erit. Innuit igitur philosophus virtutem civilem, non perfectam illam, quae a sapiente perfecto requiritur.

P. 310. *διὰ νόμων ἐμφύεσθαι*] Stephanus *ἐμφύεται* legendum putabat. Quo certe non opus est, siquidem infiniti-

μὲν κακοῖς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς καὶ τοῖς ἀγαθοῖς πρὸς τοὺς κακοὺς μηδέποτε μόνιμον φῶμεν γίγνεσθαι, μηδέ τινα ἐπιστήμην αὐτῷ σπουδῇ πρὸς τοὺς τοιούτους ἂν χρῆσθαί ποτε;

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς γάρ;

ΞΕ. Τοῖς δ' εὐγενέσι γενομένοις τε ἐξ ἀρχῆς 310
ἤθεσι θρεφθεῖσί τε κατὰ φύσιν μόνοις διὰ νόμων ἐμφύεσθαι, καὶ ἐπὶ τούτοις δὴ τοῦτ' εἶναι τέχνῃ φάρμακον, καὶ καθάπερ εἴπομεν τοῦτον θειότερον εἶναι τὸν ξύνδεσμον ἀρετῆς μερῶν φύσεως ἀνομοίων καὶ ἐπὶ τἀναντία φερομένων.

ΝΕ. ΣΩ. Ἀληθέστατα.

ΞΕ. Τοὺς μὴν λοιπούς, ὄντας ἀνθρωπίνους δεσμούς, ὑπάρχοντος τούτου τοῦ θείου, σχεδὸν οὐδὲν χαλεπὸν οὔτε ἐννοεῖν οὔτε ἐννοήσαντα ἀποτελεῖν.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς δή, καὶ τίνας; B

γενομένοις τε ἐξ ἀρχῆς] V. *γε ἐξ ἀρχῆς γενομένοις.* Illud tuentur Clark. Vat. Ven. *Π.* Flor. a. b. c. i. Zitt., qui tamen *γε* habent.

καὶ ἐπὶ τούτοις] *τούτους* Vat. Ven. *Π.*

τοῦτ' εἶναι τέχνῃ] Sic Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠ.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i. cum ed. Bas. 2. Vulgo *τοῦτ' οὖν τ.* Tum *καὶ* ante *καθάπερ* om. Clark. Vat. Ven. *Π.* Zitt.

τοῦτον θειότερον] *θειότατον* Vat. Ven. *ΞΠΣΥ.* Zittav. et ed. Bas. 2.

Τοὺς μὴν λοιποὺς] V. *μέν*, invitis codd.

οὔτε ἐννοεῖν] Desunt haec in Clark. Vat. et pr. Ven. *Π.*

vus rectissime suspensus est ex praecedenti *φῶμεν*, ut constructio antea inchoata in hac responsione continuetur. Sic infra p. 310. D. E. ubi ad *Ἡ δὲ αἰδοῦς γε αὖ λίαν κ. τ. λ.* repetendum *πέφυκεν.*

καὶ ἐπὶ τούτοις δὴ τοῦτ' εἶναι τέχνῃ φάρμακον] atque ad hos pertinere s. his destinatam esse illam ex arte medicinam. Ita enim haec interpretanda putamus, quae in vett. editt. misere corrupta circumferuntur. De *ἐπὶ τούτοις ἐστίν* v. Matthiae Gr. §. 586. b. ζ. Alius error latet adhuc in proximis verbis: *ἀρετῆς μερῶν φύσεως ἀνομοίων*, ubi Stephano ex Ficino *φύσει* legendum putanti prorsus assentimur. Nam sententia haec est: atque hoc divinius esse vinculum virtutis partium natura inter se dissimilium et ad contraria contendentium. Certe nos quidem genitivi expediendi nullam videmus rationem idoneam. Mirum tamen, quod codices omnes veterem scripturam tuentur.

ΞΕ. Τοὺς τῶν ἐπιγαμιῶν καὶ παίδων κοινωνήσεων καὶ τῶν περὶ τὰς ἰδίας ἐκδόσεις καὶ γάμους. οἱ γὰρ πολλοὶ τὰ περὶ ταῦτα οὐκ ὀρθῶς ξυνδοῦνται πρὸς τὴν τῶν παίδων γέννησιν.

ΝΕ. ΣΩ. Τί δή;

ΞΕ. Τὰ μὲν πλούτου καὶ δυνάμεων ἐν τοῖς τοιούτοις διώγματα τί καί τις ἂν ὡς ἄξια λόγου σπουδάζοι μεμφόμενος;

ΝΕ. ΣΩ. Οὐδέν.

Cap. XLVIII. *ΞΕ. Μᾶλλον δέ γε δίκαιον τῶν περὶ τὰ γένη ποιουμένων ἐπιμέλειαν, τούτων πέρι λέγειν, εἴ τι μὴ κατὰ τρόπον πράττουσιν.*

ΝΕ. ΣΩ. Εἰκὸς γὰρ οὖν.

ΞΕ. Πράττουσι μὲν δὴ οὐδὲ ἐξ ἑνὸς ὀρθοῦ λό-

C. *Πράττουσι μὲν δὴ οὐδὲ*] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. *Πράττουσι μὴν οὐδὲ.*

γαμοῦσί τε παρὰ τούτων] *τε καὶ π. τ.* Clark. Vat. Ven. *Π.* Dein vulgo *παρ' αὐτῶν.* Correxit Bekker.

B. *Τοὺς τῶν ἐπιγαμιῶν καὶ παίδων κ.*] De nuptiis et matrimoniis eadem fere, quae hic, praecipiuntur etiam Legg. VI. p. 773. A sqq. qui locus cum his conferendus est. — *Παίδων κοινωνήσεις*, ne quis de liberorum communione cogitet, sunt potius mutua liberorum connubia. Nam liberorum et uxorum communionem Plato commendavit nec in hoc opere nec in libris De Legibus, in quibus hanc ipsam, quam in Politico designavit, civitatem instituit. Quod cur ita ab eo factum sit, praeter alios disputavit De Geer Diatribe in Politices Platonic. Principia p. 183 sqq.

οἱ γὰρ πολλοὶ τὰ περὶ ταῦτα] nam plerique, haec quod attinet, non recte consociantur ad liberorum procreationem. Censet enim philosophus non opum aut honorum neque etiam similitudinis ingeniorum atque commodae tranquillaeque vitae in iungendis nuptiis rationem esse ducendam; sed communem civitatis salutem postulare hoc, ut fervidiora et leniora ingenia matrimoniis copulentur, ita quidem, ut eorum concordia communi utrisque veri, boni et honesti cognitione efficiatur.

τί καί τις ἂν ὡς ἄξια λόγου σπ.] cur quis tandem ea tanquam mentione digna serio reprehendat? Horum igitur rationem tam perversam esse arbitratur, ut si quis eam serio velit exagitare, is operam perdere videatur.

Μᾶλλον δέ γε δίκαιον —] Magis autem decet de iis dicere, qui generum curam habent, si quid non recte faciant. At quaenam tandem sunt ista *γένη*? Enimvero ex iis, quae deinceps disseruntur, facile intelligitur de

γου, τὴν ἐν τῷ παραχρῆμα διώκοντες ῥᾳστώνην καὶ τῷ τοὺς μὲν προσομοίους αὐτοῖς ἀσπάζεσθαι, τοὺς δ' ἀνομοίους μὴ στέργειν πλεῖστον τῇ δυσχερείᾳ μέρος ἀπονέμοντες.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς;

ΞΕ. Οἱ μέν που κόσμιοι τὸ σφέτερον αὐτῶν ἦθος ζητοῦσι, καὶ κατὰ δύναμιν γαμοῦσί τε παρὰ τούτων καὶ τὰς ἐκδιδομένας παρ' αὐτῶν εἰς τούτους ἐκπέμπουσι πάλιν· ὡς δ' αὕτως τὸ περὶ τὴν ἀνδρείαν D *γένος δρᾷ, τὴν αὐτοῦ μεταδιῶκον φύσιν, δέον ποιεῖν ἀμφότερα τὰ γένη τούτων τοὐναντίον ἅπαν.*

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς, καὶ διὰ τί;

ΞΕ. Διότι πέφυκεν ἀνδρεία τε ἐν πολλαῖς γενέσεσιν ἄμικτος γεννωμένη σώφρονι φύσει κατὰ μὲν

εἰς τούτους ἐκπ.] Sic Clark. Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. *τοιούτους.*

D. *ἐν πολλαῖς γενέσεσιν*] V. *πολλοῖς γένεσιν*, quod mutatum ex Clark. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣΥ.* Par. BCH. Flor. a. b. c. i. Zitt. et edit. Bas. 2.

indolis similitudine ac dissimilitudine cogitari oportere. Ea vero nomine *τῶν γενῶν* sic simpliciter significari nullo modo potuit. Itaque locum corruptum esse apparet. Neque vero longe petenda est medicina, quae commode adhibeatur. Nam ex proximis clarum fiet, imo vero manifestum est, *περὶ τὰ ἤθη* revocari oportere.

C. *οὐδὲ ἐξ ἑνὸς λόγου*] nulla plane recta cum ratione. v. ad Reip. I. p. 353. D. Symp. p. 214. D. al. Quippe *οὐδείς* est nullus; sed *οὐδὲ εἷς*, ne ullus quidem, plane nullus. Dein *ἡ ἐν τῷ παραχρῆμα ῥᾳστώνη* est commoditas quae in praesens est, neglectis futuri temporis, vel etiam aliorum bonorum rationibus. *καὶ πλεῖστον μέρος ἀπονέμοντες τῇ δυσχερείᾳ*, ac plurimum tribuentes difficultati ac molestiae eo, quod qui ipsis sunt similes, diligunt et amplectuntur, dissimiles vero aversantur.

τὰς ἐκδιδομένας παρ' αὐτῶν εἰς τούτους ἐκπ.] et filias, quas nuptui collocant, vicissim his dant in matrimonium. Usum verbi *ἐκδιδόναι* ad Theaetet. p. 151. B. Sophist. p. 242. D. attigimus. Sic De Rep. X. p. 613. D. *ἐκδιδόασί τε εἰς οὓς ἂν ἐθέλωσιν.* Legg. V. p. 742. C. *γαμοῦντα — καὶ ἐκδιδόντα.* Ibid. VI. p. 771. E.

ἐν πολλαῖς γενέσεσιν ἄμικτος] Praestat sane haec lectio vulgatae *γένεσιν.* Nam convenit certe melius cum verbo *γεννωμένη*, quum hanc efficiat sententiam: Propterea quod fortitudo, ubi per multas generationes non commixta cum temperata natura propagatur, primum qui-

ἀρχὰς ἀκμάζειν ῥωμῃ, τελευτῶσα δὲ ἐξανθεῖν παντάπασι μανίαις.

ΝΕ. ΣΩ. Εἰκός.

ΞΕ. Ἡ δὲ αἰδοῦς γε αὖ λίαν πλήρης ψυχὴ καὶ
E ἀκέραστος τόλμης ἀνδρείας, ἐπὶ γενεὰς πολλὰς οὕτω γεννηθεῖσα, νωθεστέρα φύεσθαι τοῦ καιροῦ καὶ ἀποτελευτῶσα δὴ παντάπασιν ἀναπηροῦσθαι.

ΝΕ. ΣΩ. Καὶ τοῦτ' εἰκὸς οὕτω ξυμβαίνειν.

ΞΕ. Τούτους δὴ τοὺς δεσμοὺς ἔλεγον ὅτι χαλεπὸν οὐδὲν ξυνδεῖν ὑπάρξαντος τοῦ περὶ τὰ καλὰ καὶ ἀγαθὰ μίαν ἔχειν ἀμφότερα τὰ γένη δόξαν. τοῦτο γὰρ ἓν καὶ ὅλον ἐστὶ βασιλικῆς ξυνυφάνσεως ἔργον, μηδέποτε ἐᾶν ἀφίστασθαι σώφρονα ἀπὸ τῶν ἀνδρείων ἤθη, ξυγκερκίζοντα δὲ ὁμοδοξίαις καὶ τι-

Εἰκός] Steph. *Ἐοικός*, operarum errore. Verum iam Ald. Bas. 1. 2. exhibent.

E. *ἐπὶ γενεὰς πολλὰς*] V. *ἐπὶ δὲ γενεὰς π.* Recte Bekkerus *δὲ* cum Ven. *Δ.* delevit.

νωθεστέρα φύεσθαι] V. *νωθέστερα.* vitiose.

ξυνδεῖν ὑπάρξαντος] V. *ὑπάρξοντος.* Aoristum praebet corr. Ven. *Π.* et Flor. i. In Clark. Vat. Ven. *Π.* pr. legitur *ξυνδεῖν ξυννπάρξαντος.*

dem etc. De *ἄμικτος* cum dativo iuncto compares Phileb. p. 60. C. *ἄμικτον μὲν ἡδονὴν φρονήσει, φρόνησιν δὲ ὡσαύτως ἡδονῆς μηδὲ τὸ σμικρότατον ἐχούσας.* Ibid. p. 52. B. *τὰς τῶν μαθημάτων ἡδονὰς ἀμίκτους τε εἶναι λύπαις ῥητέον.* ubi codd. quidam *λύπης.* Dein elegantissime fortitudo, quae non cum temperantia mixta sit, tanquam nimia virium suarum luxuria, primum quidem dicitur *ἀκμάζειν ῥώμῃ*, robore vigere ac pollere, postremo vero *ἐξανθεῖν μανίαις*, h. e. ita efflorescere, ita excrescere, ut erumpat denique in vesaniam ac furorem. Ex quo intelligi licet, quamobrem *ἐξανθεῖν* nunc in malam partem dicatur. v. ann. ad p. 273. C.

E. *νωθεστέρα φύεσθαι τοῦ καιροῦ*] iusto maturius segnior fieri; segnior fieri quam pro tempore.

ὑπάρξαντος τοῦ περὶ τα καλὰ —] si illud evenisset (suppeteret), ut utraque genera (lenioris atque vehementioris ingenii) de bonis et pulcris unam haberent opinionem. Ferri non potest quod vulgo legebatur *ὑπάρξοντος*, quamquam eam scripturam codices plurimi tuentur. Videtur primum *ὑπάρχοντος* scriptum fuisse, quo philosophus usus est in superioribus.

τοῦτο γὰρ ἓν καὶ ὅλον ἐστὶ β.] Recte arti civili tribuit texturam, quippe quae cum arte textoria comparatur ac simile atque haec opus tractare dici-

μαῖς καὶ ἀτιμίαις καὶ δόξαις καὶ ὁμηρειῶν ἐκδόσεσιν εἰς ἀλλήλους, λεῖον καὶ τὸ λεγόμενον εὐήτριον ὕφασμα ξυνάγοντα ἐξ αὐτῶν, τὰς ἐν ταῖς πόλεσιν ἀρχὰς 311
ἀεὶ κοινῇ τούτοις ἐπιτρέπειν.

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς;

ΞΕ. Οὗ μὲν ἂν ἑνὸς ἄρχοντος χρεία ξυμβαίνῃ, τὸν ταῦτα ἀμφότερα ἔχοντα αἱρούμενον ἐπιστάτην· οὗ δ' ἂν πλειόνων, τούτων μέρος ἑκατέρων ξυμμιγνύντα. τὰ μὲν γὰρ σωφρόνων ἀρχόντων ἤθη σφόδρα μὲν εὐλαβῆ καὶ δίκαια καὶ σωτήρια, δριμύτητος δὲ καί τινος ἰταμότητος ὀξείας καὶ πρακτικῆς ἐνδεῖται.

ΝΕ. ΣΩ. Δοκεῖ γοῦν δὴ καὶ τάδε.

ξυνυφάνσεως ἔργον] *ξυνφύσεως* Clark. Vat.

καὶ ἀτιμίαις] Desunt haec in Clark. Vat. et pr. Ven. *Π.*, item in Ven. *ΣΥ.* Zitt.

καὶ ὁμηρειῶν] *ὁμηρείων* Vat. Coisl. Ven. *Α.* et pr. *Π.*

P. 311. *Δοκεῖ γοῦν δὴ καὶ τάδε*] Pro *δή*, quod cum Clark. Vat. Coisl. Ven. *Π.* tuentur plurimi, Ald. Bas. 1. Steph. *μοι* habent.

tur. Quod non perspicientes critici argutiores *ξυνυφάνσεως* vocabulum adeo moleste tulerunt, ut in ejus locum languidum istud suum *ξυνφύσεως* suffecerint, pessumdata magna elegantiae parte, qua locum utique nitere fatendum est. Ceterum hinc *ξυνυφάνσεως* vocabulum enotavit Pollux VII, 33.

καὶ ὁμηρειῶν ἐκδόσεσιν εἰς ἀλλήλους] et vadimoniis mutuo datis.

καὶ τὸ λεγόμενον εὐήτριον ὕφασμα —] *Εὐήτριον* est laevi tenuique filo compositum; nam *ἤτριον* est filum tramae s. staminis, tenue illud, laeve et bene tortum; sicuti interpretatur I. G. Schneider. Indic. ad Scriptores Rei Rusticae p. 368. Itaque *εὐήτριον ὕφασμα* quale sit, facile est ad perspiciendum. Pollux VII, 3. *εὐήτριον ἱμάτιον ἀηθές* (l. *εὐϋφές*), *ἔνδυμα ὑμενῶδες*. Suidas: *ἔνδυμα εὐϋφές* explicat. Herodianus apud Pierson. ad Moer. p. 463. *εὐήτριος χιτών, ὁ λεπτὸς καὶ εὐϋφής*. Nimirum vocatur sic vestis subtilis et bene texta. v. Casaubon. ad Athen. III, 18. Sic Themistius Orat. XX. p. 237. *χιτῶνα λεπτὸν καὶ εὐήτριον*. Strabo XV. p. 634. *τὰς εὐητρίους ὑφαίνεσθαι σινδόνας*. Philostrat. p. 880. *λεπτοὶ καὶ εὐήτριοι χιτῶνες*.

P. 311. *δριμύτητος δὲ — ἐνδεῖται.*] sed acritudine quadam et audacia celeri atque ad agendum promta parataque indiget.

B *ΞΕ. Τὰ δ' ἀνδρεῖά γε αὖ πρὸς μὲν τὸ δίκαιον καὶ εὐλαβὲς ἐκείνων ἐπιδεέστερα, τὸ δ' ἐν ταῖς πράξεσι [τὸ μὲν] διαφερόντως ἴσχει. πάντα δὲ καλῶς γίγνεσθαι τὰ περὶ τὰς πόλεις ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ τούτοιν μὴ παραγενομένοιν ἀμφοῖν ἀδύνατον.*

ΝΕ. ΣΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΞΕ. Τοῦτο δὴ τέλος ὑφάσματος εὐθυπλοκίᾳ ξυμπλέκειν γίγνεσθαι φαμὲν πολιτικῆς πράξεως τὸ τῶν ἀνδρείων καὶ σωφρόνων ἀνθρώπων ἦθος, ὁπόταν

B. *Τὰ δὲ ἀνδρεῖά γε — ἐπιδεέστερα*] V. *Ἀνδρία δὲ — ἐπιδεεστέρα.* Verum servarunt Clark. Vat. Ven. *Π.*
τὸ δ' ἐν ταῖς πρ.] *τὰ* Steph.
τούτοιν μὴ παραγενομένοιν] V. *τούτοιν μὴ καὶ π.* invitis codd. omnibus.

B. *τὸ δ' ἐν ταῖς πράξεσι διαφερόντως ἴσχει*] H. e. *πρὸς δὲ τὸ ἐν ταῖς πράξεσι διαφερόντως ἴσχει.* Istud *τὸ μὲν*, quod uncis inclusimus, Astius in *ἰταμὸν* mutandum censebat; nos errore natum putamus.

Τοῦτο δὴ τέλος ὑφάσματος —] Dedi quod optimi codices habent, quamvis structuram verborum admodum difficilem et impeditam esse minime diffiteamur. Cohaerent autem verba sic: *Τοῦτο δὴ τέλος ὑφασματος φαμὲν γίγνεσθαι πολιτικῆς πράξεως, ξυμπλέκειν εὐθυπλοκίᾳ τὸ τῶν ἀνδρείων καὶ σωφρόνων ἀνθρώπων ἦθος, ὁπόταν* etc. Hunc igitur dicimus finem esse texturae civilis actionis, ut recta complicatione ingenium hominum fortium ac moderatorum contexat. Habemus igitur hic hyperbaton audacius et insolentius.

C. *ὥςτ' εἶναι κοινόν*] Haec sapiunt glossema. Adscripta videntur praecedenti, *κοινὸν ξυναγαγοῦσα αὐτῶν τὸν βίον*; nam ibi *κοινὸν* sane sic interpretandum est. Hic verba ineptissime sunt inculcata. Uncis ea etiam Astius seclusit.

ΝΕ. ΣΩ. Κάλλιστα αὖ τὸν β. ἀπ.] Tribuuntur haec fere iuveni Socrati. Sed dubito equidem, num ea in adolescentulum adeo modestum, qui per totum sermonem nihil propemodum nisi simpliciter ait aut negat, convenire existimanda sint. Quocirca ea Socrati philosopho adscripserim. Is enim, sicuti exordium Sophistae docet, huius disputationis auctor fuerat. Quamobrem non est consentaneum, eum absoluto toto hoc de Sophista et Politico sermone, qui uno die habitus fingitur, nihil omnino dicere, sed tacitum plane discedere. Quamquam illud alicui mirum accidat, quod exitus hic dialogi adeo abruptus est. Verum in ea re non est quod haereamus. Certe similiter alios quoque dialogos finiri meminimus. Accedit, quod haec si Socrati philosopho tribuuntur, hoc laudis praeconium plane convenit cum Politici initio, ubi

ὁμονοίᾳ καὶ φιλίᾳ κοινὸν ξυναγαγοῦσα αὐτῶν τὸν βίον ἡ βασιλικὴ τέχνη, πάντων μεγαλοπρεπέστατον ὑφασμάτων καὶ ἄριστον ἀποτελέσασα, [ὥςτ' εἶναι κοινόν,] τούς τ' ἄλλους ἐν ταῖς πόλεσι πάντας δούλους καὶ ἐλευθέρους ἀμπίσχουσα, συνέχῃ τούτῳ τῷ πλέγματι, καὶ καθ' ὅσον εὐδαίμονι προσήκει γίγνεσθαι πόλει, τούτου μηδαμῇ μηδὲν ἐλλείπουσα ἄρχῃ τε καὶ ἐπιστατῇ. C

ΝΕ. ΣΩ. Κάλλιστα αὖ τὸν βασιλικὸν ἀπετέλεσας ἄνδρα ἡμῖν, ὦ ξένε, καὶ τὸν πολιτικόν.

ξυμπλέκειν γίγνεσθαι] Clark. Vat. Ven. *Π. συμπλέκειν.* Vulgo ξυμπλακέν. Sed ξυμπλεκέν Coisl. et Flor. i. exhibent. Iidem tres optimi deinceps φαμὲν pro vulg. φῶμεν. Cornarius coni. ξυμπλακέντος.

Socrates, audita de sophista disputatione, sese felicem praedicat, quod in Eleatici hospitis familiaritatem pervenerit. Quamobrem hic aptissime dicit: Κάλλιστα αὖ τὸν βασ. ἀπετ. ἄνδρα, ita ut verbis paucissimis laudem superiorem iteret. Haec igitur nostra de hac re sententia est; aliis alia placebunt.

PROLEGOMENA

IN

M I N O E M.

PROLEGOMENA

IN

MINOEM.

Minos Platonis, qui vulgo fertur, ex quo a Frid. Schleiermachero, *Opp. Plat. Germ.* Vol. I. P. II. p. 343 sqq. ed. 2. et Augusto Boeckhio in docta illa Commentatione: In Platonis Minoem et libros priores De Legibus, quae prodiit Halis Saxonum 1806. 8., obelo critico confossus est, communi omnium intelligentium iudicio semper pro subditicio est habitus. Et profecto mirabile est potius, quod fraus in eo admissa doctissimos homines per tam multa saecula fefellit, quam quod non dudum animadversa ac patefacta fuit, siquidem ex iis libris minoribus, quibus Platonis nomen immerito tributum est, nullum fere novimus, qui vitiosius, qui ineptius, qui stolidius sit consarcinatus, quam adulterinus iste Minos. Nam sive ornatum dialogi scenicum consideramus, sive disputationis argumentum ac propositum perpendimus, sive spectamus argumentationis viam et rationem, sive denique genus orationis examinamus et cum Platonis sermone contendimus; nihil est horum omnium, quod non plurimum habeat offensionis et ab elegantia rectaque ratione non dicam Platonis, sed cuiusvis scriptoris prudentioris longissime recedere videatur. Quod ne temere statuisse existimemur, age hac occasione oblata totam caussam denuo in disceptationem vocare liceat.

Itaque Socrates, qui loquens inducitur, est ille quidem sapiens Atheniensis, sed adeo caret urbanitate ac disserendi elegantia, ut subinde praeter consuetudinem ac rationem videatur illepidus, subrusticus, imo etiam plumbeus. Quid enim aliud est, quod statim ab initio dialogi familiari interroganti vehementius regerit istud suum: *Ὁποῖον καὶ ἐρωτᾷς τὸν νόμον;* quod profecto aut admirationem aut indignationem prodit? Quid aliud est, quod p. 316. D sq. alterum diutius paullo sermocinantem gravius increpat, neque urbana cum irrisione, sicuti alibi fit apud Platonem, propter declamationis longitudinem exagitat? Quid denique aliud est, quod crebro vana et inania captat, quae ad susceptae disputationis rationes nihil pertineant, sermonemque non ita moderatur ac persequitur, uti recta ratio postulat? Nullus igitur in eo lepos, nulla gratia, nulla venustas, imo nullum veri rectique studium, ut eum considerantibus nobis et cum Socrate Platonico comparantibus ultro in mentem venerint illa Virgilii: „*Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!*“ Interlocutor porro qui cum eo disputat, qui sit, ne verbo quidem significatur. Nam ridiculus error est, quo vulgo statuerunt Minoem Cretensem personam eius sustinere: quod si ita esset, nonne insanientis foret, hunc ipsum Minoem tanquam antiquissimum ac praestantissimum legislatorem a Socrate praedicari iubere, nec tamen ullo modo significare, eum ipsum praesentem adesse fingi? Et quaenam istae forent temporum rationes, ex quibus priscus ille Minos cum Socrate disputans induceretur? Haec igitur Bentleius quum pro acumine suo facile perspexisset quam essent inepta atque absurda, *Respons. ad Boyl.* p. 155. ed. Lennep. non Cretensem illum Minoem, sed Atheniensem iuvenem illi cognominem interlocutoris partes agere censuit. Quod tamen et ipsum falsum esse facillime demonstrari potest. Etenim primum quidem Schleiermacherus atque Boeckhius rectissime negarunt Minois nomen Athenis unquam fuisse usitatum. Deinde ex p. 321. D. apparet hominem fingi non iuvenem, sed aetate iam provectiorem. Denique si Minois ei nomen esset, nonne consentaneum est id eo loco commemoratum iri, ubi Socrates Minois Cretensis laudes praedicat? Enimvero dicendum hic quod res est; caret secundaria persona in

hoc libro omnino nomine. Atque hoc quum mirum quantum a Platonis more abhorreat, tum aliud quid est, quod etiam magis cum eo pugnare existimari debeat. Caret enim eadem etiam ingenio et moribus, siquidem nec qualis sit ullo modo indicatur. Hominem de plebe eumque bene garrulum ac doctrinae laudem temere sibi arrogantem esse facile suspiceris. Nam data occasione de rebus vilissimis graviter sermocinatur, perinde ac si magnae profundaeque eruditionis copias in medium afferret, veluti eo loco, quo alias gentes aliis legibus uti exemplis quibusdam evincere conatur; praeterea etiam philosophorum aemulatur subtilitatem, verumtamen eo modo, ut, sicuti fit istiusmodi homuncionibus, non raro ruat turpissime. Verum haec omnia adeo non designantur accurate, ut vel sic hominem in occulto latere omnibus confitendum sit. Itaque nec universo operi Minois nomen ab eo impositum esse credibile est. Quod ineptissime repetitum est potius ab extrema libelli parte, quae de Minoe praestantissimo antiquitatis legumlatore explicat, prorsus ut Hipparchus quoque nomen accepit ab ea parte libri, quae in praedicandis Hipparchi meritis versatur. Atque hinc denique prodiit bellus ille Minos interlocutor, quem vulgo statuerunt secundarias partes sustinere, quemque nullum esse modo ostendimus. Sed praeter haec vitia, in personarum descriptione conspicua, etiam alia sunt, quae, si externam dialogi speciem contemplemur, non mediocrem habeant offensionem. Exordium enim plane est nullum. Socrates statim ad alterum: *Ὁ νόμος τί ἐστιν;* Quo facto hic ut diximus, calidius iusto: *Ὁποῖον καὶ ἐρωτᾷς;* Tum strenue quo inceptum est modo deinceps pergitur. Quae legentes propemodum cernere videmur ruralem aliquem ludimagistrum ex puero statim ab initio sermonis de rei principalis vi et natura interrogantem, puerum autem ad eam quaestionem stupentem atque ringentem. Nec melior initio dialogi exitus. Nam ut taceam nihil ibi de quaestione agitata decerni, hiant illic omnia misere. Ipsa narratio de Minoe, Rhadamantho, Taloc, ibi exposita, sicuti mox ostendemus, a principali disputationis argumento aliena; sed magis etiam sunt absurda, quae ei in ipso sermonis exitu subiiciuntur, ut Platonicae artis nec vola nec vestigium appareat. Quae ipsa caussa fuit, quamobrem Patricius *Discuss. Peripat.* p. 338. aliique viri docti librum fine truncatum iudicarent. At enim vero

non ille fine caret, sed artis perfectione et recto mentis consilio, ut truncus aliquis eum scripsisse videatur.

Sed accedamus nunc ac considerandum ipsum disputationis argumentum et propositum. Quod quale sit, indicare sanequam difficile est. Disputatur quidem de lege eiusque natura. Quae profecto digna fuit philosopho quaestionis materies. Sed tractatur ea tam inepte tamque pingui Minerva, ut si denique quaeras, quid de legis natura vel affirmetur vel negetur vel significetur, protenus te consilii inopem haerere sentias. Quantumvis enim quaestiones quaestionibus, exempla exemplis, argumentationes argumentationibus cumulentur, tamen levitate prorsus tumultuaria ab uno ad alterum transilitur; nihil apte connectitur; nihil caute prudenterque exigitur et concluditur; denique nullum reperitur filum argumentationis, quod recte ac subtiliter deduci sentias. Verum ut ipsi legentes cognoscant, quid rei sit, confusam universae disputationis materiem ordine paullo dilucidiore, sed ita tamen, ut vitia appareant, disponere licebit.

Sciscitatur igitur Socrates ab initio dialogi, quid lex sit. Respondet alter post aliquas ambages, contineri eam *τοῖς νομιζομένοις*. Quod reprehendit Socrates ideo, quia lex ab iis, quae lege constituta sint, omnino diversa sit. Quo intellecto in eam deveniunt opinionem, ut legem civitatis decretum et constitutionem esse censeant, sive sententiam publice sancitam, quod exponitur usque ad p. 314. C. At nec hoc Socrati placet. Qui ut hanc definitionem evertat, sic fere disputat. Sapientes per sapientiam fiunt sapientes, atque iusti per iustitiam iusti. Ergo *οἱ νόμιμοι* existunt *τῷ νόμῳ* et *οἱ ἄνομοι* legum neglectione tales evadunt. Sunt autem legum amantes iusti. Iustitia vero et lex omnino praeclarum quiddam sunt, quo uno maxime salus quum publica tum privata continetur. Iam vero civitatum decreta et constitutiones non omnes laudari sine discrimine possunt. Ex quo consequitur, ut nec civitatis decretis et constitutionibus legis vim naturamque contineri iudicandum sit. Lex enim semper bona ac salutaris est; sed rerumpublicarum decreta non raro sunt noxia et perniciosa (P. 314. C — E.).

Quae quam temere ac perverse concludantur, nemo erit quin vel non monitus videat; certe quidem doceri oportebat id, in quo cardo rei vertitur, legem in se

spectatam semper esse bonam atque utilem. Nihilominus credulus iste facilisque sermonis socius, qui protenus legem semper salutarem esse largitur, fines definitionis propositae coarctandos esse ipse quoque statuit. Itaque Socrates legem vult recta civitatis opinione contineri. Nam decreta nihil esse aliud nisi opiniones. Ex quo continuo concluditur, legem esse *eius inventionem, quod sit*, sive quod verum sit (*τοῦ ὄντος εὕρεσιν*), siquidem recta opinio veri inventione absolvatur (P. 315. A.).

Haec omnia unde ducta sint, etsi nondum a quoquam animadversum est, tamen nobis quidem non dubium videtur. Repetita enim sunt pleraque ex iis, quae in Politico p. 291. C. — 297. C. de perfecta sapientis ratione optimo atque unico legum fonte ac principio disputata leguntur. Sed factum id est sic, ut notiones rerum diversissimarum temere misceantur atque confundantur. Nam primum quidem in locum perfectae rationis successit recta opinio, *δόξα ἀληθής*, quae tamen ipsi Platoni longe aliud quid esse visa est, quam auctori Minois. Deinde quum recta ratio ipsa in Politico pro summa lege habeatur, in Minoe nostro legis natura perinepte ad *τοῦ ὄντος εὕρεσιν*, sive ad eius, quod est, inventionem revocatur. Ita igitur diversissima temere permisceri unicuique facile apparebit.

Verum audiamus iam porro sapientis nostri sententiam. Hic igitur ipse magnam esse legum diversitatem ac vicissitudinem esse admonet. De qua re protenus is, qui secundariae personae partes sustinet, copiosam declamationem recitare instituit, Socrati scilicet perquam modeste demonstraturus, aliam apud alios esse legum rationem, atque apud hos ea pro piis, sanctis, iustis haberi, quae apud illos impia et iniusta existimentur. Moleste fert Socrates istam sermonis longitudinem eamque reprehendit acerbius; rem enim communiter esse disquirendam. Censet autem verum, iustum et honestum semper sibi constare neque ullam subire mutationem ac vicissitudinem. Nihilominus negari non posse, in hominum vita ita accidere solere, ut legum maxima sit de rebus iustis et honestis dissensio ac discrepantia. Sed ea res, inquit, facilem habet explicationem ex eo, quod homines a vero aberrant neque recte assequuntur quid legibus sit consentaneum. Verumtamen qui artem, quam

profitentur, recte tenent, ii nec de eius praeceptionibus, quae ibi pro legibus valent, dissentire possunt. Namque medici aegrotorum curationis, rustici agriculturae, hortulani hortorum culturae, coqui ciborum apparationis, leges semper easdem et ponent et pro veris agnoscent. Similis igitur etiam eorum ratio est, qui civitatis gubernandae artem tenent. Hi enim quidquid censent, id legis vim auctoritatemque obtineat necesse est. Artis autem periti quum nihil sibi persuadeant, nisi quod verum sit, legem esse inventionem veri rectissime antea iudicavimus.

Haec igitur sapiens noster inde a p. 315. A. usque ad p. 317. D. Quae qui rimati fuerint diligentius, ii rursus incredibilem quandam inscitiam hic animadvertent. Quippe omnia haec exinde suam habent originem, quod pusilla scriptoris mens non cepit philosophi illius amplitudinem et praestantiam, quem Plato ipse quum in aliis libris tum maxime in Politico informavit. Confudit enim cum eo verarum civitatum legumlatores, quos Plato ab illo diligentissime seiunctos ac segregatos esse voluit. His ipsis vero aequiparavit homines vulgarium artium peritos, quos stolidissime tales esse arbitratus est, qui in artis suae legibus definiendis numquam a vero aberrent semperque inter se consentiant. Nimirum temerarius homo hoc ita posuit, ut etiam viros artis civilis peritos tales heroas esse probaret. Felicem vero hominum vitam, si res ita haberet! Nunc homuncionem nostrum delirasse iudicare debemus, qui neglecta veritate ista omnia sic arbitratu suo scripsit, quia Platonis sententiam, ad cuius rationem miserrimam scriptionem suam composuit, haudquaquam assequutus est.

Sed quum hic ingentis eum perversitatis convictum teneamus, tum etiam alia id genus adiunxisse iuvabit. Posteaquam enim p. 317. D. haec ita se habere convenit, Socrates continuo sic pergit argumentari. Agricolae, inquit, aptissime cuique solo *legunt* semina. Musici cantiunculis aptissimos *legunt* sonos. Eodem modo *gymnastae* optimos cibos humanis corporibus utilissimosque *legunt* et corporis tanquam gregem pascunt (*νέμουσιν*). Pastores pecudum gregibus *legunt* quae iis maxime conducunt. Horum igitur *leges* (nam *legunt* illi omnes ideoque *leges* ferunt) his in generibus recte optimae censentur. Iam vero cuiusnam *leges* hominum *animis* opti-

mae erunt atque utilissimae? Nimirum *regis*. Atqui inter veteres musicos unus omnium maxime excelluit Marsyas cum Olympo Phrygio, amasio suo. Similiter etiam inter vetustissimos legislatores Minos Cretensis fuit longe maximus et praestantissimus. Quem quod multi ferocem et immanem fuisse narrant, est ea fabula Attica et quidem a poëtis tragicis conficta. Longe alia certe de eo memoriae prodiderunt Homerus et Hesiodus, auctores tragicis poëtis multo locupletiores. Accipe igitur, hi quid de illo narrent, ne quid piaculi in te admittas. Neque enim quidquam magis est impium et a quo caveri diligentius oporteat, quam in deos aut verbis aut factis peccare, deinde in divinos homines. Sed permagna semper adhibenda est cautio, si quem vel laudare vel reprehendere volueris. Irascitur enim deus, si quis hominem ipsius similem reprehendit aut laudat ipsius dissimilem. Similis autem deo homo bonus est. Noli enim putare, lapides quidem et ligna et aves et serpentes esse sacros, homines non item; imo sanctissima harum rerum omnium homo bonus est et scelestissima maximeque detestabilis homo improbus. Narrant igitur Homerus et Hesiodus de Minoe optima quaeque et prorsus admirabilia. Hunc dicunt nono quoque anno cum Iove esse confabulatum; est enim Iupiter sophista, quocum sermones conferre potuit. Hunc volunt aureum sceptrum tenentem iudicia exercuisse. Hunc Rhadamantho et Taloe tradunt in exercenda iustitia usum esse administris; et quae sunt id genus alia. Sed quod a multis pro fero ac saevo habetur, id factum est poëtarum Atticorum calumnia. Quamobrem tu si sapis, et quivis alius, qui bonae nominis sui existimationi prospecturus sit, diligenter cavebitis, ne hominum poëticorum invidiam suscipiatis. Multum enim poëtae valent ad nominis famam in utramque partem. In quo peccavit etiam Minos, qui olim huic civitati bellum intulerit, in qua iam mature viguit poesis tragica. Non enim a Thespide demum aut a Phrynicho tragoediae origines repetendae sunt, sed antiquum istud huius civitatis inventum est. Iam vero quum tragoedia animos hominum maxime moveat, alliciat, oblectet, Athenienses Minoem in ea inducentes vindictam sumunt pro tributis illis, quae sibi ab eorum maioribus pendi iussit. Aspergunt igitur eum ignominia, etsi revera bonus fuit legumlator, qui quae Cretensibus prodessent, legit optime. Iam vero his inde a p. 317. D.

usque ad p. 321. B. ita expositis Socrates denique haec addit. Certum est igitur atque exploratum, Minoem et Rhadamanthum olim fuisse omnium optimos legislatores. Age vero, si quis nos ita haec interrogaret: Corporis bonus legislator aut distributor quaenam corpori eligit, ut id efficiat melius, responderemus: Alimentum et labores, illo id augens, his idem roborans et exercens. Iam vero si quis quaereret: Quidnam autem illud est quod bonus legislator et distributor animo legit, ut hunc meliorem reddat? quid responderemus, ut nec nostri nec nostrae aetatis nos puderet? Nimirum turpe est utriusque nostrum animo, si ea, per quae et bonum et pravum in ipso inest, ignorans reperitur, quum alias res ad corpus pertinentes habeat cognitas et exploratas. P. 321. B — D. Quibus dictis sermo finitur.

Iam vero postremam hanc dialogi partem considerantibus nobis illud quidem animadvertere non erit difficile, voluisse scriptorem Minoem tanquam perfecti regis exemplum proponere, qui rectis et iustis legibus rempublicam Cretensium temperaverit. At etsi id voluisse censendus est, tamen materiam tractavit tam sinistre, ut quod ipsi fuit propositum, nullo modo assequutus sit ac per stoliditatem et inscitiam miserrime disturbaverit. Nam primum quidem vide mihi ineptissimam istam inde a p. 317. D. disputationis continuationem. Quae adeo nihil ad rem praesentem pertinet, ut repente ad alia omnia delati esse videamur. Inficetus hic etiam lusus verborum est, ex nominum *νόμος*, *νέμειν*, *νομεύς* ambiguitate repetitus, quem interpretatione nostra leviter saltem exprimere conati sumus. Deinde quod Minos potissimum in boni regis exemplum proponitur, id quibus caussis ita statuatur, nemo quisquam intelligat. Neque enim virtus eius et praestantia ea informatur, ut quatenus illa responderit iis, quae antea de vero bonoque legislatore disputata sunt, iam illustri aliqua imagine declarentur. Ita igitur tota hac sermonis parte ad argumentum disputationis nihil proficitur, atque aliena sunt quae de Minoe eiusque rebus exponuntur, praesertim quum insuper inficetis fabellis atque dicteriis sint exornata. Enimvero nactus hic erat scriptor noster egregiam ostentandae doctrinae et elegantiae suae opportunitatem, qua quidem adeo intemperanter abusus est, ut quidquid in buccam venit, continuo ebullire ac deblaterare non dubitaverit. Quamobrem

de Marsya et Olympo, de Minoe, de Rhadamantho, de Taloe, de tragoediae Atticae antiquitate, de invidia poëtarum, de homine bono re sanctissima, aliis rebus, protenus fusius verba facere instituit, eoque declamandi studio ac fervore abreptus sese adeo transversum agi passus est, ut denique consilii sui prorsus immemor quadrata rotundis miscuerit. Quid quod quum antea unum Minoem Cretensium regem fuisse acriter contendisset, postea p. 321. B. C. etiam Rhadamanthum in praestantissimorum antiquitatis legislatorum societatem una cum Minoe suo admisit. Ita igitur ipse sese suo quasi gladio iugulavit. Sed colophonem operi suo sine controversia imposuit extrema disputationis parte inde a p. 321. B. Nam etsi in superioribus statuit legumlationem veri inventione contineri bonumque regem et artis gubernatoriae vere peritum nunquam dubitaturum esse, quid legis ratio postulet, tamen nunc praeter omnem expectationem dubium esse dicitur, quidnam sit commodi et utilitatis, quod bonus legislator animis hominum afferre vel possit vel debeat, eiusque rei ignoratio turpissima appellatur. Nimirum hic quoque bonus homo eo lapsus est, quod Platonis artem imitatione voluit exprimere. Solet enim Socrates apud Platonem saepenumero eos, quibuscum colloquitur, inprimis sophistas eorumque assectatores, ita in varias perducere opiniones, ut denique urbanissime inscitiae et erroris coarguantur. Quod quidem apud eum fit elegantissime sic, ut etiamsi de re in disceptationem vocata nihil certi expromatur, tamen errorum caussas atque fontes eleganter admoneamur. Hoc igitur artificium Platonis homo noster imitatione exprimere conatus est. Sed fecit id tam imperite, ut ea clausula neque cum superioribus conveniat neque ulla caussa et ratione idonea nitatur. Quamobrem nec mirum cuiquam accidere potest, quod nonnulli, ut antea diximus, postremam hanc scriptionis partem mancam esse atque imperfectam arbitrati sunt.

Atque haec quidem de operis argumento et proposito. Quod clarissime apparere arbitramur adeo dubium esse atque obscurum, ut scriptor ipse videatur nesciisse, quid tandem illud esset, quod toto sermone explicari vellet.

Iam vero quum de summa re tam vagum esse et instabile reperiatur eius iudicium, ut varia et diversa temere permiscuerit nec certum aliquem finem proposi-

tum habuerit, tum etiam in singulis partibus argumentandi ac disserendi ratio, qua utitur, passim adeo perversa est et inepta, ut vel in sententiis maxime simplicibus recta ratio vehementer desideretur. Caret enim notionum perspicuitate adeo, ut hominem propemodum dixeris ratione insanire voluisse. Cuius vitii exempla quum admodum sint frequentia, et magnam partem iam a Boeckhio p. 12 sqq. notata, pauca quaedam significasse iuvabit, ut scilicet leonem ex ungue cognoscamus. Conferas igitur p. 314. A. p. 315. A sqq. p. 316. A. p. 317. A. p. 319. B. C. D. p. 320. C. E. p. 321. A. B. C. et satis habebis ineptiarum. Quarum fontem si anquirimus, positum illum reperiemus in miseranda quadam ingenii tenuitate atque mentis egestate, quae quominus omnia tanquam libero sermonis cursu enuntiarentur, utique impediit. Praeterea non pauca alia imitatione ducta et expressa sunt ex ipsius Platonis operibus, Gorgia, Symposio, Protagora, Politico, aliis, de quibus accurate exposuit Boeckhius p. 23 sqq. Sed quod antea vidimus in definienda legis natura et adumbrando bono legumlatore homini accidisse, ut in ea re perversissime Politico Platonis tanquam fonte sapientiae suae abusus sit, idem ei etiam in singulis evenit. Nam perspicua obvolvit tenebris; elegantia inficete corrupit; recta ad pravos errores detorsit; denique quidquid sincerum est atque castum, id foedissimis contaminavit maculis, ut germanis extiterint dissimillima. Ita igitur vix unam alteramve paginam reperias, in qua non fatendum sit summas deprehendi sententiarum caligines ex tenebrionis scilicet ortas tenebricoso ingenio.

Atque ex his iam facile suspicari licebit, qualis sit forma et species orationis, quae in hoc dialogo cernitur. Etiamsi enim singula verba bene Graeca sunt, tamen iuncta ubi spectantur, plurimis maximisque vitiis ex cogitandi perversitate enatis laborare videbuntur. Fert enim ita ipsa rerum ingeniique humani natura, ut nemo nisi qui recte, perspicue, subtiliter cogitare didicerit, recte scribendi facultate polleat, ut magnopere fallantur, qui si pulcros scilicet verborum ac sententiarum flosculos undique decerptos constipaverint, sibi continuo videntur scripsisse elegantissime. Nempe elegans nihil esse potest nisi quod idem rectum sit suoque loco atque rei ipsi convenienter dicatur. Quod nisi ita est, apage cum veneribus istis omnibus, quas belluli scilicet atque

delicatuli scriptores imprudenter venantur, quasque non raro comparare licet cum pulcro aliquo vestimento homini febricantis ingenii atque aegrae mentis superiniecto. Sed age afferamus ex nostro scriptore rei exempla, quae si forte insuper aliquos etiam admonere possint, quousque insaniae tenebrae mentis aciei offusae vel in summa singulorum verborum castitate et elegantia scribentes loquentesve perducere possint, hoc quoque nomine operosae diligentiae crimen non inviti subeamus. Et plurima quidem hic quoque iam Boeckhii diligentia p. 17 sqq. occupavit. Afferemus igitur tantummodo pauca, unde luculentissime scriptoris stoliditas cognoscatur, quibus interponemus potissimum quae virum acutissimum praeterierunt. Nam quae a Platonis quidem dicendi consuetudine recedunt nec tamen per se aliquam habent reprehensionem, ea consulto praetermittimus. Quale est illud, quod p. 314. E. scriptum legitur: *οὐκ ἄρα ἁρμόττοι ἂν τὸ πονηρὸν δόγμα νόμος εἶναι*, qua loquutione Plato nusquam usus est, quamquam similiter auctor Epist. VIII. p. 336. D. dixit, *ἐν ᾗ βασιλέας ἁρμόττοι γίγνεσθαι*, et quod p. 320. E. legimus *ἢ εὐλογοῦντες ἢ κατηγοροῦντες*, quandoquidem *εὐλογεῖν laudandi* vi praeditum, etsi ab usu veterum Atticorum minime abhorret neque spretum est ab Aristophane Equitt. v. 569. 599. al., tamen apud Platonem nusquam reperitur; neque enim *εὐλογία* De Rep. III. p. 400. D. hac vi et significatione positum, quanquam Axioch. p. 365. A. *εὐλογίαι τῶν ἀρετῶν* utique sunt *virtutum praedicationes*. Sed redeamus in viam. Itaque pravae ineptaeque dictionis exempla haec notasse satis erit. *Pag.* p. 315. C. 315. *D.* p. 316. C. p. 316. E. p. 318. A. ad quos locos conferas nostras animadversiones. Sed nolumus operam perdere conquirendis etiam aliis istiusmodi perversitatis documentis, quae profecto non pauca reperiuntur, praesertim si etiam pravae ineptaeque constructionis adiiciantur exempla, qualia in commentariis subinde notavimus. Apparebit enim vel ex iis, quae attulimus, quid de dicendi genere in isto opere conspicuo existimandum sit. Atque indidem etiam aestimari potest, qualis sit universae orationis tanquam habitus atque species. Est enim ea haudquaquam elegans, sed hiulca, scabra, elumbis, dissoluta, et paene lacera, ut misellum aliquem hominem audire videamur, qui quum vix potuerit balbutire, tamen nomen suum scribenda aliqua opella immor-

talitati consecrare voluerit. Verumtamen hoc quoniam facilius sensu percipi, quam oratione ad persuadendum apta explicari potest, verbo de ea re monuisse satis erit.

Certum est igitur et exploratum, totum opusculum nomini Platonis per fraudem esse subiectum. Atque hoc loco oritur quaestio sanequam difficilis, quorsum eius origines probabiliter referendae sint. De qua re magnopere ab Aug. Boeckhio dissentimus. Is enim illud ipsius aetate Platonis a Simone Socratico consarcinatum esse sibi persuasit. Cuius sententiae suae argumenta vir egregius subtiliter et acute exposuit *Commentat. in Platon. Min.* p. 33 sqq. Redit autem disputatio eius omnis fere huc. Inter eos, qui pro spuriis censeantur, Platonis dialogos quattuor reperiri ait adeo inter se similes, ut ex unius opificis officina prodiisse iudicandi sint, *Hipparchum* s. *περὶ φιλοκερδοῦς*, *Minoem* s. *περὶ νόμου*, dialogos *de Iusto*, *περὶ τοῦ δικαίου*, ac *de Virtute*, *περὶ ἀρετῆς*. Hos libros omnes docet primum id habere commune, quod Socrates cum persona incerta et nullo nomine distincta colloquens inducatur; deinde eo esse insignes, quod dramatico ornatu fere destituantur, quamquam libri de Iusto et de Virtute maiore quam alterum par tenuitate et siccitate laborare existimandi sint; porro etiam titulum omnes habere ab argumento, quandoquidem Minois antiqua inscriptio fuerit *περὶ νόμου*, Hipparchi autem index genuinus *περὶ φιλοκερδοῦς* fuisse videatur; praeterea eodem cunctos conspicuos esse philosophandi genere, oratione in difficilibus brevi, prolixa in vulgaribus, transitionibus ab alia ad aliam seriem argumentorum iusto liberioribus, nimia exemplorum copia nihil efficientium, quin etiam gyro quasi quodam sententiarum et exemplorum, quae in singulis semper recurrant; denique disserendi viam eandem omnes adeo habere propriam, ut totae *ῥήσεις* ad unam plane normam reperiantur compositae. Hinc igitur vir acutissimus verisimile esse concludit, hos libros uni eidemque scriptori acceptos referri. Iam vero apud *Diogenem* L. II. 122. et 123. de Simone inter alia haec perscripta leguntur: *Σίμων Ἀθηναῖος, σκυτοτόμος. οὗτος ἐρχομένου Σωκράτους ἐπὶ τὸ ἐργαστήριον καὶ διαλεγομένου τινά, ὧν ἐμνημόνευε ὑποσημειώσεις ἐποιεῖτο, ὅθεν σκυτικοὺς αὐτοῦ τοὺς διαλόγους καλοῦσιν. εἰσὶ δὲ τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν ἑνὶ φερόμενοι βιβλίῳ.*

Inter hos referuntur etiam tituli sermonum hi: *περὶ δικαίου πρῶτος, δεύτερος περὶ ἀρετῆς ὅτι οὐ διδακτόν, περὶ νόμου, περὶ φιλοκερδοῦς.* Qui quum prorsus in quattuor illos, quos memoravimus, libros conveniant, protenus **Boeckhius** concludit, Simonem istum eorum esse auctorem. Atque hanc conclusionem non esse temerariam etiam ex eo ostendere conatur, quod in Minoe quidem certe sermo probus sit, mores antiqui, denique nihil non veteris Attici scriptoris aetate dignum. Quod quodammodo etiam eo confirmari arbitratur, quod **Plutarchus** *Moral.* p. 776. E. *Thes.* p. 7. A. ubi Minoem inde a p. 319. D. usque p. 321. A. compilavit, **Diogenes, Maximus Tyrius, Clemens** Al., qui *Strom.* I. p. 151. 33. e Min. p. 313. B sqq., et ibid. II. p. 158. 13. et Min. p. 314. C. et p. 315. B. hausit, **Servius** *ad Virgilium*, **Proclus, Stobaeus** passim, **Alexander Aphrodisiensis** *in Aristot. El. Sophist.* fol. 51. b. horum librorum frequentem faciant mentionem. Haec igitur **Boeckhius.**

Hanc vero sententiam, quantumvis speciosissima argumentatione firmatam, tamen nobis haudquaquam probari libere profitemur, quanquam facile largimur opuscula ista ingenio inculti alicuius hominis, qui docti litteratoris partes agere voluerit, minime indigna esse.

Ac primum quidem illud non ultro concedimus, tantam esse quattuor istorum librorum similitudinem, ut eundem auctorem habere necessario existimandi sint. Sunt enim in exigua quadam similitudine etiam longe inter se dissimillimi. Nam primum quidem dialogi de Iusto ac de Virtute reliquis duobus sunt multo tenuiores, exiliores, macilentiores. Deinde in iisdem tam parum occultata et obtecta sunt vestigia imitationis genuinorum Platonis operum, ut clara et manifesta ubique extent. Nam in dialogo de Iusto inde a p. 372. E. usque ad p. 373. E. omnia impudentissime ex Euthyphrone sunt compilata, ut vix paucula verba ad rei praesentis rationes mutata reperiantur. Quocirca ipsum initium libri facile ambigas num ex Minoe sumtum sit. Est enim hoc: *Ἔχεις ἡμῖν εἰπεῖν ὅ τί ἐστι τὸ δίκαιον; ἢ οὐκ ἄξιόν σοι δοκεῖ εἶναι λόγον περὶ αὐτοῦ ποιεῖσθαι; Ἔμοιγε καὶ μάλα. Τί οὖν ἔστιν; Τί γὰρ ἄλλο γε ἢ τὰ νομιζόμενα δίκαια; Μή μοι οὕτως, ἀλλ', ὥσπερ ἂν εἰ σύ μ' ἔροιο τί ἐστιν ὀφθαλμός; εἴποιμ' ἂν σοι*

ὅτι ᾧ ὁρῶμεν· ἐὰν δὲ δεῖξαί με κελεύῃς δείξω σοι· καὶ ἐάν με ἔρῃ ὅτῳ ψυχὴ ὄνομα; ἐρῶ σοι ᾧ γιγνώσκομεν· ἐὰν δὲ ἔρῃ αὖ τί ἐστι φωνή; ἀποκρινοῦμαί σοι ᾧ διαλεγόμεθα· καὶ σὺ οὕτω φράσον ὅτι δικαιόν ἐστιν ᾧ τί χρώμεθα, ὥςπερ ἃ νῦν δὴ ἠρόμην. Quae cum initio Minois mirabiliter sane congruunt. Pariter etiam in dialogo de Virtute paene dimidia pars disputationis gnaviter ex Menone et Protagora exscripta est, nulla facta genuinorum Platonis verborum mutatione. Quae omnia certe aliter in Hipparcho et Minoe comparata sunt. In his enim longiores Platonis loci nusquam exscripti aut aperta et manifesta imitatione expressi sunt: ac si qui breviores adhibentur, ii non integri referuntur, sed artificiose variantur, ut ne servae imitationis deprehendantur vestigia. Praeterea nec disserendi ratio in omnibus eadem est. Nam etsi hoc habent commune, quod argumentationes non iusta conclusione perficiuntur, tamen nugatoria levitas in Hipparcho maior, in Minoe maxima est; in ceteris duobus libris autem, utpote scriptis simplicius et maximam partem ex Platone descriptis, minus inest ineptiarum. Quod igitur iis omnibus proprium remanet, id denique redit eo, quod secundaria persona certo nomine caret quodque quorundam exemplorum et sententiarum usus in iis frequentius recurrit. At enimvero ex his rebus certe colligi non statim potest, eos omnes uni eidemque scriptori deberi. Nam quod certarum personarum desideratur designatio, id non inepte ex eo explicationem habere statuas, quod origines eorum non in aetatem Socraticam, sed in posteriora tempora inciderint, quibus hic mos dialogorum fortasse iam invaluerat. Similiter certe Epistolarum, quae adscribuntur Socraticis, aliae ad certos quosdam, aliae, veluti VI. VII. XV. XVI. XVIII. XIX., ad incertos homines scriptae finguntur. Ex quo haud sane quisquam de earum auctoribus coniecturam facere audebit. Exemplorum vero usus ille, quo Min. p. 313. B. et Iust. p. 372. C. ad vocem et organa sensoria; Min. p. 317. D. ad γεωργόν, αὐλητήν, κιθαριστήν, et Hipparch. p. 225. C. ad γεωργόν, p. 226. C. ad αὐλητήν et κιθαριστήν; porro de Iust. p. 375. B. ad ἰατρόν et γεωργόν; Min. p. 316. C sqq. autem ad ἰατρούς, γεωργικά et μαγείρους; de Virtut. p. 376. B. ad μαγείρους et ἰατρόν; praeterea Hipparch. p. 226. H. ad ἱππικόν; de Virt. p. 378. C sqq. ad ἱππικήν, κυνηγετικήν et

παιδοτρίβας; Min. p. 317. E. ad *παιδοτρίβας* decurritur, nobis quidem eiusmodi esse videtur, ut nihil inde conficiatur. Nam primum quidem in usu horum exemplorum ea reperitur variatio, ut in alio libro aliter adhibeantur. Quod vix ita futurum esset, si idem sutor omnes consarcinasset. Quippe is sine dubio saepius iisdem verbis extulisset, quod nunc aliter atque aliter significatum videmus. Deinde vulgarium rerum in exemplis afferendis commemoratio, si quid iudicare possumus, studiose ab istis scriptoribus ideo expetita est, ut germanis Socraticis viderentur quam simillimi; Socrati enim noverant eam rationem adeo fuisse frequentatam, ut ei verteretur opprobrio. Ac si quis id agere velit, poterit fontes horum exemplorum facili negotio in ipsius Platonis scriptis ad morem rationemque disciplinae Socraticae compositis demonstrare. Sed ingrediamur viam magis compendiariam atque certiorem ostendamusque, etiam aliorum librorum suppositiciorum auctores eadem fere coacervasse rerum exempla. Quod si ita est, sponte, opinor, consequetur, ut hunc morem compluribus eiusmodi scriptoribus communem fuisse existimandum sit. Lustremus igitur paucis dialogos aliquot, quos spurios esse hodie inter omnes convenit. Percurramus ante omnia *Sisyphum* et *Eryxiam*. En ibi inter alia p. 389. C. habes exemplum a *μουσικῇ* et *κιθαριστικῇ* sumtum; Ibid. p. 390. C. D. *ἰατροί* et *αὐληταί* exempli caussa commemorantur; Ibid. p. 388. D. reperiuntur *γεωμέτραι*; p. 389. C. D. etiam *στρατηγίας* et *κυβερνητικῆς* mentio iniicitur. In *Eryxia* vero p. 394. E. *κυβερνητῆς* et *ἰατρός;* p. 396. *ἱππικός;* p. 398. A. *γραμματικός* et *μουσικός;* p. 402. D. *μουσικοί* et qui litteras tradunt; p. 403. A. *ἱππικοί*; p. 403. E. *οἰκοδομικοί;* p. 404. D. auditus et *ἰατρική*, exempli caussa frequentantur. Quae si contempleris paullo attentius, eadem fere videbis esse, quae in quattuor illis libris Simoni sutori tributis obvia sunt. Addamus tamen hac occasione etiam gravius quiddam. Nam nec variae ac multiplicis doctrinae importuna iactatio in his dialogis desideratur. Quemadmodum enim in *Minoe* p. 315. A sqq., ubi ostenditur apud alios populos atque gentes alia esse legibus et institutis sancita, Carthaginienses atque Arcadicae urbis Lycaeae incolae narrantur homines adeoque suos ipsorum filios sacrificare, atque pristini Athenienses ritus sepulcrales alios habuisse quam qui postero tempore apud eos vigere coeperint;

sic in *Eryxia* p. 399. E sqq. ut opum ac divitiarum alibi aliam rationem esse doceatur, Carthaginensium, Lacedaemoniorum, Aethiopum et Scytharum hoc in genere instituta exponuntur. Adeo igitur haec cum loco Minois conveniunt, ut simillimam in utroque opere regnare declamandi rationem propemodum in oculos incurrat. Sed hoc in transcursu addidisse satis erit. Redeamus ad usum exemplorum, atque doceamus, etiam in libris vulgo Platonis nomine ornatis, sed manifesta fraude ei suppositis, talia deprehendi, qualia antea memoravimus. Sic in *Erastis* p. 134. E. *ἰατρὸς καὶ παιδοτρίβης*; Ibid. *γεωργός*; et p. 135. C. *ἀρχιτέκτων*, exempli loco ponuntur; et in *Theage* p. 123. B. D. *κυβερνητική*; Ibid. E. *ἰατρική* et *γυμναστική*; p. 124. A. *γεωργική* et *τεκτονική*; p. 125. C. rursus *γεωργοί* et *τὰ γεωργικά*, ac ne coquos desideres, ibid. p. 125. C. D. *μάγειροι* et *τὰ μαγειρικά*; p. 126. B. autem *ἱππικοί* et *τὰ ἱππικά* afferuntur, ut in his quoque opusculis quantumvis exigui ambitus eadem prorsus exemplorum ratio sit, quae in Hipparcho, Minoe et dialogis de Iusto ac de Virtute. Quid quod in *Theage* alius quoque locus notabilis est propter convenientiam cum verbis quibusdam Minois. Nam quae p. 122. B. scripta leguntur: *ἀλλὰ μὲν δὴ καὶ λέγεταί γε συμβουλὴ ἱερὸν χρῆμα εἶναι. εἴπερ οὖν καὶ ἄλλη ἡτισοῦν ἐστὶν ἱερά, καὶ αὕτη ἂν εἴη, περὶ ἧς σὺ νῦν συμβουλεύει. οὐ γὰρ ἔστι περὶ ὅτου θειοτέρου ἂν ἄνθρωπος βουλεύσαιτο ἢ περὶ παιδείας καὶ αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ οἰκείων*; ea certe non absimilia videntur illis in Minoe p. 318. E. et p. 319. A. de quo loco mox dicemus explicatius. Apparet igitur, opinor, ex usu exemplorum quidem nihil eiusmodi colligi posse, unde quattuor illos libros eundem auctorem habere appareat. Ac similis ratio est sententiarum quarundam in iis repetitarum. Ita quod *Hipparch.* p. 227. B. pariter atque *Dialog. De Virt.* p. 376. E. legitur, neminem sua sponte mala deligere, pervulgata sanequam ea sententia est, quam neutiquam mirum est non rarius repetitam esse et inculcatam, quam quod Plato statuebat, neminem esse sponte malum; quod quam crebro decantatum sit, in commentariis ad Protagoram p. 345. E. ed. 2. ostendimus. Nec scrupulum iniiciunt illa *Hipparch.* p. 228. C. *οὐκ οἰόμενος* (Hipparchus) *δεῖν οὐδενὶ σοφίας φθονεῖν, ἅτε ὢν καλός τε καὶ ἀγαθός*; et *Dial. De Virt.* p. 377. A. *οὐδείς ἄρα φθονεῖ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν*

ἄλλῳ, ὥστε ἀγαθὸν καὶ ὅμοιον ἑαυτῷ ποιῆσαι. Nam scriptor dialogi de virtute totum locum adumbravit ad similitudinem Protagor. p. 326. E sq. ubi inter alia haec sunt: λυσιτελεῖ γάρ, οἶμαι, ἡμῖν ἡ ἀλλήλων δικαιοσύνη καὶ ἀρετή· διὰ ταῦτα πᾶν παντὶ προθύμως λέγει καὶ διδάσκει καὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ νόμιμα; et Menon. p. 93. B. C. Atque eadem *Hipparchi* auctor fortasse ob oculos habuit. Accedit quod haec quoque sententia admodum vulgaris est atque trita. Affert Boeckhius tertiam sententiam ex *Dial. De Virt.* p. 376. E. οἱ μὲν γὰρ ἀγαθοὶ ἄρα ὠφελοῦσιν, οἱ δὲ κακοὶ βλάπτουσιν, et *Dial. De Iust.* p. 374. B. τί δέ; βλάπτειν δίκαιον, ἢ ὠφελεῖν; Ὠφελεῖν; Βλάπτειν ἄρα ἄδικον; Ναί. Enimvero fontem utriusque loci communem monstrabunt haec Platonis *Menon.* p. 88. A. — 89. A. p. 96. E. p. 98. C. καὶ μὴν ὅ γε ἀγαθὸς ἀνὴρ ὠφέλιμος ἡμῖν ὡμολόγηται εἶναι. Omnino enim horum duorum operum auctores pleraque ex Protagora, Gorgia et Menone corraserunt. Quum igitur quattuor isti, quos saepe diximus, dialogi ex parte inter se dissimillimi sint, ac si quid habent similitudinis, id facile possit exinde explicari, quod vel eadem aetate nati vel ex communibus fontibus ducti sunt, quid inde consequatur, facile intelligitur. Non enim continuo uni auctori vindicandi sunt, sed potius existimari debent propter diversitatem suam diversos auctores habuisse, quanquam fortasse ex unius scholae officina prodierunt.

At vero, inquit aliquis, mirabile tamen est, quod eorum inscriptiones planissime cum titulis quattuor dialogorum conveniunt a Diogene Simoni adscriptorum. Nonne igitur hinc verisimiliter coniicere licet eos revera ad hunc auctorem referri oportere? De qua re quo certius iudicari possit, operae pretium erit ipsa *Diogenis* verba diligentius examinare. Is igitur *libro II.* §. 122. primum haec scribit: οὗτος, ἐρχομένου Σωκράτους ἐπὶ τὸ ἐργαστήριον καὶ διαλεγομένου τινά, ὧν ἐμνημόνευε ὑποσημειώσεις ἐποιεῖτο, ὅθεν σκυτικοὺς αὐτοῦ τοὺς διαλόγους καλοῦσιν. Narratur ergo bonus sutor eorum, quae se a Socrate inter mutuos sermones accepisse meminisset, breves commentariolos fecisse. Ex quo haec duo perspicua esse arbitramur, primum quidem, dialogorum Simoneorum argumenta ex ipsis Socratis confabulationibus fuisse repetita; alterum, brevem admodum fuisse eorum notationem, ut scriptio eius hoc quidem

nomine Xenophonteae non prorsus absimilis fuisse videatur. Deinde *Diogenes* subiungit haec: *εἰσὶ δὲ τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν ἑνὶ φερόμενοι βιβλίῳ· περὶ θεῶν, περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, περὶ τοῦ καλοῦ, τί τὸ καλόν, περὶ τοῦ δικαίου πρῶτος καὶ δεύτερος, περὶ ἀρετῆς ὅτι οὐ διδακτόν, περὶ ἀνδρείας πρῶτος δεύτερος τρίτος* (sic enim leg. pro *πρῶτον δεύτερον τρίτον*), *περὶ νόμου, περὶ δημαγωγίας, περὶ τιμῆς, περὶ ποιήσεως, περὶ εὐπαθείας, περὶ ἔρωτος, περὶ φιλοσοφίας, περὶ ἐπιστήμης, περὶ μουσικῆς, περὶ ποιήσεως, τί τὸ καλόν, περὶ διδασκαλίας, περὶ τοῦ διαλέγεσθαι, περὶ κρίσεως, περὶ τοῦ ὄντος, περὶ ἀριθμοῦ, περὶ ἐπιμελείας, περὶ τοῦ ἐργάζεσθαι, περὶ φιλοκερδοῦς, περὶ ἀλαζονείας, περὶ τοῦ καλοῦ· οἱ δὲ* (*ἄλλοι?*) *περὶ τοῦ βουλεύεσθαι, περὶ λόγου ἢ περὶ ἐπιτηδειότητος, περὶ κακουργίας.* Quo quidem indice rursus confirmari putamus, quod modo iudicavimus, brevem fuisse videri sermonum Socraticorum commentationem a Simone susceptam. Nam dialogi eius omnes uno libro comprehensi fuisse dicuntur. Iam vero si quis miretur, quid tandem caussae fuerit, cur sermones a cerdone litteris consignati, etiamsi cum contemtu quodam *σκυτικοί* appellati sunt, tamen hominum animos adeo adverterint, nescio an id *Diogenes* non obscure significaverit his verbis: *οὗτος, φασί, πρῶτος διελέχθη τοὺς λόγους τοὺς Σωκρατικούς. ἐπαγγειλαμένου δὲ Περικλέους θρέψειν αὐτόν, καὶ κελεύοντος ἀπιέναι πρὸς αὐτόν, οὐκ ἂν ἔφη τὴν παῤῥησίαν ἀποδόσθαι.* Primus igitur, si *Laërtio* fides est, sermones Socraticos imitando expressit, eoque factum videtur, ut eius dialogi ad aliquam famae celebritatem pervenirent, praesertim quum ope commentariorum ad sermonum revera cum Socrate habitorum similitudinem quam diligentissime comparati essent. Praeterea ex his etiam discimus, quo tempore clarissimus sutor florere coeperit, quod non esse negligendum mox apparebit. Atque haec quidem ubi accurate tenuerimus, facilius certiusque poterimus diiudicare, num quattuor illi libri, de quibus quaerimus, verisimiliter Simoni attribuantur, modo simul meminerimus eorum, quae antea de Minois reliquorumque dialogorum virtutibus exposuimus.

Ac primum quidem huic sententiae illud videtur mirum quantum officere, quod in iis plane desideratur Socratica illa perspicuitas, simplicitas et nativa elegantia, quam sutoris dialogos utique retulisse consentaneum est,

si ad exemplum sermonum Socraticorum fuerunt compositi. At harum virtutum omnium nusquam in iis vestigium aliquod expressum cernitur. Nam sunt quidem pleni ac referti exemplis, at raro iis aliquid efficitur; utuntur quidem artificio inductionis, sed sine felici operis successu; habent quidem sententiarum quandam varietatem, sed sententiae istae fere inanes rerum sunt atque obscuritatem potius menti offundunt quam veri intelligentiam afferunt; praeterea argumentationes sunt contortae, abruptae, et vero etiam stolidae et insulsae; ironia autem illa, qua Socratem novimus suas disputationes tanquam condire consuevisse, adeo desideratur, ut vel loci illi Platonici, in quibus ea cernitur, horum dialogorum auctorem vehementissime deluserint et ad absurdissima quaeque imprudentem perduxerint. Quid igitur? haeccine nobis persuadebimus in sermonibus repertum iri a Socratici ingenii fontibus ductis et tanquam derivatis? Nimirum quemadmodum etiam in pravorum pictorum imaginibus facile reperias aliqua saltem lineamenta oris eorum, quos ad ipsam veritatem fideliter depingere non potuerint, ita etiam in his dialogis aliquid Socraticae perspicuitatis atque venustatis repertum iri verisimile est, si a Simone ad veri sermonis Socratici similitudinem compositi essent. Ac ne sutorem istum existimemus hominem fuisse plane rudem doctrinae atque inscitum, qui Socraticas disputationes enarrare omnino non potuerit, praeter famam antiquitatis, cui certe aliquid tribuendum est, etiam argumenta dialogorum, quos scripsisse fertur, non obscure indicant, quippe quae rudioris hominis captum magnam certe partem longissime sane superant.

Verum ad haec accedit aliud quid, unde Simonem non esse horum fetuum parentem satis certo intelligatur. Etenim libri illi omnes, ut antea ostendimus, aut ex Platonis operibus conscripti aut ad eorum rationem prava imitatione compositi sunt. Quid igitur? num illum putabimus dialogos Platonis, Gorgiam, Menonem, Protagoram, Symposium, Euthyphronem, Politicum, Leges, sedulo lectitavisse aut pervolutasse, ut sententiolis atque flosculis inde decerptis opus suum tanquam suffarcinaret? num eum nobis persuadebimus ex Menone, Protagora, aliis libris, integros locos in dialogum de Iusto et de Virtute transscripsisse, quo magis aequalibus operam suam probaret? num porro cuiquam credibile erit, fe-

cisse eum, quod fecerit plane necesse est, si pro horum librorum auctore habeatur, ut in Minoe suam de legis vi ac natura sententiam ad normam rationemque eorum explicaverit, quae apud Platonem de eadem re in Politico exposita leguntur? Nimirum istud quidem, si quid videmus, bono sutori ne in mentem quidem venire potuit, qui teste Laertio hoc potius egit, ut purus putus Socraticus haberetur. Is vero si videri voluit, tanto magis manus a Platonicis operibus debuit cohibere, quo maius fuit periculum, ne dum speciem sapientiae captaret, insipientiae reus ageretur, sicuti nunc eo fit, qui verus horum dialogorum auctor fuit. Quin etiam hoc ei verendum fuit, ne ipsi plumae, quibus se tanquam pavonem superbe exornasset, iam ab aequalibus multo cum risu evellerentur.

Verum ex hac ipsa Platonicorum operum compilatione etiam aliud argumentum repetere licet, quo Simonem demonstretur haudquaquam potuisse hos libros, de quibus loquimur, litteris consignare. Nam si verum est, quod narrat Diogenes Laertius, eum iam Periclis aetate ad aliquam famam auctoritatemque pervenisse, profecto nec per temporum rationes ullo modo fieri potuit, ut ex iis libris aliquid ad usum suum transferret, qui a Platone iam aetate provectiore scripti sunt. Pertinent autem huc primum libri qui sunt de Legibus. Nam quod Boeckhius p. 31. negat imitationis ex hoc opere ductae in quattuor illis dialogis extare vestigia, de eo nobis quidem secus videtur. Duo enim sunt loci Minois manifesto ad locorum quorundam Legum imitationem compositi. Unus est p. 319. B. qui adumbratus videtur ad Legg. I. p. 624. A. Nam sicuti hic in praedicatione laudum Minois ad Homeri auctoritatem provocatur, ita in Minoe ipsi Homeri afferuntur versiculi ex *Odyss.* XIX, 174 sqq. et XI, 568 sqq. quod sanequam dignum est imitatore, qui nihil transmittere voluit, quo orationem suam exornari posse putaret. Et quemadmodum ipse Plato Homeri verba sic intellexit, ut *Odyss.* X, 568 sq. *ἐννέωρος* iungeret cum *ὀαριστής* ideoque ea interpretaretur, *τοῦ Μίνω φοιτῶντος πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς ξυνουσίαν δι' ἐνάτου ἔτους*, hoc est *Minoe nono quoque anno ad patris congressum ventitante*, sic qui Minoem consarcinavit haec posuit: *λέγει γὰρ* (*Ὅμηρος*) *τὸν Μίνων συγγίγνεσθαι ἐνάτῳ ἔτει τῷ Διὶ ἐν λόγοις καὶ φοιτᾶν παιδευθησόμενον ὡς ὑπὸ*

σοφιστοῦ ὄντος τοῦ Διός. Substituit igitur temere istud suum ἐνάτῳ ἔτει in locum eius, quod Plato rectius multo magisque perspicue dixit δι' ἐνάτου ἔτους, ne prorsus eodem modo loquutus videretur. Verum evidentior altero loco imitatio est, qui extat p. 318. E sq. ubi impium, imo nefas esse monetur bonis hominibus maledicere, utpote ipsi deo similibus, atque deinde sic pergitur: νεμεσᾷ γὰρ ὁ θεὸς ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἑαυτῷ ὅμοιον ἢ ἐπαινῇ τὸν ἑαυτῷ ἐναντίως ἔχοντα. ἔστι δέ οὗτος ὁ ἀγαθός. μὴ γάρ τοι οἷου λίθους μὲν εἶναι ἱεροὺς καὶ ξύλα καὶ ὄρνεα καὶ ὄφεις, ἀνθρώπους δὲ μή, ἀλλὰ πάντων τούτων ἱερώτατόν ἐστιν ἄνθρωπος ὁ ἀγαθός, καὶ μιαρώτατον ὁ πονηρός. Quae plane ad illa Legum libr. VI. p. 765. E sq. attemperata sunt, ubi docetur hominem recta demum educatione et ingenii bonitate divinissimum atque mansuetissimum omnium animalium fieri ideoque plurimum sibi curae et institutionis deposcere. Itaque inter alia etiam haec dicuntur: ἄνθρωπος δέ, ὥς φαμεν, ἥμερον, ὅμως μὴν παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχὸν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῷον γίγνεσθαι φιλεῖ, μὴ ἱκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφὲν ἀγριώτατον (τῶν) ὁπόσα φύει γῆ. ὧν ἕνεκα οὐ δεύτερον οὐδὲ πάρεργον δεῖ τὴν παίδων τροφὴν τὸν νομοθέτην ἐᾶν γίγνεσθαι. Quae noster levi verborum facta mutatione inanis rhetoricae calamistris exornavit atque pro suo consilio eo detorsit, ut viris bonis maximam deberi reverentiam docere conatus sit. Eundem legum locum ob oculos habuit etiam auctor Theagis p. 122. B. ita tamen, ut Platonem pressius sit sequutus: ex quo apparet unde originem habeat ista utriusque libelli convenientia, de qua iam supra aliquid monuimus. Expresserunt etiam Iamblich. *Adhortat. ad philosoph.* c. 9. p. 144. ed. Kiessling. Synesius *De calvitio* c. 5. p. 9. ed. Krabinger, aliique, de quibus videndus est Gatakerus *Advers. Miscell.* p. 616. F. G. Atque haec quum ita se habeant, sponte consequitur Minoem non potuisse ante Leges Platonis litteris consignari, quae ipso Boeckhio iudice (l. c. p. 73.) post Olymp. CVI. 1. demum compositae sunt. Eo vero tempore Simo, qui teste Laertio cum Pericle rem habuit, nonagenarius saltem fuerit necesse est, qua quidem aetate quis est qui eum credat miseros istos dialogos misere conscribillasse? Sed ne de unis Legibus dicamus, quarum testimonium praevidemus fore qui infirmare conen-

tur, ne Symposii quidem aut Politici opibus Simonem uti potuisse contendimus, praesertim si verum est quod narrat Diogenes, primum eum extitisse qui Socraticos sermones imitatione referret. Nam Symposium quidem non potuisse ante Olymp. XCVIII. 3. vel 4. in lucem emitti pro explorato habemus. Nec vero Politicus multo ante scriptus aut divulgatus est, quemadmodum alibi disputavimus. Iam vero inde a Periclis morte Olymp. LXXXVII. a. 3. vel. 4. usque ad Olymp. XCVIII. 3. interiecti fuere anni minimum quadraginta tres vel quattuor. Quodsi autem Pericles Simoni civi suo tantum tribuit, ut ei ultro victum offerret, non illum verisimile est tunc adhuc fuisse viginti annorum adolescentulum. Ex quo quid consequatur, iam adeo clarum esse putamus, ut res uberiore explicatione haudquaquam indigeat.

Atque haec quidem satis ostendent, opinor, quo iure Simonem negemus quattuor istos dialogos conscripsisse. Hic vero nobis aliquis opponat, esse tamen permirum ac prope singulare, quod quattuor illorum opusculorum tituli in scriptorum Simoneorum indice apud Diogenem reperiantur. Nam ex hac una re facile posse veritatem contrariae sententiae probari atque demonstrari admodum probabiliter. Ad quae habemus sane quae non incommode responderi queant. Etenim primum quidem ponere atque sumere licebit, ipsum illum catalogum Simoneorum dialogorum potuisse horum argumentorum tractationi ansam praebere. Quod si ita accidit, bonus sutor Atheniensis saltem aliquid laudis participabit, quam istae scriptiones commereantur. Nam ita posterioris aetatis scriptorem aliquem licebit statui splendidis eius operum titulis invitatum et excitatum esse, ut simile quiddam commentaretur. Quamquam qui id fieri potuerit, intellectu utique est difficile. Nam primum quidem is, qui haec opera confinxit, iis non Simonis, sed Aeschinis ac Platonis nomina praefigi voluit. Deinde quidnam invitamenti habere potuit, sutoris alicuius laudes litterarias aemulari? Nimirum in litteris certe nemo adeo est demissus et abiectus, quin altius quiddam sibi spectandum statuat. Nisi forte pecunia, rerum omnium domina, effecerit, ut iuvenis aliquis *litterariam factitans* sutoris personam in se susceperit. Quid enim est, ad quod non adigat homines regina illa potentissima, quae, ut ait Horatius, uxorem cum dote, fidemque, et amicos, et genus, et formam donare solet. Verum enim vero ne

opus quidem est ut ita statuamus, quandoquidem argumenta horum librorum omnium sunt admodum trita, vulgaria, et a Socraticis saepenumero tractata. Ita *περὶ νόμου* praeter Pythagoreos quosdam scripserunt Crito Socraticus (v. Diog. Laert. II. 121 sqq.), Antisthenes Cynicus (v. ibid. VI. 16.), Speusippus Academicus (ib. IV. 5.), Xenocrates, eius successor, quem Diogenes IV. 12. refert *περὶ δυνάμεως νόμου* scripsisse. De virtute porro sive *περὶ ἀρετῆς εἰ διδακτόν* Platonem ipsum novimus non uno libro commentatum esse, in eoque campo quantopere alii Socraticorum sese iactaverint, non est profecto cur post I. F. Fischerum ad *Aeschin. Socrat. qui feruntur Dialogg.* p. 21 sq. et Fuellebornium *Symbol. ad Histor. Philos. Part. X.* p. 143 sqq. diligentius exponamus. Nec vero defuerunt qui scriberent *περὶ τοῦ δικαίου*. Nam ut mittamus Critonem Platonis, qui idem argumentum illustrat, disputavit praeter alios Xenocrates teste Laertio IV. 13. *περὶ δικαιοσύνης;* item Antisthenes eodem teste VI. 16. Iam vero *περὶ τοῦ φιλοκερδοῦς* ecquis est qui sibi persuadeat a philosophis illius aetatis non esse expositum? Enimvero scripsit praeter Simonem etiam Crito teste Laertio libr. II. 5. 121. *περὶ τοῦ πλεῖον ἔχειν*, hoc est de argumento fere eodem. Scripserunt item alii *περὶ ἐγκρατείας*, *περὶ τοῦ ὠφελίμου*, ac de aliis locis similibus, in quibus lucri cupiditas aut debuit aut potuit certe respici. Quamobrem nec mirum accidit, quod in Epistolis Socraticorum non uno loco de lucri cupidine disceptatur. Nimirum harum epistolarum auctores et ipsi voluerunt videri meri Socratici eamque ob caussam hanc quoque rem vocarunt in disceptationem. Ex quibus omnibus liquere arbitramur raro quidem casu factum esse, ut quattuor istorum librorum tituli in Simonis dialogorum recensione reperiantur, nec tamen casu plane inexplicabili. Nam quum ista argumenta a Socraticis omnia frequentius essent tractata atque explicata, fieri profecto potuit facillime, ut eadem iis temporibus, quibus mala doctorum et indoctorum hominum fraus claris scriptoribus solebat fetus adulterinos affingere, studiosius arriperentur atque iterum iterumque illustrarentur.

Atque id quanam aetate ita evenerit, coniectura non ita difficilis est. Putamus enim natos esse hos libros tempore Ptolemaeorum, quo fraudem hominum mendacium licentius grassatam esse in fingendis sub alieno no-

mine scriptis certissimis constat testimoniis. Qua de re classicus est locus Galeni *in Hippocr. de Nat. Hom.* libr. I. Tom. V. p. 16. ed. Basil. *Πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς, ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα· λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινὸς ἀνδρὸς οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον.* Eam autem fraudem maxime in Platonis et Aristotelis libris commissam esse, dudum observarunt Io. Wowerus, I. Ger. Vossius, Aegid. Menagius, inprimisque Rich. Bentleius, *in Epistol. ad Wattonum p. 4. et in Respons. ad Boyleum* p. 6. ed. Lennep. atque Io. Luzacius *Lectt. Attic.* p. 149. Ac de Minoe quidem id tanto verisimilius suspicari licet, quod Diogenes Laertius eum dialogum narrat iam ab Aristophane Byzantio in trilogias suas fuisse relatum. Is enim in Vita Platonis §. 61. sic scribit: *ἔνιοι δέ, ὧν ἐστὶ καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικός, εἰς τετραλογίας ἕλκουσι τοὺς διαλόγους· καὶ πρώτην μὲν τιθέασιν, ἧς ἡγεῖται Πολιτεία, Τίμαιος, Κριτίας· δευτέραν, Σοφιστής, Πολιτικός, Κρατύλος· τρίτην, Νόμοι, Μίνως, Ἐπινομίς, κ. τ. λ.* quo loco cur Boeckhius *in Minoem* p. 32. praeter codicum auctoritatem scribendum putaverit *Μίνως, Νόμοι, Ἐπινομίς*, nos quidem non exputamus; nisi forte ita statuit, ne doctissimi grammatici Minoem post Leges scriptum putasse viderentur, quod sane eius de huius libri originibus sententiae aliquantum adversatur. Nimirum ex his verbis liquido apparet, iam illa aetate talem libellum pro Platonico venditatum esse. Atque idem fere de ceteris libris, quos diximus, statuendum censemus. Qui si posteriore demum aetate conficti essent, certe aliquid haberent, quod eius disciplinam redoleret, sicuti aliis id genus libellis factum esse compertum habemus. Verum enim vero est profecto horum librorum omnium ea ratio atque virtus, quae Alexandrinam aetatem maxime deceat. Quod enim vel ex variis pannis male consuti sunt vel imitatione genuinorum operum prave celata consarcinati, id plane convenit cum illo variae atque multiplicis doctrinae studio, quod eo tempore mirum quantum invaluisse accepimus. Nam eo studio effectum est hoc, ut scripta veterum legerentur potius quam intelligerentur; atque adeo ii, qui opera commentitia aliis suppo-

nere cogitabant, vel doctos et eruditos homines facile possent circumvenire, etiamsi adulterini libri, quos confinxissent, perquam negligenter compositi essent. Enimvero etiam hoc vitium ex illa multiplicis doctrinae cupiditate ortum, quod non modo extitit insolens quaedam scribendi et commentandi quasi libido et intemperantia, sed etiam plurima non tam recto subtilique mentis iudicio digererentur, quam temere consarcinarentur. Quod proh dolor in philosophia potissimum ita accidit, ad quam accesserunt saepe homines male feriati, qui quum minime ad eius studium et tractationem a natura facti essent, invita Minerva, quod dicitur, ad scribendum appulerunt animum, et quamvis omnia temere corradentes certa incertis, mala bonis, perspicua tenebricosis, recta falsis miscerent ac saepenumero etiam misere balbutirent, tamen Platoni et Aristoteli multa affingerent, de quibus summi philosophi ne per somnium quidem cogitavissent. De qua re exposuerunt Heynius *Opuscul. Academ.* Vol. I. p. 127 sq. et Luzacius *Lectt. Attic.* Sect. II. §. IX. §. 9 sqq. Talibus igitur studiis talibusque temporibus omnino digna sunt ista opera, de quibus loquimur, in quibus et variae doctrinae inanis iactatio, et frigidum declamationis studium, et misera operum genuinorum compilatio, et vero etiam fusa insanientis philosophiae oratio deprehenditur, quanquam ceteroquin probus est sermo nec veteris scriptoris Attici ingenio et facultate indignus, siquidem verba tantummodo, non item sententiae et enunciata spectantur. Quodsi igitur hi dialogi nonnulla communia habent, veluti quod incerta persona cum Socrate in iis colloquens inducitur aut quod sententiolas quasdam saepius iterant atque inculcant, caussa eius rei videtur exinde potius repetenda, quod eodem tempore et fortasse in eadem scholae alicuius officina nati, quam quod ab uno eodemque scriptore compositi sunt, praesertim quum, ut antea diximus, in quadam similitudine etiam dissimillimi inter se esse reperiantur.

At enim vero, inquit aliquis, nonne mirum accidit, quod tanti nominis criticus, qualem Aristophanem Byzantium fuisse perhibent, adeo in fraudem inductus est, ut tam miseram scriptionem, qualis est Minois, in trilogiis suis recenseret? Ad quae nobis cum aliis respondere licebit, veteres criticos utique fugisse plurima, quae hodie non facile eruditiores fallant. Etenim in tam

multiplici occupatione, qualem illis praebebat diversissimorum operum non dicam lectio, sed una collectio, mirum profecto non est, quod subinde titulos librorum magis respexerunt, quam eorundem argumenta subtiliter explorarunt. Qua in re quousque peccatum sit, vel ea docebunt, quae de his rebus breviter quidem, at vere graviterque monuit Fr. Aug. Wolfius *Prolegg. ad Homer.* p. XLVIII sq. Ac de Minoe quidem Platoni adscripto quomodo doctissimus Grammaticus in fraudem et errorem induci potuerit, non temere videmur coniectura assequuti esse. Quod enim in omni caussa evenire solet, ut praeiudicatis opinionibus facillime ad novos errores abripiamur, id hic quoque factum esse verisimile existimamus. Statuerat Aristophanes libros Platonis in trilogias distribuendas esse. Fecit igitur primam trilogiam Politiam, Timaeum, Critiam, idque si quid video rectissime, quandoquidem hi libri ipsius Platonis iudicio arctissimo vinculo inter ipsos continentur. Secundam voluit constare Sophista, Politico, et Cratylo, non satis recte quidem, nec tamen prorsus inepte, siquidem Sophista cum Politico sine ulla controversia cohaeret aptissime, Cratylus autem aliquam certe cum his libris habet argumenti cognationem. Iam vero tertiae trilogiae circumspexit elementa. Quod dum facit, ecce offeruntur ipsi sponte Leges et Epinomis. Sed tertium quiddam deest ad trilogiae integritatem. Ibi vero ei in manus venit Minos sive *περὶ νόμου*. Exoptatum sane inventum. Quid enim cum Legum et Epinomidis argumento nomine quidem certe magis congruat? Itaque arripit librum fortasse vix leviter inspectum et cum duobus reliquis operibus praeiudicatae indulgens opinioni protenus iungit atque consociat. Ita igitur et ipse in gravem errorem incidit, et auctoritate sua effecit, ut alii per multa saecula in eiusdem fraudis societatem pertraherentur. Sed errorem Grammatici nobis quidem fatendum est admodum prosperum atque utilem evenisse. Quod enim ille Minoem in primas trilogias retulit: nam ceteras rerum ipsarum difficultatibus impeditus non potuit perficere, quartam tantummodo, sed parum probabiliter statuit Theaetetum, Critonem et Phaedonem; quod igitur Minoem in trilogiis suis numeravit, ex eo certe hoc discimus, opusculum iam tum fuisse divulgatum, possumusque etiam de aliorum similium natalibus non improbabiliter facere coniecturam. Ita igitur tempus, quo

editi hi fetus in lucem sunt, verisimiliter videmur definivisse.

Verum superest adhuc alia quaestio. Possit enim aliquis contendere et affirmare, hos quattuor dialogos, ex quibus vulgo Minos et Hipparchus a Diogene, Thrasyllo et ipso Aristophane in Platonicis numerantur, dialogi de Virtute et de Iusto autem vel ad Aeschinem vel alium quempiam referuntur auctorem, plane esse eosdem, quos Diogenes inter Simonea memoraverit, sive ii genuini sint sive misero sutori suppositi. Et certe Boeckhius quoque ea de re loquutus est ambigue, qui p. 45. scripserit haec: „*Ea magnopere mihi reddunt verisimile, non alios esse quatuor nostros dialogos atque illos, qui apud Diogenem Simoni Socratico tribuuntur.*“ et pag. 48. ita iudicaverit: „*Attamen quum Panaetius, homo non ignobilis, apud Diogen. II. 64. genuinos nullos praeter Xenophontis, Antisthenis et Aeschinis dialogos Socraticorum agnoscat, eatenus tantum haec opusvula Simoni tribuo, quatenus ea, quae Laërtius dicit ad eum poterant referri.*“ Quamquam idem p. 46. sic disputat, ut quae fuerit eius sententia, minime dubium videatur. At primum quidem huic sententiae multum officit codicum veterum auctoritas, in quibus nullus horum librorum Simoni tribuitur. Quin etiam tituli Minois et Hipparchi, quantumvis inepte conficti, utpote a parte tantum operis eaque leviore sumti, genuini videntur, siquidem ad Platonis morem et consuetudinem sunt inventi, qui minores quidem dialogos suos clarorum hominum nominibus insignivit, non ab argumenti ratione inscripsit, ut altera inscriptio *περὶ νόμου* et *περὶ φιλοχρηματίας*, sicuti factum est in ipsius Platonis scriptis, temere a grammaticis vel etiam ab ipsis auctoribus adiecta sit. Deinde ipse Diogenes Laertius cum veterum librorum testimoniis consentit egregie, quum tamen de Simonis libro ita loquatur, ac si eum ipse adhuc viderit atque inspexerit. Praeterea quum Simonis dialogos, Diogenis testimonio, uno volumine comprehensos circumferri consuevisse compertum habeamus — nam *εἰσὶ δὲ*, inquit, *τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν ἑνὶ φερόμενοι βιβλίῳ* — ecquis sibi persuadeat, ex toto hoc opere eoque, sicuti suspicari licet, non admodum amplo singulos tantummodo sermones esse conservatos? Nimirum hoc perinde est, ac si ex Xenophontis Memorabilibus vel Oeconomico singulae tantummodo

quaedam particulae, ex diversis locis decerptae, ad nostram usque memoriam conservatae fuerint. Accedit quod ex veteribus scriptoribus, quantumvis ab iis frequenter dialogorum manifesta fraude suppositorum mentio iniiciatur, tamen nemo memoravit aliquid Simoneum, quod certe secus foret, si dialogi isti quattuor iam antiquitus Simoni tributi essent. Denique hoc unum si quaeratur, num quattuor isti libelli, quum omnes sint suppositicii neque veteri Attico alicui scriptori debeantur, tamen a nonnullis etiam Simoni sint attributi, vereor equidem ne, si non *περὶ ὄνου πόκου*, at saltem de lana caprina rixari videamur. Nam si Simoni a nonnullis iniuria adscripti sint nec vero ab eo re vera profecti, nulla profecto caussa est, cur subtilius de ea re examen instituatur. Itaque hoc pro explorato habendum putamus, non posse eos ad sutorem illum sapientem tanquam auctorem ullo modo referri, eoque iudicio utique acquiescimus. Quamobrem nomen Simonis in posterum rursus ab indicibus eorum scriptorum exulabit, quibus sive recte sive iniuria adscribuntur libri etiam nunc superstites.

Codices.

Contulit *Im. Bekkerus* Paris. A. (n. 1803.) Ven. Σ. Paris. K. Angel. υ. Laurent. z. Laur. b. c. Vatic. f. Nos adhibuimus Florentinos a. b. c. o. x. et Leidensem, de quo v. Heusdii Specim. Crit. p. 142. Omnium optimus est Paris. A.

M I N Ω Σ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ

ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΕΤΑΙΡΟΣ.

Cap. I. Ὁ νόμος ἡμῖν τί ἐστιν; 313

ET. Ὁποῖον καὶ ἐρωτᾷς τὸν νόμον;

P. 313. καὶ ἐρωτᾷς τὸν νόμον] τῶν νόμων Par. A. et Leid. quod dedit Bekker. et Turic. sed v. ann.

P. 313. Ὁ νόμος ἡμῖν τί ἐστιν] Initium disputationis idem Hipparchi: Τί γὰρ τὸ φιλοκερδές; τί ποτέ ἐστιν; καὶ τίνες οἱ φιλοκερδεῖς; Dialogi de Iusto: Ἔχεις ἡμῖν εἰπεῖν ὅ τί ἐστι τὸ δίκαιον; Dialogi de Virtute: Ἆρα διδακτόν ἐστιν ἡ ἀρετή; Par nimirum inscitia parem horum scriptorum auctorem prodere visa est Augusto Boeckhio, qui de neglecta in his libris exordii venustate exposuit in egregio doctrinae iuvenilis specimine Comment. in Minoem Plat. et Libros priores de Legibus p. 36 sq. Sed simillimum etiam Demodoci exordium est. Nimirum id quidem certum, insulsos fuisse horum librorum omnium auctores. Inter dialogos Platonis nullus est qui tale initium habeat. Alia enim Menonis est ratio, in quo statim in sermonis principio non Socrates, sed Meno, hoc est confidentia maxima adolescens, protenus quaerit, num virtus doceri possit necne.

Ὁποῖον καὶ ἐρωτᾷς —] Nimis hic affectata ista interrogandi forma: quae etsi in scriptis Platonis satis crebra est, ut per se reprehendenda non sit, tamen quamnam postulet cautionem, ne subrustica evadat, facile perspicies ex iis, quae de eius usu ad Euthydem. p. 271. A. exposuimus. Itaque hic quidem desideramus Platonicam urbanitatem et elegantiam. Ceterum τῶν νόμων, quod est in codd. quibusdam, nemo vulgatae temere praeferet, qui memineri, qua lege et condicione articulus post interrogativa pronomina inferatur. Hunc locum interpreteris sic: Qualis tandem ista lex est, de qua interrogas? Quid hac in re vel a doctissimis viris erratum sit, facile perspicies ex iis, quae scripsit A. Matthiae Gr. Gr. §. 265. 4. annot. Neque deerunt hodie qui Boeckhium mirentur olim Praef. ad Simon. Dial. p. VIII. sollicite aliud exemplum loquutionis ὁποῖον τὸν νόμον circumspexisse.

ΣΩ. Τί δέ; ἔστιν ὅ τι διαφέρει νόμος νόμου κατ' αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ νόμος εἶναι; σκόπει γὰρ δὴ ὃ τυγχάνω ἐρωτῶν σε. ἐρωτῶ γάρ, ὥςπερ εἰ ἀνηρόμην τί ἐστι χρυσός, εἴ με ὡσαύτως ἀνήρου ὁποῖον καὶ λέγω χρυσόν, οἶομαί σε οὐκ ἂν ὀρθῶς ἐρέσθαι. οὐδὲν γάρ που διαφέρει οὔτε χρυσὸς χρυσοῦ οὔτε λί-
B *θος λίθου κατά γε τὸ λίθος εἶναι καὶ κατὰ τὸ χρυσός. οὕτω δὲ οὐδὲ νόμος που νόμου οὐδὲν διαφέρει, ἀλλὰ πάντες εἰσὶ ταὐτόν. νόμος γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἐστὶν ὁμοίως, οὐχ ὁ μὲν μᾶλλον, ὁ δ' ἧττον. τοῦτο δὴ αὐτὸ ἐρωτῶ, τὸ πᾶν τί ἐστι νόμος. εἰ οὖν σοι πρόχειρον, εἰπέ.*

ΕΤ. Τί οὖν ἄλλο νόμος εἴη ἄν, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' ἢ τὰ νομιζόμενα;

ΕΤ. Ἦ καὶ λόγος σοι δοκεῖ εἶναι τὰ λεγόμενα;

ἔστιν ὅ τι διαφ.] V. τί δέ ἐστιν ὅ τι δ. quod emendavit Steph. Quaeritur enim non de re, qua lex a lege differat, sed an omnino alia ab alia differre existimanda sit.

κατ' αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ ν. ε.] V. κατὰ ταὐτὸ τ. invitis codd. praeter unum solum Angel. omnibus.

οἶομαί σε οὐκ ἂν ὀρθῶς ἐρέσθαι] V. οἶμαι, quod cum Bekkero ex Par. A. et Leid. in οἴομαι convertimus. Praeterea vett. editt. ἔρεσθαι, quod ex Par. K. emendatum.

B. πρόχειρον, εἰπέ] Sic Bas. 2. Leid. Flor. o. x. Par. K. pro vulg. εἰπεῖν. Imperativum firmant etiam codd. v. b. f. qui habent εἶπε. Ceterum fallitur Boeckhius Praef. ad Sim. p. X. sq. imperativum putans apud Platonem ibi tantum imperandi vim habere, ubi id ex quadam anacoluthia fieri queat, praesertim post futurum aut optativum, qui futuri locum teneat, et post ἐὰν δὲ cum coniunctivo.

κατ' αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ νόμος εἶναι] Contulit Boeckhius p. 30. cum his locum Philebi p. 12. E. καὶ γὰρ χρῶμα, ὦ δαιμόνιε, χρώματι κατά γε αὐτὸ τοῦτο οὐδὲν διοίσει, τὸ χρῶμα εἶναι τὸ πᾶν. In quibus etsi obscuriora sunt imitationis vestigia, tamen obscuriora certe extant. Sed nimirum quantopere in his concinnandis scriptor sese torserit, id quae sequuntur ostendunt luculentissime. Nonne enim misere balbutientis sunt ista: ἐρωτῶ γάρ, ὥςπερ εἰ ἀνηρόμην — ἐρέσθαι? Plato ipse, nisi fallor, omisso isto ἐρωτῶ γάρ, scripturus erat: ὥςπερ γὰρ ἂν εἰ ἀνηρόμην κ. τ. λ. Quanquam vel sic impeditior existit oratio neque commode locum habet importunum istud ὁποῖον καὶ λέγω.

B. νόμος γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἐστὶν ὁμοίως] Iunge: ἕκαστος γὰρ αὐτῶν ἐστὶν ὁμοίως νόμος, nam unaquaeque

ἢ ὄψις τὰ ὁρώμενα; ἢ ἀκοὴ τὰ ἀκουόμενα; ἢ ἄλλο μὲν λόγος, ἄλλο δὲ τὰ λεγόμενα· καὶ ἄλλο μὲν ὄψις, C ἄλλο δὲ τὰ ὁρώμενα; καὶ ἄλλο μὲν ἀκοή, ἄλλο δὲ τὰ ἀκουόμενα; καὶ ἄλλο δὴ νόμος, ἄλλο δὲ τὰ νομιζόμενα; οὕτως ἢ πῶς σοι δοκεῖ;

ET. Ἄλλο μοι νῦν ἐφάνη.

Cap. II. *ΣΩ.* Οὐκ ἄρα νόμος ἐστὶ τὰ νομιζόμενα.

ET. Οὔ μοι δοκεῖ.

ΣΩ. Τί δῆτ' ἂν εἴη νόμος; ἐπισκεψώμεθα αὐτὸ ὧδε. εἴ τις ἡμᾶς τὰ νῦν δὴ λεγόμενα ἀνήρετο, Ἐπειδὴ ὄψει φατὲ τὰ ὁρώμενα ὁρᾶσθαι, τίνι ὄντι τῇ ὄψει 314 ὁρᾶται; ἀπεκρινάμεθ' ἂν αὐτῷ, ὅτι αἰσθήσει ταύτῃ τῇ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν δηλούσῃ ἡμῖν τὰ χρώματα. εἰ δ' αὖ ἤρετο, Τί δέ; ἐπειδὴ ἀκοῇ τὰ ἀκουόμενα

C. *καὶ ἄλλο μὲν ὄψις — τὰ ὁρώμενα*] Absunt haec a Par. A. Pro vulg. *ἄλλα δὲ τὰ λ.* et *ἄλλα μὲν ἀκοή, ἄλλα δὲ τὰ ἀκ.* ex cod. Leid. ubique *ἄλλο* reposuimus, quod iam Steph. commendavit. Et postremo loco *ἄλλο δὲ τὰ ἀκουόμενα* firmat etiam Par. A.

Ἄλλο μοι νῦν ἐφάνη] Sic Par. A. et Leid. pro vulg. *Ἀλλ' ὅμοιον νῦν ἐφ.* quod recte emendavit Steph. Singularis scriptura est Par. K. *ἀλλ' οὐχ ὅμοιον.*

P. 314. *εἰ δ' αὖ ἤρετο*] V. *εἰ δ' αὖθις ἤρετο*, quod ex Par. A. Leid. Flor. o. x. aliis mutavimus.

Τί δέ; ἐπειδὴ ἀκοῇ —] V. reliquis praetermissis scribitur: *δὲ αὖθις ἀνήρετο, τίνι ὄντι τῇ ἀκοῇ τὰ ἀκουόμενα ἀκούεται, ἀπεκρινάμεθ' κ. τ. λ.* Explevimus locum praeeunte Bekkero ex Par. A. et Leid., ad quorum scripturam prope accedunt etiam reliqui, si discesseris a Ven. *Σ.* et Laur., qui item mutilum habent locum.

earum similiter lex est, neque alia magis, alia minus. Molestum in hac verborum collocatione accidit *αὐτῶν*. Quod si teneas, males nobiscum aut ordinem eum, quem modo significavimus, aut qualem videmus De Rep. VII. p. 523. C. *δάκτυλος μὲν αὐτῶν φαίνεται ὁμοίως ἕκαστος, καὶ ταύτῃ γε οὐδὲν διαφέρει.* At enimvero perplexa ista oratio hominis parum subtilis et eruditi ingenio digna est, qui dissimilia perversissime inter ipsa confudit.

Ἦ καὶ λόγος σοι δοκεῖ —] Mireris hic acumen hominis, qui dissimillima composuit tanquam similia, scilicet callida imitatione Socraticae inductionis artificium expressurus. Verum subtilitas dialectica in eo adeo desideratur, ut subinde paene ultro umbram eius sectari videatur.

C. *Τί δῆτ' ἂν εἴη νόμος; ἐπισκεψώμεθα αὐτὸ —*]

ἀκούεται, τίνι ὄντι τῇ ἀκοῇ, ἀπεκρινάμεθ' ἂν αὐτῷ, ὅτι αἰσθήσει ταύτῃ τῇ διὰ τῶν ὤτων δηλούσῃ ἡμῖν τὰς φωνάς. οὕτω τοίνυν καὶ εἰ ἀνέροιτο ἡμᾶς, Ἐπειδὴ νόμῳ τὰ νομιζόμενα νομίζεται, τίνι ὄντι τῷ νόμῳ νομίζεται; πότερον αἰσθήσει τινὶ ἢ δηλώσει, ὥσπερ
B *τὰ μανθανόμενα μανθάνεται δηλούσῃ τῇ ἐπιστήμῃ, ἢ εὑρέσει τινί, ὥσπερ τὰ εὑρισκόμενα εὑρίσκεται, οἷον τὰ μὲν ὑγιεινὰ καὶ νοσώδη ἰατρικῇ, ἃ δὲ οἱ θεοὶ διανοοῦνται, ὥς φασιν οἱ μάντεις, μαντικῇ; ἡ γάρ που τέχνη ἡμῖν εὕρεσίς ἐστι τῶν πραγμάτων. ἦ γάρ;*
ET. Πάνυ γε.

ὅτι αἰσθήσει ταύτῃ τῇ διὰ τῶν ὤτων —] V. *ταύτῃ* aberat, praeter auctoritatem codicum. Male in Ald. totus hic locus: *ὅτι αἰσθήσει* usque ad *ὤτων* omissus est, relicto spatio. Bas. 2. sic expletum praebet: *τῇ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ εἰ, τίνι τὰ ἀκουόμενα, τῇ διὰ τῶν ὤτων.* Melius rem gessit Steph. qui hic codd. videtur consuluisse.

τίνι ὄντι τῷ νόμῳ νομ.] *τῷ*, additum ex Par. AK. Leid. Flor. a. b. o. x. Ang. Laur. z. b. Vat., vulgo deerat.

B. *καὶ νοσώδη*] V. *καὶ τὰ νοσώδη.* Articulum om. Par. A. Leid. Sic in contrariis notionibus articulus non iteratur Charmid. p. 171. A. B. Lach. p. 195. C. al.

Sic Dialog. de Virt. p. 376. A. *ἆρα διδακτὸν ἡ ἀρετή, ἢ οὐ διδακτόν, ἀλλὰ φύσει οἱ ἀγαθοὶ γίγνονται ἄνδρες ἢ ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ; — ἀλλὰ ὧδε σκεψώμεθα αὐτό.* De Iust. p. 372. A sq. ubi totus qui sequitur locus huic est simillimus.

P. 314. *πότερον αἰσθήσει τινὶ ἢ δηλώσει* —] Ad *πότερον αἰσθήσει τινὶ ἢ δηλώσει* facile apparet ex antecedentibus repetendum esse *τῷ νόμῳ τὰ νομιζόμενα νομίζεται.* Idem dictum esto de proximis *ἢ εὑρέσει τινί.* Sed perquam absurde iam quaeritur, num lex sit *αἴσθησις* aliqua an *δήλωσις.* Neque enim ex antecedentibus consequitur, ut horum aliquid esse necessario existimanda sit. Nam et visus et auditus contineri iudicatur *αἰσθήσει τινὶ τὰ χρώματα ἢ τὰς φωνὰς δηλούσῃ*, nec vero *αἰσθήσει τινὶ ἢ δηλώσει αὐτῶν.* Miscet igitur homuncio atque conturbat rursus diversas notiones miserrime. Sed maior etiam perturbatio ex eo oritur, quod additur *ἢ εὑρέσει τινί*, quod iam tanquam tertium quiddam sine ulla caussa adiicitur. In hoc ipso vero quantum rursus ineptiarum cernitur! Perquam certe ridiculum est atque insulsum, quod vates dicuntur *εὑρίσκειν*, invenire, sibi videri, quid dii sentiant, siquidem *μαντικὴ* sit ars, ars vero *εὕρεσις τῶν πραγμάτων* videatur. Talia qui accurate rimantur, ii certe facile sibi persuadebunt, auctorem libelli non esse hominem aliquem in philosophorum doctrina cum laude versatum, sed potius ineptum hariolum iustae disciplinae rudem planeque expertem, qui scribendi negotium in-

Cap. III. *ΣΩ. Τί οὖν ἂν τούτων ὑπολάβοιμεν μάλιστα τὸν νόμον εἶναι;*

ΕΤ. Τὰ δόγματα ταῦτα καὶ ψηφίσματα, ἔμοιγε δοκεῖ. τί γὰρ ἂν ἄλλο τις φαίη νόμον εἶναι; ὥστε κινδυνεύει, ὃ σὺ ἐρωτᾷς, τὸ ὅλον τοῦτο, νόμος, δόγμα πόλεως εἶναι.

ΣΩ. Δόξαν, ὡς ἔοικε, λέγεις πολιτικὴν τὸν C *νόμον.*

ΕΤ. Ἔγωγε.

ΣΩ. Καὶ ἴσως καλῶς λέγεις· τάχα δὲ ὧδε ἄμεινον εἰσόμεθα. λέγεις τινὰς σοφούς;

οἱ μάντεις, μαντικῆ; ἡ γάρ ποῦ τέχνη] Vett. editt. pro *ἡ γάρ που τέχνη*, quod debetur Par. A. et Leid., scriptum habent *μαντικὴ γάρ που τέχνη*. Istud *μαντικῆ* omissum est in Ald. et codd. Ven. Ξ. Flor. o. x. Par. K. Angel. Laur. z. bc. Vat. Videlicet in his quoque scriptum *μαντικὴ γάρ που τ.*

B. *Τί οὖν ἂν τούτων ὑπολ.*] Vulgo haec sic distincta legebantur: Socr. *Τί οὖν ἂν τούτων — ψηφίσματα*; Am. *Ἔμοιγε δοκεῖ κ. τ. λ.* Recte libri Par. A. K. Ven. Ξ. Leid.

C. *ὧδε ἄμεινον εἰσόμεθα*] Sic Par. AK. Leid. Flor. a. c. o. x. Angel. Laur. z. bc. Vat. Vulgo *ὧδε* post *εἰσόμεθα* positum legitur, quod nec Bekkerus mutavit.

vita Minerva aggressus sit. Cuiusmodi homines non nostra demum aetas vidit, quae sane iis abundat, sed ipsa etiam Socratis et Platonis tempora extulerunt, quemadmodum ex Aristophane et Xenophonte intelligere licet.

B. *Τὰ δόγματα ταῦτα καὶ ψηφίσματα*] Responderi debebat: *τούτων μὲν οὐδέν, τὰ δόγματα δὲ ταῦτα καὶ ψηφίσματα.* Nam *ταῦτα* non pertinet ad praecedentia, sed significat nota illa, celebrata illa, quem usum pronominis alibi illustravimus. Certe haec aliam explicationem vix, opinor, habitura sunt. Iam vero ex hac interlocutoris responsione disserendi artifex protenus concludit, illi legem esse videri *δόξαν πολιτικήν*, scilicet ut infra p. 314. E. ostendat hanc definitionem legis esse falsam. Quid igitur? mirarisne hominis ingenium, qui ipse *δόγμα* atque *δόξαν* protenus idem esse ultro statuit, quum tamen paullo ante inter *ἀκοήν* et *ἀκουόμενα*, *νόμον* et *νομιζόμενα*, *κ. τ. λ.* multum discriminis intercedere recte iudicaverit? Nugas istas perstrinxit etiam Boeckhius p. 12.

C. *τάχα δὲ ὧδε ἄμεινον εἰσόμεθα*] Recte Schleiermacherus „Exscripta haec sunt ex Euthyphrone p. 9. E., ubi leguntur haec: *τάχ' ὦ 'γαθὲ βέλτιον εἰσόμεθα*; sed temere, siquidem hic desideratur quod ibi verbis vim pondusque suum attribuit." Praeterea recte iudicavit Boeckhius p. 38. ea, quae dehinc sequuntur, simillima esse illis Dialogi de lust. p. 375. C. inde ab *ὁ δέ γε ταῦτα* usque ad finem.

ΕΤ. Ἔγωγε.

ΣΩ. Οὐκοῦν οἱ σοφοὶ εἰσι σοφίᾳ σοφοί;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Τί δέ; οἱ δίκαιοι δικαιοσύνῃ δίκαιοι;

ΕΤ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ οἱ νόμιμοι νόμῳ νόμιμοι;

D ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Οἱ δὲ ἄνομοι ἀνομίᾳ ἄνομοι;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Οἱ δὲ νόμιμοι δίκαιοι;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Οἱ δὲ ἄνομοι ἄδικοι;

ΕΤ. Ἄδικοι.

ΣΩ. Οὐκοῦν κάλλιστον ἡ δικαιοσύνη τε καὶ ὁ νόμος;

ΕΤ. Οὕτως.

ΣΩ. Αἴσχιστον δὲ ἡ ἀδικία τε καὶ ἡ ἀνομία;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Καὶ τὸ μὲν σώζει τὰς πόλεις καὶ τἆλλα πάντα, τὸ δὲ ἀπόλλυσι καὶ ἀνατρέπει;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Ὡς περὶ καλοῦ ἄρα τινὸς ὄντος δεῖ τοῦ νόμου διανοεῖσθαι, καὶ ὡς ἀγαθὸν αὐτὸ ζητεῖν.

D. *Οἱ δὲ ἄνομοι — ἄνομοι*] V. bis *ἀνόμιμοι*, quod correctum ex Par. AK. Leid. Ang. Flor. x. et Laur. b. Idem vitium inde in proximis quoque sublatum.

ἡ ἀδικία τε καὶ ἡ ἀνομία] ἡ secundo loco accessit ex

Οὐκοῦν καὶ οἱ νόμιμοι νόμῳ νομ.] Delirat homo ineptissimus, rursus temere miscens quae sunt inter se longe dissimillima. Platonem quidem certe usquam ita statuisse prorsus negamus. Praeterea in proximis pro *ἄνομοι* scribebatur olim *ἀνόμιμοι*, quod A. Stephanus non debebat in Thesaurum suum T. II. p. 1030. E. referre. Nam etsi dignum fuerit hominis balbutientis omniaque misere perturbantis stoliditate, tamen quoniam barbarum est, ex codd. refingendum fuit. Vere enim Boeckhius p. 53. „Substantiva in ος desinentia, quae praefixo α privante faciunt negantia adiectiva, et mutato finali ος in terminationem in ιμος affirmantia, non faciunt privativa composita ex affirmante adiectivo in ιμος et littera α. Ita λό-

ΕΤ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Οὐκοῦν δόγμα ἔφαμεν εἶναι πόλεως τὸν νόμον;

ΕΤ. Ἔφαμεν γάρ. E

ΣΩ. Τί οὖν; οὐκ ἔστι τὰ μὲν χρηστὰ δόγματα, τὰ δὲ πονηρά;

ΕΤ. Ἔστι μὲν οὖν.

ΣΩ. Καὶ μὴν νόμος γε οὐκ ἦν πονηρός.

ΕΤ. Οὐ γάρ.

ΣΩ. Οὐκ ἄρα ὀρθῶς ἔχει ἀποκρίνεσθαι οὕτως ἁπλῶς, ὅτι νόμος ἐστὶ δόγμα πόλεως.

ΕΤ. Οὐκ ἔμοιγε δοκεῖ.

ΣΩ. Οὐκ ἄρα ἁρμόττοι ἂν τὸ πονηρὸν δόγμα νόμος εἶναι.

ΕΤ. Οὐ δῆτα.

Cap. IV. ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν δόξα γέ τις καὶ αὐτῷ μοι καταφαίνεται ὁ νόμος εἶναι. ἐπειδὴ δὲ οὐχ ἡ πονηρὰ δόξα, ἆρα οὐκ ἤδη τοῦτο κατάδηλον ὡς ἡ χρηστή, εἴπερ δόξα νόμος ἐστί;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Δόξα δὲ χρηστὴ τίς ἐστιν; οὐχ ἡ ἀληθής;

ΕΤ. Ναί.

Par. A. Leid. Ang. Laur. b. Flor. a. c. o. x. Sic enim antea: ἡ δικαιοσύνη τε καὶ ὁ νόμος, quibus haec respondent.

E. καὶ αὐτῷ μοι καταφαίνεται] V. αὐτό μοι, quod iam Stephanus vidit in αὐτῷ μοι mutari oportere. Et sic scriptum habent Par. AK. Ven. Z. Laur. Flor. a. o. x.

γος, ἄλογος; λόγιμος: μόρος, ἄμορος, μόριμος: τρόφος, ἄτροφος, τρόφιμος: γόνος, ἄγονος, γόνιμος; sed ἀλόγιμος, ἀμόριμος, κ. τ. λ. nusquam dicuntur."

D. Καὶ τὸ μὲν σώζει τὰς πόλεις —] Euthyphr. p. 14. B. καὶ σώζει τὰ τοιαῦτα τούς τε ἰδίους οἴκους καὶ τὰ κοινὰ τῶν πόλεων· τὰ δ' ἐναντία τῶν κεχαρισμένων ἀσεβῆ, ἃ δὴ καὶ ἀνατρέπει ἅπαντα καὶ ἀπόλλυται. Quae cum his contendit Boeckhius p. 26.

E. Οὐκ ἄρα ἁρμόττοι ἄν — εἶναι] Ἁρμόττειν sic cum infinitivo iunctum apud Platonem frustra quaesieris. Eodem tamen modo auctor Epist. VIII. p. 356. D. ἐν ᾗ βασιλέας ἁρμόττει γίγνεσθαι.

καὶ αὐτῷ μοι καταφ.] Hoc ex codd. restituendum fuit

315 ΣΩ. Οὐκοῦν ἡ ἀληθὴς δόξα τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις;

ΕΤ. Ἔστι γάρ.

ΣΩ. Ὁ νόμος ἄρα βούλεται τοῦ ὄντος εἶναι ἐξεύρεσις.

ΕΤ. Πῶς οὖν; ὦ Σώκρατες, εἰ ὁ νόμος τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις, οὐκ ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρώμεθα περὶ τῶν αὐτῶν, εἰ τὰ ὄντα γε ἡμῖν ἐξεύρηται;

ΣΩ. Βούλεται μὲν οὐδὲν ἧττον ὁ νόμος εἶναι τοῦ ὄντος ἐξεύρεσις· εἰ δ' ἄρα μὴ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ
B νόμοις χρῶνται ἄνθρωποι, ὡς δοκοῦμεν, οὐκ ἀεὶ δύ-

P. 315. Ὁ νόμος ἄρα βούλεται — εἶναι] Sic Par. AK. Leid. Angel. Laur. z. bc. Vat. Flor. a. c. o. x. Vulgo legebatur: Ὁ νόμος οὖν τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις.

τοῦ ὄντος ἐξεύρεσις] Sic Par. A. Vulgo εὕρεσις.

εἰ δ' ἄρα μὴ τοῖς αὐτοῖς] Sic Leid. Par. K. Ang. Laur. z. bc. Flor. a. c. o. x. pro vulg. οἱ δ' ἄρα μὴ τ. α. χρώμενον. Ficinus: Quodsi non iisdem, ut videtur, legibus homines utuntur.

ὡς δοκοῦμεν] δοκῶ Par. K.

B. νόμοις χρῶνται, ἄλλοι τε ἄλλοις] Sic Par. A Leid. pro vulg. νομ. χρ. οἵ τε ἄλλοι γε. Receptam lectionem con-

pro corrupto καὶ αὐτό μοι κ. conf. Phaedon. p. 153. D. Lachet. p. 180. C. ibique annot.

P. 315. τοῦ ὄντος ἐστὶν ἐξεύρεσις] Nec hoc Platonis doctrinae convenit, qui rectam opinionem profecto aliud quid esse censuit quam qualemcunque τοῦ ὄντος inventionem; quin ne inventionem quidem esse voluit. Sinistre igitur accepit hic noster, quae de ea re in Menone Platonis disputantur.

ὡς δοκοῦμεν, οὐκ ἀεὶ δ.] Istud ὡς δοκοῦμεν cum subsequente sententia, οὐκ ἀεὶ δύνανται κ. τ. λ., connectendum est. Sed vide, quam illud importune hic inculcatum sit. Quidni enim ὡς δοκῶ dixit, quum alter in eius sententiae communionem nondum pervenerit?

ἐνθένδε κατάδηλον γεν.] Nempe non hoc debuit homo ineptus demonstrare, alios homines atque populos aliis legibus uti, quod profecto nulla demonstratione egebat; illud potius ipsi ostendendum fuit, legem semper quidem ad τὸ ὄν spectare, sed hominum imbecillitate accidere, ut quod illi propositum sit, id non assequantur. At enim vero huius sententiae explicatio maiorem utique requirit subtilitatem, quam quae in illius cerebrum conveniat. Itaque neglectis iis, quorum expositionem flagitabat disputationis ratio, temere ad ea de-

νανται ἐξευρίσκειν ὃ βούλεται ὁ νόμος, τὸ ὄν. ἐπεὶ φέρε ἴδωμεν, ἐὰν ἄρα ἡμῖν ἐνθένδε κατάδηλον γένηται, εἴτε τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ νόμοις χρώμεθα ἢ ἄλλοτε ἄλλοις, καὶ εἰ ἅπαντες τοῖς αὐτοῖς ἢ ἄλλοι ἄλλοις.

Cap. V. *ΕΤ. Ἀλλὰ τοῦτό γε, ὦ Σώκρατες, οὐ χαλεπὸν γνῶναι, ὅτι οὔτε οἱ αὐτοὶ ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῶνται, ἄλλοι τε ἄλλοις· ἐπεὶ αὐτίκα ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον, Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν, ὡς ὅσιον ὂν καὶ* C *νόμιμον αὐτοῖς, καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν καὶ τοὺς αὐτῶν υἱεῖς τῷ Κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ σὺ ἀκήκοας. καὶ*

firmant etiam Ang. Laur. z. b. Flor. a. x. qui scriptum habent *νόμ. χρ. ἄλλοι γε.* In Flor. o. Vat. est *ἀλλ' ἄλλοι γε ἄλλοις.* Bas. 2. Ven. Ξ. *οὔτε ἄλλοι.* Corruptioni ansam dedit *τε* post *οὔτε* illatum, de quo v. ad Apol. p. 26. C. Symp. p. 223. C. Gorg. 501. A. 522. B. al.

C. *καὶ τοὺς αὐτῶν*] Accesserunt haec ex Par. A. et Leid.

καὶ σὺ ἀκήκοας] V. *καὶ ἀκήκοας.* Par. A. *σὺ ἀκήκοας*, omisso *καί.* Veram lectionem debemus Par. K. Laur. z. Flor. a. c. o. x. quae confirmatur etiam aliorum scriptura codicum *καὶ οὐκ ἀκήκοας.*

lapsus est, in quibus enarrandis doctrinae scilicet suae ubertatem et praestantiam iactare posset. Atque id sane tanto facilius est consequutus, quod *νόμον*, admisso rursus iudicii quodam errore, latiore sensu ita dixit, ut non tantum leges, sed etiam mores et instituta intelligi voluerit. Quod verbo notasse satis erit.

Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν —] De hac Carthaginensium superstitione exposuit Münterus in libro: Die Religion der Karthager, Havniae, 1816. p. 23 sqq. conf. etiam Creuzerus Symbol. Vol. II. p. 270 sq. ed. 1820. Praeterea cum Boeckhio conferas Diod. Sic. XX, 14. ibique Wesseling. Suid. s. v. *Σαρδάνιος γέλως.* Plutarch. De superstit. p. 171. C. Porphyr. De Abstinent. II, 56. Intpp. ad Iustin. XVIII, 7. ad Plin. H. N. XXX, 1. ad Augustin. De Civit. Dei VII, 19. Ceterum hiulcus hic sermo atque asper neminem non offendet. Nam moleste abundat *αὐτοῖς* post *νόμιμον*, et elumbis oratio in his est: *καὶ ταῦτα ἔνιοι — τῷ Κρόνῳ*, et quidem nonnulli eorum suos ipsorum filios immolant Saturno. In postremis Boeckhius Praefat. ad Simon. Socr. p. XVI. *Κρόνῳ* abesse malebat. Sed v. Buttmann. Berliner Abhandl. der Academ. a. 1814. p. 174.

μὴ ὅτι βάρβαροι ἄνθρωποι ἡμῶν ἄλλοις νόμοις χρῶνται, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν τῇ Λυκαίᾳ οὗτοι καὶ οἱ τοῦ Ἀθάμαντος ἔγγονοι οἵας θυσίας θύουσιν Ἕλληνες ὄντες! ὥσπερ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς οἶσθά που καὶ αὐτὸς ἀκούων, οἷοις νόμοις ἐχρώμεθα πρὸ τοῦ περὶ τοὺς ἀποθανόντας, ἱερεῖά τε προσφάττοντες πρὸ τῆς ἐκ-
D *φορᾶς τοῦ νεκροῦ καὶ ἐγχυτριστρίας μεταπεμπόμενοι· οἱ δ' αὖ ἐκείνων ἔτι πρότεροι αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ τοὺς ἀποθανόντας· ἡμεῖς δὲ τούτων οὐδὲν ποιοῦμεν. μυρία δ' ἄν τις ἔχοι τοιαῦτα εἰπεῖν· πολλὴ γὰρ εὐρυχωρία τῆς ἀποδείξεως, ὡς οὔτε ἡμεῖς ἡμῖν αὐτοῖς ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ νομίζομεν οὔτε ἀλλήλοις οἱ ἄνθρωποι.*

ἐν τῇ Λυκαίᾳ] Sic liquido scriptum in Par. A. Laur. b. Ang. *Λοκαίᾳ* Leid. Pessime vulgo *Λυκίᾳ*.

D. *ἐγχυτριστρίας μεταπ.*] Leid. Par. AK. Ang. Laur. z. b. Vat. Flor. a. c. x. *ἐγχυτιστρίας*. Ven. Ξ. Laur. c. *ἐγχυτριστίας*. *ἐκείνων ἔτι πρότεροι*] *ἔτι* om. Steph. invitis codd.

Οὐδέν τοι θαυμαστόν] V. *Οὐδέν τι*, quod ex Par. A. Leid. Flor. x. Ang. Laur. b. emendatum.

C. *οἱ ἐν τῇ Λυκαίᾳ οὗτοι*] noti illi in Arcadiae oppido, cui nomen Lycaea est, sacrorum antistites. Prave vulgo *ἐν Λυκίᾳ*, quod ex vestigiis codd. emendavit Boeckhius p. 55. consentiente Creuzero Symbolic. Vol. II. p. 139. Stephan. Byzant. *Λύκαια, πόλις Ἀρκαδίας*. De victimis humanis ibi Iovi immolari solitis ipse Plato Reip. VIII. p. 565. D. nonnulla narravit, quem locum sapiens noster videtur ob oculos habuisse.

ἱερεῖά τε προσφάττοντες —] Non de victimis humanis non cogitandum esse, res ipsa docet. Intelliguntur potius sacra funebria alius generis ante *ἐκφοράν* facta. *Ἐγχυτριστρίας* autem Schol. ad h. l. Schol. Arist. Vesp. v. 288. Suid. Etym. M. Phavorin. communi consensione interpretantur mulieres libamina fundentes. Quibus adversatur Boeckhius p. 57. intelligens mulieres ossilegium procurantes. Quorum utrum verum sit, vix decernas. Illud vero satis certo constat, Solonem in ritibus funebribus multa mutavisse, eoque scriptorem respicere existimari oportere. v. Cicer. Legg. II, 23. Demosthen. in Macartat. p. 1071. qui legem Solonis memorat, Plutarch. Vit. Solon. c. 12. et 21.

D. *αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ*] Istud *αὐτοῦ* per audacem synesin refertur ad *πρὸ τῆς ἐκφορᾶς*, neque a quoquam intelligeretur, nisi per epexegesin subiectum esset *ἐν τῇ οἰκίᾳ*. Talem orationem vereor ut alibi apud Platonem usquam reperire liceat. Memorabilis autem hic locus ideo est, quia quae hic

ΣΩ. Οὐδέν τοι θαυμαστόν ἐστιν, ὦ βέλτιστε, εἰ σὺ μὲν ὀρθῶς λέγεις, ἐμὲ δέ τοῦτο λέληθεν. ἀλλ' ἕως ἂν σύ τε κατὰ σαυτὸν λέγῃς ἃ σοι δοκεῖ μακρῷ λόγῳ καὶ πάλιν ἐγώ, οὐδὲν μή ποτε ξυμβῶμεν, ὡς ἐγὼ οἶμαι· ἐὰν δὲ κοινὰν τεθῇ τὸ σκέμμα, τάχ' ἂν ὁμολογήσαιμεν. εἰ μὲν οὖν βούλει, πυνθανόμενός τι παρ' ἐμοῦ κοινῇ μετ' ἐμοῦ σκόπει· εἰ δ' αὖ βούλει, ἀποκρινόμενος. E

ET. Ἀλλ' ἐθέλω, ὦ Σώκρατες, ἀποκρίνεσθαι ὅ τι ἂν βούλῃ.

Cap. VI. ΣΩ. Φέρε δὴ σὺ πότερα νομίζεις τὰ δίκαια ἄδικα εἶναι καὶ τὰ ἄδικα δίκαια, ἢ τὰ μὲν δίκαια δίκαια, τὰ δὲ ἄδικα ἄδικα;

E. ὡς ἐγὼ οἶμαι] V. ἔγωγ', invitis Par. A. Leid. Ang. Laur. b.

πυνθανόμενός τι παρ' ἐμοῦ] Sic Par. AK. Ang. Laur. b. Flor. a. x. Vett. editt. πυθόμενος.

πότερα νομίζεις] Sic Par. A. Leid. pro vulg. πότερον.

τὰ δὲ ἄδικα] Sic Par. A. Angel. Laur. b. Legebatur καὶ τὰ ἄδικα.

de sepultura mortuorum olim in privatorum aedibus facta perscripta leguntur, ea nusquam alibi memoriae prodita sunt. Nec tamen dubitandum, quin scriptor antiquioribus huius narrationis fontibus usus sit. Mores et instituta Atheniensium, quae posterioribus viguerunt temporibus, eleganter descripsit Beckerus in Charicle, opere accuratae doctrinae plenissimo. Vol. II. p. 188 sqq.

εὐρυχωρία τῆς ἀποδείξεως] Dictio haec non est Platonica.

Οὐδέν τοι θαυμαστόν — μετ' ἐμοῦ σκόπει] En stolidam Platonici Socratis modestiam et urbanitatem, qui quum antea ipse alios aliis legibus uti monuerit, nunc ultro talia se latuisse confitetur, scilicet protenus tantas orationis ambages deprecaturus, atque communem rei disquisitionem postulaturus. At nimirum perversa imitatione haec expressa sunt ex Gorgia, Protagora, aliis libris Platonis, ubi Socrates urbanissime ridet sophistarum μακρολογίαν. v. Protagor. p. 334. E sqq. Gorg. p. 449. C. Quorum locorum elegantiam homuncio iste non assequutus temere contaminavit, quae longe sunt venustissima. Praeterea compara Protagor. p. 347. E. 348. A. et pravae imitationis argumenta habebis certissima.

E. Φέρε δὴ σὺ πότερα νομ.] Male vulgo post δή commate interpungitur, de quo prudenter admonuit Boeckhius p. 58. qui contendit Erast. p. 136. E. φέρε δὴ σὺ, ἦν δ' ἐγώ, εἰ τύχοις — πότερον ὑγιαίνειν βουλόμενος κ. τ. λ. Gorg. p. 451. D. ἴθι δὴ καὶ αὖ ὦ Γοργία. Alcibiad. I. p. 108. C. ἴθι καὶ σύ.

ET. Ἐγὼ μέν τά τε δίκαια δίκαια καὶ τὰ ἄδικα ἄδικα.

316 *ΣΩ.* Οὐκοῦν καὶ παρὰ πᾶσιν οὕτως, ὡς ἐνθάδε, νομίζεται;

ET. Ναί.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ ἐν Πέρσαις;

ET. Καὶ ἐν Πέρσαις.

ΣΩ. Ἀλλ' ἀεὶ δήπου;

ET. Ἀεί.

ΣΩ. Πότερον δὲ τὰ πλεῖον ἕλκοντα βαρύτερα νομίζεται ἐνθάδε, τὰ δὲ ἔλαττον κουφότερα, ἢ τοὐναντίον;

ET. Οὔκ, ἀλλὰ τὰ πλεῖον ἕλκοντα βαρύτερα, τὰ δὲ ἔλαττον κουφότερα.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ ἐν Καρχηδόνι καὶ ἐν Λυκαίᾳ; *ET.* Ναί.

ΣΩ. Τὰ μὲν καλά, ὡς ἔοικε, πανταχοῦ νομίζε-

P. 316. *Οὐκοῦν καὶ ἐν Πέρσαις*] *καὶ ἐν Πέρσαις* semel om. Par. AK. Ven. Ξ. Ang. Laur. z. bc. Vat. Florr. omnes, in quibus scriptum: *οὐκοῦν καὶ ἐν Πέρσαις καὶ ἀεὶ δήπου.*

Πότερον δὲ τὰ πλεῖον —] *δὲ* additum ex Par. A. Praeterea pro vulg. *πλείονα* hic et paullo post ex Par. AK. Leid. *πλεῖον* restitutum, quod Stephanus vidit ob seq. *ἔλαττον* restitui oportere.

καὶ ἐν Λυκαίᾳ] Sic Par. A. pro vulg. *Λυκίᾳ*. Leid. hic quoque *Δοκαίᾳ*, unde verum eruit Boeckhius.

P. 316. *Πότερον δὲ τὰ πλεῖον ἕλκοντα*] Quam ineptus sit ac parum elegans huius exempli delectus, vix indigebit levi admonitione.

Οὐκοῦν, ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν — ἅπασιν] Menon. p. 88. A. *οὐκοῦν οὕτω δὴ κατὰ πάντων εἰπεῖν ἔστιν.* Politic. p. 275. E. Soph. p. 232. C. al. Vult autem sibi hoc: Itaque, ut universe dicam, omnia id esse iudicantur quod sunt; non vero, quod non sunt. Itaque qui ab eo aberrat, quod vere est, ab legitimo aberrat. Quod quam perplexe expressum sit, nemo est quin ipse videat. Recte enim Boeckhius p. 16. iudicavit melius dictum fore sic: *οὐκοῦν, ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν, ἓν ἕκαστον τοῦτο νομίζεται εἶναι ὅ ἐστιν, οὐχ ὃ μὴ ἐστίν*; Unde deinceps colligi debuisse: *ὃς ἂν ἄρα τούτου ἁμαρτάνῃ, ὅ ἐστι τὸ νόμιμον, τοῦ νομίμου ἁμαρτάνει.* At nimirum orta ista orationis conformatio est ex paralogismo, qualem homo insipiens tam saepe admisit, ut paene videatur ratione insanire voluisse.

C. *ἄνω κάτω μεταθέμενοι* —] Recte dicitur *ἄνω*

ται καλὰ καὶ τὰ αἰσχρὰ αἰσχρά, ἀλλ' οὐ τὰ αἰσχρὰ B
καλὰ οὐδὲ τὰ καλὰ αἰσχρά.

ΕΤ. Οὕτως.

ΣΩ. Οὐκοῦν, ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν, τὰ ὄντα νομίζεται εἶναι, οὐ τὰ μὴ ὄντα, καὶ παρ' ἡμῖν καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν.

ΕΤ. Ἔμοιγε δοκεῖ.

ΣΩ. Ὃς ἂν ἄρα τοῦ ὄντος ἁμαρτάνῃ, τοῦ νομίμου ἁμαρτάνει.

Cap. VII. *ΕΤ. Οὕτω μέν, ὦ Σώκρατες, ὡς σὺ λέγεις, ταὐτὰ φαίνεται νόμιμα καὶ ἡμῖν ἀεὶ καὶ τοῖς ἄλλοις· ἐπειδὰν δ' ἐννοήσω, ὅτι οὐδὲν παυόμεθα ἄνω κάτω μετατιθέμενοι τοὺς νόμους, οὐ δύ-* C
ναμαι πεισθῆναι.

ΣΩ. Ἴσως γὰρ οὐκ ἐννοεῖς ταῦτα μεταπεττευόμενα ὅτι ταὐτά ἐστιν. ἀλλ' ὧδε μετ' ἐμοῦ αὐτὰ ἄθρει. ἤδη ποτὲ ἐνέτυχες ξυγγράμματι περὶ ὑγιείας τῶν καμνόντων;

B. *ὡς κατὰ πάντων εἰπεῖν*] V. *πάντα*, quod ex Par. A. et Leid. emendatum.

τοῦ ὄντος ἁμαρτάνῃ] Sic nunc ex Par. A. et Leid. scripsi pro vulg. *ἁμάρτῃ*. Multi codd. soloece *ἁμάρτοι*. Praesens optime convenit proximo *ἁμαρτάνει*.

ταὐτὰ φαίνεται νόμιμα] Libri *ταῦτα*, quod correxit Boeckhius. Par. A. *καὶ φαίνεται ταῦτα*. Alii *καὶ νόμμα*.

κάτω, vel *ἄνω καὶ κάτω*, *μεταβάλλειν* et *μεταβάλλεσθαι*, *ἄνω κάτω μεταστρέφεσθαι*, *ἄνω κάτω ταράττεσθαι*, *ἄνω κάτω φέρεσθαι* et *γίγνεσθαι*. Quorum omnium nihil est quod non optimorum scriptorum auctoritate confirmari queat. Sed *ἄνω κάτω μετατίθεσθαι* habet nescio quid insulsi et subabsurdi. Nam *μετατίθεσθαι* dicuntur, qui deliberato consilio vel calculum aliter ponunt, vel quae antea statuerunt retractant atque corrigunt. Quod si ita est, notio verborum *ἄνω κάτω*, in quibus temeritatis atque fortuiti casus inest significatio, adversatur plurimum verbi notioni. Itaque etiam hanc loquutionem in iis numerandam censemus, quae scriptoris inscitiam certissime arguunt. At bellam istam metaphoram homo insulsus noluit dimittere, ne scilicet orationi suae flosculus aliquis deperiret. Quin eam adeo tenaciter amplexatus est, ut eandem statim post denuo inculcaverit.

C. *ξυγγράμματι περὶ ὑγιείας τῶν καμνόντων*] Fieri potest ut *τινὶ* post *ξυγγράμματι* exciderit, quod desiderabat Boeckhius p. 17. et

ET. Ἔγωγε.

ΣΩ. Οἶσθα οὖν, τίνος τέχνης τοῦτό ἐστι τὸ σύγγραμμα;

ET. Οἶδα ὅτι ἰατρικῆς.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἰατροὺς καλεῖς τοὺς ἐπιστήμονας περὶ τούτων;

ET. Φημί.

D *ΣΩ.* Πότερον οὖν οἱ ἐπιστήμονες ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν νομίζουσιν ἢ ἄλλοι ἄλλα;

ET. Ταὐτὰ ἔμοιγε δοκοῦσιν.

ΣΩ. Πότερον οἱ Ἕλληνες μόνοι τοῖς Ἕλλησιν ἢ καὶ οἱ βάρβαροι αὐτοῖς τε καὶ τοῖς Ἕλλησι, περὶ ὧν ἂν εἰδῶσι, ταὐτὰ νομίζουσι;

ET. Ταὐτὰ δήπου πολλὴ ἀνάγκη ἐστὶ τοὺς εἰδότας αὐτοὺς αὐτοῖς συννομίζειν καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους.

ΣΩ. Καλῶς γε ἀπεκρίνω, οὐκοῦν καὶ ἀεί;

ET. Ναὶ καὶ ἀεί.

Cap. VIII. *ΣΩ.* Οὐκοῦν καὶ οἱ ἰατροὶ συγγράφουσι περὶ ὑγιείας ἅπερ καὶ νομίζουσιν εἶναι;

ET. Ναί,

D. ἢ ἄλλοι ἄλλα] V. ἢ ἄλλα ἄλλοι, quod ex Par. AK. Leid. Flor. a. o. x. mutatum.

Οὐκοῦν καὶ οἱ ἰατροὶ] οἱ additum ex cod. Leid. Mox pro vulg. Τί μήν; Par. AK. Leid. Flor. a. c. o. x. Ang. Laur. bc. Vat. Ναί suppeditarunt.

E. καὶ τὰ γεωργικὰ συγγρ.] Sic Par. AK. Leid. Ang. Laur. b. Vat. Flor. a. x. pro vulg. καὶ τὰ γεωμετρικὰ — et pro γεωμετρικοὶ νόμοι,

Praef. ad Simon. Socrat. p. XIX. collatis locis Sympos. p. 177. B. Legg. I. p. 637. A. Protag. p. 309. C. Theaet. p. 144. E. Sed fieri etiam potest, ut pronomen per scriptoris inscitiam omissum sit. Cuius quae fuerit in fingendo Graeco sermone diligentia et subtilitas, statim istud περὶ ὑγιείας τῶν καμνόντων unumquemque edocere potest. Nam ὑγιεία et ὑγιαίνειν quum a nullo dicatur nisi de sanitate et prospera valetudine, tamen hic ὑγιεία τῶν καμνόντων legitur. Nimirum ξύγγραμμα περὶ ὑγιείας τῶν καμνόντων nostro est liber, qui est de *restituenda* aegrotis sanitate. Itaque rursus loquitur perplexe: debebat enim

ΣΩ. Ἰατρικὰ ἄρα καὶ ἰατρικοὶ νόμοι ταῦτα τὰ E
συγγράμματα ἐστὶ τὰ τῶν ἰατρῶν;

ΕΤ. Ἰατρικὰ μέντοι.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν καὶ τὰ γεωργικὰ συγγράμματα γεωργικοὶ νόμοι εἰσί;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Τίνων οὖν ἐστὶ τὰ περὶ κήπων ἐργασίας συγγράμματα καὶ νόμιμα;

ΕΤ. Κηπουρῶν.

ΣΩ. Κηπουρικοὶ ἄρα νόμοι ἡμῖν εἰσὶν οὗτοι;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Τῶν ἐπισταμένων κήπων ἄρχειν;

ΕΤ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Ἐπίστανται δ' οἱ κηπουροί.

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Τίνων δὲ τὰ περὶ ὄψου σκευασίας συγγράμματά τε καὶ νόμιμα;

ΕΤ. Μαγείρων.

ΣΩ. Μαγειρικοὶ ἄρα νόμοι εἰσί;

ΕΤ. Μαγειρικοί.

ΣΩ. Τῶν ἐπισταμένων, ὡς ἔοικεν, ὄψου σκευασίας ἄρχειν;

Κηπουρῶν] V. *Κηπωρῶν*, invitis Par. A. Leid. Ang. Laur. b. Flor. x. et edit. Bas. 2. Formae discrepantia eadem est apud Polluc. VII. 140. ubi v. intpp.

Κηπουρικοὶ ἄρα νόμοι ἡμῖν] V. *οἱ νόμοι*; sed recte *οἱ* om. Par. A. Leid. Pronomen *ἡμῖν* additum ex Par. AK, Leid, Ang. Flor. a. c. o. x. Laur. z. b. Vat.

Μαγειρικοὶ ἄρα νόμοι εἰσί] *οὗτοι* vulgo post *ἄρα* insertum cum Par. A. et Leid. omisimus.

dicere *περὶ θεραπείας τῶν καμνόντων*.

D. *Ταὐτὰ δήπου — αὐτοὺς αὑτοῖς συννομ.*] „Scribendum fuisse *αὐτοὺς τε αὑτοῖς καὶ ἀλλήλοις* (imo *αὐτοὺς αὑτοῖς τε καὶ ἀλλήλοις*) et orationis series ac sententia ostendit, et Alcibiad. I. p. 111. C. *οὐκοῦν εἰς μὲν ταῦτα, ὥςπερ εἴπομεν, ἀλλήλοις τε ὁμολογοῦσι καὶ αὐτοὶ αὑτοῖς ἰδίᾳ*. E. *τί δὲ δὴ νῦν; περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων ἀνθρώπων καὶ πραγμάτων οἱ πολλοὶ δοκοῦσί σοι ὁμολογεῖν αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἢ ἀλλήλοις.*“ *Boeckh.*

E. *Κηπουρικοὶ ἄρα νόμοι ἡμῖν εἰσὶν οὗτοι*] Ratio argumentationis postulabat: *κηπουρικοὶ ἄρα νόμοι ἡμῖν εἰσὶν*

317 *ET.* *Ναί.*

ΣΩ. *Ἐπίστανται δ', ὥς φασιν, οἱ μάγειροι;*

ET. *Ἐπίστανται γάρ.*

ΣΩ. *Εἶεν. τίνων δὲ δὴ τὰ περὶ πόλεως διοικήσεως συγγράμματά τε καὶ νόμιμά ἐστιν; ἆρ' οὐ τῶν ἐπισταμένων πόλεων ἄρχειν;*

ET. *Ἔμοιγε δοκεῖ.*

ΣΩ. *Ἐπίστανται δὲ ἄλλοι τινὲς ἢ οἱ πολιτικοί τε καὶ οἱ βασιλικοί;*

ET. *Οὗτοι μὲν οὖν.*

Cap. IX. *ΣΩ.* *Πολιτικὰ ἄρα ταῦτα συγγράμματά ἐστιν, οὓς οἱ ἄνθρωποι νόμους καλοῦσι, βασιλέων τε καὶ ἀνδρῶν ἀγαθῶν συγγράμματα.*

B *ET.* *Ἀληθῆ λέγεις.*

ΣΩ. *Ἄλλο τι οὖν; οἵ γε ἐπιστάμενοι οὐκ ἄλλοτε ἄλλα συγγράψουσι περὶ τῶν αὐτῶν;*

ET. *Οὔ.*

ΣΩ. *Οὐδὲ μεταθήσονταί ποτε περὶ τῶν αὐτῶν ἕτερα καὶ ἕτερα νόμιμα;*

ET. *Οὐ δῆτα.*

ΣΩ. *Ἐὰν οὖν ὁρῶμέν τινας ὁπουοῦν τοῦτο*

P. 317. *πόλεων ἄρχειν*] V. *ἄρχειν πόλεων*, quod unus tuetur Ven. Ξ.

ἢ οἱ πολιτικοί τε καὶ οἱ β.] *τε* accessit nuper ex Par. A.

Πολιτικὰ ἄρα ταῦτα συγγράμματά ἐστιν] Sic Par. A. Leid. Ceteri cum editt. vett. *πολ. ἄρα τὰ συγγράμματα ταῦτά ἐστι.* Dein vulgo: *ἃ οἱ ἄνθρωποι καλοῦσι.* Recte *νόμους* addit Par. A. et *οὕς* scribit cum Ang. Vat. b. Flor. x.

ταῦτα. Mox notabis etiam dictionem *κήπων ἄρχειν*, hortis praeesse, et *ὄψου σκευασίας ἄρχειν*, opsoniis condiendis praeesse. Qua quidem ineptus tenebrio usus est, quia mox dicendum fuit *πόλεων ἄρχειν.*

P. 317. *Ἐπίστανται δ', ὥς φασιν, οἱ μάγειροι*] Pannus iste, *ὥς φασιν*, ob praegressum *ὡς ἔοικεν* concinnitatis scilicet gratia assutus, quantum habeat ineptiarum, quis est quin vel sine admonitione sentiat? Stolidissime enim in tali caussa ad vulgare hominum iudicium provocatur.

οἱ πολιτικοί τε καὶ οἱ βασιλικοί] Hic unde repente *οἱ βασιλικοί* emergant, ex argumentationis ratione nemo intelligat. Enimvero adiunxit hos *τοῖς*

ποιοῦντας, πότερα φήσομεν ἐπιστήμονας εἶναι ἢ ἀνεπιστήμονας τοὺς τοῦτο ποιοῦντας;

ΕΤ. Ἀνεπιστήμονας.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ ὃ μὲν ἂν ὀρθὸν ᾖ, νόμιμον αὐτὸ φήσομεν ἑκάστῳ εἶναι, ἢ τὸ ἰατρικὸν ἢ τὸ μαγειρικὸν ἢ τὸ κηπουρικόν;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Ὃ δ' ἂν μὴ ὀρθὸν ᾖ, οὐκέτι φήσομεν τοῦτο νόμιμον εἶναι; C

ΕΤ. Οὐκέτι.

ΣΩ. Ἄνομον ἄρα γίγνεται.

ΕΤ. Ἀνάγκη.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ ἐν τοῖς συγγράμμασι τοῖς περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ ὅλως περὶ πόλεως διακοσμήσεώς τε καὶ περὶ τοῦ ὡς χρὴ πόλιν διοικεῖν, τὸ μὲν ὀρθὸν νόμος ἐστὶ βασιλικός, τὸ δὲ μὴ ὀρθὸν οὔ, ὃ δοκεῖ νόμος εἶναι τοῖς μὴ εἰδόσιν· ἔστι γὰρ ἄνομον.

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Ὀρθῶς ἄρα ὡμολογήσαμεν νόμον εἶναι τοῦ ὄντος εὕρεσιν.

B. ἄλλοτε ἄλλα συγγράψουσι] V. συγγράφουσι. Futurum praebuit Par. A.

B. Οὔ. ΣΩ. Οὐδὲ μεταθήσονται — περὶ τῶν αὐτῶν] Haec verba ob ὁμοιοτέλευτον temere vulgo neglecta nuper demum ex Par. A. et Leid. redierunt.

ὁπουοῦν τοῦτο ποιοῦντας] ὁπονοῦν, quod habet Par. A. Leid., quodque Ang. Laur. z. b. in ὁποιοῦν commutarunt, vulgo desiderabatur.

C. ὃ δοκεῖ νόμος εἶναι] ὃ additum nuper ex Par. A.

πολιτικοῖς scriptor prave imitatus germanum Platonem, qui idoneas ob caussas utrosque iunxit in Politic. p. 267. C. ubi admonetur, βασιλικὸν ταὐτὸν κληθὲν καὶ πολιτικόν. Ibid. p. 266. E. 259. C. D. 274. E. Euthydem. p. 291. C. Ita etiam Boeckhio p. 28. visum, sicuti laeti animadvertimus.

Πολιτικὰ ἄρα ταῦτα συγγράμματα —] De hoc legum nomine v. Phaedr. p. 258. A. 278. C. et 277. D. Ceterum male hic ἐστὶν collocatum est, quod rectius sedem suam ante βασιλέων aut post ἀγαθῶν συγγράμματα habiturum esset. Sed omnino haec balbutientis oratio est.

C. εἶναι τοῦ ὄντος εὕρεσιν] Rursus ineptit, legem

D *ET.* *Φαίνεται.*

Cap. X. *ΣΩ.* *Ἔτι δὲ καὶ τόδε ἐν αὐτῷ θεασώμεθα. τίς ἐπιστήμων διανεῖμαι ἐπὶ γῇ τὰ σπέρματα;*

ET. *Γεωργός.*

ΣΩ. *Οὗτος δὲ τὰ ἄξια σπέρματα ἑκάστῃ γῇ διανέμει;*

ET. *Ναί.*

ΣΩ. *Ὁ γεωργὸς ἄρα νομεὺς ἀγαθὸς τούτων, καὶ οἱ τούτου νόμοι καὶ αἱ διανομαὶ ἐπὶ ταῦτα ὀρθαί εἰσί;*

ET. *Ναί.*

ΣΩ. *Τίς δὲ κρουμάτων ἐπὶ τὰ μέλη ἀγαθὸς νομεύς, καὶ τὰ ἄξια νεῖμαι; καὶ οἱ τίνος νόμοι ὀρθοί εἰσιν;*

E *ET.* *Οἱ τοῦ αὐλητοῦ καὶ τοῦ κιθαριστοῦ.*

ΣΩ. *Ὁ νομικώτατος ἄρα ἐν τούτοις, οὗτος αὐλητικώτατος.*

ET. *Ναί.*

D. *ἐπὶ γῇ τὰ σπέρματα*] V. *ἐπὶ τῇ γῇ.* Sed Par. A. Leid. cum Stob. Serm. XLII. p. 278. *ἐπὶ γῇ*, sine articulo; idque confirmant etiam Angel. Laur. z. b. Vat. Flor. a, o. x. qui scriptum habent *ἐπείγει.*

καὶ αἱ διανομαὶ] Articulum *αἱ* inserui ex Par. K. Ang. Laur. z. b. Vat. Flor. a. o. x. Mox Par. K. *κρουμάτων τῶν ἐπὶ τὰ μέλη.* non male.

καὶ τὰ ἄξια νεῖμαι] Correxit Boecklius *νέμει.* Non opus;

dicens *τοῦ ὄντος εὕρεσιν.* Nempe ipsae leges recte ab aliis iudicantur *εὑρήματα ἀγαθῶν νομοθετῶν.* v. Boeckh. l. c. p. 13.

Ἔτι δὲ καὶ τόδε ἐν αὐτῷ θ.] De universo hoc, qui sequitur, loco nolumus censuram agere. Satis erit verbo monuisse, rei exempla, quae afferuntur, nihil habere nec Socratici nec Platonici, ut hic fatuum declamatorem potius quam subtilem philosophum audire nobis videamur. Quod iudicium nostrum qui accurate expenderint, ii non vereor ne vanum illud aut iniustum habituri sint. Addemus tamen de singulis quibusdam verbis nostrum suffragium, ne nimis infinite loquuti videamur.

Ὁ γεωργὸς ἄρα νομεὺς ἀγαθὸς] Vide quam cupide homo sectetur originationum lusum. Nam *γεωργὸν* nunc dicit bonum *νομέα*, h. e, dispensatorem, ut inde colligat *τοὺς νόμους* eius bonos rectosque esse. Simili modo in proximis *νόμον* sic dicit, ut simul de nomis musicis cogitari voluerit. v.

ΣΩ. Τίς δὲ τὴν τροφὴν ἐπὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα διανεῖμαι ἄριστος; οὐχ ὅσπερ τὴν ἀξίαν;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Αἱ τούτου ἄρα διανομαὶ καὶ οἱ νόμοι βέλτιστοι· καὶ ὅστις περὶ ταῦτα νομικώτατος, καὶ νομεὺς ἄριστος.

ΕΤ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Τίς οὗτος;

ΕΤ. Παιδοτρίβης.

ΣΩ. Οὗτος τὴν ἀνθρωπείαν ἀγέλην τοῦ σώμα- 318
τος νέμειν κράτιστος;

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Τίς δὲ τὴν τῶν προβάτων ἀγέλην κράτιστος νέμειν; τί ὄνομα αὐτῷ;

ΕΤ. Ποιμήν.

ΣΩ. Οἱ τοῦ ποιμένος ἄρα νόμοι ἄριστοι τοῖς προβάτοις.

ΕΤ. Ναί.

ΣΩ. Οἱ δὲ τοῦ βουκόλου τοῖς βουσί.

nam pendet infinitivus ex ἀγαθός. Dein vulgo καὶ ἔτινες, invitis codd. omnibus. Statim post vett. editt. καὶ οἱ τοῦ κιθαριστοῦ; sed recte Par. A. οἱ istud omittit.

E. Τίς δὲ τὴν τροφὴν —] V. δή. Sed Leid. Par. K. Ang. Laur. b. Flor. x. δέ. In Par. A. δαὶ legitur.

P. 318. Τίς δὲ τὴν τῶν πρ.] V. Τίς δὲ ὁ τὴν τ. πρ. Articulum om. Par. AK. Leid. Ang. Laur. z. b. Vat. Flor. a. c. o. x. Stob. l. c.

Legg. IV. p. 700. B. 722. D. VII. 799. E. Aliis modis idem lusus deinceps repetitur, ut paene ad nauseam usque recurrat.

E. Ὁ νομικώτατος ἄρα — οὗτος αὐλητικώτατος] Recta ratio flagitabat: ὁ αὐλικώτατος ἄρα καὶ ὁ κιθαρώτατος, οὗτοι ἐν τούτοις νομικώτατοι, ut vere iudicat Boeckhius p. 13. Sed huic homini solemnes fere tales errores sunt, quippe cui dialectica noverca obtigit.

P. 318. Οὗτος τὴν ἀνθρωπείαν ἀγέλην τοῦ σώματος —] Perquam ridicula unicuique accidet ista ἀνθρωπεία ἀγέλη τοῦ σώματος, grex corporis humanus. Nam gregem hominum quidem novimus; corporum autem, nedum corporis gregem nemo unquam dixit, nisi si quis cum nostro homine turpiter deliraverit aut potius insaniverit. Et tamen locum in pulcras Eclogas suas retulit Stobaeus Ethic. XLII. p. 278.

ET. Ναί.

ΣΩ. Οἱ δὲ τοῦ τίνος νόμοι ἄριστοι ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων; οὐχ οἱ τοῦ βασιλέως; φάθι.

ET. Φημὶ δή.

B Cap. XI. *ΣΩ. Καλῶς τοίνυν λέγεις. ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν, τίς τῶν παλαιῶν ἀγαθὸς γέγονεν ἐν τοῖς αὐλητικοῖς νόμοις νομοθέτης; ἴσως οὐκ ἐννοεῖς, ἀλλ' ἐγὼ βούλει σε ὑπομνήσω;*

ET. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ὁ Μαρσύας λέγεται καὶ τὰ παιδικὰ αὐτοῦ Ὄλυμπος ὁ Φρύξ;

ET. Ἀληθῆ λέγεις.

ΣΩ. Τούτων δὴ καὶ τὰ αὐλήματα θειότατά ἐστι, καὶ μόνα κινεῖ καὶ ἐκφαίνει τοὺς τῶν θεῶν ἐν χρείᾳ ὄντας· καὶ ἔτι καὶ νῦν μόνα λοιπὰ ὡς θεῖα ὄντα.

ET. Ἔστι ταῦτα.

C *ΣΩ. Τίς δὲ λέγεται τῶν παλαιῶν βασιλέων ἀγαθὸς νομοθέτης γεγονέναι, οὗ ἔτι καὶ νῦν τὰ νόμιμα μένει ὡς θεῖα ὄντα;*

ET. Οὐκ ἐννοῶ.

B. *γέγονεν ἐν τοῖς αὐλ.*] *ἐν* om. Par. Leid.
καὶ ἐκφαίνει τοὺς] Sic Par. A. pro vulg. *ἐμφαίνει.*
μόνα λοιπὰ ὡς θεῖα ὄντα] Insertum vulgo post *λοιπα* verbum *ἐστιν* omisimus cum Par. A. et Leid.

Οἱ δὲ τοῦ τίνος νόμοι ἄριστοι —] In his *οἱ* ante *τοῦ βασιλέως*, quod vulgo aberrat, recte ex codd. et Stobaeo restitutum est. Sic etiam antea dicebatur *οἱ τοῦ αὐλητοῦ καὶ οἱ τοῦ κιθαριστοῦ* etc.

B. *Ἆρ' οὖν ὁ Μαρσύας λέγεται —*] Sympos. p. 215. C. *ὁ μέν γε (Μαρσύας) δι' ὀργάνων ἐκήλει τοὺς ἀνθρώπους τῇ ἀπὸ τοῦ στόματος δυνάμει, καὶ ἔτι καὶ νυνὶ ὅς ἂν τὰ ἐκείνου αὐλῇ. ἃ γὰρ Ὄλυμπος ἤυλει, Μαρσύου λέγω τούτου διδάξαντος. τὰ οὖν ἐκείνου ἐάν τε ἀγαθὸς αὐλήτης αὐλῇ, ἐάν τε φαύλη αὐλητρίς, μόνα* (eximie) *κατέχεσθαι ποιεῖ, καὶ δηλοῖ τοὺς τῶν θεῶν τε καὶ τελετῶν δεομένους, διὰ τὸ θεῖα εἶναι.* unde hunc locum compilatum esse cum Boeckhio p. 25. statuimus. Idem vir doctus: „Olympi harmonias, inquit, etiam recentiore aetate superstites fuisse passim tradunt. v. Aristoph. Equitt. v. 9. et Schol. ib. Eurip. Iphig. T. v. 576. Aristot. Polit. VIII. 5. p. 524. Plutarch. de Music. p. 1133. C sqq. coll. p. 1143. B. Neque enim

ΣΩ. Οὐκ οἶσθα, τίνες παλαιοτάτοις νόμοις χρῶνται τῶν Ἑλλήνων;

ΕΤ. Ἆρα Λακεδαιμονίους λέγεις καὶ Λυκοῦργον τὸν νομοθέτην;

ΣΩ. Ἀλλὰ ταῦτά γε οὐδέπω ἴσως ἔτη τριακόσια ἢ ὀλίγῳ τούτων πλείω. ἀλλὰ τούτων τῶν νομίμων τὰ βέλτιστα πόθεν ἦκει; οἶσθα;

ΕΤ. Φασί γ' ἐκ Κρήτης. D

ΣΩ. Οὐκοῦν οὗτοι παλαιοτάτοις νόμοις χρῶνται τῶν Ἑλλήνων;

ΕΤ. Ναί.

Cap. XII. ΣΩ. Οἶσθα οὖν, τίνες τούτων ἀγαθοὶ βασιλεῖς ἦσαν; Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς, οἱ Διὸς καὶ Εὐρώπης παῖδες, ὧν οἵδε εἰσὶν οἱ νόμοι.

ΕΤ. Ῥαθάμανθύν γέ φασιν, ὦ Σώκρατες, δίκαιον ἄνδρα, τὸν δὲ Μίνων ἄγριόν τινα καὶ χαλεπὸν καὶ ἄδικον.

ΣΩ. Ἀττικόν, ὦ βέλτιστε, λέγεις μῦθον καὶ τραγικόν.

ΕΤ. Τί δαί; οὐ ταῦτα λέγεται περὶ Μίνω; E

D. *τὸν δὲ Μίνων*] Sic Par. A. Leid. pro vulg. *Μίνω. καὶ τραγικόν. ΕΤ. Τί δαί*] V. *οὐ ταῦτα δέ τι λέγεται*, quod correctum nunc ex Par. A. Leid. Boeckhius dedit *δ' ἔτι*.

alia sunt quam notae illae Phrygiae, *ἐνθουσιασμὸν* procreantes v. Aristot. l. c. coll. p. 526. 7. p. 537 sqq. Procl. in Polit. p. 366. conf. Burett. ad Plutarch. de Mus. in Mem. Acad. Inscript. T. XI. p. 44 sqq. Amstel." — Pro *τοὺς θεῶν ἐν χορείᾳ ὄντας* Cornarius scribendum putabat *τοὺς θεῶν ἐν χορείᾳ ὄντας*. Sed sic dixit homo noster, quos Plato ipse vocavit *τοὺς τῶν θεῶν τε καὶ τελετῶν δεομένους*.

D. *Οὐκοῦν οὗτοι παλαιοτάτοις ν. χρ.*] Ex *Κρήτης* hic intelligendum esse Cretenses, per se apparet. Nec rara haec synesis.

Ῥαθάμανθύν γέ φασιν, ὦ Σωκρ.] Rursus loquitur perplexe. Dicere volebat hoc: *Ἀλλὰ μόνον γε τὸν Ῥαθάμανθύν φασι δίκαιον ἄνδρα γεγονέναι, κ. τ. λ.* Infra p. 320. B. eandem rem commemorans Rhadamanthum non tam regem quam regis Minois ministrum fuisse narrat, ut ipse quodammodo secum pugnare existimandus sit.

Ἀττικόν — καὶ τραγικόν] Mendacium hoc esse dicit

ΣΩ. Οὔκουν ὑπό γε Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου· καί τοί γε πιθανώτεροί εἰσιν ἢ σύμπαντες οἱ τραγῳδοποιοί, ὧν σὺ ἀκούων ταῦτα λέγεις.

ΕΤ. Ἀλλὰ τί μὴν οὗτοι περὶ Μίνω λέγουσιν;

ΣΩ. Ἐγὼ δή σοι ἐρῶ, ἵνα μὴ καὶ σύ, ὥςπερ οἱ πολλοί, ἀσεβῇς. οὐ γὰρ ἔσθ' ὅ τι τούτου ἀσεβέστερόν ἐστιν οὐδ' ὅ τι χρὴ μᾶλλον εὐλαβεῖσθαι, πλὴν εἰς θεοὺς καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐξαμαρτάνειν, δεύτερον δὲ εἰς τοὺς θείους ἀνθρώπους. ἀλλὰ πάνυ πολλὴν χρὴ προμήθειαν ποιεῖσθαι ἀεί, ὅταν μέλλῃς
319 ἄνδρα ψέξειν ἢ ἐπαινέσεσθαι, μὴ οὐκ ὀρθῶς εἴπῃς. τούτου καὶ ἕνεκα χρὴ μανθάνειν διαγιγνώσκειν χρη-

E. *Οὔκουν ὑπό γε Ὁμήρου*] Libri *τε* excepto Leid.

τραγῳδοποιοί] Par. A. Leid. Laur. c. Flor. a. c. *τραγῳδιοποιοί*, de qua scripturae discrepantia alibi diximus.

οὐδ' ὅ τι χρὴ μᾶλλον εὐλ.] Sic Par. A. Leid. Vulgo *οὐδ' οὕτω χρὴ μ. εὐλ.*

ἄνδρα ψέξειν] Sic Par. AK. Leid. Ang. Laur. z. b. Flor. a. x. Vett. editt. *ψέξαι*. Eaedem *ἐπαινέσαι*, quod in *ἐπαινέσεσθαι* cum Par. A. Leid. Ang. Laur. z. b. Flor. a. x. commutavimus. Par. K. habet *ἐπαινέσειν*.

οὗτος ὁ ἀγαθός] Articulus *ὁ*, ex Par. A. et Leid. restitutus, olim deerat. Boeckhius pro *οὗτος* de coniectura dedit *ὅμοιος*, quoniam esse debuerit *ἔστι δ' ἐκεῖνος*: neque enim haec, ut apud Latinos, commutari. Sed erravit hac in re vir egregius manifesto. Nam *οὗτος* etiam a Graecis ad remotius referri docebunt quae

Atheniensium maximeque tragicorum poëtarum. Boeckhio indice p. 14. respiciuntur Sophoclis Minos ac Daedalus (v. Schol. Plat. p. 145. ed. Ruhnk.) Euripidis Cretenses, Rhadamanthus ac Thraeus (v. Plutarch. Thes. p. 6. D.) et aliae fortasse istius argumenti fabulae.

E. *Οὔκουν ὑπό γε Ὁμήρου* —] Homerum et Hesiodum negat talia de Minoe tradidisse. Sed imprudens ipse p. 321. A. vera esse largitur, quae de formoso illo iuvenum ac puellarum rectigali narrabantur. Quod num iustitiae et clementiae regiae argumentum esse putabimus? Nec sine caussa Homerus Odyss. λ. v. 321. Minoem appellat *ὀλοόφρονα*, quod aut ignoravit homo doctissimus aut callide dissimulavit.

πλὴν εἰς θεοὺς καὶ λόγῳ —] Eurip. Heraclid. v. 233. *ἅπαντα γὰρ ταῦτ' ἐστὶ κρείσσων, πλὴν ὑπ' Ἀργείοις πεσεῖν*. Sed *πλήν* ita positum illustrarunt dudum Schaeferus ad Demosthen. Apparat. Vol. III. p. 462. et Matthiae Gramm. §. 455. a.

εἰς τοὺς θείους ἀνθρώπους — ἱερώτατόν ἐστιν ἄνθρωπος] Plato Legg. VI. p. 765. E sqq. *ἄνθρωπος δέ, ὡς φαμεν, ἥμερον, ὅμως δὲ παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχὸν καὶ φύσεως εὐταχοῦς θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι φι-

στοὺς καὶ πονηροὺς ἄνδρας. νεμεσᾷ γὰρ ὁ θεὸς ὅταν τις ψέγῃ τὸν ἑαυτῷ ὅμοιον ἢ ἐπαινῇ τὸν ἑαυτῷ ἐναντίως ἔχοντα· ἔστι δ' οὗτος ὁ ἀγαθός. μὴ γάρ τοι οἷον λίθους μὲν εἶναι ἱεροὺς καὶ ξύλα καὶ ὄρνεα καὶ ὄφεις, ἀνθρώπους δὲ μή· ἀλλὰ πάντων τούτων ἱερώτατόν ἐστιν ἄνθρωπος ὁ ἀγαθός, καὶ μιαρώτατον ὁ πονηρός. Cap. XIII. ἤδη οὖν καὶ περὶ Μίνω, ὡς αὐτὸν Ὅμηρός τε καὶ Ἡσίοδος ἐγκωμιάζουσι, τούτου ἕνεκα φράσω, ἵνα μὴ ἄνθρωπος ὢν ἀνθρώπου εἰς ἥρω Διὸς υἱὸν λόγῳ ἐξαμαρτάνῃς. Ὅμηρος γὰρ περὶ Κρήτης λέγων, ὅτι πολλοὶ ἄνθρωποι ἐν αὐτῇ εἰσὶ καὶ ἐνενήκοντα πόλεις, B

notavit Schaeferus ad Demosth. Appar. Vol. I. p. 541. coll. 663. et Vol. V. p. 322. Nimirum fieri id solet ea conditione, si res per οὗτος indicata primaria est ideoque cogitanti veluti propior.

P. 319. ἀλλὰ πάντων τούτων ἱερ.] τούτων ex Par. A. cum Bekkero addidi.

ἄνθρωπος ὁ ἀγαθός] ὁ additum ex Par. A. Leid. olim decrat.

περὶ Μίνω, ὡς αὐτὸν] Sic Par. AK. Leid. Vitiose vulgo περὶ Μίνωος αὐτὸν κ. τ. λ.

B. τούτου ἕνεκα φράσω] V. τούτου δ' ἕνεκα φράσω, invitis codd. omnibus.

ἐν αὐτῇ εἰσὶ] Sic Par. A. pro vulg. εἰσὶν ἐν αὐτῇ. Dein Κνωσσὸς Par. AK. Ang. Flor. o. x. Alii Κνωσσός cum libris ceteris. Pro τῇσι vett. editt. τοῖσι, invitis codd. Pro vulgato ἐννενήκοντα,

λεῖ, μὴ ἱκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφὲν ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ. ὧν ἕνεκα οὐ δεύτερον οὐδὲ πάρεργον δεῖ τὴν παίδων τροφὴν τὸν νομοθέτην ἐᾶν γίγνεσθαι κ. τ. λ. Aristotel. Polit. I, 2. ὥσπερ γὰρ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων κ. τ. λ. Hanc Platonis sententiam quum alii repetierunt, de quibus v. Gataker. Adversar. Miscell. p. 616. F. G., tum expresserunt etiam Iamblich. Adhortat. ad philosoph. c. 9. p. 141. ed. Kiessl. et Synesius De calvit. c. 5. p. 9. ed. Krabinger. Noster illam detorsit eo, ut inde bonis viris maximam deberi reverentiam probare conatus sit. Sed neminem fugiet, quantopere haec omnia inanis rhetoricae calamistris exornaverit.

P. 319. B. ἵνα μὴ ἄνθρωπος ὢν ἀνθρώπου] Hoc dicit: ut ne, quum homo sis et ex homine prognatus, in heroem Iovis filium pecces. In quibus quum alia sunt quae displiceant, tum istud ὢν ἀνθρώπου, sc. υἱός, a Platonis loquendi consuetudine multum abhorret. Plato enim dicturus erat ἄνθρωπος ὢν καὶ ἐξ ἀνθρώπου.

Ὅμηρος γὰρ περὶ Κρήτης λέγων —] Locus Homeri est Odyss. XIX. v. 174 sqq. Ce-

τῇσι δέ, φησίν, ἔνι Κνωσσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

C *ἔστιν οὖν τοῦτο Ὁμήρου ἐγκώμιον εἰς Μίνων διὰ βραχέων εἰρημένον, οἷον οὐδ' εἰς ἕνα τῶν ἡρώων ἐποίησεν Ὅμηρος. ὅτι μὲν γὰρ ὁ Ζεὺς σοφιστής ἐστι*

quod falso scribi docebunt Buttmannus Gramm. amplior. Vol. I. p. 283. ann. Bekker. et Poppo ad Thucyd. I, 46., recte Par. A. Angel. Laur. z. b. Vat. *ἐνενήκοντα*, litera *ν̄* non geminata, idque reponendum esse Bekkerus monuit in Commentariis criticis.

C. *εἰς Μίνων*] Hanc formam hic et ubique deinceps praebuit Par. A. cum Leid. et Florr. Vett. editt. *Μίνω*.

terum observabis inficetam istam nominis proprii repetitionem sine ulla caussa et ratione factam. Nisi forte alterutrum delendum. Veruntamen similiter p. 319. D. *τὸ γὰρ Διὸς ὄντα παῖδα μόνον ὑπὸ Διὸς πεπαιδεῦσθαι οὐκ ἔχει ὑπερβολὴν ἐπαίνου.* et statim post, *ὅτι μὲν γὰρ ὁ Ζεὺς σοφιστής ἐστι καὶ ἡ τέχνη αὕτη παγκάλη ἐστίν.* Itaque haec cum Boeckhio p. 20. utique scriptoris stupori relinquenda.

C. *ὅτι μὲν γὰρ ὁ Ζεὺς σοφιστής ἐστι*] Minoem fuisse Iovis *ὀαριστήν* ex eo probat, quod Iupiter sit sophista. Quo commento nihil est absurdius. Enimvero meminerat bonus homo Platonem Amorem, Orcum, Proteum, heroas, inter sophistas numerare, sicuti fit Sympos. p. 203. D. Cratyl. p. 403. E. p. 398. D. Euthydem. p. 288. E. sed pro stupore suo non vidit philosophum id ludibundum ita facere. Itaque protenus serio Iovem nobis sophistam finxit cum Minoe more modoque sophistico, opinor, confabulantem. Bella hercle summi dei haec imago est atque digna inficeti nebulonis cerebro. Notavit rem et explosit etiam Boeckhius p. 29 sq. sicuti consentaneum fuit.

συγγίγνεσθαι ἐνάτῳ ἔτει] Coniunxit igitur scriptor *ἐννέωρος* cum *ὀαριστής*. Atque id fecit ipsius exemplo Platonis Legg. I. p. 624. A. qui interpretatur *δι' ἐννάτου ἔτους*. Prave autem hoc interpretati sunt, qui cum Davisio ad Maxim. Tyr. p. 630. ad Tusculan. II, 13. et Boeckhio p. 60. reddiderunt per novem annos. Id enim nec *ἐννάτῳ ἔτει* nec *δι' ἐννάτου ἔτους* significat. Imo Plato non eorum sequutus rationem est, qui Minoem putarunt per novennium Iovis familiaritate usum esse, sed accessit illorum sententiae, qui eum nono quoque anno — id enim *δι' ἐννάτου ἔτους* significare demonstrarunt Fischerus ad Wellerum T. III. P. 2. p. 168. Matthiae Gramm. p. 1150. Hermann. ad Viger. p. 584. — igitur illorum suffragatus sententiae est, qui Minoem voluerunt nono quoque anno Iovis consilia secreta confabulatione accepisse. Sic etiam Valerius Max. I, 2. Minos, Cretensium rex, nono quoque anno in quoddam praealtum et vetusta religione consecratum specus secedere solebat, et in eo commoratus tan-

καὶ ἡ τέχνη αὕτη παγκάλη ἐστί, πολλαχοῦ καὶ ἄλλοθι δηλοῖ, ἀτὰρ καὶ ἐνταῦθα. λέγει γὰρ τὸν Μίνων συγγίγνεσθαι ἐνάτῳ ἔτει τῷ Διὶ ἐν λόγοις καὶ φοιτᾶν παιδευθησόμενον ὡς ὑπὸ σοφιστοῦ ὄντος τοῦ Διός. ὅτι οὖν τοῦτο τὸ γέρας οὐκ ἔστιν ὅτῳ ἀπένειμεν Ὅμηρος τῶν ἡρώων, ὑπὸ Διὸς πεπαιδεῦσθαι, ἄλλῳ ἢ Μίνῳ, τοῦτ' ἔστιν ἔπαινος θαυμαστός. καὶ D

παγκάλη ἐστὶ] Sic Par. AK. Leid. pro vulg. παγκάλης, quod vocabulum nihili est.

συγγίγνεσθαι ἐνάτῳ ἔτει] Vett. editt. συγγενέσθαι, quod mutatum est nuper ex Par. A. Leid. Flor. a. c. o. x.

ἄλλῳ ἢ Μίνῳ] V. ἄλλῳ ἢ μόνῳ, quod iam Stephanus vidit

quam a Iove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges praerogabat. Conf. Neumann. Rerum Creticarum Specim. p. 56. Ea vero ratio idonea sane caussa et ratione nititur, siquidem ex Doriensium institutis ac moribus facillime declarari potest. Multa enim in veteri Graecia maximeque inter Dorienses instituta atque religiones magni anni spatio definiebantur, sive octaeride, qui octennio et tribus fere mensibus constabat. De qua re copiose exposuerunt *Scaliger.* De emendat. temporum libr. I. p. 51 sqq. ed. 2. ann. 1729. *Dodwell.* De vet. Gr. et Rom. cycl. V, 3. *Müller.* De Doriens. Vol. I. p. 331 sqq. II. p. 100 sq. *Hoeckius* De Creta insula Vol. I. p. 247 sqq. Quocirca Minois imperium nono quoque anno confirmatum denuo atque religiosis ceremoniis consecratum videtur. Ex quo fama orta, eum nono quoque anno Iovis consiliis usum esse. Atque id rectissime vocabulo ἐννέωρος significatum est, de cuius origine varia nuganturgrammatici. v. Schol. ad Iliad. XVIII, 351. Odyss. X, 390. XI, 310. XIX, 178. Etym. M. Apollon. Soph. in v. Ἐννέωρος. At enim hi, quid rei esset, minus sane fuissent dubitaturi, si quid ὥρα significet et quem usum habeat, diligentius animadvertissent. Est autem ὥρα nostro iudicio omnino definita quaedam temporis pars, quae exactis certis quibusdam intervallis ordine perpetuo in orbem redit. Quocirca dicitur et de anni tempestatibus et de vitae humanae aetatibus et de diei noctisque particulis et de aliis temporum spatiis, certo quodam ordine sese perpetuo deinceps excipientibus. Qui usus quum satis testatus sit, ecquis est quin lubenter largiatur, ὥραν etiam appellari potuisse tempus illud quoque octennio absoluto semper recurrens, quo regnum denuo religione ac ceremoniis consecrandum fuerit? Itaque nos quidem ab ὥρα factum putamus ἐνιαύσιος, quod rem aptissime denotat, neque dubitandum, quaenam sit huius vocabuli vis ac significatio. Ceterum homo noster ἐννάτῳ ἔτει dixit minus accurate pro Platonico δι' ἐννάτου ἔτους, quo mox ipse utitur.

ἄλλῳ ἢ Μίνῳ] Cohaerent inter se haec: οὐκ ἔστιν ὅτῳ ἄλλῳ ἀπένειμεν ἢ Μίνῳ. Sic mox p. 320. A.

Ὀδυσσείας ἐν Νεκυίᾳ δικάζοντα χρυσοῦν σκῆπτρον ἔχοντα πεποίηκε τὸν Μίνων, οὐ τὸν Ῥαδάμανθυν· Ῥαθάμανθυν δὲ οὔτ' ἐνταῦθα δικάζοντα πεποίηκεν οὔτε συγγιγνόμενον τῷ Διὶ οὐδαμοῦ. διὰ ταῦτά φημ' ἐγὼ Μίνων ἁπάντων μάλιστα ὑπὸ Ὁμήρου ἐγκεκωμιάσθαι. τὸ γὰρ Διὸς ὄντα παῖδα μόνον ὑπὸ Διὸς πεπαιδεῦσθαι οὐκ ἔχει ὑπερβολὴν ἐπαίνου. Cap. XIV. *τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ἔπος, τὸ*

ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής,

E *συνουσιαστὴν τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Μίνων. οἱ γὰρ ὅαροι λόγοι εἰσί, καὶ ὀαριστὴς συνουσιαστής ἐστιν ἐν λόγοις. ἐφοίτα οὖν δι' ἐνάτου ἔτους εἰς τὸ τοῦ Διὸς ἄντρον ὁ Μίνως, τὰ μὲν μαθησόμενος, τὰ δὲ ἀποδειξόμενος, ἃ τῇ προτέρᾳ ἐννετηρίδι μεμαθήκει παρὰ τοῦ Διός. εἰσὶ δὲ οἳ ὑπολαμβάνουσι τὸν ὀαριστὴν συμπότην καὶ συμπαιστὴν εἶναι τοῦ Διός· ἀλλὰ τῷδε ἄν τις τεκμηρίῳ χρῷτο, ὅτι οὐδὲν λέγουσιν οἱ οὕ-*

320 *τως ὑπολαμβάνοντες. πολλῶν γὰρ ὄντων ἀνθρώπων καὶ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, οὐκ ἔστιν οἵτινες ἀπέ-*

corrigendum esse in *ἢ Μίνῳ*. Atque id habent codd. mss. nisi fallor omnes.

D. *Ῥαθάμανθυν δὲ*] Alterum hoc *Ῥαθάμανθυν*, quod olim desiderabatur, nuper ex Par. A. et Leidens. restitutum est. *δικάζοντα πεποίηκεν*] Sic Par. A. Vulgo *πεποίηκε δικάζειν*. *ἁπάντων μάλιστα*] Sic Par. A. Leid. pro vulg. *πάντων μ.* *ἐγκεκωμιάσθαι*] Vett. editt. cum Ven. Ξ. *ἐγκωμιάζεσθαι*.

E. *τῇ προτέρᾳ ἐννετηρίδι*] Par. A. Leid. *προτεραίᾳ*. Dein vulgo *ἐνναετηρίδι*. Par. A. pr. m. Ven. Ξ. Laur. z. b. Vat. Flor. x. *ἐννετηρίδι*, quod dedit Bekkerus. Nos vero nunc ex Angel. restituimus Atticum *ἐννετηρίδι*, quod etiam Boeckhio placuit.

D. *δικάζοντα χρυσοῦν σκῆπτρον —*] Gorg. p. 526. C. *ἑκάτερος δὲ τούτων ῥάβδον ἔχων δικάζει· ὁ δὲ Μίνως ἐπισκοπῶν κάθηται μόνος ἔχων χρυσοῦν σκῆπτρον, ὥς φησιν Ὀδυσσεὺς ὁ Ὁμήρου ἰδεῖν αὐτὸν χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσιν.* ubi v. annot. Locus Homeri est Odyss. XI. v. 568. 569.

οὐκ ἔχει ὑπερβολὴν ἐπαίνου] nulla laude superari potest, dictum ut *οὐκ ἔχειν αἰτίαν*, non posse accusari, et similia.

P. 320. *ἐνόμιζε μὲν ἕτερα, ἐποίει δὲ ἄλλα*] Sic *ἕτερον* et *ἄλλο* non raro apud Platonem usurpari promiscue, docebunt quae ad Sophist. p. 224. D. commentati sumus. Mox *ὥςπερ ἐγὼ λέγω* est ut ego arbitror. Sin autem omisso pro-

χονται συμποσίων καὶ ταύτης τῆς παιδιᾶς οὗ ἔστιν οἶνος, ἄλλοι ἢ Κρῆτες καὶ Λακεδαιμόνιοι δεύτεροι, μαθόντες παρὰ Κρητῶν. ἐν Κρήτῃ δὲ εἷς οὗτός ἐστι τῶν ἄλλων νόμων, οὓς Μίνως ἔθηκε, μὴ συμπίνειν ἀλλήλοις εἰς μέθην. καίτοι δῆλον, ὅτι ἃ ἐνόμιζε καλὰ εἶναι, ταῦτα νόμιμα ἔθηκε καὶ τοῖς αὑτοῦ πολίταις. οὐ γάρ που, ὥςπερ γε φαῦλος ἄνθρωπος, ὁ B Μίνως ἐνόμιζε μὲν ἕτερα, ἐποίει δὲ ἄλλα παρ' ἃ ἐνόμιζεν· ἀλλ' ἦν αὕτη ἡ συνουσία, ὥςπερ ἐγὼ λέγω, διὰ λόγων ἐπὶ παιδείᾳ εἰς ἀρετήν. ὅθεν δὴ καὶ τοὺς νόμους τούτους ἔθηκε τοῖς αὑτοῦ πολίταις, δι' οὓς ἥ τε Κρήτη τὸν πάντα χρόνον εὐδαιμονεῖ καὶ Λακεδαίμων, ἀφ' οὗ ἤρξατο τούτοις χρῆσθαι, ἅτε θείοις οὖσι. Cap. XV. Ῥαδάμανθυς δὲ ἀγαθὸς μὲν ἦν ἀνήρ· ἐπεπαίδευτο γὰρ ὑπὸ τοῦ Μίνω· ἐπεπαίδευτο μέντοι οὐχ ὅλην τὴν βασιλικὴν τέχνην, ἀλλ' ὑπηρεσίαν τῇ βασιλικῇ, ὅσον ἐπιστατεῖν ἐν τοῖς δικαστηρίοις. ὅθεν καὶ δικαστὴς ἀγαθὸς ἐλέχθη εἶναι. νομοφύλακι γὰρ αὐτῷ ἐχρῆτο ὁ Μίνως κατὰ τὸ ἄστυ, τὰ C

μεμαθήκει παρὰ τοῦ Διός] μεμαθήκει vulgo om., ut factum in plerisque codd. Sed Par. A. ἐμεμαθήκει. Par. K. Angel. Flor. o. x. Laur. z. b. Vat. habent μεμάθηκε, unde sponte prodit neglecto augmento μεμαθήκει, idque unice tenendum. Boeckhius malebat μεμάθηκη.

P. 320. B. ὥςπερ ἐγὼ λέγω] ἐγὼ ex Par. A. Leid. additum. v. annot. Dein Florentini cum Ven. Ξ. Angel. Laur. x. b c. Vat. ἐπὶ παιδείας, ut Bas. 2. male.

C. ἀλλ' ὑπηρεσίαν τῇ βασιλικῇ] Male vulgo ὑπηρεσίᾳ. Vitium ex Par. A. Leid. Flor. a. c. o. x. Ang. Laurr. Vat. sublatum.

nomine scribitur ὥςπερ λέγω, respicitur ad superiora estque nostrum wie gesagt. Posterius praefert Boeckhius Praefat. ad Sim. Socr. p. XXIV. quia Minois ac Iovis conventus fuisse διὰ λόγων ἐπὶ παιδείᾳ εἰς ἀρετήν satis iam cap. 13. significatum sit. De verbis ἦν ἡ συνουσία διὰ λόγων v. ad Sympos. p. 176. D. ubi est διὰ λόγων ἀλλήλοις συνεῖναι.

C. ἀλλ' ὑπηρεσίαν τῇ βασιλικῇ —] Ducta haec sunt ex loco Politici p. 304. A sqq. ubi ars imperatoria, iudiciaria, et oratoria nihil esse dicitur nisi perfectae artis regiae quasi famula quaedam et administra. Perverse autem scriptor noster ὑπηρεσίαν dixit pro ὑπηρετικήν, scilicet ut variaret quod apud ipsum Platonem scriptum est

δὲ κατὰ τὴν ἄλλην Κρήτην τῷ Τάλῳ. ὁ γὰρ Τάλως τρὶς περιήει τοῦ ἐνιαυτοῦ κατὰ τὰς κώμας, φυλάττων τοὺς νόμους ἐν αὐταῖς, ἐν χαλκοῖς γραμματείοις ἔχων γεγραμμένους τοὺς νόμους, ὅθεν χαλκοῦς ἐκλήθη. Εἴρηκε δὲ καὶ Ἡσίοδος ἀδελφὰ τούτων εἰς τὸν Μί-
D νων. μνησθεὶς γὰρ αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος φησὶν ὃς βασιλεύτατος γένετο θνητῶν βασιλήων,

καὶ πλείστων ἤνασσε περικτιόνων ἀνθρώπων,

Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον· τῷ καὶ πολέων βασίλευε.

καὶ οὗτος λέγει τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον οὐδὲν ἄλλο ἢ τὴν παιδείαν τὴν τοῦ Διός, ᾗ εὐθύνε τὴν Κρήτην.

Cap. XVI. *ET.* Διὰ τί οὖν ποτέ, ὦ Σώκρα-

D. *φησὶν ὃς βασιλεύτατος* —] Pro ὃς Steph. invitis codd. ὡς dedit. Pro *γένετο*, quod debetur Par. A., vulgo scribebatur *γένοιτο*.

πολέων βασίλευε] Libri plerique cum vett. editt. *πόλεων*.

E. *ἐὰν σωφρονῇς, εὐλαβήσει*] Sic Par. A. pro vulg. *εὐλαβῆς εἶῃς*. Leid. *εὐλαβήσῃ*. Par. K. *εὐλαβῆς εἶ*. Ceteri *εὐλαβῆς ᾖ* vel *ᾖ*. Boeckhium mireris ad haec sic scribentem: „e Leid. rectissime. v. Politic. p. 305. A. C.

ὁ γὰρ Τάλως τρ.] Taloem istum aheneum, hoc est rigidum ferreumque legum satellitem et custodem, totum cognoscent qui quae de eo circumferebantur fabulae, eas accurate expenderint. Horribilia de eo narrant Apollodor. I, 9, 26. ubi quae p. 220 sqq. Heynius ad explicationem fabulae protulit, parum sunt probabilia; Schol. et Eustath. ad Odyss. XX, 302. ad Orph. Argon. v. 1348. Quae si non sunt de vano hausta, parum caute fateberis a scriptore nostro saevum immanemque virum Minoi tanquam socium esse additum.

D. *μνησθεὶς γὰρ αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος*] Locus Hesiodi aliunde non est notus, neque adeo inter poëtae fragmenta relatus. Pro *πόλεων* recte correxit Boeckhius p. 63. *πολέων*. Ita enim sententia verborum est haec: Permultis hominibus imperabat Iovis sceptrum tenens; quocirca etiam multorum rex erat. Prave autem scripsit homuncio *μνησθεὶς αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος*, in quibus certe *τοῦ ὀνόματος* melius abesset; perverse item locavit istud *φησὶν*; nam quum ipsius poëtae verba afferantur, scriptum oportuit ὅς, *φησί*, *βασιλεύτατος κ. τ. λ.*; denique ridicule dicit: *λέγει τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον οὐδὲν ἄλλο ἢ τὴν παιδείαν τοῦ Διός, ᾗ εὐθύνε τὴν Κρήτην*.

E. *Διὸ καὶ σὺ* —] H. e. *διὰ τοῦτο, δι' ὃ καὶ σύ*. Quod ab usu loquendi Platonico nonnihil recedit.

ᾗ εὐλογοῦντες ᾗ κατ.] *εὐλογεῖν* sic nusquam apud Platonem dictum reperias. Neque

τες, αὖτη ἡ φήμη κατεσκέδασται τοῦ Μίνω ὡς ἀπαιδεύτου τινὸς καὶ χαλεποῦ ὄντος;

ΣΩ. Διὸ καὶ σύ, ὦ βέλτιστε, ἐὰν σωφρονῇς, εὐλαβήσει, καὶ ἄλλος πᾶς ἀνὴρ ὅτῳ μέλει τοῦ εὐδόκιμον εἶναι, μηδέποτε ἀπεχθάνεσθαι ἀνδρὶ ποιητικῷ μηδενί. οἱ γὰρ ποιηταὶ μέγα δύνανται εἰς δόξαν, ἐφ' ὁπότερ' ἂν ποιῶσιν εἰς τοὺς ἀνθρώπους, ἢ εὐλογοῦντες ἢ κατηγοροῦντες. ὃ δὴ καὶ ἐξήμαρτεν ὁ Μίνως, πολεμήσας τῇδε τῇ πόλει, ἐν ᾗ ἄλλη τε πολλὴ σοφία ἐστὶ καὶ ποιηταὶ παντοδαποὶ τῆς τε ἄλλης ποιήσεως καὶ τραγῳδίας. ἡ δὲ τραγῳδία ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε, οὐχ ὡς οἴονται ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη οὐδ'

reposui coniunctivum εὐλαβήσῃ, i. e. εὐλαβησάσθω, pro optativo εὐλαβὴς εἴης, cuius nullus usus est in admonitorio hoc sermone." Enimvero εὐλαβήσῃ pro futuro accipiendum, nec hic locus coniunctivo.

ἢ εὐλογοῦντες ἢ κατηγοροῦντες] Prius ἢ ex Leid. addidi: κακηγοροῦντες Ang. Laur. b. quod Bekkerus censet aptius esse. Sed κατηγορεῖν complectitur notionem τοῦ κακηγορεῖν, quanquam illud proprie τῷ ἐπαινεῖν, non τῷ εὐλογεῖν est oppositum.

εὐλογία De Rep. III. p. 400. D. hac vi et significatione positum. Sed Axioch. p. 365. A. εὐλογίαι τῶν ἀρετῶν sunt virtutum praedicationes. Neque tamen εὐλογῆσαι laudandi vi praeditum ab usu veterum Atticorum abhorret. Aristoph. Equitt. v. 569. εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι. Ibid. 599. ἃ ξύνισμεν τοῖσιν ἵπποις, βουλόμεσθ' ἐπαινέσαι. ἄξιοι δ' ἐσ' εὐλογεῖσθαι· πολλὰ γὰρ δὴ πράγματα ξυνδιήνεγκαν μεθ' ἡμῶν, εἰσβολάς τε καὶ μάχας. conf. Polluc. V, 117. Hesych. Suid. Thom. M. ibique intpp. unde nec κατηγορεῖν in κακηγορεῖν mutandum esse apparebit.

καὶ τραγῳδίας] Usitatius dixisset καὶ δὴ καὶ τῆς τραγῳδίας. De Republ. IX. p. 586. E. τῷ φιλοσόφῳ ἆρα — ὑπάρχει τε τἆλλα τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, καὶ δὴ καὶ τὰς ἡδονὰς τὰς ἑαυτοῦ ἕκαστον — καρποῦσθαι. Sophist. p. 216. A. ὃς φησιν ἄλλους τε θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις, ὁπόσοι μετέχουσι αἰδοῦς δικαίας, καὶ δὴ καὶ τὸν ξένιον οὐχ ἥκιστα κ. τ. λ. Ibid. 242. A. 259. E. Legg. p. 642. E. Tim. p. 22. A. Politic. p. 268. E. 270. C. al. Sed talem ἀκρίβειαν frustra apud hunc scriptorem expectes.

P. 321. οὐχ ὡς οἴονται — εὕρημα] Molesta hic quoque vocabuli πάλαιον repetitio est. Omitti poterant haec: ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε. Sed placet sibi homo in eiusmodi iterationibus. Sic statim post: ἐν ᾗ δὴ καὶ ἐντείνοντες ἡμεῖς τὸν Μίνων τιμωρούμεθα — τοῦτο οὖν ἐξήμαρτεν ὁ Μίνως. v. ad p. 319. B. Ceterum in praedicanda tragoediae antiquitate obversatus scriptori locus Protagorae est p. 340. E.

ἀπὸ Φρυνίχου, ἀλλ' εἰ θέλεις ἐννοῆσαι, πάνυ παλαιὸν αὐτὸ εὑρήσεις ὂν τῆσδε τῆς πόλεως εὕρημα. Cap. XVII. *ἔστι δὲ τῆς ποιήσεως δημοτερπέστατόν τε καὶ ψυχαγωγικώτατον ἡ τραγῳδία· ἐν ᾗ δὴ καὶ ἐντείνοντες ἡμεῖς τὸν Μίνων τιμωρούμεθα ἀνθ' ὧν ἡμᾶς ἠνάγκασε τοὺς δασμοὺς τελεῖν ἐκείνους. τοῦτο οὖν ἐξήμαρτεν ὁ Μίνως, ἀπεχθόμενος ἡμῖν, ὅθεν*
B *δή, ὃ σὺ ἐρωτᾷς, κακοδοξότερος γέγονεν. ἐπεὶ ὅτι γε ἀγαθὸς ἦν καὶ νόμιμος, ὅπερ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν, νομεὺς ἀγαθός, τοῦτο μέγιστον σημεῖον, ὅτι ἀκίνητοι αὐτοῦ οἱ νόμοι εἰσίν, ἅτε τοῦ ὄντος περὶ πόλεως οἰκήσεως ἐξευρόντος εὖ τὴν ἀλήθειαν.*

ΕΤ. Δοκεῖς μοι, ὦ Σώκρατες, εἰκότα τὸν λόγον εἰρηκέναι.

ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ ἐγὼ ἀληθῆ λέγω, δοκοῦσί σοι

P. 321. *τὸν Μίνων τιμ.*] V. *Μίνω*, quod rursus ex Par. A. Leid. aliis correctum, ut factum etiam in superioribus.

ὃ σὺ ἐρωτᾷς] Sic Par. AK. Leid. Ang. Laur. z. b. Vat. Flor. a. o. x. Vulgo erat *σὺ ὃ ἐρωτᾷς*. conf. Heindorf. ad Phaedon. p. 139. Mox Steph. *κακοδοξώτερος*.

B. *ὅπερ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν*] *καὶ* post *ὅπερ* additum ex Par. A. et Leid. Stephanus *καὶ* aut ante *ὅπερ* aut ante *νομεὺς* excidisse putabat. Posterius praetulit Boeckhius Praef. ad Simon. Socr. p. XXVI.

ubi sophistarum artis origines ab ultima antiquitate repetuntur. conf. Boeckh. in Min. p. 27. et Wolf. Prolegg. ad Homer. p. LXVIII.

ἐν ᾗ δὴ ἐντείνοντες —] Schol. *ἐντείνοντες* interpretatur *πληγὰς διδόντες*. Quam interpretationem non adducor ut veram esse credam. Imo *ἐντείνοντες* dictum ut Phaedon. p. 60. D. *ἐντείνας τοὺς τοῦ Αἰσώπου λόγους*. Protagor. p. 326. B. *ἐντείνοντες εἰς τὰ κιθαρίσματα*. Itaque locum sic interpretamur: in qua eum versibus includentes vindictam sumimus. Sinistram esse hanc Platonici usus loquendi imitationem, nemo erit quin protenus animadvertat.

B. *ὅπερ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν*] Hic vitium aliquod videtur delituisse. Scribendum est, opinor, cum Stephano *καὶ νόμιμος, καὶ, ὅπερ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν, νομεὺς ἀγαθός κ. τ. λ.* Dein vide an refingendum sit, *τοῦτον μέγιστον σημεῖον*.

ἅτε τοῦ ὄντος — τὴν ἀλήθειαν] Consequutio verborum haec est: *ἅτε εὖ ἐξευρόντος (αὐτοῦ) τὴν ἀλήθειαν τοῦ ὄντος περὶ πόλεως οἰκήσεως*. Quod quam inepte dictum sit, demonstrare non attinet.

Οὐκοῦν εἰ ἐγὼ ἀληθῆ λέ-

παλαιοτάτοις Κρῆτες οἱ Μίνωος καὶ Ῥαδάμανθυος πολῖται νόμοις χρῆσθαι;

ΕΤ. Φαίνονται.

ΣΩ. Οὗτοι ἄρα τῶν παλαιῶν ἄριστοι νομοθέται γεγόνασι, νομεῖς τε καὶ ποιμένες ἀνδρῶν, ὥςπερ C καὶ Ὅμηρος ἔφη ποιμένα λαῶν εἶναι τὸν ἀγαθὸν στρατηγόν.

ΕΤ. Πάνυ μὲν οὖν.

Cap. XVIII. ΣΩ. Φέρε δὴ πρὸς Διὸς φιλίου, εἴ τις ἡμᾶς ἔροιτο, ὁ τῷ σώματι ἀγαθὸς νομοθέτης τε καὶ νομεὺς τί ἐστι ταῦτα ἃ διανέμων ἐπὶ τὸ σῶμα βέλτιον αὐτὸ ποιεῖ; εἴποιμεν ἂν καλῶς τε καὶ διὰ βραχέων ἀποκρινόμενοι, ὅτι τροφήν τε καὶ πόνους, τῇ μὲν αὔξων, τοῖς δὲ γυμνάζων καὶ συνιστὰς τὸ σῶμα αὐτό.

B. *τὸν λόγον εἰρηκέναι*] Sic Leid. pro vulg. *εὑρηκέναι*. *οἱ Μίνωος καὶ Ῥαδάμανθυος πολῖται*] *ὁ Μίνως καὶ ὁ Ῥαδάμανθυς* Ven. Ξ. et Laur. Recte Bekkerus pro *Μίνωος* reponi iussit *Μίνω*, quod tamen in nullo cod. repertum.

C. *ὁ τῷ σώματι ἀγαθὸς νομοθ.*] Articulus *ὁ* in superiore nostra edit. incuria excidit. Vett. editt. *νομοθέτης ἀγαθός*, quem verborum ordinem cur ex Par. A. et Leid. mutaverimus, caussa in promtu est.

συνιστὰς τὸ σῶμα αὐτό] V. *αὐτῶν*. Ven. Ξ. *αὐτῷ*. Ceteri *αὐτό*.

γω, δοκοῦσί σοι π.] Nec haec recte dicuntur. Plato scripturus fuerat *εἴ μοι συνομολογεῖς*, aut tale quiddam. Mox homo rursus indigne ludit voc. *νομεῖς*, unde parum considerate Minos et Rhadamanthus vocantur *νομεῖς τε καὶ ποιμένες ἀνδρῶν*. Sed nimirum ita docte sane ad Homerum in hac caussa provocari potuit.

Φέρε δὴ πρὸς Διὸς φιλίου —] Clausula haec sermonis sanequam abrupta repente totam caussam deducit eo, ut sermonem existimare debeamus esse *π. σωστικόν*. At quam parum haec libelli pars cum superioribus cohaereat, id vel ex eo manifestum est, quod quae hic attinguntur, eorum antea ne levis quidem facta est significatio. Verum de his explicare non est operae pretium, quum omnia fere ineptiis per totum sermonem plena ac referta esse hactenus demonstratum sit. Neque hic desunt singula quaedam, quae magnae sint offensioni. Ita molestiam creat quod dicitur *καὶ συνιστὰς τὸ σῶμα αὐτό*, ubi *τὸ σῶμα* misere redundat. Nec melioris farinae sunt quae mox subiiciuntur, *οὐκ ἂν αἰσχυνθεῖμεν καὶ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν καὶ τῆς ἡλικίας αὐτῶν*, nec nostri ipsorum nos puderet nec nostrae ipsorum aetatis.

ΕΤ. Ὀρθῶς γε.

ΣΩ. Εἰ οὖν δὴ μετὰ τοῦτο ἔροιτο ἡμᾶς, Τί δὲ δή ποτε ἐκεῖνά ἐστιν, ἃ ὁ ἀγαθὸς νομοθέτης τε καὶ νομεὺς διανέμων ἐπὶ τὴν ψυχὴν βελτίω αὐτὴν ποιεῖ; τί ἂν ἀποκρινάμενοι οὐκ ἂν αἰσχυνθεῖμεν καὶ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν καὶ τῆς ἡλικίας αὐτῶν;

ΕΤ. Οὐκέτι τοῦτ' ἔχω εἰπεῖν.

ΣΩ. Ἀλλὰ μέντοι αἰσχρόν γε τῇ ψυχῇ ἡμῶν ἐστὶν ἑκατέρου, τὰ μὲν ἐν αὐταῖς φαίνεσθαι μὴ εἰδυίας, ἐν οἷς αὐταῖς ἔνεστι καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ φλαῦρον, τὰ δὲ τοῦ σώματος καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἐσκέφθαι.

C. *νομοθέτης τε καὶ νομεὺς διαν.*] Ante *καὶ* Leid. Par. K. Ang. Laur. z. b. c. Vat. inserunt *τε*, quod nunc recepimus. Vulgo *τε* aberat.

οὐκ ἂν αἰσχυνθεῖμεν] Sic Par. A. Leid. Vett. editt. *ᾐσχύνθημεν.* Plerique libri *αἰσχύνθημεν*, quo recepta scriptura confirmatur. Dein Par. A. pr. et Leid. *αὐτῶν* om.

καὶ τῆς ἡλικίας] Sic Par. A. pro vulg. *καὶ ὑπὲρ τῆς ἡλ.*

τὰ μὲν ἐν αὐταῖς φ.] V. *ἑαυταῖς*, quod ex Leid. Par. A. et vetusto Stephani libro emendatum.

Nam *ἑαυτῶν* s. *αὐτῶν*, pro quo vulgo perperam *αὐτῶν* scribebatur, idem est quod *ἡμῶν αὐτῶν*. v. Dorvill. ad Charit. p. 296. Tolerabilius certe fuerit *τῆς ἡμετέρας ἡλικίας*, quanquam nec hoc si scriptum legeretur, locus vacaret offensione. Sed colophonem universae opellae imponunt postrema: *Ἀλλὰ μέντοι αἰσχρόν γε τῇ ψυχῇ κ. τ. λ.* Quippe dicitur hic turpe esse, non quidem ipsis, sed utriusque animo, si is ea, per quae ipsi et bonum et pravum insit, ignorans reperiatur, quae vero ad corpus ceterasque res spectent, ea explorata habeat. Nam *εἰδυίας* pertinet ad *τὴν ψυχὴν ἑκατέρου ἡμῶν*. Verum taedet haec quoque ita percensere, ut scriptoris perversitas in clariore luce ponatur. Absconditus homuncio maneat in tenebris suis.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 16. vers. 11. leg. oportere pro opportere.

P. 186. annot. ad p. 270. A. post opifice excidit *accipientem denuo*. Nimirum accipit mundus immortalitatem veluti instauratam denuo et refectam, quatenus ipse divino auxilio ab interitu servatur et in integrum restituitur. Sic ἐπισκευάζειν reficiendi, instaurandi, resarciendi vi et significatione ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte Isocrate, aliis, et ab ipso Platone Legg. V. p. 738. B. usurpatur.

Hoc unum fere animadvertere nunc nobis licuit, quum plagulas sero acceptas fugitivo oculo perlustraremus. Alia id genus, siquidem opus fuerit, proferemus in proximi Voluminis auctario. Prodibit enim proxime Philebus, aliter iam perpolitus et illustratus ille, atque ante hos viginti tres annos fieri a nobis potuit. Quod quidem hoc loco monere placuit, ne porro videremur munus et officium ea, quae olim in hunc gravissimum Platonis librum commentati sumus, emendandi atque perficiendi omnino detrectare voluisse. Nam si quisquam alius, certe nos ipsi iam pridem sensimus et intelleximus, quid quantumque sit, quod ad divini illius operis vel emendationem vel explicationem etiam nunc requiratur. Erunt igitur, ut speramus, *αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*.

OPERE VOLANTI

PLATONIS

OPERA OMNIA.

RECENSUIT ET COMMENTARIIS INSTRUXIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

VOL. IX. SECT. II.

CONTINENS

PHILEBUM.

GOTHAE

SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.

MDCCCXLII.

Londini apud Black et Armstrong.

PLATONIS

PHILEBUS.

RECENSUIT,

PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

GOTHAE

SUMPTIBUS FRIDERICAE HENNINGS.

MDCCCXLII.

Londini apud Black et Armstrong.

ERFORDIAE
TYPIS HENNINGS & HOPF.
1842.

PROLEGOMENA

IN

PHILEBUM PLATONIS.

PROLEGOMENA
IN
PHILEBUM.

Philebum Platonis qui recte interpretari voluerint, iis nostra sententia ante omnia duo sedulo agenda sunt. Primum enim omnis disputationis ordinem rationemque diligentissime debent considerare accurateque videre, quidnam illud sit quod in eo libro exponatur et quo id modo fiat. Quod quidem in hoc libro inprimis putamus necessarium propterea, quod quae sit universae disputationis via et ratio, utique difficilius intellectu est. Deinde ad explicandum illustrandumque eius argumentum ex reliquis scriptis Platonis, quae cum eo aliqua cognatione et necessitudine continentur, ea repetant et assumant necesse est, quae obscurioribus locis lucem afferant et quomodo cuncta atque singula cum universa philosophi doctrina cohaereant, ostendere ac patefacere queant. Nam haec demum ubi rite facta fuerint, etiam singularum sententiarum ac verborum interpretatio procedet felicius, nec ludificabit nos facile vel usus loquendi varietas et inconstantia vel variae scripturae temeritas, quae in hoc quoque libro saepenumero ea est, ut ne optimos quidem codices ubique tuto sequi liceat. Itaque nunc quidem putavimus universe explicandum esse de Philebi argumento ac proposito, arcessitis iis interpretationis adiumentis, quae ipsius philosophi scripta suppeditant. Multa quidem ex quo tempore eum primum illustravimus, etiam ex aliis collegimus scriptoribus, quae hic afferre licuerit; verum noluimus inter-

ponere, quae legentium iudicium saepenumero magis conturbare quam adiuvare viderentur, quandoquidem qui posterioribus temporibus aut Platonis usi sententiis sunt aut eius opiniones illustrare et exponere studuerunt, ii sententiam philosophi plerumque pervertisse et obscurasse reperiuntur; nisi si forte nonnulla ad historiae fidem retulerunt ex antiquioribus iisque fide dignis fontibus hausta. Itaque hoc usi sumus rei tanquam temperamento, ut si quae viderentur ad Platonem intelligendum aliquid valere, ea paucis memoraremus; sin minus, omnia, quantumvis operose collecta, seponeremus. Et vero intelleximus Philebum quoque plerumque ex ipsius philosophi scriptis commode illustrari posse, atque ibi tantum indigere aliorum scriptorum auxilio, ubi leguntur quae historiae lucem desiderent. Versabimur autem in rei propositae tractatione eo modo, ut singulas dialogi partes ordine deinceps consideremus, ac si quid ad eas dilucidandas faciat, id suo quidque loco in medium afferamus. Quo facto sponte, opinor, intelligetur, quorsum tendat universi dialogi disputatio. Hoc igitur age iam ita peragere instituamus.

Cap. I.

Enarratur sermonis exordium atque illustratur. De loco ac tempore habiti colloquii. De interlocutorum personis. Dialogum ostenditur nec ab initio esse mutilum nec in fine truncatum. Quid Plato in susceptae quaestionis tractatione sequutus sit. Quando librum scripserit et quibus philosophiae opibus instructus. Philebi cum aliis Platonis operibus nexus et coniunctio.

Disputaverant inter se Socrates et Philebus coram familiaribus compluribus de re longe gravissima; quaesiverant enim, quidnam illud esset, quod homini pro summo bono ducendum videretur. Et Philebus quidem, aliis quibusdam consentientibus, quum homini tum omni animanti hoc ut maximum bonum statuerat obtingere, quod gauderent, quod iucundi sensu afficerentur, denique quod voluptates possent percipere. Contra quem Socrates, ea opinione reiecta, ita disputaverat, ut extremum bonorum omnium in mente ac scientia inesse censeret. Neuter de sententia sua sese demoveri passus

erat, usque dum Philebus, disputationis longitudinem, ut videtur, pertaesus, partes suas ad Protarchum, adolescentem amicum sibi et familiarem, deferre constituit. Itaque principio libri hic ipse Protarchus in eo esse narratur, ut interlocutoris personam in se suscipiat atque institutum antea a Philebo sermonem cum Socrate communiter persequatur. Sed hoc priusquam ita fit, de duabus rebus inter se tanquam paciscuntur. Convenit enim inter eos primum hoc, ut rem omni modo exquirendam statuant nec prius quaerendi finem faciendum censeant, quam quid de ea iudicari oporteat, penitus cognitum sit atque exploratum. Deinde illud communi consensione pro certo ponunt, ubi tertium quiddam repertum fuerit, quod et sapientia et voluptate sit praestabilius, sapientiam ea condicione voluptati anteponendam fore, si illi ipsi, quod praestantissimum videatur, sit cognatior; sin aliter, voluptatem victoriae palmam reportaturam esse (P. 11 — 12. A.).

Insignis est huius exordii brevitas. Sed in summa brevitate tamen idem illud non pauca habet, quae diligenter excutienda sunt iis, qui omnem dialogi artem rationemque vel intellecturi penitus vel recte iudicaturi sint. Cernitur enim singularis quaedam Platonis sollertia in dialogorum initiis, quae talia fere sunt, ut ipsi disputationum argumento ac temporum, quibus scripsit, rationibus elegantissime conveniant. Atque id ipsum etiam de Philebi exordio ita iudicari oportere plane nobis persuasimus, ut iis nullo modo assentiamur, qui idem illud censuerunt artis ratione paene carere ac propemodum nullum esse. Quamquam utique concedendum est, minus in eo inesse ornamentorum quam in aliis philosophi scriptis. Verum id ipsum non temere sic factum esse, facile docebit diligentior rei consideratio.

Et tempus quidem, quo habitum fingitur colloquium, ne verbo quidem significatur. Hoc unum patet, institutum illud esse vivente adhuc Socrate; is enim principales habet disserendi partes. Nec vero locus indicatur aut describitur, ubi colloquentes convenerint. Illud tantum veluti per occasionem admonemur, sermonem in complurium adolescentium consessu haberi, quandoquidem horum identidem mentio iniicitur, ut p. 15. C., ubi Protarchus nomine ceterorum omnium Socrati respondet haec: *Καὶ πάντας τοίνυν ἡμᾶς ὑπόλαβε*

συγχωρεῖν σοι τούσδε τὰ τοιαῦτα; p. 16. A., ubi idem iocose: *Ἆρ' οὖν, ὦ Σώκρατες, οὐχ ὁρᾷς ἡμῶν τὸ πλῆθος, ὅτι νέοι πάντες ἐσμέν;* p. 19. D: *ἡμεῖς σοι μετὰ παιδιᾶς ἠπειλήσαμεν ὡς οὐκ ἀφήσομεν οἴκαδέ σε, κ. τ. λ.*; p. 19. C: *σὺ τήνδε ἡμῖν τὴν συνουσίαν, ὦ Σώκρατες, ἐπέδωκας πᾶσιν;* p. 67. A. sqq. al. Suspicari igitur ex his verisimiliter licet, gymnasium aliquod aut palaestram esse, ubi disputatio habita fingatur. Nam in eiusmodi locis quum adolescentes convenire frequentes solerent, tum Socratem quoque lubenter versatum esse novimus, quo facilius cum aliis colloquendi opportunitatem nanciscerétur. Sed plura de loco ac tempore habiti colloquii explorari haudquaquam possunt: quod sane mirum accidet iis, qui Platonem meminerint alias in describendis et illustrandis temporum locorumque rationibus versari copiosissime. At nimirum omisit philosophus, opinor, in Philebo omnem hunc scenicum ornatum propterea, quod sermonem finxit nunc non inchoari demum aut institui, sed potius continuari atque profligari, sicuti fecit etiam in Cratylo. Quocirca legentes tanquam ad mediam disputationem adducuntur, ut scenae descriptioni omnino nullus fuerit locus. Hoc ipsum autem quibus de caussis Plato sic adornaverit quidve ea re spectaverit aut significaverit, postmodo videbimus; neque enim res obscura erit aut controversa, si modo omnia diligenter animadversa fuerint, quae summus dialogorum artifex tanquam per transennas ostendit legentibus.

Jam vero si quaerimus de Philebo et Protarcho, qui cum Socrate colloquentes inducuntur, nec hi quinam sint aut quales, accuratius edocemur. Videntur tamen ambo adolescentes esse non ignobili loco nati atque Sophistarum assectatores et discipuli. Et de Protarcho quidem non est dubium quin id credi oporteat. Is enim p. 19. B. filius Calliae *) appellatur, ac p. 58. A sq. ipse fatetur Gorgiam Leontinum a se auditum esse de artis rhetoricae praestantia verba facientem. Praeterea aliquoties a Socrate compellatur verbis *ὦ παῖ*, veluti p. 15. A. p. 53. E. p. 36. D. coll. p. 16. C. Sed maior est dubitatio de Philebo, cuius neque natales ne-

*) Nisi fallor, eius, qui Cratyl. p. 384. A. commemoratur, ubi v. ann.

que studia aut magistri usquam significantur. Quid quod ipsum nomen hominis adeo rarum est, ut qui eo praeter Alciphron. Epist. lib. III. 50. T. II. p. 160. ed. Wagn. usus sit, vix quemquam reperias. Quocirca facile alicui suspicari liceat illud ex re, de qua agitur, confictum esse, si modo aliunde constaret Platonem omnino hac fingendi libertate usquam usum esse. Videmur tamen a vero minime aberrare Philebum quoque existimantes in numero adolescentium haberi oportere. Nam primum quidem Protarchus, ubi reliquorum, qui sermoni intersunt, mentionem iniicit, semper ita loquitur, ac si unus Socrates vir adsit, ceteri omnes sint adolescentes; id quod loci paullo ante memorati satis testabuntur. Neque huic sententiae officit illud, quod Philebus p. 16. B. narratur sodales solemniter *ὦ παῖδες* compellare consuevisse. Fuit enim ea blanda familiarium alloquutio, qua uti ille potuit, etiamsi ipse esset adolescens, praesertim si fuerit ceteris paullo aetate provectior. Neque id adversari videtur huic rationi, quod Socrates p. 36. D. Protarchum alloquitur: *ὦ παῖ ἐκείνου ἀνδρός*, hoc est Philebi. Hoc enim aliorsum pertinere in commentariis ad eum locum consignatis perspicue videmur docuisse. Huc accedit, quod ex loco p. 53. E. colligere licet Philebum fuisse Protarchi amatorem et amicum. Nam res ibi in disceptationem vocata facete a Socrate ex mutua *τῶν παιδικῶν* ratione declaratur; quod quis est qui sibi persuadeat sine caussa ita fieri? Praeterea Philebus si Sophista aut adolescentium reliquorum magister esset, dubium profecto non est quin id alicubi significaretur, praesertim quum rei memorandae opportunitas longe sit frequentissima. Haec igitur efficiunt, opinor, certissime, ut etiam Philebum pro adolescente haberi oporteat. Quod igitur Protarchus in disputando ei succedit et partes ab eo derelictas in se suscipit, id similiter fieri existimandum est atque in Sophista et Politico, in quibus libris in locum Theaeteti adolescentis, qui cum Socrate disputavit, deinde Socrates iuvenis succedit, ne scilicet illi per nimiam disputationis longitudinem languor aut taedium afferatur. Et haec quidem de genere et aetate interlocutorum.

Sed gravius est videre, quasnam illi partes in disserendo agant, quandoquidem inde potissimum etiam de abrupti exordii caussis iudicium repeti poterit. Defendit igitur uterque eam sententiam, qua summum bonum

in voluptate ponebatur. Sed aliter id facit Philebus, aliter Protarchus. Ille enim acerrimi maximeque pertinacis caussae voluptariae patroni personam sustinet. Id quod Plato, etiamsi sermonem a Socrate cum eo institutum non exposuit, tamen prodidit indiciis certissimis. Nam dicitur Protarchus in superiore sermone voluptatem tam studiose tueri conatus esse, ut eam identidem Deam vocaverit eoque nomine maxime praedicaverit; quam ob rem a Socrate p. 12. B. p. 22. C. p. 28. E. leniter carpitur ac ridetur. Praeterea sententiam suam ab initio dialogi tam strenue fortiterque defendisse narratur, ut Socrati nondum in ulla parte concesserit, quandoquidem illud tantum iam constare dicitur, quaenam sit utriusque disputatoris opinio. Denique etiam inter eum sermonem, quem Socrates cum Protarcho instituit, subinde cupidius rumpit silentium, nec sibi temperare potest, quin sermone familiarium interpellato aliquid dicat pro voluptate. Ita p. 12. A. acriter contendit voluptatem in certamine cum mente ac sapientia suscepto sine dubio victoriam esse reportaturam, ideoque exclamat graviter: *ἐμοὶ μὲν πάντως νικᾶν ἡδονὴ δοκεῖ καὶ δόξει;* ac similiter p. 22. C. menti omnino abiudicat boni laudem atque virtutem, siquidem eadem voluptas quoque carere existimanda sit. Haec omnia igitur qui paullo diligentius consideraverint, ii certe minime dubitabunt, quin Plato Philebum eum nobis descripserit, qui caussam hominum voluptariorum cupide fere nec sine ira aut partium studio egisse putandus sit. Dissimilis vero hoc in genere ei Protarchus est. Is enim etsi eandem, quam ille, sententiam defendendam sumsit, tamen familiari longe est moderatior ac modestior, ut ab omni alienus sit vanae contentionis studio atque pertinacia. Praeterea etiam haud mediocri pollet ingenii acumine, ut si quid ad eam, quam tuetur, caussam vindicandam atque sustentandam facere videatur, id reperiat facillime. Idem veritatis amorem habet perquam laudabilem, ideoque non invitus concedit argumentis, si quae talia a Socrate afferuntur, ut vis ac pondus eorum protenus agnosci debeat. Quin adeo est veri appetens, ut Socrates facillime ab eo impetret, quod ab initio sermonis optat, ut res in disceptationem vocata non prius mittatur, quam ubi ex omni parte fuerit explorata ac pervestigata. Hoc igitur utriusque interlocutoris ingenium est, hi mores, haec disputandi ratio iis propria.

Non parum vero ad librum Platonis refert discrimen hoc ingeniorum rationisque diligenter animadvertisse. Nam ex hac una re, ut modo diximus, intelligi maxime potest atque cognosci, quid de isto sermonis exordio iudicari oporteat, quod multis singulare visum est. Nam quod legentes tanquam impraeparati ad mediam disputationem venire iubentur, quodque pars sermonis iam peracta et absoluta fingitur, quum Protarchus cum Socrate disputare instituit, id plerosque omnes tam male habuit, ut Platonem hic aut omnis elegantiae immemorem fuisse aut aliud quid egisse arbitrati sint. Fatemur tamen aperte, nobis quidem quod illis displicuit placere unice, quandoquidem philosophum censemus haec omnia finxisse et adornasse prudentissime, modo illud teneamus, de quo modo exposuimus, Philebum nobis proponi talem, qui acerrimus et fere contentiosus sit voluptatis defensor ac patronus. Etenim huius disputationem quod philosophus finxit nunc ipsum absolutam esse ac breviter tantum altercationes memoravit, quibus homo tandem est defatigatus, artificio prorsus singulari ac vere admirabili significavit, quid de acribus istis et contentiosis voluptatis tanquam summi boni defensionibus existimandum videretur. Iudicavit enim indignas illas esse quae vel referentur vel examinarentur diligentius, quum caussa per se mala atque bestiis fere communis *) isto modo etiam peior redderetur. Quod quis est quin fateatur ingeniosissime excogitatum esse atque cum universi libri argumento adeo congruere, ut prope ad illud consummandum valeat? Atque huic rationi, quam exordio propriam esse censemus, planissime respondet etiam aliud quid, quod ad dialogi finem et exitum pertinet. Est enim is quoque tam repentinus et inopinatus, ut viris doctis non minus offensioni fuerit quam ipsum eius initium. At nimirum eadem illic ratio est, quam hic observare licet. Nam ibi Socrates quum bonorum recensu institnto tandem etiam de vulgaribus voluptatibus iudicare debeat, finito repente sermone, discessum parat relinquitque adolescentes frustra eum de reliquis, quae exponenda supersint, commonefacientes. Qua ratione nos quidem putamus nihil aliud significari, quam supervacaneum esse minimeque necessarium de voluptaria caussa explicare

*) Vid. Phileb. extr.

copiosius; apparere enim per se, quid quantumque pretii voluptatibus istis statui oporteat.

Atque haec si vere disputavimus, sponte opinor intelligetur, quo iure dissentiamus a Franc. Patricio Discuss. Peripat. p. 338. aliisque viris doctis, qui Philebum putarunt mutilum ad nos pervenisse, utpote initio pariter atque fine truncatum. Est enim ea opinio vana prorsus et inanis, quae ex eo duxit originem, quod cur Plato dialogum talem finxerit, non usquequaque intellectum est. Nec vero assentiendum putamus Fr. Astio, elegantissimi iudicii viro, qui in libro De Vita et Scriptis Platonis p. 293 sq. ex initio libri atque fine collegit, dialogum a Platone litteris exaratum esse, quo tempore animum induxerit eundem philosophiae locum pluribus libris illustrare uberius, qui tamen aut non ab ipso confecti fuerint aut temporum iniuria perierint; id enim apparere etiam ex loco p. 50. D., ubi Socrates sese crastino die rei dubiae rationem redditurum polliceatur. Nimirum ita vir egregius facillime intellectum iri arbitratur, cur Philebus dramatico ornatu fere careat atque modo paene mirabili et insolito quum ordiatur tum finiatur. Platonem enim operis primam atque ultimam partem tanquam levi opera in chartas coniecisse, alio tempore perfecturum quae tunc veluti primis lineis designanda statuerit. At enim vero primum quidem nemo quisquam scriptorum veterum de illis Platonis operibus, quae arctiore quadam necessitudine cum Philebo fuerint coniuncta, quidquam memoriae prodidit. Deinde nec locus ille, quo Astius utitur, p. 50. D. id indicat, quod vir doctus voluit. Quod enim Plato Socratem ibi dicentem fecit, velle se rerum quarumdam, si qua opus sit, postero die rationem reddere, indicavit ita philosophus, velle se nunc in tanta argumenti amplitudine et ubertate omnes orationis ambages evitare. Quod ipsum saepius in Philebo ita fecit. Pertinet enim eo, quod Socratem per totum sermonem finxit festinantem atque familiares rogantem identidem, ut ipsum, quum primum promissis suis steterit, sine mora dimittere velint; quam in rem contulisse iuvabit p. 19. D. E. p. 23. B. p. 50. D. Denique si vera sunt, quae de caussis dialogi sic a Platone adornati exposuimus, certe non necessarium esse apparet, ut Philebum cum aliis dialogis tanquam trilogia aut tetralogia quadam iunctum et copulatum fuisse suspicemur, quod etiam ideo parum probabiliter statui nobis

persuasimus, quia ipsum prius quam alios sermones, qui ei praemitti debuerint, litteris consignatum fuisse existimare cogeremur.

Atque haec quidem de his rebus; pergimus ad alia. Quaesivisse enim hic statim etiam illud iuvabit, quid Platonem impulerit maxime ad rei gravissimae disputationem suscipiendam, et quomodo eam tractandam sibi putaverit. Qua occasione simul exquiremus, quo tempore Philebus ab eo scriptus putari debeat, et cur Socrati et Protarcho hae potissimum sententiae adscriptae sint, in quibus examinandis omnis versatur eorum oratio.

Et illud quidem inter omnes constat, quaestionem de summo bono inde a Socratis demum aetate studiosius agitari coeptam esse. Nam quum ille de singulis virtutibus earumque caussis ita disseruisset, ut obscuros animi sensus incertasque mentis notitias ad scientiae perspicuitatem explicaret; qui eius disciplinam sectati erant, quaerere etiam de fine virtutis et proposito coeperunt ideoque illud maxime voluerunt definire, quodnam esset summum et extremum bonorum omnium, ad quod denique omnia officia, omnes virtutes, omnia consilia et actiones hominum bene beateque viventium dirigi oporteret *). Fieri solet in magnarum quaestionum initiis plerumque, ut quamvis diligenter studioseque agitentur, tamen varia ac multiplicia erroris pericula afferantur. Id ipsum igitur etiam tunc sic evenit, quum primum de re ad omnem vitam sapienter regendam moderandamque gravissima subtilius disputatum est. Nam primum quidem ipsa summi boni notio peperit difficultates, quam etiam hodie non uno modo definiri solere, quis in philosophia adeo est hospes, ut ignorare putandus sit? Iam vero Socratici etsi in eo consenserunt omnes, positum esse summum bonum in felicitate, tamen haec ipsa in quibusnam rebus quaerenda esset, multum inter se dissenserunt. Deinde a quibusdam etiam via et

*) Iuvabit hic meminisse eorum, quae praeclare scripsit Fr. Köppen in libro: Politik nach Platonischen Grundsätzen, p. 47 sq.: Anders ist die Ansicht der Alten, deren Ethik keine *Pflichten*lehre, sondern eine *Güter*lehre ist, welche das Rechtliche immer mit dem Sittlichen verbinden, und aus dem ursprünglichen Begriff der Vernunftherrschaft beides herleiten.“

ratio, qua ad summi boni possessionem perveniretur, atque id, quod ex ipso consequeretur et tanquam ultro proveniret, pro ipso bono habita sunt atque pessimo errore cum eo confusa. Auxit denique dissensionis magnitudinem ipsa Socratis ratio, qui pro temporum varietate de iisdem rebus in varias partes consueverat disputare atque bona, quae commendandae virtutis caussa crebro memorare solebat, non accurate secernere et distinguere conatus erat. Ita igitur factum est, ut inter eos Socraticos, qui sibi in ethicis potissimum elaborandum statuissent, maxima de his rebus oriretur opinionum discrepantia. Aliter enim iudicavit Aristippus Cyrenaicus, aliter Antisthenes, aliter Euclides Megarensis, aliter Phaedo Eleus et Menedemus Eretriacus, aliter etiam alii, quorum opiniones enumerare longum est ac prope infinitum. Nec vero Socratici tantum in hoc campo sese iactarunt; etiam alii eum locum attigisse videntur, ex quibus inprimis Democritus Abderites nominandus est, quem ferunt in opere, quod *περὶ Ἀμαλθείας* inscriptum fuit, de summo bono ita quaesivisse, ut illud in *εὐθυμίᾳ* sive *συμμετρίᾳ* et *ἀταραξίᾳ* positum vellet, hoc est, in placida quadam animi tranquillitate et aequabilitate, quae nec metu nec cupiditate unquam perturbaretur *). Ex quo libro rumor est a Platone nonnulla esse repetita; quod tamen quam vere narretur, in medio relinquimus.

Quum igitur harum rerum exquirendarum studium tantum exarsisset, ut propemodum omnibus commune videretur, fieri certe non potuit, quin etiam maximus omnium Socratis discipulorum animum suum ad idem illud appelleret. Et certe Platonem rei gravitas tanto magis advertere debuit, quo studiosius iam mature videtur de virtutis vi ac natura magistri Socratis exemplo quaerere instituisse. Etenim nos quidem si quid iudicare possumus, philosophandi initium exinde potissimum fecit, quod illius sententiam, qua virtutem volebat inesse in scientia, ita illustravit, ut quatenus haec scientia a callida utilitatum et commodorum comparandorum peritia diversa esset, si non aperte doceret, at saltem ludificandis magnificis istis virtutis promissoribus facetissime declararet ac patefaceret. Nam primos nostra quidem

*) V. Stob. Eclogg. II. p. 74—76. 344 sqq. 406 sqq. Cicer. De Fin. V, 8, 29. Diog. Laërt. IX, 45.

sententia scripsit dialogos eos, in quibus ipse fere est purus putus Socraticus, necdum ad sublimioris doctrinae laudem adspiravisse videtur. Quinam vero isti sint, paucis significavimus Prolegg. ad Menon. p. 21 sq. et Euthyphron. p. 140 sqq. Ab his igitur progressus ulterius deinde perniciosas Sophistarum artes etiam apertius impugnavit eorumque decretis exagitatis docere omnino instituit, quod ut fieret plurimum sane ipsius interesse debuit, quantum discriminis inter honestum atque iucundum intercederet, et quantopere ii virtuti ac felicitati adversarentur, qui omnia ad sensuum iucunditatem aut perceptionem referrent. Quocirca in aliis libris, veluti in Protagora et Gorgia *), boni et iucundi fines ac terminos certius constituit, ac sophistarum laudatissimorum explosa arte oratoria et dialectica ostendit, non temere esse confundenda pulcri et turpis, boni et mali, honesti atque utilis discrimina, quibus sublatis factum erat, ut omnis virtutis ratio ac disciplina in maximum discrimen perduceretur. Haec igitur quum ita exposuerit, facile suspicari licet, eum nec gravissimam neglexisse de summo bono disputationem. Nec tamen protenus ad eam accessit, sed collectis demum amplioribus sapientiae copiis illam tractavit. Quod quo tempore evenerit, age ita exquirere conemur, ut tanquam lustremus cursum studiorum ab eo emensum.

Institutis igitur et profligatis illis de virtute quaestionibus quum acrius sensisset, quanta esset inter virtutis ac veritatis rationem coniunctio, etiam scientiae vim ac naturam perscrutari instituit. Extiterant enim illa aetate, qui Heraclitum sequuti omnia perpetuo flumine agitari existimantem, rerum vim et constantiam funditus tollerent, nihil per se certum putarent, hominem rerum omnium mensuram esse vellent, res non esse sed videri tantum arbitrarentur, denique de omni re in utramque partem disputarent atque caussam inferiorem dicendo superiorem reddi posse affirmarent et contenderent. Erant item qui ab Eleatis profecti omnem veritatis scientiam et cognitionem ad illud unum, quod esse intelligeremus, revocarent eoque notionum varietatem ac

*) Conf. Protagor. p. 333. E. sqq. p. 354. E. sqq. et quae ad eum librum diximus Praefat. p. 3 sqq. et p. 33 sq. ed. 2. Gorg. p. 495 sqq.

multitudinem propemodum totam auferrent. Horum igitur omnium opiniones examinandas atque refellendas esse statuit, ut cognitionis humanae vis et natura atque veritatis ratio tandem certius exploraretur ac perspiceretur. Et initium quidem harum quaestionum longe gravissimarum ab examinandis refutandisque eorundem illorum iudiciis fecisse videtur, qui etiam in scientia iudicanda omnia ad sensus et visa referrent. Fuerunt autem hi Sophistae, adversus quos iam dudum virtutis disciplinam more magistri ita tutatus erat, ut simul aequales suos mentis rationes accuratius investigare et perquirere doceret. Quo verisimilius est, quod nos statuimus, eum hos prius adortum esse, quam aliorum impugnaret rationem. Et ansam quidem rei primum videntur dedisse Protagorei. Nam quo maior fuerat Protagorae auctoritas quoque celebratior eius disciplina, eo magis id sibi agendum iudicavit, ut eius rationem ac doctrinam omnem examinaret, convelleret, refutaret. Quocirca in Euthydemo argutam Protagoreorum dialecticam, tanquam inanium tricarum venatricem, explosit; et in Cratylo eorundem castigavit perversae etymologiae studia, quibus eo delati erant, ut ex umbris vocabulorum, argutius quam verius exploratorum, rerum cognitionem hauriri posse sibi persuaderent; in utroque autem opere tandem apertius significavit, quorsum talia studia omnino referri atque tendere oporteret, siquidem ad veritatis cognitionem essent valitura. Nam dirigenda ea censuit ad notiones mente comprehensas sive ideas, in quibus unis omnem contineri veritatis cognitionem nomine suo dignam iam mature videtur intellexisse, quum per Socraticam institutionem ac disciplinam ad observationem notitiarum menti humanae tanquam inditarum adductus esset. Has enim sensit in se esse constantes, immutabiles, sempiternas, quum sensuum iudicia fluctuarentur perpetuo nec unquam eadem permanerent; has easdem etiam cum eo, quod esset, ipsaque mentis natura cognatas esse tanquam divinavit, in qua sententia magis etiam postea videtur confirmatus esse, quum Eleaticae et Megaricae doctrinae examen instituisset subtilius atque eam cum sua ipsius sententia conciliare studuisset. Sed de his postea. Revertimur nunc ad illud, quod diximus, Protagoreos inprimis Platoni videri caussas suppeditasse, quibus impulsus denique studia sua ad scientiae pervestigationem transferret. Explosit igitur eorum dialecticam;

traduxit eorum studia grammatica; et vero etiam virtutis disciplinam, quam nobilissimus Sophista professus erat, ita taxavit, ut eam idonea ratione carere ostenderet, sive ipsa virtutis notitia sive docendi via et consuetudo spectaretur. Postremum fecit in Protagora, in quo libro, sicuti iam antea indicavimus, etiam boni atque iucundi discrimen significavit. Itaque hi tres libri, Euthydemus, Cratylus, Protagoras, arctissimo profecto vinculo inter se continentur, ut nec temporibus multum dissitis literis exarati videantur. Quam quidem sententiam nostram iam alibi expositam *) etiam eo confirmari putamus, quod non modo per eos omnes dominatur par leporis ac festivi ioci hilaritas, verum etiam illud iis commune est, quod Socrates pleraque omnia facetissime ad mentem et sententiam ipsorum Protagoreorum exponit, quo urbanius illi denique confutentur atque rideantur. Quam eandem rationem etiam in aliis nonnullis eorum sermonum tenuit, qui sunt de disciplina virtutis; quod certas quasdam ob caussas hic denuo admonuisse non inutile erit. Verum enimvero ipsius scientiae pervestigationem subtiliorem philosophus in Theaeteto demum suscepit, quem librum hoc nomine putamus cum iis, quos diximus, dialogis maximeque cum Cratylo arctius cohaerere. Nam quod nuper quidam Cratylum postea demum scriptum esse sibi persuaserunt **), quum alia illi videntur neglexisse, quae ad caussam prudenter diiudicandam faciunt, tum illud quoque eos praeteriit, quod Plato a singulis philosophiae locis perscrutandis pedetentim ad ampliora quaedam eius tanquam spatia lustranda progressus est.

Accessit igitur ad scribendum Theaetetum, opus longe gravissimum, in quo Heracliteorum et Protagoreorum de scientiae et cognitionis natura opiniones subtilissime refellit, atque summo acumine sensualistarum, qui nunc appellantur, rationem omnem labefactat et confutat. Cuius quidem libri scriptionem nostra sententia suscepit eo ipso tempore, quo aliis quoque scriptis Protagoreorum

*) V. Prolegg. ad Cratyl. p. 26 sqq.

**) Veluti Maur. Dittrich. Prolegg. in Cratyl. p. 64 sqq., qui quae ibidem p. 68 sqq. et p. 58. ann. adversus nos disputavit, ea certissime arguunt ipsum non assecutum esse nostram sententiam. Etenim quod suspicati sumus de scripti occasione, id profecto non est eiusmodi, ut philosophum nihil maius sequutum esse statuerimus. v. Prolegg. nostra p. 24.

doctrinam et rationem perstringere et confutare occeperat, sed temporum varietate aliquamdiu intermisit ac postea demum perfecit, quum per itinerum occasionem Megaris esset commoratus *). Sed haec ipsa itinera dici non potest quantum eum in excolenda amplificandaque doctrina sua adiuverint. Nam primum quidem cum eo, quod in Theaeteto instituerat, Heraclitearum et Protagorearum de scientia opinionum examine protenus coniunxit explorationem eorum, quae Eleatici et Megarici statuebant; quod prudentissime fecit sic, ut eorum doctrinam et correxerit sapientissime et cum sua ipsius ratione quodammodo copulaverit atque in unum coniunxerit. Deinde quum primum accuratiorem doctrinae Pythagoricae inprimisque Philolaicae accepisset notitiam, etiam huius bonis usus est ad idearum vim naturamque quum logicam tum metaphysicam sive inveniendam informandamque sive patefaciendam atque aperiendam. Ita nati sunt Sophista et Parmenides, quibuscum libris coniunctum denique in publicam lucem edidisse etiam Theaetetum videtur **). Sic igitur paullatim inventa atque perfecta est scientiae et idearum doctrina cum dialectica tum metaphysica. Eadem autem tempora etiam Politici scribendi attulerunt opportunitatem. Quum enim Plato iam inde a Socratis morte sese totum philosophiae studiis dedere constituisset atque eos, qui plerumque gubernarent et administrarent res publicas, magnopere coepisset contemnere, per Pythagoreos, ut videtur, rursus ad rerum civilium contemplationem adductus est. Quod quidem eum habuit eventum, ut instante reditu in patriam imaginem perfecti viri civilis, qui idem esset dialecticus, hoc est philosophus, adumbraret atque depingeret, eiusque artem totam ad divinam mundi gubernationem singulari iudicii elegantia componeret et informaret. Nimirum ita simul et

*) Haec enim nostra sententia est, quam rursus pervertit Dittrich. l. c. p. 69., qui nobis affinxit paene mirabilia, de quibus ne somniavimus quidem. Nimirum fieri ita solet, ut quo suppetant reprehendendi argumenta, materies reprehensionis saepenumero temere confingatur. Sed de re ipsa nuper, priusquam libellus Dittrici prodiit, egimus dilucidius in Commentat. de Politico Platonis p. 20 sqq., ubi tempus scriptionis probe ab editionis tempore distinguendum esse docuimus.

**) V. Prolegg. ad Politic. p. 28 sqq.

suam sentiendi agendique rationem defendit, qua missis civilibus negotiis philosophiae studiis operam dare constituerat, et quid in republica regenda moderandaque tanquam summum spectandum esset, aequales suos grandi sane et magnifico proposito rei exemplo prudenter admonuit. Hunc vero Politicum proxime iunxit Sophistae, cuius rei quum aliae fuerunt caussae, de quibus nuper in Prolegomenis ad eum dialogum copiosius explicavimus, tum etiam haec extitit, quod in his libris omnibus una opera atque simul dialecticam, a Megaricis accuratius tractatam, multum locupletavit atque amplificavit. Quemadmodum enim in superioribus libris, qui Socraticum referunt morem et consuetudinem, distinctis formis et generibus notionum, definiendi potissimum artificium, illustraverat, sic in Sophista ac Politico cum primarii argumenti exploratione artificio prorsus admirabili dividendi atque partiendi disciplinam atque institutionem copulavit; in Parmenide autem etiam argumentandi concludendique rationem ad Megaricae rationis imitationem descriptam iuxta cum subtilissima de ideis disputatione exhibuit, ita ut his demum libris absolutis etiam dialecticae disciplinam perfecisse iudicandus sit.

Verum enim vero nec tunc vir divinus in via instituta sibi putavit consistendum esse; imo quo plura vel ab aliis didicerat vel ipse mentis suae acumine repererat, tanto maiore veritatis indagandae cognoscendaeque studio inflammatus est. Perquisiverat tunc, ut vidimus, a notionum observatione profectus et scientiae vim atque fontes contemplatus denique ideas, earumque vim rationemque et metaphysicam et dialecticam omnem diligentissime rimatus erat. In quibus meditationibus fieri paene non potuit, quin etiam in eius ideae cogitationem deferretur, quae id, quod omnibus numeris esset perfectum absolutumque, complecteretur. In hac vero boni idea contemplanda totus defixus est eius animus. Hanc igitur iam in Politico ad informandam optimam et universi mundi et humanae civitatis gubernationem adhibuit; hanc etiam postea ad gravissimarum rerum quaestiones subtiliter instituendas traducendam iudicavit. Interea vero magna insecuta erat vitae fortunaeque eius commutatio. Redierat enim post longes peregrinationes rursus in patriam suam. Quo facto, ne vitam otio parum honesto transigeret, patriae et civibus suis ita prodesse decrevit, ut explicaret et cum aliis communicaret, quas quum olim

tum in itineribus suis collegisset sapientiae copias. Scholas enim habere instituit. Quid autem cum putabimus tunc sibi maius aut antiquius duxisse, quam ut philosophiae dignitatem ac praestantiam omnibus tanquam ob oculos poneret eiusque studium quam gravissime commendaret? Id ipsum igitur fecit, atque fecit sic, ut simul admirabilem in Socratem, magistrum quondam suum, pietatem, nulla temporum diuturnitate nullaque locorum vicissitudine debilitatam illam aut minutam, palam declararet. Narrant scriptores quidam veteres, omnium dialogorum, quos scripserit, Phaedrum primum fuisse. Quae sententia sicuti multis premitur difficultatibus, ita ad nostram usque memoriam maximorum errorum caussa extitit. Enimvero fluxit illa narratio, ut in Praefatione huic operi praemissa ostendimus, ex falsa verae narrationis interpretatione. Nam non primus hic fuit dialogus, quem Plato adolescens scripsit; sed primus fuit, quem in lucem emisit, posteaquam scholas habere atque certam quandam doctrinam condere instituit. Itaque qui illud memoriae prodiderunt, hi Platonem philosophum factum, qui tanquam liber ac sui iuris extitisset, male confuderunt cum Platone homine, et protenus ad hunc transtulerunt, quod de illo fuisset narratum. Et certe totum illud opus unice convenit in ea tempora, de quibus loquimur; imo etiam ex iis unis accipit lucem suam. Nam ut nihil dicamus de censura orationis Lysianae atque rhetorum; quod eloquentiam docetur vanam esse nugarum captatricem, nisi vim roburque suum ducat ex augusto illo tanquam philosophiae sacrario; quod viva philosophiae institutio librorum scriptioni anteponitur longissime; quod denique amor atque studium rerum divinarum, quo veri germanique philosophi pectus incalescere soleat, vividissimis depingitur coloribus: nonne haec omnia vel maxime decent eum, quem credibile est suscepto nuper philosophiae tradendae munere, hominum malignorum vocibus contemtis aut ineptorum nugis explosis, tanquam divino quodam instinctu fuisse concitatum, ideoque limpidissimae laetitiae sensu perfusum mente et animo ad coelestia divinae veritatis spatia evolavisse*)?

*) Assensi sunt nostrae sententiae Car. Fr. Hermannus atque Nitschius Comm. De Platonis Phaedro. Kilon. 1833. 4 Adversatus est nuper Dittrich. Prolegg. ad Plat. Cratyl. p. 50. Qui sic argumentatur: „Haec idearum doctrina quum

Atque hunc ipsum veri philosophi amorem Plato eodem fere tempore etiam in Symposio depinxit, quod quidem cum Phaedro censemus tanta necessitudine esse coniunctum, ut uterque liber tantum non pro uno opere habendus videatur. Sed quod modo dicebamus, elucere in his eius scriptis summam erga magistrum pietatem, id luculentissime in eo conspicuum est, quod in utroque libro Socratem finxit cum, qui contemtis voluptatum illecebris animum suum semper in rerum divinarum cogitatione defixum habeat, et in quo perfecti philosophi summo divinae sapientiae amore flagrantis species et imago expressa cernatur. Nimirum ita in patriam redux factus Atheniensibus luculentissime ostendit, eundem illum Socratem, quem olim tanquam impium sacrilegum damnavissent, perfecti sapientis perfecto munere functum esse; simul vero etiam declaravit ac patefecit, ingentem esse philosophiae dignitatem et magnificentiam, quam pusilli hominum animi vix ac ne vix quidem caperent et intelligerent. Verisimile est autem his duobus operibus splendidissimis proxime additum esse tertium, Phaedonem dico. Nam quemadmodum in Phaedro et Symposio vivi Socratis imago proponitur, unde cognoscatur, quanta cum animi voluptate verus sapiens rerum divinarum, hoc est idearum, pulcritudinem contempletur et intueatur: ita in Phaedone morientem Socratem conspicimus talem, qui vel morte appropinquante, imo iamiam imminente, nullo metu aut terrore perculsus, sed plenus admirabili mentis animique hilaritate, de eo quod per se est bonum, honestum, pulcrum, quodque sempiternum habetur, lubentissime et amabili cum tranquillitate disputat, lugen-

„propria sit philosophiae Platonicae, fieri non potuit, „quin a Platone pronunciaretur, quum primum „ipse philosophiam profiteretur. Est autem doctrina „illa in Phaedro exposita, ut nonnullos dialogos Plato in ea „parte abruperit, quae ex Phaedro suam peteret lucem. „Phaedrum igitur ad primos Platonis dialogos recte retulisse „mihi videntur Viri docti.“ Quae posuisse est explosisse. Nec vero etiam, quae Boeckhius Philol. p. 105. disputat, plus valent, quam ut efficiatur, potuisse Platonem iam ante Socratis mortem aliquam philosophiae Pythagoricae notitiam accipere. Hinc vero ecquis tandem protenus concludet, id revera ita factum esse? Nimirum ut loquar cum barbaris dialecticis, sed iisdem tamen dialecticis, a *posse* ad *esse* non valet conclusio. Valent autem hac in re plurimum testimonia antiquitatis.

tesque amicos ac familiares rerum sempiternarum cogitatione ad laetissimam spem immortalitatis erigit. Quod quis est quin videat quam bene cum Symposii et Phaedri argumento conveniat, praesertim quum etiam principalis libri disputatio ad illustrandam quum idearum tum mentis animique humani naturam referatur?

Atque hic tandem videmur pervenisse ad ea tempora, quibuscum nostro quidem iudicio Philebi arctior quaedam intercedit coniunctio et necessitudo. Cognovimus hactenus, qua via Plato pedetentim in excolenda perficiendaque disciplina et ratione sua progressus sit, atque vidimus ipsum doctrinam idearum denique ita consummasse, ut singula atque cuncta doctrinae suae capita ad eam tanquam ad arcem quandam sapientiae merito referre posset. Tunc ipsum vero escendit mente atque animo etiam ad boni ideam, omnium idearum principem, hoc est, ad ideam eius, quod in se esset perfectum, absolutum, consummatum, et unde omnis omnium rerum perfectio et absolutio proficisceretur. Cavendum est enim ne b o n i nomen audientes de honestate tantum aut probitate cogitemus, quod qui ita fecerunt, a Platonis mente et sententia aberrarunt longissime. Hac vero idea summae perfectionis, quae ipsius sententia in uno Deo reapse expressa cernitur, et cuius mens humana, utpote ex numine divino tanquam decerpta ac libata, aliquatenus certe capax est, hac, inquam, boni idea ita sibi ad locupletandam omnem sapientiae disciplinam utendum statuit, ut eius ope maximis atque gravissimis quum vitae humanae tum universae rerum naturae partibus lux admoveretur *). Itaque quaerere tunc instituit, quid in vita singulorum hominum, quid in constituendis gubernandisque civitatibus, quid denique in universa rerum natura ad illam referri oporteret; quod quidem eo modo perfecit, ut doctrinae opes in peregrinationibus comparatas magnamque partem a Pythagoreis acceptas ad harum rerum pervestigationem sapienter traduxisse videatur. Scripsit igitur tunc libros qui sunt de Republica, in quibus et optimi hominis et optimae

*) Etiam in scholis omnem doctrinam suam ad boni ideam retulit, eamque ob causam et Aristoteles et eius condiscipuli commentarios suos de Platonis philosophia libros περὶ ἀγαθοῦ inscripserunt. v. Brandis Comment. De perditis Aristot. libris p. 4. sqq.

civitatis imaginem ob oculos posuit; scripsit item Timaeum, grande opus et magnificum, in quo exposuit verisimilia de rerum natura. Nimirum utriusque operis tanquam semina quaedam iam in Politico inclusa fuerunt, in quo libro magnifica illa et grandis fabula cum Timaeo maximam habet cognationem, alia autem ad rerum publicarum institutionem et gubernationem referuntur, qualem descriptam reperimus in libris de Republica et in iis libris, qui postea demum conscripti sunt de Legibus. Sed antequam Respublica et Timaeus in lucem prodiit, Philebum censemus ab eo litteris consignatum esse. Cuius quidem sententiae nostrae plures habemus causas atque rationes, quas hic paucis attigisse iuvabit; nam singula certius confirmabuntur infra in universi dialogi enarratione. Etenim primum quidem in hoc libro consummantur quasi atque complentur ea, quae in iis, quos iam ante ipsum editos fuisse putamus, dialogis de dialecticis explicata leguntur. Deinde quae de summis rerum principiis secundum Philolaum traduntur, ita comparata sunt, ut quantumvis etiam ad Parmenidem interpretandum faciant plurimum, tamen inprimis viam muniant ad intelligendum Timaeum. Praeterea non pauca in Philebo significantur brevius, quae postmodo in Republica et Timaeo demum plenius illustrata sunt, quorsum pertinent maxime quae de generibus voluptatis ac scientiae disseruntur, sicuti suo loco in Commentariis nostris ostendetur. Denique philosophus etiam in his rebus explicandis atque illustrandis eam viam tenuisse videtur, ut a morali singulorum hominum vita consideranda initium quaerendi fecerit, tum ad civitatum communitatem progressus sit, denique vero ad universae rerum naturae accesserit contemplationem, cum eaque arte sollertissima copulaverit naturae humanae indolis ac virtutis descriptionem. Iam vero illud ipsum in Philebo potissimum exquiritur, quodnam esse debeat tanquam temperamentum ethicarum hominis virium, quo vita hominum moralis ad quam maximam perveniat perfectionis laudem eoque summo bono potiatur. Ex quo consequens est, ut hic liber maioribus illis atque amplioribus operibus antecessisse videri debeat.

Atque hoc loco nos tandem videmus revertisse ad id, unde supra digressi sumus. Volebamus enim accuratius videre et cognoscere, quid tandem fuerit, quod Platonem ad hanc de summo bono quaestionem per-

tractandam impulerit, et quanam ratione totam rem spectaverit ac diiudicaverit. Quod dum exquisivimus, paene inviti emensi sumus omnem fere studiorum cursum, quem singulari quadam fortunae varietate peragrare coactus fuit. Hoc ipsum autem facientes tanquam casu quodam id sumus consecuti, ut quemnam locum Philebus in scriptorum Platonicorum numero tenere iudicari debeat. Etenim ex his, quae disputavimus, sponte appariturum esse existimamus, falsos esse iudicio suo Schleiermacherum, Astium, Cousinum*), alios, qui librum hunc aut cum uno Phaedone maxime, aut cum Cratylo, aut cum Theaeteto, cohaerere sibi persuaserunt. Nimirum cohaeret ille profecto cum iis scriptis omnibus, in quibus una alterave pars eius doctrinae, quae in ipso fusius explicatur, vel praeparatur vel illustratur uberius. Quemadmodum enim fructus et flores arborum aut plantarum ex universa stirpe eiusque naturali explicatione gignuntur, ita Philebus noster ex omni Platonici ingenii ubertate provenisse censendus est. Quanquam ex scriptis philosophi ante alia omnia huc referenda sunt ea, in quibus vel sensualistarum, quos cum nostris dicere licebit, doctrina refellitur, vel illustratur idearum doctrina. Verum mittimus haec: erunt enim per se, opinor, perspicua iis, qui quae de dialogi argumento deinceps explicaturi sumus, cum iis comparaverint, quae hactenus de Platonis temporibus studiorumque ratione exposuimus.

Parata autem iam tandem responsio est ad ea, de quibus antea vehementer ambigebamus. Intelleximus enim perspicue, opinor, Platonem ad gravissimam hanc quaestionem excitatum utique esse varietate illa sententiarum, quae inter ipsos Socraticos de his rebus regnabat; nec vero prius illam subtilius tractandam suscepisse, quam quum idearum doctrina ab ipso iam condita atque exaedificata fuit. Ex quo consequens esse putamus, ut eum existimare debeamus et dissensionis Socraticorum duxisse rationem, et totam caussam disceptasse sic, ut in ea diiudicanda boni ideam respexerit et ob oculos habuerit. Quamquam fieri non potuit, quin in gravissimi

*) Cousin. Opp. Plat. II. p. 445. Le *Philèbe* est véritablement le complément du *Théétète*. Le *Théétète* est consacré à la réfutation du principe; le *Philèbe* à celle de la conséquence.

uberrimique argumenti explicatione etiam ea proferret in medium, quae alibi nondum attigisset vel explicavisset. Sed de his non est quod nunc peculiari opera exponamus. Transeamus potius ad alia, atque videamus, unde philosophus quaestionis initium sibi faciendum putaverit et quasnam potissimum scholas philosophantium respexerit; quo facto in sermonis enarratione ulterius pergemus.

Examinandas vero sibi sumsit Plato duas sententias inter se oppositas et contrarias de summo bono, quod vitae humanae posset obtingere *). Nam non de bono absoluto atque in se perfecto, sed de vitae humanae bono sermonem agitari, etsi nuper fuerunt qui praefracte negarent, tamen nostra quidem sententia non poterit dubitari nisi ab iis, qui praeiudicatis occoecati opinionibus non tam quid Plato exposuerit, quam quod ipsi ab eo expositum velint, ob oculos habere solent. Nimirum confuderunt illi res duas inter se dissimillimas. Senserunt enim utique iudicium de summo vitae humanae bono denique ad ipsam summi boni ideam referri atque exigi, sed praepostere profecto inde concluserunt, non esse primariam quaestionem, quae in hoc libro agitatur, de vitae humanae bono institutam. Sunt autem duae illae sententiae eaedem, quae omni fere aetate, quando de his rebus disputatum est, semper principes esse visae sunt: altera enim voluptatem tuetur tanquam maximum humanae naturae bonum; altera illud in mente et scientia ponit. Illam defendendam susceperunt Philebus et Protarchus; hanc Socrates unice probat. Quae quidem si quaerimus a quibusnam potissimum illius aetatis philosophis vel propositae vel propugnatae fuerint, non diu ea de re ambigendum videtur. Certum enim habemus atque exploratum, si a Sophistis discesserimus, etiam inter ipsos Socraticos, quibuscum Platoni res fuit, extitisse qui illas suas fecissent. Nam caussam voluptariam egit maxime Aristippus Cyrenaicus; quanquam quousque ille in ea re processerit, sanequam dubitari licet. Verumtamen eum voluptatem et vitae iucunditatem pro maximo bono duxisse, neutiquam dubitabunt, qui quae de eo memoriae prodiderunt Xenoph. Mem. II, 1. Aristot. Metaph. III, 2. Sext. Emp. adv. Mathem. VII,

*) Varias philosophorum de summo bono sententias paucis perstringit Aristoteles Ethic. Nicom. I, 4, conf. Ethic. Eud. I, 1 et 3.

11. Diogen. Laërt. VI, 92. Horatius, alii, suis momentis ponderaverint. Et videtur omnino haec sententia fuisse propria plurimorum, quemadmodum ex ipso Platone Phileb. p. 67. C. intelligitur, ubi haec sunt: *οἷς πιστεύοντες — οἱ πολλοὶ κρίνουσι τὰς ἡδονὰς εἰς τὸ ζῆν ἡμῖν εὖ κρατίστας εἶναι κ. τ. λ.*, ad quem locum alia quoque rei testimonia adhibuimus. Alterius vero opinionis, qua summum bonum in mente et scientia ponebatur, praeter alios Euclides ceterique Megarici extiterunt patroni ac defensores. Hi enim pro summo bono habuerunt id, quod mente cogitaretur, hoc est, ens illud suum intelligibile, ad quod omnem veritatis cognitionem referebant, et cui ipsam mentem rationemque volebant esse quam simillimam atque coniunctissimam. Testatur id luculentissime Diogen. L. II, 106. qui de Euclide sic scripsit: *τὸ ἀγαθὸν πολλοῖς ἀπεφαίνετο ὀνόμασι καλούμενον· ὁτὲ μὲν γὰρ φρόνησιν, ὁτὲ δὲ θεόν, καὶ ἄλλοτε νοῦν, καὶ τὰ λοιπά· τὰ δὲ ἀντικείμενα τῷ ἀγαθῷ ἀνῄρει.* Quae confirmantur etiam verbis Ciceronis Academ. II, 42: Quorum (Megaricorum) fuit nobilis disciplina, cuius, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi; deinde eum sequuti Parmenides et Zeno. Itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus, a quo iidem illi Megarici dicti: *qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum et simile et idem semper.* Atque hanc ipsam sententiam susceperunt etiam ii, qui dicti sunt Eliaci vel Eretriaci. Nam Cicero eo quem diximus loco: A Menedemo autem, inquit, quod is Eretria fuit, Eretriaci appellati; quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur. Enimvero Menedemus, Phaedonis Elei, eius, cuius nomen Plato scripto Phaedone suo immortalitati consecravit, rationem ac disciplinam sequutus est, Megaricae adeo similem et cognatam illam, ut ipsi scriptores veteres utramque non raro confuderint *). Exposuit de eo copiosius Diogen L. II, 18. Is vero quum Olymp. CXXV. 4. c. a. 277. ante aeram Chr. vita defunctus videatur, Platoni si non aequalis, at certe suppar fuit. Ex quo

*) V. Deyks De Megaricis p. 17.

verisimiliter licet coniicere, sententiam eius iam inde ab Euclidis aetate in ipsius schola fuisse celebratam ac deinde fortasse exornatam copiosius. Verum hoc utcunque sese habet, illud quidem extra dubitationem positum esse putamus, inter Socraticos inprimis hos fuisse ac fortasse Antisthenem, de quo v. Ritter. Hist. Phil. Vol. II. p. 120. ed. I., qui in mente ac scientia bonum positum arbitrarentur. Quamquam Plato ratione eorum aliquantum amplificata atque dilatata omnino quaerendum sibi statuit de mentis ac sapientiae usu et possessione, adiunctis etiam rectis opinionibus, in quibus et ipsis nonnullos scientiam contineri voluisse ex ipsius Theaeteto constare debet. Id quod licentia haudquaquam nimia sic ab eo factum esse unusquisque facile largietur, qui universam quaestionem diligenter consideraverit.

Iam vero quod Protarchus partes agit eorum, qui omnia tribuebant voluptati, Socrates autem adversariorum sustinet personam, neutrum inepte confictum esse facili negotio demonstrari potest. Nam Protarchus adolescens quum Gorgiae auditor fuisse dicatur, qui bonum et honestum ab utili haudquaquam seiungebat aut potius virtutem volebat in utilitatis atque commodi comparandi sollertia et facultate consistere, ecquis est, quin protenus videat quam recte ille iam Hedonicorum causam tueatur? Socrates autem quod Megaricorum et Eretriacorum defendit sententiam aut certe similem rationem, nec hoc abhorret a verisimilitudine. Censebat enim ipse virtutem contineri scientia, virtutis autem cultu et exercitatione etiam id, quod bonum esset, certissime comparari arbitrabatur. Quocirca teste Laërtio II, 31. docebat utique ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι τὴν ἐπιστήμην. Quod quam prope ad illam ipsam sententiam accedat, quam apud Platonem ab initio defendendam suscepit, etiam sine nostra admonitione facile perspicietur.

Sed haec omnia quum satis clara et perspicua fore existimemus, tamen unum restare arbitramur, quod nonnihil dubitationis afferre possit. Jure enim aliquis miretur, quod Plato eorum tantum habuit rationem, qui aut voluptatem aut mentem et scientiam pro summo bono duxerunt; ceterorum sententias, quae sanequam variae fuerunt ac multiplices, non respexit et examinavit. De qua re quid existimandum sit, non erit supervacaneum paucis exposuisse.

Ne igitur philosophum hac in re temeritatis alicuius incusemus, primum tenendum est, ne aliorum quidem opiniones plane silentio transmitti, quandoquidem Antisthenis quidem sententiam locis compluribus attigit: aliorum autem rationem subinde, ut videtur, tacitus respectavit. Deinde ipsa Platonis de summo hominis bono sententia effecit, ut illas potissimum opiniones in examen vocaret. Censuit enim philosophus, idque profecto rectissime, hominis bonum non alibi esse quaerendum nisi in ipso homine, hoc est in naturae humanae quam maxima perfectione, qua ita fieret, ut pro eius condicione ad quam maximam perveniretur vitae felicitatem. Quamobrem omnis harum rerum disputatio profecto ad ipsius hominis indolem ac naturam attemperanda fuit. Persuaserat vero sibi Plato duplicem esse hominis tanquam personam, prouti duplicem in eo naturam liceret discernere. v. Tim. p. 41. E. sqq. Distinxit igitur etiam duas principales animi partes, alteram rationalem, quae esset mentis atque rationis, quam appellavit *τὸ λογιστικόν*, alteram irrationalem, sive *τὸ ἄλογον*, quae prouti aut generosior esset aut menti et rationi adversaretur vehementius, vel iram complecteretur vel cupiditatem, ideoque in *τὸ θυμοειδές* et *τὸ ἐπιθυμητικόν* dispesci posset. De qua sententia quum aliis locis disseruit, tum inprimis Gorg. p. 493. A. sqq. Phaedr. p. 237. D. sqq. ibid. p. 246. A. sqq. De Rep. III. p. 410. B. sqq. IV. p. 439. B. sqq. IX. p. 580. D. Tim p. 68. E. sqq. copiose exposuit. Haec igitur quum ita statuerit, facile apparebit, cur in Philebo, consummatum ac perfectum vitae humanae bonum investigaturus, de voluptate atque mente et scientia potissimum quaerendum iudicaverit. Alterum enim pertinet ad eam hominis partem, quae mente et ratione constat et cuius est verum indagare atque cognoscere; alterum refertur ad illam naturae nostrae ipsiusque corporis proprietatem, qua sentimus, qua concupiscimus, qua denique appetimus ea, quae desideriis nostris satisfactura videantur. Quocirca Plato haudquaquam inepte putandus est ita statuisse, ut his duabus rebus exploratis de summo hominis bono prudenter iudicari posse sibi persuaderet *),

*) Aliter Aristoteles Ethic. Nicom. I, 5. §. 2 sqq. qui, quoniam ad vitam bene beateque degendam tria bonorum genera requiri soleant, perspicientia veri, virtus et voluptas, tria vitae

praesertim quum statim initio dialogi significaverit temperamento quodam opus fore, quo denique maximum illud bonum efficiatur, ad cuius possessionem atque fructum omnes naturali quodam appetitu impellantur atque auferantur. Etenim sicuti secundum eius sententiam virtus in eo posita est, ut homines facultates sibi tributas ita regant iisque sic utantur, ut inter se consentiant neque sensus et animi perturbationes vitae concentum auferant, ita etiam summum vitae humanae bonum censuit in ordine perfectissimo contineri, quum voluptates mentis imperio pareant.

Sed satis haec sunt de dialogi principio. Quae si cui videantur uberiora atque copiosiora, quam exordium libri postulaverit, is reputet quaeso, ista omnia ad eorum, quae deinceps a Platone disputata sunt, interpretationem atque explicationem haudquaquam inutilia fore. Verum accedamus tandem ad enarrationem eorum, quae deinceps a Socrate et Protarcho disseruntur.

Cap. II.

Inchoatur dialectica disceptatio de generibus et formis rerum. Platonis ἓν καὶ πολλὰ καὶ ἄπειρα. Via disserendi analytica et synthetica illustratur.

Posteaquam igitur inter disputantes convenit rem controversam atque dubiam quovis pacto esse investigandam atque exquirendam, primum quidem Socrates monet, voluptates non videri unius esse generis, sed admodum varias ac diversas, ut opus sit eas diligenter secernere ac segregare, ne quum omnes simpliciter bonae dicantur, aliqua fraus admittatur. Quod eius iudicium Protarchus ita probat, ut easdem tamen contendat generis communitate quadam contineri ideoque nullo modo esse dispares. Cui respondet Socrates id, quod nunc omnes pro vero probant, generis unitate haudquaquam tolli diversitatem et varietatem partium atque formarum; neque aliam esse scientiae quam voluptatis rationem; nam illam quoque, etsi genere una habeatur, tamen partium varietatem ac multitudinem haudquaquam aspernari. Quae posteaquam Protarchus tandem per-

---

genera, contemplativum, βίον θεωρητικόν, actuosum, βίον πολιτικόν, et voluptarium, βίον ἀπολαυστικόν, in hac caussa consideranda arbitratur.

spexit et pro veris probavit (p. 14. A.), exquirere instituunt, num voluptas an sapientia pro ipso bono ducenda sit, an denique tertium quiddam eam laudem sibi vindicet, siquidem dubium sit, num alterutra omnes perfecti boni numeros sit expletura (p. 14. C.). Quoniam autem antea de generis et formarum ratione dubitatum erat, Socrates ante omnia quaerendum censet, quaenam ratio intercedat inter unum (ἕν), multa (πολλα), atque infinita (ἄπειρα). Omnem enim rei cardinem videt in eo potissimum verti, ut, si de voluptatis et scientiae natura recte iudicare velint, utriusque genus et formae accurate investigentur atque definiantur. Vocat autem Plato τοῦ ἑνός nomine nunc genus; multa porro appellat generis formas atque species; denique infinita sive ἄπειρα dicit singula atque individua, quippe quae notionis unitate comprehendi propter immensam copiam et varietatem suam nullo modo possunt. Qua in re etsi Pythagoreorum et Eleaticorum vestigia legisse videri potest, tamen nominum usum sine dubio suae rationi accommodavit atque adeo perfecit et excoluit, quandoquidem τὰ πολλα primus videtur de formis generi subiectis dixisse, quae medium quasi locum inter τὰς ἑνάδας s. μονάδας (Phileb. p. 15. A. B. 86. D.) et τα ἄπειρα tenerent. Fuit autem haec quaestio de uno et multis illo tempore, ut videtur, studiose agitata, inprimis ab Eristicis, qui eadem ad malas argutias abutebantur. Contendebant enim illi, unum non esse multa ac vicissim, ex eoque argumento cavillationes repetebant multiplices. Cuius rei Plato saepius fecit mentionem, veluti in Sophista p. 251. A. B. C. et in Parmenide p. 129. C. sqq. quibus locis qui ita statuebant similiter atque in Philebo notantur ac perstringuntur. Nimirum pessimo illi errore an fraude dicam rerum singularum rationem confundebant cum idearum sive notionum mobilitate, quae sane unum et multa haudquaquam aspernatur (p. 14. E sq.). Sed istorum homuncionum philosophus nunc nullam rationem habendam esse arbitratur, quippe qui proferant nimis trita ac puerilia. Quamobrem statim accedendum esse ait ad consideranda et examinanda ea, quae sola mentis vi et cogitatione comprehenduntur, quae revera suis quibusdam difficultatibus laborare ultro profitetur (p. 15. B. C.). Itaque deinde unum illud et multa (τὸ ἓν καὶ πολλά) ita illustrare conatur, ut et syntheticam et analyticam disserendi

viam ac rationem disputatione sua complectatur atque utramque elegantissime patefaciat. Primum igitur censet in omni cuiusque rei quaestione id agendum esse, ut una et communis quaedam idea indagetur, qua singula tanquam communi vinculo continentur; nam ita immutabili quadam eademque inexplicabili naturae lege esse institutum, ut omnia unum et multa sint, et infinitatem pariter atque unitatem in se contineant (p. 16. C.). Inventa autem illa deinde ad partium et formarum, quae ei subiectae sint, exquisitionem esse progrediendum, nec statim festinandum ad innumera sive individua. Denique formis indagatis transiri oportere ad singula rimanda atque iudicanda. Hoc ipso enim, inquit, differt eristica disputandi ratio a vera germanaque dialectica. Nam qui illam generum et formarum negligunt coniunctionem ac necessitudinem, ii non dialecticorum more disserere solent, sed captiose, atque litigiose (p. 17. A.). Illustrare deinde instituit Socrates ea, quae modo exposuit, exemplo a grammatica et musica arte repetito. Sed dum id facturus est, Philebus, morae impatiens, rupto silentio, sese non intelligere ait, quid ista ad praesentem disputationem pertineant (p. 17. E.). Cui tamen Socrates prudenter regerit id postmodo intellectum iri; nunc enim etiam aliud quid ad rem propositam plenius illustrandam addi oportere. Nimirum explicaverat antea analytice disserendi viam et rationem; nunc etiam syntheticam vult patefacere. Quod quidem exemplo vocis et litterarum in medium allato ita peragit, ut copiosissime ostendat, ab infinitis rebus et individuis etiam ad formas et partes posse adscendi, ab his vero denique inverso ordine ad summum genus perveniri, cui illae omnes subiectae sint (p. 18. C.).

Perquam gravis ac memorabilis totus hic locus est, quo uno maxime Plato suam de notionum coniunctione deque via disserendi analytica et synthetica sententiam tam luculente exposuit, ut totam rem ipsi accurate cognitam perspectamque fuisse haudquaquam dubitare liceat. Iuvabit autem hic illud inprimis animadvertisse, idem argumentum a philosopho in Phaedro potissimum, Sophista, Politico, Parmenide et Republica attingi, ita tamen, ut illud minus plene et accurate ibi exposuerit, sed tanquam brevi perstrinxerit. Ex Phaedro referendus huc est nobilissimus ille locus p. 265. D. sqq., ubi item analytica pariter atque synthetica quaerendi ratio

significatur. Ex Sophista pertinent huc verba p. 253. D. sq., quae nuper in Commentariis nostris explicavimus accuratius. Parmenidis porro locus, qui ad hanc dialecticae partem spectat, est p. 129. B. sqq. In Politico notatu digna illa sunt, quae inde a p. 262. A. et p. 285. A. sqq. scripta leguntur, et quibus nuper lucem affundere conati sumus. Respublica denique quum alia, tum haec quoque habet in hac caussa memorabilia, Libr. V. p. 454. A. sqq. VII. p. 534. B. sqq. Illi igitur libri tanquam sedes ac domicilium huius doctrinae sunt; quamquam nec in aliis scriptis desunt singuli quidam loci, ubi eadem illa attingitur. Nimirum in Sophista et Politico philosophum id egisse novimus, ut cum propositi argumenti primarii illustratione dividendi partiendique doctrinam traderet ad similitudinem rationis Megaricae adumbratam; in Parmenide vero argumentandi viam et rationem, qua utebantur Megarici, emendatam perfectamque exhibuit. Denique in Phaedro, quantum dialectica ad omnem sapientiae doctrinam valeret, breviter descripto illius munere significavit. Haec omnia autem in Philebo tandem disputatione sua complexus est, in quo opere accuratissime ac plenissime de dialectici officio exposuit, et analyticam pariter atque syntheticam disserendi rationem in illustriore luce collocavit. Quo ipso egregie profecto meruit de omni philosophia, atque adeo effecit, ut a multis analytice philosophandi auctor habitus sit. v. Diog. Laërt. III, 24. coll. Aristot. Anal. I. 1. Top. I, 1. et 10. Nec vero Aristotcles diffitetur Platonem disserendi subtilitate superiores philosophos omnes, qui fuerint indoctis pugilibus similiores, longissime superavisse atque methodum disputandi eam tradidisse, quae litteris plurimum emolumenti attulerit. Quocirca ipse quoque plurima inde profecisse existimandus est atque in doctrinae copiis ordinandis disponendisque sic versatus esse, ut magistri disciplina dialectica adiutus ac sustentatus sit. Verum haec tanquam in transcursu. Redimus ad locum Philebi. In quo praeter ea, quae exposuimus, etiam aliud quid non indignum videtur diligenti animadversione. Etenim quum in aliis Platonis dialogis qui cum Socrate colloquentes inducuntur fere haereant in singulis formis ac partibus earum rerum, de quibus disputatur, neque animum possint ad genera eorumque notiones attollere, in Philebo nostro Protarchus facit contrarium, quippe qui genus volupta-

tis adeo teneat pertinaciter, ut formarum varietatem aut sublatam cupiat, aut in ea certe diversitatem aliquam ac partium differentiam inesse omnino neget. In quo Plato, nisi egregie fallor, rursus respexit Megaricos eorumque assectatores sophisticos. Consentiunt enim ista omnia mirabiliter cum illis eorum decretis, quae nuper in Prolegg. ad Politic. p. 59 sqq. maxime inde a p. 62 sqq. illustrare conati sumus. Atque haec si non temere ita iudicavimus, facile intelligetur, hinc quoque verisimiliter coniecturam de tempore fieri posse, quo Philebum scriptum esse putare liceat. Sed pergimus in dialogi enarratione.

Cap. III.

Ostenditur, quorsum dialectica disputatio superior pertinuerit. Boni signa et argumenta afferuntur. Aristotelis de eadem re sententia. Cur Socrates sibi dicat rei notitiam divinitus esse impertitam. Nec voluptas nec scientia ad summi boni laudem sufficere iudicatur.

Posteaquam igitur de generum, formarum atque singularum rerum rationibus explicatum est, Socrates quid tota illa disputatio ad rem praesentem faciat, paucis verbis aperit. Censet enim, quoniam de voluptate et scientia instituta sit quaestio, utriusque genus et formas indagari oportere, quo rectius de eius natura atque dignitate possit iudicari. Quod etsi Protarchus ad omnem rei quaestionem utilissimum fore concedit, tamen rem admodum difficilem atque laboriosam futuram esse arbitratur. Quocirca totum hoc quaerendi negotium ipse detrectat atque uni iniungit Socrati (p. 19. D. E. 20. A.) Tum vero hic disputationem auspicaturus: Videor mihi, inquit, nescio quo modo audivisse, nec voluptatem nec sapientiam esse summum bonum, sed potius tertium quiddam, utraque illa multo praestantius atque excellentius. Quod si verum est, voluptas protenus erit a summi boni laude atque dignitate remota, neque nunc opus erit, ut singulas eius partes atque formas operosa diligentia investigemus. Est vero hoc. Bonum illud, de quo quaerimus, prorsus necesse est, et in se perfectum sit et natura sua sufficiens et omnibus optabile (sive *τέλεον*, *ἱκανόν* atque *αἱρετόν*). Quod

si tenemus, de optima vita facillimum erit iudicium. Nam nec vita voluptatis plena, nec ea, quae mente et scientia perfruitur, debet aut imperfecta esse, ut ex parte tantum beatos reddat qui eius sunt participes, aut aliqua re indigere, cuius adiumento vitae beatitas plane efficiatur, aut videri aliquo modo indigna esse studio nostro atque desiderio. Iam vero voluptatem quidem per se solam haud sane quisquam expetendam sibi putabit, nisi ea etiam adiunctam habeat mentem, scientiam, intelligentiam, memoriam; quandoquidem sine huius accessione nec potest fieri, ut nos gaudere ac laetari sciamus aut meminerimus. Ex quo apparet perspicue, voluptatem nec omnia explere naturae nostrae desideria, nec aliarum rerum ope et auxilio posse carere, siquidem vitae beatitas locum habitura sit. Nec vero aliter statuendum est de mente, ratione, scientia, memoria et rectis opinionibus, siquidem solae possideantur planeque separatae ac seiunctae sint a voluptatis et iucunditatis sensu. Quis enim vitam sibi deliget omni voluptatis fructu orbatam atque spoliatam? Itaque minime errabimus, nec voluptatem per se solam nec mentem et scientiam ab illa plane seiunctam ipsius boni nomine dignam existimantes. Imo potius sic statuemus, ut eam demum vitam, quae ex utraque mixta ac temperata sit, ad boni laudem ac praestantiam accedere nobis persuadeamus. Quod si ita est, illud unum quaerendum nunc nobis erit, utra sit praestabilior, voluptas an mens atque scientia; de qua re age iam dispiciamus accuratius (p. 20. B. — 23. A.).

In hoc loco non paucis, opinor, mirum accidet, quod Socrates plane immemor sit eorum, quae modo de divisione et partitione notionum deque genere philosophandi analytico et synthetico disputavit. Etenim missam ille facit hanc ipsam, quam antea necessariam iudicabat, de formis ac generibus voluptatis atque scientiae quaestionem, ac protenus ponit summi boni notas quasi quasdam, ex quibus de voluptatis et scientiae pretio ac dignitate repetatur iudicium. At enim vero quod primo adspectu praeter rectam rationem ita factum videatur, idem, ubi diligentius consideratum fuerit, sollertissimae artis laudem habere nemo temere inficiabitur. Nam revera Socrates illa ipsa praecepta dialectica, quae modo dedit, hoc loco non modo ob oculos habet, sed etiam diligentissime observat. Quum enim ab initio sermonis

de summo vitae humanae bono disceptatum sit, iam ille prudentissime universum illius genus sive τὸ ἕν definit, ostenditque voluptatem atque scientiam nihil esse aliud, nisi partes quasdam illi subiectas. Quo facto deinceps rursus de his ipsis seorsum quaeritur atque docetur, quodnam utraque secundum naturam suam genus, quasque formas ac partes habeat. Ita igitur apparet disputationis ordinem ac progressum utique eum esse, qui exquisitae elegantiae laudem tueri iudicandus sit.

Quemadmodum autem haec ita comparata sunt, ut ne morosissimus quidem dialecticus in iis reprehensionis alicuius caussam et argumentum inventurus sit, ita etiam aliud quid est, quod quum primo certe adspectu mirum videatur, tamen omnibus rei momentis accuratius pensitatis, vel excusationem vel defensionem suam facile inventurum sit. Etenim paucissimis sane Socrates absolvit rei gravissimae quaestionem, quandoquidem summi boni notas ponit tantummodo et in medium affert, non item illustrat et uberiore disputatione confirmat. Quid quod adeo p. 20. B. obscuram quandam sententiae suae originem his verbis indicat: *Λόγων ποτέ τινων πάλαι ἀκούσας ὄναρ ἢ καὶ ἐγρηγορὼς νῦν ἐννοῶ περί τε ἡδονῆς καὶ φρονήσεως, ὡς οὐδέτερον αὐτῶν ἐστὶ τἀγαθόν, ἀλλ' ἄλλο τι τριτον.* Nimirum facile philosophus pro acumine suo pervidit, hanc summi boni definitionem ita comparatam esse, ut nullam ferret aut desideraret argumentorum confirmationem. Quamobrem eam tanquam axioma quoddam proposuit; illud ipsum autem, quod ea nulla videretur indigere vel explicatione vel demonstratione, more suo ita significavit, ut eam tanquam divinitus sibi suppeditatam esse profiteretur, de qua eius urbanitate et elegantia uberius exposuimus in Commentariis. Neque profecto negari potest acutum verumque esse hoc Platonis iudicium, quod nec Stagirites, quantumvis etiam in hac philosophiae parte a magistro dissentiens, omnino aspernatus est. Is enim Ethic. Nicom. I, 6. §. 12 sqq. posteaquam Platonicam absoluti boni ideam funditus sustulit aut certe sustulisse sibi videtur, ubi transgreditur ad illud bonum considerandum, quod humanae actioni tanquam finis propositum sit quodque homo possit viribus suis assequi, haec fere disputat, quae dubitari non potest quin ad Platonicae sententiae rationem composita sint. Ultimum ac summum bonum,

inquit, non potest esse nisi id, in quo cernitur finis humanarum actionum omnium, sive τὸ τῶν πρακτῶν ἁπάντων τέλος. Hic autem finis non aliorsum referatur, sed in se ipse absolutus sit, necesse est. Quod si ita est, summum bonum consequitur ante omnia esse ἕν τι μόνον τέλειον sive ἁπλῶς τέλειον. Nam τέλειόν ἐστιν, ut ait Magn. Mor. I, 2. p. 7. ed. Bekk., οὗ παραγενομένου μηδενὸς ἔτι προσδεόμεθα· ἀτελὲς δέ, οὗ παραγενομένου προσδεόμεθά τινος. Atque hinc efficitur, ut bonum illud etiam propter semet ipsum expetendum sit, nec propter aliud quiddam optabile videatur. Erit igitur καθ' αὑτὸ αἱρετὸν ἀεὶ καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο. Iam vero eiusmodi bonum, quod finem suum tanquam in semet ipso inclusum teneat, erit etiam semet ipso contentum ac sufficiens; nam τὸ τέλειον ἀγαθόν (ἐστιν) καὶ αὔταρκες. Haec igitur Aristoteles de summi boni signis atque argumentis. Ex quibus consequi arbitratur, ut per tale bonum etiam efficiatur vita omnino optabilis ac nullius rei indigens (αἱρετὸν ποιεῖ τὸν βίον καὶ μηδενὸς ἐνδεᾶ). Talis autem vita secundum eius sententiam non alia est nisi beata. Quapropter beatitudinem vult tanquam summum finem humanis consiliis et actionibus omnibus propositam esse, adeoque summum bonum, quod quidem hominibus attingere liceat, in ea una quaeri oportere (τέλειον δή τι φαίνεται καὶ αὔταρκες ἡ εὐδαιμονία, τῶν πρακτῶν οὖσα τέλος). Quae ipsa sententia rursus a mente Platonis non multum discrepat. Nam beatitas ista, quam Stagirites vocat εὐδαιμονίαν, si verum quaerimus, certe non alia est quam optima illa vita, quam Plato, ex voluptatis et sapientiae temperamento ad mentis et rationis aeternae leges facto, tanquam sponte existere iudicavit. Ex his igitur perspicuum erit, opinor, quamobrem philosophus noster in maxima argumenti gravitate tamen summa usus sit disputationis brevitate *). De caussis vero, cur nec voluptas nec sapientia per se sola ad summum bonum absolvendum satisfacere existimanda sit, disputatur etiam De Rep. VI. p. 505. B. sqq. ubi tamen pro diversitate consilii, quod scriptor sequutus est, res alio modo atque hic exploratur ac decernitur. Nam ibi de idea summi boni, quod in se absolutum est, nec vero

*) Conf. etiam Proclus in Alcibiad. I. p. 153. ed. Creuzer.

de optima vita exponitur; quod si tenuerimus, haudquaquam mirabimur, cur ibi res omnino aliter atque hoc loco tractata sit. Praeterea de voluptate et iucunditate pariter atque sapientia ad vitae felicitatem necessaria non poenitebit contulisse locum gravissimum Legg. V. p. 732. D. sqq.

Cap. IV.

Voluptatis et mentis atque intelligentiae summum genus exquiritur. Summa rerum omnium generatarum principia sunt Infinitum, Finitum, Mixtum et Caussae genus. Pythagoreorum, inprimis Philolai, de eadem re sententia. Voluptatem Plato refert ad Infinitum, Mentem et intelligentiam ad Caussae genus. Mens humana ex mente divina delibata. Mens et ratio divina summa caussa rerum omnium.

Itaque hactenus Socrates disputatione sua utique effecit hoc, ut voluptatem et sapientiam boni generi tanquam formas atque partes subiectas esse appareat. Iam vero inde a p. 22. B. accedit ad has ipsas excutiendas atque perquirendas. Nam ut diiudicari queat, utra sit praestabilior atque summo bono propior et cognatior, utriusque illius cum genus tum formas ita exquirere instituit, ut earum vis et natura in illustriore loco collocetur. Quamobrem etiam aliud genus, cui eae subiectae putari debeant, investigat atque ponit. Etsi enim apparuit, eas boni summi partes esse, tamen, quoniam de natura earum agitur, talia ipsarum genera afferenda fuerunt, unde quid de vi et natura utriusque existimandum sit, cognosci possit penitus ac diiudicari. Quocirca recurrit Socrates ad summa rerum omnium principia, sine quibus nihil umquam generatum esse aut perfectum extitisse, et unde eorum omnium, quae originem aliquando habuerint, indolem ac naturam cognosci posse arbitratur. Qui quidem locus longe gravissimus est ad omnem Platonis doctrinam accuratius cognoscendam atque iudicandam. Quocirca primum quidem eius sententiam retulisse iuvabit; deinde vero exponemus, quae ad eius illustrationem facere videantur.

Quum igitur in superiore disputatione apparuisset, nec voluptatem nec scientiam summi boni laude ornari

oportere, dubitatio nata erat, essetne sapientia an voluptas praestabilior. De qua re nunc Socrates sic fere pergit disputare. Ego quidem, inquit, si quid iudicare possum, sic statuendum arbitror, ut sapientiam atque mentem voluptate longe praestantius quiddam et excellentius esse existimemus. Quod si verum est, voluptati neque primae neque secundae partes tribuendae erunt; imo etiam a tertiis longius aberit, quantum quidem nunc augurari liceat (p. 22. E sqq.). Sed hoc ipsum ut evidenter appareat, aliis quibusdam argumentis opus videtur, quam quibus adhuc usi sumus (p. 23. B.). Vidimus igitur antea, eorum quae sunt alia esse finita, alia infinita. Nam res individuae, de quibus antea disputatum est, inter τὰ ἄπειρα referebantur; his vero opposita sunt τὸ ἓν et τὰ πολλά, hoc est, genera rerum atque formae, quae in finitis numerari consentaneum est. His igitur duobus generibus nunc addamus tertium, ex illis compositum et conflatum, quod appellemus mixtum. Ad haec tria autem quartum accedat necesse est, quod finiti et infiniti mixtionem veluti temperet atque moderetur, hoc est, genus caussae. Nam quinto quodam genere, quod vim segregandi ac disiungendi habeat, haudquaquam indigebimus. Habemus igitur quattuor rerum omnium principia, quae etiam ad voluptatem ac sapientiam recte prudenterque aestimandam plurimum valebunt. Ac primum quidem de finito et infinito, et quale quidque sit quave indole et natura utatur, paucis dispiciamus. Ordiamur ab infinito, quod tamen quodammodo etiam multa est, siquidem illud etiam suis quibusdam generibus ac partibus distingui potest (usque ad p. 24. A.). Pertinet igitur ad illud omne id, quod certo modo et ratione caret omnemque graduum aspernatur mensuram, nulla ut in eo cernatur quantitatis aut qualitatis alicuius lex atque virtus (p. 24. A — E.). Ex quo intelligi debet, qualis sit finiti sive finientis, utpote illi contrarii, indoles ac natura. Nam quidquid capax est atque particeps certi modi, numeri, rationis definitae, id ad finitum referri consentaneum est (p. 25. A.). Iam vero infinitum ubi cum finito in unum coit, ideoque certis tanquam finibus ac terminis includitur, tertium oritur genus, quod mixtum (συμμεμιγμένον) appellemus. Hoc vero genus ambitu suo complectitur quidquid boni perfectique in rerum natura pariter atque in vita hominum usquam

exstitit. Hinc enim efficitur recta corporis valetudo; hinc musica; hinc iusta coeli aërisque temperies; hinc pulcritudo, non modo corporis, sed etiam animi, siquidem per eius vim et efficacitatem lubidinis ac voluptatis intemperantia certae legi ac modo adstringitur, ut ne extra iustos evagetur terminos; hinc denique praeclara quaevis originem habent suam. Itaque tertium hoc genus comprehendit in se omnia, quae finiti et infiniti coniunctione atque temperamento procreantur (p. 25. A. — 26. D.). Iam vero si quaerimus de quarto genere, quidquid oritur ac generatur, prorsus necesse est per aliquam caussam gigni, quae sit eius quasi quaedam effectrix, ut tertium illud nihil aliud sit nisi id ipsum, quod per hanc ex finito atque infinito efficitur (p. 26. E. — 27. B.). Ita igitur quattuor rerum principia cognovimus, ex quibus omnium, quae generata sunt, originem repetere ac declarare liceat.

Gravissimus est, ut diximus, hic locus ad omnem fere Platonis philosophiam; certe quidem eo si carere-mus, vix futurum esset ut Timaeum ac Parmenidem, praestantissima philosophi opera, recte interpretari possemus. Nunc vero, quemadmodum illo Parmenidis obscuritas est depulsa *), ita aditus ad intelligendum Timaeum patefactus videtur. Voluit enim philosophus eadem haec principia, ad quae ortum et naturam quum voluptatis tum mentis ac sapientiae retulit, non modo in morali hominum vita, verum etiam in ideis atque in tota rerum universitate valere. Sed videamus, quid de universo loco existimandum sit; nam de Timaeo et Parmenide alibi a nobis explicatum est.

Narrant igitur veteres philosophiae scriptores atque interpretes, Platonem in his exponendis sequutum esse ducem Philolaum, doctrinamque suam prorsus ad illius rationem attemperavisse. Cuius rei testem praeter alios habemus Proclum Theol. Plat. I, 5. p. 13. III, 7. p. 132. ad Tim. I. p. 26. p. 54. Quamobrem haud alienum erit nobilissimi Pythagorei opiniones, quae huc pertineant, paucis adumbratas proponere et cum Platonis sententia contendere, quo denique certius intelligatur, quid utrique commune sit, quid alterutri proprium ac peculiare. Id autem instituemus sic, ut quae Aug. Boeckhius in libro: Philolaos

*) V. Prolegg. nostra ad Parmenidem.

des Pythagoreers Lehren nebst den Bruchstücken seines Werkes. Berlin. 1819. 8. Ern. Reinholdus: Beitrag zur Erläuterung der Pythagorischen Metaphysik. Ienae. 1827. 8. aliique viri docti nuper de Philolao fusius disputaverunt, ea paucis comprehendamus atque interposito iudicio nostro breviter referamus. Quo facto de Platonis ratione sic disputabimus, ut ei, si qua opus fuerit, lucem interpretationis affundere conemur.

Et in Philolaica quidem doctrina iudicanda plurimum refert diligenter observasse, loqui Pythagoreum tantummodo de mundi adspectabilis fabrica. Ad hanc igitur unam retulit etiam principia illa rerum, de quibus in opere suo exposuit. Aliter fecit Plato, qui, etsi nunc voluptatis inprimis et scientiae naturam atque vitam optimam ex iis voluit iudicari, tamen verbis clarissimis indicavit, adeo ea esse generalia ac tam late patere, ut in omnium rerum generatarum ortum conveniant. Nimirum ne Pythagorei quidem videntur sensisse aliter, quos utique exploratum habemus summis principiis suis ita usos esse, ut inde non modo rerum adspectabilium vim et naturam, sed etiam virtutis et cognitionis rationes declarare studerent. v. Brandis. Histor. Philos. Vol. I. p. 492 sqq. Quamobrem Philolaus ea transtulisse existimandus est ad fabricam ortumque mundi inde explicandum, quippe de quo in opere suo inprimis exponere constituisset. Forte fortuna autem accidit, ut fragmenta quaedam Philolaici operis ad nostram usque aetatem servata sint, unde ipsum principium doctrinae in eo expositae cognoscere liceat. Pertinent huc illa apud Diogen. Laërt. VIII, 85. et Stobaeum Eclogg. Phys. I. c. 22. 7. p. 454. et 56. ed. Heeren. quae egregie tractavit Boeckhius p. 47 sqq. Ex his apparet luculentissime Pythagoreum docuisse, omnia, quaecunque sint (τὰ ἐόντα), aut finita esse aut infinita (ἢ περαίνοντα ἢ ἄπειρα), aut eadem et finita simul et infinita. Quibus deinde subiunxit haec: quando igitur, inquit, nec ex finitis cunctis nec ex infinitis res compositae sunt, apertum est, mundum et quae in eo reperiuntur singula ex finitis simul et infinitis esse conflatum, hoc est, ex finito et infinito in unum coniuncto extitisse. Quocirca duo ille posuit rerum principia, finitum alterum, alterum infinitum; id quod placuit etiam aliis Py-

thagoreis, qui tamen numerorum utentes nominibus finitum appellarunt τὸ ἕν, infinitum autem ἀόριστον δυάδα dicere consueverunt; de qua re v. Prolegg. nostra ad Parmenid. p. 79 sqq. Brandis. De perdit. Aristot. libris de Bono p. 27. Sext. Emp. Adv. Mathem. X, 262 sqq. Etenim ipsi Pythagorei sibi non videntur in usu vocabulorum usquequaque constitisse, quamquam verisimile est antiquissimos scholae doctores cum ipso Pythagora omnino a numerorum rationibus profectos esse. Et τὸ ἄπειρον quidem, quale Philolaus animo suo informaverit, quum a Stobaeo eo, quo diximus loco, tum ab aliis quoque memoriae proditum est. vid. Boeckh. p. 53 sqq. Voluit enim illud intelligi rudem et informem mundi materiam, quae omnis termini, omnis mensurae, omnis denique rationis definitae expers informari deberet. Quamobrem eam nec cognitioni subiectam esse voluit, quandoquidem quidquid mente et animo complectimur, id secundum ipsum habere oportet terminum, numerum, rationem. v. Fragm. ap. Boeckh. p. 49. Atque hinc apparet, cur Philolaus putaverit etiam in ipsa rerum universitate quaedam mansisse infinita, tempus atque inane (τὸ κενόν). v. Stobaeus l. c. p. 380. 82. coll. Boeckh. p. 108 et 109. Quamquam inane (τὸ κενόν), quia rerum naturam ex finiti et infiniti coniunctione prodiisse censuit, non in ipso mundo voluit contineri, sed ei esse circumfusum, hac quidem lege, ut ab eo tanquam perpetua quadam spiratione absorberetur, ne quando incideret rerum ordinis aliqua perturbatio. v. Aristot. Phys. III, 4. ibique Simplic. p. 104 B. Auscultat. Phys. IV, 6. et fragment. ap. Stob. I, 21. 2. ap. Boeckh. p. 167. In quo nos quidem cum Boeckhio p. 108. agnoscimus praeclaram quandam sententiam, qua Philolaus hoc mundi universi corpus animali alicui comparavit eique veluti anhelitum attribuit, quo vires ipsius reficerentur atque recrearentur. Quamquam de his aliter iudicavit Lobeckius Aglaopham. T. II. p. 919. Sed satis haec de infinito Philolai. Pergimus ad finitum, quod ipse plerumque numero multitudinis usus τὰ περαίοντα appellavit, Aristoteles modo τὸ πεπερασμένον, modo τὸ πέρας dixit, ut Metaphys. I, 5. I, 7. III, 1. III, 4. X, 2. Ethic. Nicom. II, 5. Phys. III, 4. Ac simili varietate nominis etiam Plato delectatus est, qui modo τὸ πεπερασμένον, modo τὸ πέρας ἔχον, plerumque autem τὸ πέρας memoravit, sicuti suo loco demonstrabitur.

Facile vero aliquis sibi persuaserit, finitum a Philolao intelligi formam et rationem, quemadmodum infinitum dicatur materia rationis expers atque factioni subiecta. Et fuerunt sane qui ita iudicarent. Nobis tamen ea opinio omnino falsa et inepta videtur. Abhorret enim a ratione Pythagoreorum plurimum. Enimvero quemadmodum hi numeros suos non voluerunt carere materiae concretione, ita nec Philolaus finitum suum intellexit meram formam aut rationem, sed ipsi quoque adiunxit quasi quandam materiam. Persuasimus igitur nobis sic. Voluit ille finitum esse vim naturamque efficientem, quae cum ceteris omnibus formam definitamque rationem impertiretur, tamen ipsa non inanis esset forma, sed concretam sibi haberet vim naturamque eam, quae revera esset; infinitum autem dixit materiam carentem quidem omni qualitate ac ratione definita, sed eiusdem ita capacem, ut tota omnia posset accipere omnibusque modis mutari. Nisi igitur prorsus a vero aberramus, Philolaus in eo, quod efficeret, inprimis vim spectavit; in eo autem, quod huic se praeberet, materiam; in utraque tamen voluit esse utrumque, quoniam materia ipsa non potuisset cohaerere, si nulla vi contineretur aut eius capax haberetur, neque vis aliqua esse sine materia. Itaque finitum censuit esse, quod in se esset unum idemque ac sibi semper constaret, eoque ipso hanc vim haberet, ut ceteris afferret certam formam, rationem atque condicionis ac status sui legem, quandoquidem etiam efficiendi vi polleret. Veram esse hanc rei explicationem, ex ipsius Philolai verbis effici posse arbitramur. Censuit enim philosophus, duo illa mundi principia natura sua nec similia esse nec inter se cognata, ideoque nunquam in unum coitura fuisse, nisi id effecissent numerus atque harmonia. Sic enim est apud Stobaeum p. 468: *ἐπεὶ δέ τε αἱ ἀρχαὶ ὑπᾶρχον οὐχ ὁμοῖαι οὐδ' ὁμόφυλαι ἔσσαι, ἤδη ἀδύνατον ἦς ἂν καὶ αὐταῖς κοσμηθῆμεν, εἰ μὴ ἁρμονία ἐπεγένετο, ὥτινι ἂν τρόπῳ ἐγένετο κ. τ. λ.*, de quibus verbis disputavit Boeckhius p. 62 sqq. Quid vero aliud istis significari putabimus, nisi hoc ipsum, quod argumentationi convenientissimum est, numeri vim determinantem natura quasi sponte inesse in eo, quod finitum appellavit? Enimvero numerus et harmonia nihil certe aliud est quam vis illa, qua efficitur, ut, quaecunque sunt infinita, ea, deposita infinitate, finem, terminum, rationem, formam denique nanciscantur. At-

que ex hac ipsa re liquido apparebit, opinor, quidnam tandem sit quod Pythagorei rerum vim naturamque numeris definiendam censuerunt, nec vero hos ab illa seiunxerunt. Id quod certissimo constat Aristotelis testimonio, qui hanc eorum sententiam identidem memoravit, ut Metaph. I, 5. et 6. XI, 6. XII, 3. Physic. III, 4. ad quae v. Simplic. p. 104. B. Enimvero quae narrantur nobis de numeris, ea prorsus in finitum illud conveniunt, de quo hactenus disputavimus, ut hinc potissimum rei obscurae lux petenda videatur. Haec igitur sunt duo priora rerum principia, unde Philolaus huius mundi ortum explicandum putavit. Statuit enim naturam infinitam et patibilem, quae quum per se rationis et formae lege careret, tamen eam posset accipere; statuit item naturam finitam, quae haberet vim efficiendi; neutram autem ab altera ita removit ac separavit, sicuti quidam voluerunt, ut haec esset mera forma, illa nihil nisi rudis informisque materia formae rationisque ne indole quidem sua ullo modo capax atque particeps. Ceterum qui posteriore aetate hanc illustrandam sibi sumserunt sententiam, ii quid statuerint, optime e Sexto Emp. adv. Mathem. X. p. 274 — 277. disci poterit, qui locus utique dignus est, qui cum hac nostra disputatione comparetur. Quanquam autem Philolaus alterum rerum principium natura sua cum altero coire posse arbitratus est, tamen ut ea coniunctio sapienter efficeretur, opus esse iudicavit caussam aliquam utroque superiorem, cuius vi illa coniungerentur et inter se tanquam conciliarentur. Quocirca praeter haec duo posuit etiam tertium quoddam, τὸ ἕν, hoc est, unum supremum atque ultimum, τὸ πρῶτον ἕν, ut alii appellaverunt v. Iamblich. ap. Boeckh. p. 150. Archyt. ap. Stob. I. p. 714. Syrian. ad Aristot. Metaph. XIII. p. 102. B. coll. Boeckh. l. c. p. 54 et 147 sqq. Ritter. Hist. Philos. I. p. 398 sqq. Brandis. Mus. Rhen. a. 1828. p. 230. Quod si quaerimus quale intelligatur, non est profecto aliud quiddam, nisi numen divinum, in quo cernitur tanquam fons ac principium omnis generatae οὐσίας et finiti atque infiniti primitiva consociatio. v. Philol. ap. Boeckh. p. 151. Hoc vero unum supremum atque ultimum tanquam centrum quoddam in medio totius rerum universitatis collocatum vim suam mirificam in omnes mundi partes quaquaversum diffundit et emittit, ut pro vi vitali totius universi haberi

debeat. v. Lactant. De Fals. Relig. I, 5. Cyrill. c. Iulian. I. p. 30. Nimirum numen illud divinum Philolaus nondum videtur discrevisse ab anima mundana: quod primum ita factum esse a Platone, docere conati sumus Proleg. ad Tim. p. 48 sqq. inprimis p. 54 sqq. Quoniam autem secundum eius sententiam in eo fons ac principium omnis generationis rerum cernitur, propterea Syrianus ad Metaphys. XIII. p. 102. A. B. Philolaum narrat Deum iudicasse finem et infinitatem constituisse. Syriani verba Graece retulit ex Commentar. in libr. XIV. Metaphys. in. Brandisius De perditis Aristot. libris de ideis et bono p. 36: *ὅλως δὲ οὐδὲ ἀπὸ τῶν ὡσανεὶ ἀντικειμένων οἱ ἄνδρες ἤρχοντο, ἀλλὰ καὶ τῶν δύο στοιχείων τὸ ἐπέκεινα ἤδεσαν, ὡς μαρτυρεῖ Φιλόλαος, τὸν θεὸν λέγων πέρας καὶ ἀπειρίαν ὑποστῆσαι, κ. τ. λ.* Unde Proclus Theol. Plat. III, 7. p. 137. *θεὸν* vocat *πέρατος καὶ ἀπειρίας ὑποστάτην*. conf. Boeckh. Philol. p. 53 sqq. et Brandis. Histor. Philos. I. p. 483.

Atque haec quidem sunt mundi principia secundum Philolaum. Cuius opinionibus Plato ita usus est, ut eas ad explicandum illustrandumque omnium rerum generatarum ortum naturamque traducendas putaverit. Et in Philebo quidem inde etiam optimae vitae rationes repetiit atque indolem naturamque earum rerum, quae ad eam requirerentur, illustravit atque explicuit.

Nec vero Plato in his principiis informandis iudicandisque multum a Philolai sententia videtur recessisse, modo illud diligenter teneamus, Pythagoreum omnia retulisse ad mundi ortum, Platonem autem eadem generatim traduxisse ad ea omnia, quae quum in rerum natura, tum in vita hominum ceterarumque animantium orta essent. Et infinita quidem ab ipso p. 25. C. dicuntur, in quibus cernatur perpetua qualitatis et quantitatis vicissitudo, neque certus aliquis modus aut definita ratio locum habeat. Quod nemo est quin videat, quam egregie conveniat cum sententia Philolai de mundi originibus disputantis. Deinde finem ac terminum, sive *τὸ πέρας*, esse vult *ὁπόσα παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα*. Quod item a Pythagorei ratione nihil omnino discrepat, praesertim quum nec Plato de nuda rerum forma et ratione cogitaverit: alioquin enim fieri non potuisset, ut in ea, quae sequitur, sermonis parte mentem ac sapientiam huic potissimum generi ac-

censendam arbitretur. Iam vero ex hoc utroque genere fecit tertium, *τὸ ξυμμεμιγμένον*, quod omne id, quod ortum esset atque generatum, complecti voluit, sive *τὴν μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν.* v. p. 26. A. sqq. Hoc vero etsi de suo addidisse videri potest, tamen, si rem perpenderis accuratius, nec apud Philolaum illud desiderabis. Nam hic quod censuit, omnem rerum naturam ex infiniti et finiti coniunctione originem habuisse, certe nihil aliud voluit, quam hanc ipsam esse *τὸ ξυμμεμιγμένον*, sive id, quod ex finito et infinito esset commixtum. Denique Plato his omnibus tanquam ultimam caussam praefecit *τὸ αἴτιον.* Quod facile apparet prorsus convenire cum uno illo primario Philolai. Verum tamen magnopere hic cavendum est, ne Platonem quoque existimemus de Deo tantum cogitavisse. Imo ille in hac doctrinae suae parte a Philolao discessit longissime. Nam sapienti consilio in locum *τοῦ ἑνός* substituit *τὸ αἴτιον*, ideoque intelligi voluit caussam tanquam generatricem, unde cuiusque rei ortae natura atque perfectio repetenda esset. Nimirum *τὸ αἴτιον* illud suum multo latius patere voluit. Complexus enim eo vocabulo est et ideam boni, quae tanquam aliqua moderatrix caussa perfectionis rerum omnis existeret, et mentem humanam significavit, quae esset illius ideae propterea particeps, quod ex summa mente atque ratione divina tanquam emanavisset, et vero etiam mentem rationemque divinam appellavit tanquam summam et extremam quum humanae mentis ac rationis tum idearum inprimisque etiam ideae boni fontem et originem. Quocirca *τὸ αἴτιον* pro rerum, de quibus agitur, diversitate etiam diverso sensu accipi voluit, quandoquidem illud omnino iudicavit esse *τὸ ποιοῦν* et *τὸ δημιουργοῦν*, sive *τὴν μίξεως καὶ γενέσεως αἰτίαν*, ut est p. 27. A. B. C. Nam ubi de omni rerum universitate disputatur, dubium non est, quin de numine divino cogitari debeat, hoc est de perfecta ratione; v. Tim. p. 27. D. ibique ann. p. 28. C. Legg. X. p. 904. Phileb. p. 28. C. D. Ubi autem de aliis rebus exponitur, non statim de ipso numine divino cogitari oportet, sed sufficit ideam boni aut mentem humanam intelligere, quae quoniam ex ipso Deo duxit originem, ubi exercet quasi imperium quoddam, ut in moderanda vita humana, item pro caussa perfectionis atque absolutionis omnis haberi potest. Atque hoc quidem ut diligenter teneatur, plurimum pro-

fecto refert ad Philebum recte intelligendum et interpretandum, sicuti suo loco videbimus. Nunc enim tempus est redire ad ipsius Platonis disputationem. Absoluta igitur de summis rerum principiis quaestione p. 27. C. et sqq. Socrates, Age vero, inquit, transferamus haec ad praesentem de voluptatis et scientiae pretio ac dignitate disquisitionem. Iudicavimus vero antea, vitam eam, quae omnis praestantiae laudem habitura esset, conflatam esse oportere e voluptate et intelligentia. Talem autem vitam apparet ad tertium illud pertinere genus, quod e finito et infinito iam vidimus esse mixtum. Quod quum positum sit extra omnem dubitationem, statim considerare licebit eam quoque vitam, quae aut e sola voluptate aut e sola sapientia et intelligentia constet. Et voluptatem quidem atque dolorem non est dubium, quin referre debeamus ad infinitum. Carent enim modo ac termino, neque intra certos quosdam fines continentur. De intelligentia autem, scientia, mente et ratione denique, sic statuendum videtur, ut eam longe praestantius quiddam esse existimemus. Est enim mens atque ratio regina coeli ac terrae (*νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς οὐρανοῦ τε καὶ γῆς*), siquidem recte iudicamus hanc rerum universitatem non casus et fortunae temeritate, sed ratione ac sapientia regi et gubernari. Ex quo intelligi debet, quid de mente ac sapientia humana existimandum sit. Nam quemadmodum aqua, ignis, aër, cetera, quae in his corporibus nostris cernimus, ab igne, aqua, aëre, ceteris elementis totius universi, tanquam alitur ac sustentatur, quippe quum haec sint longe praestantissima, illa autem debiliora ac viliora: ita etiam animus noster atque mens fieri non potest quin ex mente mundana tanquam haustus sit ac delibatus, quandoquidem credi par est, eadem finiti et infiniti et mixti et caussae genera etiam in rerum universitate eorum, quae sunt longe praestantissima, naturam procreavisse atque perfecisse (p. 27. C — 30 C.). Iam vero sapientia atque ratio non possunt esse sine animo. Itaque in Jovis natura inesse arbitrabimur regium animum regiamque rationem, propter vim caussae et efficientiae; in aliis autem alia dicemus pulcra inesse. Atque ex his omnibus apparet evidentissime, mentem et rationem affinem esse generi caussae, quod posuimus (p. 30. D E.). Ita igitur velut imprudentes reperimus id, de quo quaerebatur, quandoquidem ratio cuiusnam generis sit et quam vim habeat, certissime iam

apparuit. Voluptatem autem dudum intelleximus et ipsam esse infinitam et ad genus infiniti referri oportere (p. 31. A. B.).

Haec omnia, quae de scientiae et mentis pariter atque voluptatis genere exposita sunt, quorsum referri debeant, videmur iam in superioribus non obscure significavisse. Pertinent enim sine dubio eo, ut τὸ ἕν, h. e. summum genus cuiusque ostendatur, quod ipsum Socrates antea iudicavit ad omnem disputationem, quae cum ratione suscipiatur, plane esse necessarium. Sapientissime autem Plato, dum summa mentis et voluptatis genera indagavit, etiam summa rerum omnium principia constituit. Qua ratione perfecto id est consequutus, ut vitae hominum moralis caussas et rationes ad rerum omnium origines referre ultimamque omnis vitae bonitatis caussam ostendere et indicare posset. Nam summum atque extremum illius fontem apparet denique in ipso numine divino inesse iudicari, quandoquidem toti rerum universitati tanquam ultima caussa praeesse dicitur summa et perfecta ratio, hoc est, ipse Deus.

Hinc igitur proficiscitur quidquid vitam hominum sapienter regere et moderari eamque totam ad verae beatitatis rationem componere possit, hoc est, mens et ratio humana, atque optimae vitae idea, cuius mens humana ideo capax est atque particeps, quia divinam habet originem. Nam mentem humanam aperte significat mentis divinae tanquam esse quandam particulam. Quae sententia apud Xenophontem Mem. I, 4, 8. etiam Socrati tribuitur. Sed ante hunc eandem defenderat iam Pythagoras. Is enim teste Diogene Laert. VIII, 28. docebat, εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος (h. e. animae mundanae) — ἀθάνατόν τε εἶναι αυτὴν, ἐπειδήπερ καὶ τὸ ἀφ' οὗ ἀπέσπασται ἀθάνατόν ἐστιν. Quod ipsum etiam Ciceronis confirmatur auctoritate. Scribit enim De Nat. Deor. I, 11. haec: Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi et lacerari deum; et Caton. Mai. c. 21: Audiebam Pythagoram Pythagoreosque omnes — nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus; conf. etiam Proclus Theol. Platon. p. 12. Iam vero menti humanae hanc

ipsam ob caussam, quod ex communi rerum omnium caussa manaverit, vitae humanae regendae moderandaeque potestas attribuitur atque adeo caussae dignitas vindicatur. Haec igitur de uno sive summo genere, cui voluptas et mens cum sapientia subiicienda sit.

Mireris vero hoc loco utique, unam mentem et rationem examinari et ad caussae genus referri, nullam autem iniectam esse mentionem scientiae et artium atque disciplinarum, quae tamen postea, sicuti suo loco videbimus, in bonorum recensione claris verbis commemorantur. Quamobrem facile aliquis suspicetur, aut ab ipso Platone partem quaestionis gravissimam temere hic praetermissam esse, aut intercidisse quaedam, quae ad hunc locum explanandum pertinuerint. Neutrum tamen adducimur ut recte statui credamus. Imo consulto arbitramur a Platone haec nunc silentio praetermissa esse, quandoquidem, quid de artibus ac disciplinis iudicari oporteret, suo loco sponte intellectum iri existimavit; nunc autem id potissimum effici voluit, ut quanto intervallo voluptas a mente et ratione distaret, quam clarissime demonstraretur. Accedit quod paullo post, ubi de voluptatibus ex artibus ac disciplinis redundantibus deque earum variis generibus explicatur, simul quid de earum dignitate statuendum sit quodammodo ostenditur. Sed nolumus hoc argumentum nunc persequi, quandoquidem infra, ubi de bonorum recensu atque ordine dicemus, ad illud revertendum erit.

Cap. V.

Exquiruntur *τὰ πολλά*, sive formae voluptatis, eaeque ducuntur ex ipsa voluptatis natura. Explicatur quid sit *μνήμη*, *αἴσθησις* et *ἀνάμνησις*. Cupiditatis natura illustratur. Ostenditur, quid sit *opinio* s. *δόξα*, et *phantasia*.

Veniamus nunc ad ea, quae inde a p. 31. B. disseruntur. Etenim generibus voluptatis atque mentis investigatis philosophus faciendum putavit, ut etiam formas et partes utriusque subtilius perquireret ac *τὰ πολλά* indagaret. Nam hoc quoque ad iustam subtilemque rei disputationem necessarium esse, in superioribus abunde demonstratum est.

Primum igitur voluptatis variae formae atque species eruuntur. Sed priusquam id inchoatur, quaeritur ante omnia de eius sede quasi ac domicilio p. 31. B. C. Quo loco ostenditur, ortum ac generationem voluptatis pariter atque doloris non esse nisi in tertio quaerendum genere, quod mixti sive τοῦ κοινοῦ nomine appellatum est. Quod etsi primo aspectu mirum potest videri, quandoquidem paullo ante voluptatem ad τὸ ἄπειρον pertinere docebatur, tamen re accurate perpensa nihil habebit, in quo recte haereamus. Etenim diligenter quaestio antea de genere voluptatis instituta distinguenda est ab ea, quae nunc de singulis eius formis suscipitur. Nam genus quidem eius referri utique potuit ad summa rerum principia; sed alia formarum ratio est. Hae enim non aliter possunt declarari nisi sic, ut ostendatur, ubinam et quomodo voluptas et dolor oriatur. Cernuntur enim eae in ipsa vitae veritate, hoc est ἐν τῇ γεγενημένῃ οὐσίᾳ, quae ipsa tertio illo genere, quod mixtum sive commune a Platone dicitur, unice continetur. Itaque facile apparet, sapientissime philosophum voluptatis atque doloris sedem ad tertium rerum genus retulisse, neque hac in re ipsum secum pugnare dicendum esse.

His vero ita fixis atque stabilitis inde a p. 31. D. usque ad p. 55. C. voluptatis vis et natura tam subtiliter perquiritur, ut quae sint variae eius species atque formae exponatur diligentissime. Docetur enim voluptates vel corporis vel animi esse: de his vero posterioribus, quia maxime idoneae sint ad aperiendam omnem voluptatis indolem, explicatur deinde uberius. Discernuntur igitur voluptates purae et impurae, verae et falsae, bonae et malae, omninoque pretium atque dignitas voluptatis omnis diligentissime aestimatur. In qua quidem disputationis parte haud scio an verisimiliter suspicari liceat, Platonem aliorum opiniones ob oculos habuisse, qui eundem philosophiae locum tractassent, easque vel emendasse vel refutasse, vel etiam cum sua ipsius sententia conciliavisse. Quod ut coniiciamus, vel disputationis amplitudo facit, quae vereor ut tanta futura esset, nisi philosophus ob oculos habuisset, quorum sententias impugnaret aut corrigeret. Et Antisthenis quidem opiniones quasdam attingi suo loco videbimus. Sed fieri potest, ut etiam Aristippi placita respiciantur, qui omnia referebat ad τὰ πάθη, adeoque

affectiones atque visa pro veri norma et regula habebat, quatenus cum iis vel dolor vel voluptas consociaretur; v. Sext. Emp. VII, 99. et quos laudavimus Prolegg. ad Theaet. p. 7 sq. Et certe p. 53. C. ad illam sententiam eius respici arbitramur, qua voluptatem volebat motu contineri. Ac si quid veri subest rumori a scriptoribus veteribus propagato, Platonem in hoc opere usum esse Democriteis, habemus sane cur suspicemur, id in hac potissimum libri parte ab eo factum esse. Verum ultro tamen fatemur meram hanc esse coniecturam, quam non aegre feremus si qui reiiciendam esse censeant. Illud tamen utique tenendum arbitramur, philosophum etiam in hac libri sui parte aequalium de his rebus opiniones respexisse.

Declaratur vero ante omnia voluptatis et doloris caussa atque origo. Nam harmonia illa, quae caussae genere in mixto efficitur, ubi in animantium natura turbatur aut solvitur, ibi dicuntur oriri dolores; ubi autem ea restituitur et in sedem tanquam suam revertitur, locum habere iudicatur voluptas. Illustratur id subtilissime ex fame, siti, aliisque similibus affectionibus; v. p. 31. D. — 32. B. Neque aliter Plato rem explicavit De Republ. IX. p. 581. E sqq. 585. A. Tim. p. 64. A sqq. quamquam postremo loco magis φυσιολογικῶς disputavit. Similiter etiam Stoici statuerunt, de quibus Cicero Tusc. III, 25. Verumtamen ea descriptio ad corporis potissimum affectiones pertinet. Quamobrem inde a p. 32. C. id agitur, ut etiam de animi dolore ac voluptate disseratur. Quo quidem in genere quia utriusque natura sincerissima emergat, Socrates inde arbitratur facillime intellectum iri, sintne universae voluptates expetendae necne, ideoque statuit hunc potissimum locum quam accuratissime pervestigari oportere. Igitur eum illustraturus sic fere disputare instituit.

Plurimum, inquit, hic quaesivisse iuvabit, quinam sit status et condicio animantium, priusquam vel dolorem vel voluptatem percipiunt. Quam rem considerantibus nobis diligentius facile apparebit, ea tum vacare omni vel voluptatis vel doloris sensu. Quod quidem animadvertisse, dici non potest, quantum momenti faciat ad rectum de voluptatis natura iudicium. Etenim qui vitam sapientiae dicatam beatissimam esse arbitrantur, eos novimus ita velle vitam degere, ut neque gaudeant

neque doleant; quandoquidem antea in vitarum comparatione (p. 20. E sqq.) intelleximus eos nullo modo laetari oportere, qui hoc vitae genus pro optimo ac praestantissimo ducant. Est autem haec vita vere divina iudicanda, siquidem deos consentaneum est nec laetari unquam neque contristari. Verum de his alio loco, si qua opus fuerit. Nunc satis erit hoc verbo attigisse; nam vel sic valebit eo, ut rationi ac sapientiae, si non primarius, at saltem secundarius locus in vitarum indicio vindicandus videatur. Revertamur ad alterum illud genus voluptatum, quod in animo situm esse iudicabamus. Oritur vero illud ex una maxime memoria. Quod ita perspicietur facillime, si ante omnia, quid sit memoria (*μνήμη*) atque perceptio (*αἴσθησις*), explicatum fuerit. Duplices igitur sunt corporis nostri affectiones. Aliae enim in ipso corpore veluti extinguuntur, priusquam ad animum perveniant; aliae meant per utrumque, et motum aliquem excitant utrique aut proprium aut communem. Quodsi igitur animus per eas non tangitur et afficitur, dicitur *ἀναισθησία*; sin ille una afficitur, *αἴσθησις* sive perceptio locum habet. Et huius quidem conservatio vocatur memoria sive *μνήμη*. A qua differt recordatio sive *ἀνάμνησις*, quam scholae consuetudo reminiscentiam appellare solet; nam recordatio est, quum animus ea, quae aliquando cum corpore sensit communiter, per se solus repetit. Quamquam memoriae nomen etiam usurpare solemus, quum animus memoriam vel visi alicuius vel cognitionis aliquando amissam tanquam renovat et instaurat. Haec igitur Socrates de animi facultatibus, quae ad voluptates ipsi proprias necessariae sint. Quibuscum non poenitebit contulisse, quae de eodem fere argumento disseruntur in Timaeo p. 42. A. sqq. 43. B. C. D. E. p. 64. A. sqq. ubi de origine et caussis *τῆς αἰσθήσεως* explicatur copiosius, conf. etiam Tennemann. System. Philos. Plat. T. III. p. 51 sqq. Nec lectu indigna sunt, quae de sensu et memoria disputavit Plotinus Enneadis quartae libr. VI. p. 836. T. II. ed. Creuzer. Sed quo clarius appareat, quaenam sit animi voluptas, Socrates praeterea etiam cupiditatis naturam cognoscendam esse ait. Sita autem secundum eius sententiam cupiditas non in corpore est, sed in animo, habetque locum tum, quum exorto aliquo vacuitatis sensu desideramus expletionem. Quod quidem ita

fieri censet, ut memoriae ope et auxilio animo tanquam attingamus id, quod expletionem efficere possit, ipsamque expletionem recordemur. Quae res etiam in Timaeo p. 42. A. sqq. in disceptationem vocatur, ita quidem, ut cupiditatis cum voluptate atque dolore multiplex coniunctio ac necessitudo demonstretur. Pythagoreorum de eadem re opiniones quasdam retulit Stobaeus Eclogg. Eth. p. 132. et Jamblich. De Vit. Pythag. §. 205. quos locos in Commentariis descriptos dedimus. Ex his vero Socrates colligit etiam in cupiditatibus istis animi quasi imperium quoddam cerni, quippe quo uno efficiatur, ut desideratae conditionis vel affectionis memoriam repetere illamque ipsam desiderare et optare possimus.

Ex his ipsis autem colligitur deinceps, eiusmodi voluptates haudquaquam puras esse, quippe quae ex molesto indigentiae sensu et iucunda praeteriti alicuius status recordatione oriantur. Quem locum Plato etiam in Gorgia p. 496. A. — 497. A. attigit; ubi cupiditatem ostendit semper cum molestia quadam esse coniunctam. Demonstratur autem res ita, ut variae affectiones considerentur, quae iis, quibus talia accidant, propriae esse possint. Nam primum quidem, inquit Socrates, accidere potest, ut in eo statu versemur, qui medius est inter expletionem et vacuitatem. Quod si fit, voluptatem et dolorem uno eodemque tempore percipimus. Nam quum iniucunda aliqua vacuitatis affectione cruciamur, recordamur autem perceptae olim iucunditatis illi contrariae, ita ut cruciari quidem desinamus, nec tamen expleamur: tum vero gaudemus quidem, sperantes fore ut repleamur, sed iidem etiam dolemus, quoniam vacuitatis sensus affert molestiam. Sed fieri etiam potest, ut duplici afficiamur dolore. Quod ita fit, quum de futura expletione prorsus desperamus, etiamsi iucundorum reminiscamur. Tum enim et corpore cruciamur et animo concipimus tristitiam. Ita igitur apparet istiusmodi voluptates haudquaquam puras esse, sed mixtas semperque cum aliquo doloris sensu consociatas. v. p. 34. C. — 36. B.

Iam vero iis, quae hactenus exposita sunt, utamur sic, ut etiam exploremus, ecquae sint falsae voluptates falsique dolores. Quae quidem quaestio etsi mira videri alicui poterit reputanti, voluptates et dolores natura sua nunquam non esse, tamen res non indigna videtur, quae diligentius consideretur. Habent enim falsae vo-

luptates atque dolores locum, quando opinamur gaudere nos aut dolere, quum tamen nihil sit, cur gaudeamus vel doleamus. Cuius rei caussa posita est in falsis opinionibus, quas saepe dolores ac voluptates consequuntur. Quippe oriuntur opiniones e perceptione et memoria. Nam primum quidem ad eas requiritur sensuum perceptio, quae prouti comparata est, ita etiam variae ac diversae gignuntur opiniones. Cum hac vero deinde sese tanquam consociat memoria inscribitque in animis nostris orationes sive iudicia. Haec igitur si perscripserit vera, nascitur vera opinio et vera oratio; sin aliter, falsae opiniones et falsa iudicia oriuntur. Huc accedit etiam alia animi nostri facultas, quae visorum atque iudiciorum tanquam imagines in animis nostris consignat ac depingit, phantasia. Illae imagines autem item possunt esse verae aut falsae; et quum non modo praesentia ac praeterita, verum etiam futura referant, spem quoque efficiunt, cuius per totam vitam pleni esse solemus, quaeque prouti quis aut carus Deo est, aut contra, rata fieri solet, quandoquidem omnia, quae speramus, per deorum gratiam et favorem accipimus. Ita igitur et opiniones et spes vanae atque inanes esse possunt. Atque hinc efficitur, ut etiam falsa gaudia falsasque voluptates reperiri concedendum sit. Nam etiamsi revera laetitiae alicuius sensu repleti simus, tamen ubi falsa opinamur aut temeraria speramus, fieri non potest, quin de rebus vanis laetemur ideoque falsam voluptatem, hoc est eam, quae vana et inanis sit, percipiamus.

Haec igitur Socrates usque ad pag. 41. A. Quae profecto negari non potest acutissime esse disputata. Inprimis vero digna sunt animadversione, quae de falsae opinionis origine et caussis disseruntur. Quae qui diligenter contenderit cum copiosissima illa disputatione in Theaeteto p. 187. B. sqq. de eadem re instituta, is vix poterit dubitare, quin totus hic locus Philebi sicuti inde lucem quandam nanciscitur, ita vicissim illi illustrandae inserviat. Nam illa quemadmodum multo sunt uberiora et subtiliora, ita Philebi locus, quae illic serio disputata sint quaeque ludibrii caussa posita, clarissime patefacit; quin etiam quaedam habet, quae ibi praetermissa sunt, veluti quae de phantasia et falsae spei originibus exponuntur. Unde rursus coniectura nostra confirmatur non mediocriter, quam supra de tempore, quo

Philebus scriptus sit, ac de loco, quem inter scripta Platonis teneat, prodere non dubitavimus. Ceterum de opinionis natura atque caussis Plato etiam aliis libris exposuit, ut Menon. p. 97. A. B. Sympos. p. 200. A. Reipubl. VI. p. 506. C. sqq. et φυσιολογικῶς Tim. p. 37. B. sqq.; quae qui rimati fuerint diligentius, ea facile reperient cum iis, quae hoc loco disputata leguntur, planissime conspirare. Sed progrediamur ad proxima. Nam aliud quoque genus falsarum voluptatum reperiri a Socrate docetur. Qui sic fere argumentari pergit.

Non modo, inquit, ex falsis opinionibus falsae nascuntur voluptates: aliam quoque earum originem demonstrasse iuvabit. Nam ubi cupiditates oriuntur affectionum contrariarum iis, quibus corpus nunc ipsum movetur, iuxta se veluti ponuntur molestiae sensus atque gaudia. Utrisque autem commune hoc est, quod natura sua sunt infinita atque id, quod plus minusve est (τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον), in se recipiunt. Quid igitur? Quo tandem modo iudicare poterimus, quamnam propriam sibi habeant magnitudinem? Nimirum ita aliae voluptates videbuntur maiores, aliae minores esse quam revera sunt; eoque eveniet, ut pars certe earum pro falsa habenda sit. Hic igitur alius est fons falsitatis uberrimus; unde nemo negabit plurimas fraudes erroresque in iudicandis voluptatibus proficisci. v. p. 41. B — 42. C.

Sed tertium quoque demonstrari potest falsae voluptatis principium. Etenim corpus nostrum ubi in neutram movetur partem, ut nec vacuefactum expleatur, nec expletum vacuefiat, prorsus necesse est nec dolor nec voluptas existat. Etsi enim sapientes recte iudicant omnia perpetuo sursum deorsum agitari, nullum ut unquam tempus sit, quin corpus nostrum aliquo modo afficiatur, tamen animantes haudquaquam sentiunt omnia, quae ipsis accidunt; unde fit, ut inscientes crescamus, senescamus, et quae sunt id genus alia. Quocirca magnas quidem mutationes sentire solemus, indeque aut molestiam aut laetitiam percipimus; modicas autem vel exiguas atque parvas plerumque non sentimus. Quum autem ex his consequatur, triplicem esse statum in quo versari possimus, ut aut voluptatem sentiamus, aut dolorem percipiamus, aut omni iucundi vel iniucundi sensu vacui simus, tamen reperiuntur qui doloris vacuitatem pro summa voluptate ducant. Enimvero tollunt illi omnino voluptatem, siquidem eam in se nullam esse

censent, verum una amotione doloris contineri volunt. Apparet igitur hic aliud rursus genus falsae voluptatis emergere. Nam habent illi pro voluptate, quae, si rem accuratius aestimes, nihil est aliud quam doloris vacuitas et absentia. v. p. 42. C. — 43. D.

Videmus igitur hoc loco genus quoddam falsae voluptatis ita demonstrari, ut simul refutetur eorum sententia, qui voluptates volebant nihil esse aliud, quam fines dolorum. Qui quidem Antisthenes eiusque assectatores fuisse videntur. Quod quum ex egregia eorum descriptione p. 44. C et D. colligi liceat, ubi iis inter alia *δυσχέρεια τις φύσεως οὐκ ἀγεννοῦς* attribuitur, tum etiam ex veterum scriptorum quibusdam testimoniis intelligitur, de quibus ann. ad p. 43. D. exposuimus. Iam vero hoc ipso illorum iudicio, quo voluptatem mirifice deprimebant et vero propemodum totam tollebant, Socrates ita utendum ait, ut, quid de eius vi ac natura porro sit statuendum, eorum exemplo severius exquiratur; quod quidem fit inde a p. 44. E. quo loco primum ostenditur, praeterquam quod multae voluptates opinatae sint, etiam reperiri tales, quae quum magnae multaeque videantur, tamen commixtae sint cum doloribus et dolorum maximorum vacuitatibus ex corporis animique angoribus ortorum. Hoc enim universae isti disputationi propositum esse, Socrates ipse p. 51. A. significat. Redit vero summa eorum, quae ibi disseruntur, fere huc.

Quaenam sit vis et natura voluptatis, id evidentissime appariturum esse videtur in voluptatibus iis, quae sunt omnium maximae atque vehementissimae. Quae si quaerimus utrum sanis ac bene valentibus an aegrotantibus propriae sint, responsio in promtu est. Sunt enim voluptates tanto maiores tantoque vehementiores, quo maior est vis cupiditatis eas antecedentis. Veluti qui febri laborant aut morbis similibus, ii magis sitiunt, esuriunt, frigent, quam alii, qui recta utuntur valetudine; sed iidem etiam maiore premuntur indigentia, ideoque si animi desiderium expletur, maiores vehementioresque sentiunt voluptates. Pariter etiam in vita lubidinosa, luxuriosa, dissoluta, multo maiores percipiuntur iucunditates, quam in vita temperanti, cui illud ne quid nimis semper modum praescribit. Ex quibus omnibus liquido apparet vehementissimas quasque voluptates quadam animi pariter atque corporis pravitate vel

corruptione existere, ut in eas bonitatis laus haudquaquam convenire existimanda sit. Sed ex his ipsis quasdam accuratius consideravisse iuvabit, quo magis intelligatur, misceri eas omnes et confundi cum doloribus, quantumvis magnae vehementesque videantur. Est autem voluptatum mixtarum, de quibus nunc agitur, triplex ratio, quandoquidem vel in animo, vel in corpore, vel in utroque simul cernuntur. Etenim in corpore eae sunt conspicuae, quum frigentes rursus calescimus, quum scabie laborantes titillamur, et si quae sunt id genus alia. Quae certe dolore non sunt immunes. In animo autem et corpore una reperiuntur, quum, sicuti antea dictum est, exhausti et vacuefacti expectamus repletionem; denique in uno animo insunt, quum iracundia, timore, invidia, aemulatione, aliis denique affectionibus movemur. Quae quum sint aegritudines, etiamsi summas habeant iucunditatos, tamen doloris accessione nunquam carent. Sic etiam tragica spectacula iucundos simul atque iniucundos afferunt sensus, quandoquidem laetantes simul tristitia ac moerore afficimur atque lacrimas effundimus. Quid quod ipsi comoediae quoque doloris et voluptatis commixtio attribuenda est. Comicorum enim poëtarum spectantes fabulas gaudemus aliorum, quibus bene cupere debebamus, vitiis et erroribus malignitate quadam et invidia (Schadenfreude) repleti. Ea autem quoniam est animi quaedam aegritudo, fieri non potest, quin etiam molestiae sensum tanquam comitem habeat *). Omnino vero universa vitae humanae fabula semper dolores cum voluptatibus commixtos habet. Atque ex his omnibus apparebit, tam corpus et animum per se solum, quam utrumque communiter voluptatibus repleri solere nunquam non cum doloribus consociatis.

Haec igitur Socrates usque ad p. 50. D. Quae nemo est quin videat eo pertinere, ut quae antea de mixtis falsisque voluptatibus disputata sunt, ea tanquam

*) Uberius de hoc loco sanequam memorabili ad p. 48. B. exposuimus. Schleiermacherus Praef. p. 135: Die scharfsinnige Art, wie erklärt wird, was uns bei der Tragödie und Komödie begegnet, bezieht sich auf seinen (Platons) gewiss damals bekannten Widerwillen gegen diese Dichtungsarten, nur nicht als ob die Bücher vom Staate schon früher niedergeschrieben worden und hier sollten vertheidigt werden.

consummentur atque penitus absolvantur. Etenim demonstratum nunc etiam hoc est, voluptates easque maximas, quae in mixtis numerandae sint, nunquam carere doloris societate, ideoque non posse simpliciter bonas appellari, quandoquidem dolor pro malo habendus sit.

Acceditur tandem ad exquirendas voluptates *puras*, hoc est eas, quae simplices sunt et in quibus boni natura iudicatur maxime conspicua esse. De quibus inde a p. 50. E. disceptatur. Hic vero Socrates: Nunc quidem video, inquit, sententiam meam antea proditam aliqua ex parte retractandam esse. Neque enim iis, qui voluptatem doloris cessationem esse volunt, iam fidem habeo; sed, ut dixi, eorum tanquam utor testimonio, ut evincam esse voluptates nonnullas opinatas, multas item reperiri, quae coniunctae sint cum doloribus et dolorum cessatione. Quocirca Plato illos utique veri quiddam vidisse largitur, qui voluptatem in dolorum vacuitate posuerint; cogitasse enim eos de falsis atque mixtis voluptatibus: sed eosdem oblitos esse significat voluptatis purae et intaminatae, de qua aliter statui oporteat. His vero expositis verarum voluptatum indicantur fontes. Alterum enim genus earum referri dicitur ad res sensuum perceptioni subiectas; alterum revocatur ad artium et litterarum studium atque sapientiam. Disputat autem Socrates de loco gravissimo in hunc fere modum. Verae voluptates, inquit, hauriuntur ex coloribus ac formis, ex maxima parte suavium odorum, e sonis, aliisque id genus rebus, quae, quum vacuitatis molestiam afferant nullam, expletiones tamen efficiunt gratas, suaves, iucundas. Nec vero eos colores, formas, odores, sonos, huc referre debemus, qui sensus titillent nostros semperque ad aliud quid comparati pro pulcris habeantur: sed qui habeant quandam simplicitatem, aequabilitatem, constantiam, ut menti et animo tanquam certum aliquod praebeant cognitionis pabulum. Enimvero ab his facillime ad ipsas ideas ascenditur, sicut in Sympos. p. 210. B. sq. edocemur. Sed de toto hoc loco v. Commentar. p. 51. B. sqq. ubi singula fusius illustravimus, locis Reipublicae atque Timaei quibusdam usi.

His autem adiiciendae sunt (sic enim Socrates pergit disputare) voluptates ex artium ac disciplinarum studio redundantes. Habent enim eae iniucundam discendi

sitim adiunctam nullam. Sed paucissimi profecto earum fiunt participes. v. p. 50. E. — 52. B.

Quod enim Socrates in Phaedone ait, ubi de philosophiae studio disputat, multos esse thyrsigeros, paucos Bacchos et verae sapientiae spiritu afflatos *), idem etiam de litterarum studio affirmare licet, quod sane pauci sunt qui ita tractent, ut animos erigant ad altiora et a vilissimarum rerum cupiditate ad sublimiorum et excelsiorum rerum cogitationem convertant. Hinc alios videre licet turpi inhiare lucro; alios inservire gloriae cupiditati; alios novarum rerum studio tanquam mancipatos esse; alios curiose in rerum minutarum quaestionibus versari; plerosque denique omnes in singularum, mutabilium, caducarum rerum subsistere perscrutatione, quae animum non evehant, sed potius deprimant; non alant, sed macerent; non aeternitatis suae et immortalitatis commonefaciant, sed ad humilitatem vitae quotidianae detrahant. Talem studiorum rationem quemadmodum sapientissimi quique semper tanquam detestabilem abominati sunt, ita fieri non potuit, quin contemneret ac despiceret etiam excelsus Platonis animus. Qui quidem pervidit rectissime, litterarum studia ita demum veram limpidamque afferre voluptatem, si a singulis ad universalia, a mutabilibus ad constantia et perpetua, a perituris ad immortalia et sempiterna evehatur animus. Quod qua ratione fiat, plenissime edocemur quum loco illo pulcerrimo Symposii p. 210. B. sqq. tum libro VI. Reip. p. 485. A. sqq. VII p. 521. D. sqq. ubi quae exponuntur, ea dici non potest quantum lucis huic ipsi Philebi loco affundant. Sed redeamus in viam atque porro audiamus Socratem de argumento gravissimo disputantem. Is igitur sic fere pergit disserere.

Discrevimus tandem, inquit, voluptates puras atque impuras. Sequitur ut etiam aliud voluptatum discrimen illustrandum sit. Sunt enim aliae earum vehementiores; aliae leniores et moderatiores. Et illis quidem intemperantiam, his moderationem atque temperantiam recte tribuemus. Magnopere tamen cavendum est, ne quas existimemus ad genus finiti pertinere. Nam magnitudinem earum et graduum vicissitudinem in iis conspicuam si spectamus, omnes omnino ad infiniti genus referendae

*) V. p. 69. C.

sunt; quamquam quae sunt leniores, eae in moderatioribus numerari debent. v. p. 52. C — D. Praeterea etiam aliud quid in iis spectandum videtur. Quaerendum est enim: quidnam in iis insit veritatis? Valet autem ad veritatem unice hoc, ut quid purum sit atque sincerum, non item illud, ut sit vehemens, multum, magnum, amplum. Veluti album ut est sincerissimum, ita etiam verissimum esse solet, neque quidquam interest, num multum sit, an exiguum atque parvum. Quocirca unaquaeque voluptas tanto propius accedet ad veritatem, quanto erit purior et a dolorum communione liberior. Ex quibus sponte apparebit, quatenus voluptati omnino veritas tribuenda sit. v. 52. E — 53 B.

Iam vero voluptas nec eius, quod revera est, habet constantiam, sed perpetuo continetur motu, quemadmodum illi ipsi censent, qui eius amici sunt *). Unde rursus licebit intelligi, quid de eius dignitate existimandum sit. Discernuntur enim in rerum natura γένεσις et οὐσία, generatio et essentia. Ex his γένεσις semper est alterius illius caussa eodemque refertur; οὐσία autem per se constat nec tendit aliorsum. Iam vero hoc, cuius caussa id, quod alius caussa generatur, existere solet, in bonorum numero habendum est; illud autem, quod alius caussa existit neque per se seorsum constat aut finem in se suum inclusum tenet, inter bona numerari non potest. Ex quo consequitur, ut voluptas bonis accensenda non sit; cernitur enim in generatione ac motu, neque suum sibi finem habet propositum. Quin etiam qui voluptati tribuunt omnia, ii, quoniam cum generatione interitus coniunctus sit necesse est, interitum et generationem sibi tanquam praestantissimum quiddam eligent, nec vero tertiam illam vitam, in qua neque laetitiam neque dolorem esse iudicavimus. v. p. 53. B — 55. A.

Consentiunt haec egregie cum loco Gorgiae p. 491. D. ubi voluptatem docetur perpetuo tanquam fluxu contineri. Posteaquam enim ibi Callicles contendit, eum demum esse bonum beatumque virum, qui cupiditates habeat quam maximas easque impune possit explere, Socrates eum ita refutat, ut voluptates ostendat non posse aliter comparari, nisi sic, ut cupiditatum tanquam dolium perpetuo evacuetur atque rursus repleatur. Haec vero sententia de voluptatis natura nunc ita exornatur

*) Significare videtur Aristippum; v. Commentar. p. 53. C.

atque confirmatur, ut voluptas omnis revocetur ad unam γένεσιν, et quanto intervallo haec ab οὐσίᾳ remota sit, argumentis gravissimis demonstretur. Ex quo rursus videre licet, quid Philebo cum illo dialogo intercedat necessitudinis. Impugnavit autem Platonis sententiam, qua voluptatem statuit esse γένεσιν propriaque vi et constantia carere, Aristoteles Ethic. Nicom. VII, c. 11 — 14. et X, 1 — 5. quo loco acutissime de indole et natura voluptatis exposuit. Negat enim illic voluptatem esse κίνησιν sive γένεσιν, ut plerisque videatur, propterea quod ea quovis tempore in se absoluta sit (τὸ τῆς ἡδονῆς εἶδος ἐν ὁτῳοῦν χρόνῳ τέλειον) totaque praesenti temporis momento absolvatur (τὸ ἥδεσθαι ἐν τῷ νῦν ὅλον τι). Sed nolumus hic Stagiritae referre disputationem aut eam examini subiicere; illud tantum significasse iuvabit, ipsum quoque rem tam acute subtiliterque tractavisse, ut dignissima sit eius disputatio, quae cum hoc Platonis loco accuratius comparetur.

Iam vero absoluto sermone de vi et natura voluptatis variisque eius generibus instituto Socrates addit nonnulla, unde certius intelligatur, cur finis bonorum non possit in ea positus esse. Merito, inquit, qui voluptatem unice pro bono venditant, ab aliis ridentur atque explodunturs, quos ante diximus esse illius osores acerrimos. Multa enim absurda consequuntur, si quis eam sententiam defendat et amplectatur. Absurdum est enim dicere, nihil boni et pulcri neque in corporibus neque in aliis multis inesse nisi in uno animo, et tamen in hoc ipso voluptatem tantum pro bono agnoscere et laudare, fortitudinem autem vel temperantiam vel rationem vel alia, quae animus putatur adeptus esse bona, nihili aestimare atque contemnere. Absurdum item est, eum qui non gaudeat sed doleat existimare tum, quum doleat, malum esse, quamvis sit longe optimus; eum autem, qui laetitiam et gaudium percipiat, tanto magis virtute excellere putare, quanto plus iucunditatis sentiat. v. p. 55. A. B. C. Et postremam quidem sententiam tractavit Plato etiam in Gorgia p. 497. E. sqq. ubi Callicles refutatur. Vocaverat enim hic bonos homines prudentes ac fortes (φρονίμους καὶ ἀνδρείους); statuerat idem, iucundum et voluptatem a bono non differre. Quum vero bonos dici oporteat qui bonorum habeant copiam (ἀγαθῶν παρουσίαν), malos autem qui malorum urgeantur onere (κακῶν παρουσίᾳ), colligitur inde de-

nique, eos, qui magnis fruantur voluptatibus, homines esse bonos, eos autem, qui doloribus crucientur, malos. Quod ipsum ineptissime ita statui eodem modo quo hic significatur.

Cap. VI.

Distinguuntur varia cognitionum, artium ac disciplinarum genera, prouti magis aut minus certae sunt ac firmitatis laudem sibi vindicant.

Haec igitur sunt fere, quae Plato de voluptatis indole ac natura deque variis eius generibus exponenda iudicavit. Quae qui accuratius rimati fuerint, ii haudquaquam infitiabuntur, pleraque omnia tam acute subtiliterque esse exposita, ut non possimus, quin divinum viri ingenium hic quoque admiremur. Et certe id consequutus est hac disputatione sua, ut voluptatis dignitas haudquaquam tanta videatur, ut aut summo bono aequanda aut cum mentis ac sapientiae virtute comparanda sit.

Sed quorsum haec omnia pertineant et quam vim habeant ad institutae quaestionis rationem, id infra clarius apparebit, ubi de voluptatis pretio instituetur iudicium. Nunc transeamus ad ea, quae deinceps de artibus ac disciplinis disseruntur. Nam de mente et ratione nunc ideo non quaeritur, quia iam antea, quo loco ea ad caussae dignitatem evehebatur, de eius vi et natura satis explicatum est. Quamobrem quemadmodum illic artium ac disciplinarum nulla iniecta est mentio, ita hic vicissim mens et ratio non commemoratur. Nimirum uterque locus tam arcto nexus est argumenti vinculo, ut alter alterum tanquam supplere et consummare iudicandus sit. His vero praemissis iam videamus, quidnam illud sit, quod Plato Socratem suum inde p. 55. D. de scientia atque disciplinis disputantem fecit *).

Duplex, inquit, genus est artium ac disciplinarum. Aliae enim pertinent ad necessitates vitae versanturque in actione; quod genus vocamus *δημιουργικόν* vel *χειροτεχνικόν;* aliae referuntur ad eruditionem et vitae

*) Monuisse non erit supervacaneum totum hunc, qui sequitur, locum explanatum a nobis accuratius esse in Commentariis. Hos igitur comparent qui haec lecturi sunt.

cultum (τροφὴν καὶ παιδείαν) atque id habent propositum, ut vita reddatur nobilior, humanior, sapientior. Iam vero ex artibus illis operariis — orditur enim Socrates hic quoque a deterioribus, paullatimque progreditur ad omnis scientiae tanquam arcem et fastigium — ex artibus igitur operariis, inquit, aliae sunt puriores aliae impuriores, prouti scientiae sunt magis vel minus coniunctae et cognatae. Et inter praestantiores quidem earum numerandae sunt artes mathematicae, arithmetica, geometria, statica, quae sunt quasi ἡγεμονικαί; quippe quibus sublatis reliquae operariae omnes parum firmitatis essent habiturae, et ad merum coniecturam atque usum exercitatione collectum redituraе. Pertinent ad deterius hoc genus artium musica, ars medica, agricultura, ars gubernatoria atque imperatoria, quippe quae nihil certi in se continent atque una nituntur exercitatione et coniecturae sollertia. Alia autem ratio est earum artium, quae mathematicarum auxilio et adiumento utuntur. Nam ars tignaria, ut hoc exemplo utamur, ideo plus habet firmitatis et evidentiae, quia utitur mensuris, normis, regulis, aliis instrumentis, quae mathematicorum arti et subtilitati accepta referuntur. Quocirca duplex rursus genus artium a mathematicis disciplinis seiunctarum discernere licet. Nam aliae mathematicae adiumento sustentantur ideoque sunt accuratiores atque certiores, veluti ars tignaria; aliae carent omnino eiusmodi adminiculo, eamque ob caussam plurimum indulgent incertis coniecturis absolvunturque solo usu et exercitatione, sicuti vulgaris musica. Verum mathematicae quoque disciplinae duplicis generis sunt. Aut enim subsistunt in rerum singularum, quae sensibus subiectae sunt, consideratione atque exploratione, qui est usus earum vulgaris; aut evehunt mentem ad ea, quae cogitando percipiuntur, atque id efficiunt, ut abstractas a sensibus purasque magnitudinis, quantitatis, proportionis, numerorum denique ac formarum notiones assequamur. Ex quibus perspicuum est duplicem eas usum habere, prouti aut vulgaribus necessitatibus inserviant, aut ad mentis animique cultum et eruditionem referantur. Verum enim vero etiamsi disciplinae mathematicae insignem habent veritatis atque firmitatis laudem: tamen eae non comparandae sunt cum summa illa atque praestantissima disciplina, quae unice in eo contemplando versatur, quod nulli obnoxium vicissitudini sem-

per sibi constat ac revera est, ideoque reliquas artes omnes ambitu suo tanquam complectitur, propterea quod in caussis et rationibus rerum omnium perscrutandis atque indagandis occupata est. Nimirum non haec est ars oratoria, quam Gorgias aliique sophistae tanquam praestantissimam iactare solent, quippe quae hominibus plurimum utilitatis atque emolumenti afferat; imo illa ars et doctrina est, quae animum a rerum inanium studio avocatum ad aeternae veritatis scientiam et cognitionem erigit atque extollit. Cuius quidem disciplinae praestantiam et magnitudinem angustae hominum mentes plerumque non capiunt. Quamobrem haerent fere in spectandis rebus sensibus subiectis aut in meris opinionibus; ipsius veri, quod est sempiternum, constans, immutabile, scientiam et cognitionem non adipiscuntur. Nimirum ad hanc, quae una scientiam nomine suo dignam gignit, sola mens atque ratio a rerum terrenarum studio avocata pervenire potest. v. p. 55. D — 59. D.

Haec igitur de artium ac disciplinarum generibus. Quae qui consideraverint paullo diligentius, ii facile reperient, quinque earum tanquam gradus designari. Nam primum locum philosophus attribuit dialecticae sive philosophiae, quam similibus laudibus extulit etiam De Republ. VII, p. 531. D. sqq. Theaet. p. 176. C. al. Secundum locum disciplinis mathematicis purioribus, tertium vulgaribus assignavit. Quod cur ita fecerit, facile discetur ex libro VII Reip. p. 522. C. sqq. 527. A. B. Quartum ascribendum censuit artibus operariis iis, quae aliquid firmitatis atque stabilitatis a disciplinis mathematicis mutuentur. Ultimum denique locum ceteris concessit artibus, quae mathematicarum destitutae auxilio solo usu et exercitatione contineantur, musicae, agriculturae, arti medicae, gubernatoriae et imperatoriae. De quibus si cui videatur iudicium iniquius, conferat is Gorg. p. 451. C. sqq. Phaedr. p. 248. E. sqq. De Republ. VII, p. 530. D. sqq. ac facile videbit, quid philosophus in his sequutus sit. Etenim aestimavit hic artium ac disciplinarum dignitatem unice ex eo, ut quaereret, quid quaeque in se haberet veritatis, aut quo intervallo distaret ab exploratae veritatis ratione. Quod quo iure ita fecerit, haudquaquam dubitabunt, qui de summo vitae humanae bono quaestionem agitari meminerint. Quid enim in artibus ac disciplinis ad illud plus conducere potest veritate, qua cognoscenda melior nostri pars

perpetuo alitur atque sustentatur? Praeterea vero etiam illud tenendum magnopere est, nihil usquam ulli arti adtribui pravitatis aut improbitatis. Nam quidquid ad nonnullas deprimendas valet, id totum redit ad opinionis levitatem et inconstantiam, ultra quam progredi non omnibus concessum sit. v. p. 58. E. sq. Quod quidem plurimum refert animadvertisse, quo facilius intelligatur, quibus de caussis philosophus scientiam et doctrinam voluptati longissime anteponendam esse censeat.

Atque haec quidem omnia satis clara putamus et intellectu facilia. Sunt tamen alia, quae non aequa facilitate expedias. Quid enim? Quum philosophus in superioribus sese significaverit primum sedem quasi ac domicilium indicare velle, quidni idem etiam nunc fecit, ubi de artium ac disciplinarum indole ac natura disputavit? Et cur nec illud nos certius edocuit, quod scire plurimum profecto ad praesentem quaestionem refert, ad quodnam rerum principium atque summum genus artes ac disciplinas referri vellet? Nam superiore quidem disputatione nihil de hac re est expositum; illic enim de una mente et ratione disputatum est, artium ac disciplinarum dignitatem explorari non meminimus. Haec igitur digna sunt utique, de quibus hoc loco paucis exponatur.

Et prius quidem illud, etsi primo adspectu multum difficultatis habere videtur, tamen re accuratius considerata facillime vel explicari vel excusari poterit. Nam primum de sede ac domicilio scientiae atque eruditionis post ea, quae antea de hac re disputata sunt, haudquaquam ambigi licebit. Quum enim scientia omnis et in animo sedem habeat suam et ad id referatur, quod natura sua ad *τὴν γεγενημένην οὐσίαν* pertinet, quorsum etiam ideas referri oportere ex Parmenide constat, non poterit cuiquam videri dubium, quin Plato eam pariter atque voluptatem in eo rerum genere, quod ex infinito et finito mixtum ac temperatum est, reperiri sibi persuaserit. Quod autem id non claris verbis enuntiavit sed potius transmisit silentio, id propterea factum esse arbitramur, quod eius rei commemoratione ad vim et naturam scientiae definiendam explicandamque haud sane opus fuit. Nam voluptatis quidem formae atque species ut invenirentur, prorsus necessarium fuit ostendi, vim eius naturamque totam non in essentiae constantia, sed in perpetua generatione atque harmoniae

antea turbatae restitutione positam esse; sed artium ac disciplinarum genera etiam sine tali demonstratione potuerunt investigari, praesertim quum philosophus ea omnia ita taxare atque aestimare constituisset, ut quam certa, quam firma, quam stabilis quaeque earum esset, denique certius exploratum haberetur. Huc accedit, quod opinionis ac scientiae discrimen iam antea, quum in Philebo ipso tum in aliis libris, quos scripserat, copiose illustraverat, ut non opus videretur, haec omnia denuo tanta perquirere subtilitate, quanta ad voluptatis rationes cognoscendas utique opus fuit. Itaque haec quidem videntur ex ipso disputationis argumento et ratione idoneam habere vel explicationem vel defensionem.

Sed difficilius est alterum illud, quod modo significabamus, declarare et quibus caussis nitatur ostendere. Nam quum voluptas antea infiniti generi subiecta sit, quorsum doctrina atque cognitio referri debeat, profecto item nunc demonstrandum fuit. At enim vero de hac re nec hoc loco ulla ex parte edocemur, quippe quo nihil agitur nisi hoc, ut artes ac disciplinae discernantur sic, ut uni philosophiae ἐπιστήμη, sive eius quod est scientia et cognitio, aliis artibus διάνοια sive ratiocinatio, aliis denique δόξα sive mera opinio convenire videatur. v. Reip. VII. p. 534 sq. Itaque relinquitur, ut rem coniectura ex iis definire studeamus, quae aliis locis de artium ac disciplinarum pretio ac dignitate pronuntiantur. Vidimus autem in superioribus, philosophum, ubi non modo de mente et ratione, sed etiam de scientia et doctrina disputandum fuit, callidissimo consilio unam mentem et rationem memoravisse eamque caussae generi affinem et cognatam iudicavisse. Quocirca facile suspicari licet, voluisse eum etiam artes ac disciplinas illam tanquam cognatione quadam attingere. Et certe rem ita se habere vel exigua docet universae argumentationis consideratio. Nam dialectica sive philosophia, quae est omnis scientiae et doctrinae tanquam culmen ac fastigium, quum una caussas et rationes rerum perscrutetur ideoque etiam ad ideam boni escendat, quae una est omnis perfectionis virtutisque effectrix quaedam ac veluti magistra, facile apparet quantam habeat cum caussae genere copulationem ac necessitudinem, ut certe dubitari non possit, eam proxime ad illius laudem et praestantiam accedere. Atque id ipsum haud obscure significavit philosophus p. 59.

C. D. Iam vero etsi de ceteris disciplinis nihil pronuntiatur, unde quorsum eae referendae sint clare appareat, tamen illud apertum est, voluisse philosophum eas cum ipsa mente et ratione ita coniunctas esse atque cognatas, ut inde tanquam gignerentur. Quamobrem eas nec antea iudicavit singulas esse commemorandas. Etsi igitur eas hoc loco varii generis esse docuit, quandoquidem alias magis, alias minus certas esse demonstravit, inprimisque etiam ceteras praeter unam philosophiam omnes in opinionibus occupatas esse (v. p. 58. E sqq.) ostendit: tamen omnes certe significavit nihil habere, quod ad lubidinis immoderationem ac petulantiam accedat; sed potius tales voluit esse, ut finiti generi sint annumerandae, quandoquidem mox in iis nihil statuit inesse, quod vitae concentum perturbaturum videatur. Quod quis est quin videat in infinitum illud haudquaquam convenire?

Sed magis perspicua scriptoris mens ac sententia ex iis fiet, quae deinceps disseruntur. Quamobrem age persequamur nunc rursus disputationis reliquae tanquam iter, ac videamus, quidnam sit quod philosophus porro exponendum putaverit.

Cap. VII.

Voluptates cum scientia miscendae. Bonum ipsum quid sit. Cernitur in Veritate, Symmetria et Pulcritudine. Inde leges mixtionis repetendae, h. e. *τὸ αἴτιον* mixtionis ideale. Voluptas mente et scientia longe deterior.

Definitis igitur voluptatis et scientiae variis generibus atque formis acceditur tandem ad utriusque commixtionem. Quod fit inde a p. 59. D. E. quo loco scite Socrates iam veluti materiam ait ipsis esse comparatam, unde optimae vitae tanquam opus fabricandum sit. Tum vero hunc in modum pergit disputare. Recordemur hoc loco, inquit, ante omnia illud, de quo antea inter nos convenit: naturam boni hoc sibi proprium habere, quod semet una contenta sit neque ullius rei indigeat, nec vero voluptatem aut scientiam per se solam hac virtute esse insignem. Quam sententiam si etiam nunc tuemur, quod profecto faciendum videtur, boni tanquam imaginem quandam adumbrare debebimus, in quam intuentes,

utrum voluptati an scientiae secundae deferendae sint, certius diiudicare possimus. Et ex iis quidem, quae hactenus disputavimus, sponte intelligetur, bonum non esse in alia vita quaerendum, nisi in vita commixta atque temperata. Ubi autem bonum sedem suam habet et quasi domicilium, ibi commixtionem consentaneum est omnino pulcram esse oportere. Quocirca quum voluptas et scientia nobis commiscenda sit, id nobis agendum erit, ut eae quam pulcerrime commisceantur. Quid igitur? hoc quum iam a nobis requiratur, rectene faciemus, si protenus omnem voluptatem cum omni scientia et cognitione commisceamus? Nimirum id facile apparet parum tutum fore. Itaque sic, nisi fallor, versabimur prudentius. Quum voluptatem aliam alia veriorem itemque artem arte accuratiorem et evidentiorem esse intellexerimus, primum verissimas utriusque particulas commisceamus atque videamus, num eae solae ad vitam optimam efficiendam satis valeant. Contemplemur igitur primum scientiam illam, quae versatur in iis, quae neque gignuntur neque intereunt, sed uno eodemque semper statu sunt. Eam vero liquidum est ad vitae humanae necessitates haudquaquam sufficere. Ridiculus enim foret status noster, si in rerum divinarum cognitione perpetuo versaremur, humanarum autem rerum scientiam prorsus haberemus nullam. Itaque etiam mathematicis artibus nobis opus est; imo ne ceteris quidem carere poterimus, quae, sicuti musica, coniectura et exercitationis usu plenae sunt, ut non careant erroris et fraudis admixtione. Quamobrem necessarium videtur, ut ad vitam optimam efficiendam omnis generis scientiam admittamus, atque puriorem cum deteriore commisceamus. Et certe non intelligitur, quid quis damni contracturus sit, si doctrinas et artes omnes teneat, modo ne careat primis illis, quae plurimum habent firmitatis (v. p. 62. D.). Iam vero etiam dispiciamus de voluptatibus. Et ex his quoque primum eas admittamus, quae verae sunt neque fraudis quidquam adiunctum habent. Quippe hae cum veri cognitione consociabuntur facillime. Praeterea autem videamus, num, si quae necessariae sint, eas protenus omnes admittere liceat. Cuius rei iudicium sine dubio ex eo pendet, ut omnes utiles esse nec quidquam detrimenti afferre perspectum habeamus, quemadmodum antea intelleximus nullam esse artem et scientiam, quae vitae

aliquid damni importet. Et voluptates quidem non recusabunt omnis scientiae atque artis societatem, imo eam ultro expetent ac desiderabunt. Sed alia ratio est mentis ac sapientiae. Quae praeter veras voluptates atque eas, quae cum sanitate et temperantia iunctae sunt virtutemque tanquam comites sequuntur, nullas omnino volent sibi consociari. Enimvero ceterarum pravitas et insipientia haudquaquam cum mente et ratione consistere potest. Has igitur neutiquam admittere in scientiae atque artium societatem poterit, qui volnerit permixtionem et coniunctionem videre quam pulcherrimam, unde quid et in homine et in rerum universitate naturâ bonum sit, tanquam divinare liceat.

Haec igitur Socrates inde a p. 59. D. usque ad p. 64. A. Quae considerantes paullo diligentius haudquaquam fugere nos poterit Platonem in vita sapienter temperanda mentis et artium ac disciplinarum potissimum duxisse rationem; quod mentem et scientiam nihil in se habere statuit, quod eius tanquam concentum ullo modo turbaret, voluptates autem arbitratus est tanto esse turbulentiores, quo magis a veritate ac sapientia recederent. Etenim quemadmodum virtutem voluit contineri harmonia, ita etiam cognitionem et sapientiam statuit totam tamquam pulcerrimo concentu absolvi. Quam in rem contulisse iuvabit Legg. III. p. 689. D: *πῶς γὰρ ἂν ἄνευ ξυμφωνίας γένοιτ' ἂν φρονήσεως καὶ τὸ σμικρότατον εἶδος; οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν ξυμφωνιῶν μεγίστη δικαιότατ' ἂν λέγοιτο σοφία.* Voluptates autem putavit eo magis appetendas esse, quo plus ad augendam et promovendam veritatem ac scientiam omnemque virtutem conducerent, ut est Reip. IX. p. 585 sqq. Quae si turbarent vim rationis atque mentis, maximam inde oriri arbitratus est turpitudinem. Legg. p. 689. A sqq. al. Ita igitur non solum mentem et rationem universae vitae tanquam moderatricem quandam et magistram praefecit, sed etiam quidquid scientiae et artis ab ea profectum esset, id tanquam tale optimae vitae elementum censuit esse, in quo nihil esset inconcinnum, nihil immoderatum, nihil quod natura sua dissonum videretur aut discrepantiam aliquam efficeret.

Hoc ipsum autem ut penitus perspiceretur, in Philebo rem copiosius persecutus est. Induxit enim Socratem deinceps ita disputantem, ut perfecti boni notas

quasdam constituat, ex quibus clarius intelligatur, cur voluptas in vitae optimae temperamento menti et intelligentiae longissime postponenda sit. Ita igitur, posteaquam de finito et infinito genere deque caussae vi in vita humana elucescente expositum est singulaeque utriusque illius formae ac partes indagatae sunt, iam perducimur etiam ad τὸ αἴτιον summum et extremum, hoc est ad ideae boni cognitionem, unde denique vitae bene sapienterque componendae moderandaeque leges suspensae sunt. Quaeritur enim nunc, τί δῆτα ἐν τῇ ξυμμίξει τιμιώτατον ἅμα καὶ μάλιστ' αἴτιον εἶναι δόξειεν ἂν ἡμῖν τοῦ πᾶσι γεγονέναι προσφιλῆ τὴν τοιαύτην διάθεσιν (p. 64. C.). Censet autem Socrates universae mixtionis caussam, per quam unam maxime existat, esse modum et congruentiam (μέτρον καὶ ξύμμετρος φύσις); deinde requiri ad eam pulcritudinem, quae ex modo et congruentia sponte oriatur; denique veritate opus esse, sine qua nihil usquam existat vel exstiturum sit. Quodsi igitur bonum non liceat una specie comprehendere communique complecti notione, certe arbitratur futurum esse, ut illud tribus formis ac speciebus declarari atque patefieri queat. v. p. 64. A — 65. A.

Quae si quaerimus quorsum pertineant, certe nihil aliud, opinor, significatur, nisi boni tanquam argumenta quaedam atque signa ad praesentem quaestionem requiri, ex quibus quid de re controversa statuendum sit, accuratius definiatur. Enimvero ipsa boni idea haud sane poterat nunc ad partes vocari. Est enim ea ipso Platone iudice natura sua talis, ut mens humana eam vix ac ne vix quidem capere queat. Tanta est eius amplitudo, tanta praestantia, tanta sublimitas et magnificentia. Qua de re praeclarus est locus De Rep. VI. p. 505. A. sqq. VII. p. 517. C. sqq. Itaque philosophus ubicunque eam ad rerum generatarum aut vitae humanae bonitatem definiendam adhibet, non quid ea per se sit tanquam unum quiddam in se absolutum pronuntiare audet: sed, ex quibus signis et argumentis in natura rerum cognoscatur, indicat ac pro varietate ipsius rei, de qua agitur, variis modis docere conatur. Nam De Rep. VI, p. 508. D. ea dicitur esse τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδόν, et ἡ αἰτία ἐπιστήμης καὶ ἀληθείας. Ibid. VII, p. 517. C. vocatur ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ὥστε μόγις ὁρᾶσθαι, ὀφθεῖσα δὲ συλλογιστέα, ὡς πᾶσι πάντων ὀρθῶν

τε καὶ καλῶν αἰτία, ἔν τε ὁρατῷ φῶς καὶ τὸν τούτου κύριον τεκοῦσα, ἔν τε νοητῷ αὐτὴ κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη, additis etiam verbis ὅτι δεῖ ταύτην ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ. Legg. XII, p. 965. C. eadem in virtutum cumulata possessione inesse indicatur. Ex quibus omnibus satis, opinor, apparebit, cur philosophus etiam hoc loco faciendum sibi putaverit, ut non ipsam eius speciem proponeret et adumbraret, sed tanquam externa quaedam ipsius signa afferret, unde de voluptatis et scientiae bonitate iudicari posset, atque adeo eius commixtionis ratio cognosci, quam deinde a Socrate institutam finxit. Itaque habita praesentis quaestionis ratione prudentissimo consilio haec tria eius, quod boni nomine dignum futurum sit, argumenta ponit: veritatem, symmetriam, pulcritudinem. Et veritatem quidem non intelligit subiectivam, sed potius obiectivam, quam hodie vocare solent; quae quidem in bono rectissime requiritur, propterea quod sine ea nihil quidquam id ipsum atque tale esse potest, quale secundum naturam suam esse oporteat. Nec tamen ea per se sola ad id satis potest, sed ad ipsam accedat oportet symmetria. Nam ut quid veritatem nanciscatur ac tale sit, quale propter naturam suam esse debet, hoc est proposito fini plane respondeat, etiam singulae eius partes ita comparatae sint necesse est, ut inter ipsas apte conveniant, nec aliae alias turbent reddantve incongruas. Quod ipsum docetur etiam Politic. p. 283. D. sqq. ubi de τοῦ μετρίου ad bonum necessitate disseritur. Atque hinc denique tanquam sponte nascitur pulcritudo, quae quidem in bono omnibus numeris absoluto haudquaquam deesse potest; quidquid enim bonum est ac perfectum, id qui tandem fieri possit ut non item pulcritudine sua ac venustate niteat? Ex quo profecto apparet luculentissime, cur Plato bonum et pulcrum tanta necessitudine coniunctum putaverit, ut utrumque unum idemque esse vellet; de qua philosophi summi sententia exposuimus ad Hipp. mai. p. 297. B. Sympos. p. 201. C. Tim. p. 87. C. ubi inter alia haec sunt: πᾶν δὴ τὸ ἀγαθὸν καλόν, τὸ δὲ καλὸν οὐκ ἄμετρον; quae quam egregie cum huius loci rationibus conveniant, vix est cur verbo admoneamus. Ita igitur apparet, opinor, quid Plato hac sua boni descriptione spectaverit. Quam si qui scire cupiant quantopere Platonici recentiores celebraverint, ii adeant Creu-

zerum ad Plotinum De Pulcritud. p. 146. sqq. ed. Heidelb. Neque enim nos hoc tempore id agimus, ut quid posterioris aetatis philosophi de his rebus senserint, data occasione exponamus; acquiescimus potius in eo, ut mentem ac sententiam Platonis ex ipsius scriptis, quantum fieri possit, aperire studeamus. Videamus igitur nunc, quomodo Socrates iis, quae de his rebus exposuit, ad rem praesentem utatur.

Instituit igitur ille iam tria illa boni tanquam signa cum voluptate pariter atque mente et sapientia contendere, ut tandem intelligatur quam certissime, utra sit praestabilior atque ipsi bono cognatior. Comparemus, inquit, primum utramque ad veritatem. Apparet vero protenus, quid rei sit. Nam voluptas quum longe vanissima sit, dici non potest, quantum a veritate abhorreat; mens autem atque ratio aut plane idem est, aut ei certe longe simillima ideoque verissima. Iam vero similiter etiam statuendum est, ubi symmetriae ducimus rationem. Nam voluptate nihil inveniri potest immoderatius; sapientia autem et scientia semper habent summam cumulatamque moderationis laudem. Denique de pulcritudine si quaerimus, huic quoque ratio, mens, et cognitio multo est propinquior voluptatibus. Etenim illam nemo quisquam unquam turpem aut deformem viderit; hae autem quo sunt maiores ac vehementiores, eo plus turpitudinis habere existimantur.

Haec igitur Socrates p. 65. A — E. Quibus explicatis tandem plane exploratum est, de quo ab initio dubitabatur: voluptatem in bonorum numero nec primum nec secundum locum obtinere posse, mentem autem ac sapientiam ea esse multo praestantiorem. Nec vero etiam quisquam nunc dubitabit, quin, quum mens et intelligentia antea caussae generi sit annumerata, cognitiones, disciplinae, artes, rectae opiniones, denique quidquid ex mentis intelligentia provenit, certe finito generi accenseri debeant.

Cap. VIII.

Summi boni gradus constituuntur et quantum voluptas distet a mente et scientia ostenditur. Docetur, quatenus hic quoque, quae antea de dialecticis disputata sunt, ad rem praesentem adhibeantur. Refutantur aliorum quorundam opiniones.

Quanquam autem instituta antea quaestio iam hoc loco ad exitum videtur perducta esse, tamen ea neutiquam protenus finitur. Nam primum quidem certius etiam, sicuti par est, definitur: quonam intervallo voluptas a mentis et scientiae dignitate distare existimanda sit. Deinde nihildum de eo constitutum est, quidnam sit, quo vitae humanae bonum absolvi putari debeat, quanquam huius quoque rei antea iniecta est mentio. Haec igitur ut tandem decernantur, Socrates nunc verbis paucissimis, quid secundum ea, quae hactenus disputata sunt, de bonorum ordine ac dignitate existimari oporteat, declarare instituit.

Tribuit igitur principatum *τῷ περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πάντα, ὁπόσα τοιαῦτα χρὴ νομίζειν τὴν ἀίδιον ἰδρῆσθαι φύσιν*, hoc est ei, quod modum habeat, et moderato et tempestivo; denique quodcunque, quum eiusdem sit generis, aeternam naturam suscepisse putari debeat. Secundum deinde locum assignat *τῷ ξυμμέτρῳ καὶ καλῷ καὶ τῷ τελέῳ καὶ ἱκανῷ, καὶ ὁπόσα τῆς γενεᾶς αὖ ταύτης ἐστίν*, pulcro, congruenti, perfecto et idoneo, et si quae sint rursus alia eiusdem generis. Tertio loco ponit rationem et intelligentiam, *νοῦν καὶ φρόνησιν*. Quartum locum assignat cognitionibus, artibus et rectis opinionibus. Quintum porro proprium esse vult voluptatibus puris ac dolore vacuis, etiamsi ex sensuum perceptionibus hauriantur. Sed quae reliquae sunt voluptates, eas nullo loco habendas esse arbitratur, ideoque transmittit silentio.

Quibus declaratis denique haec subiungit. Audiamus vero nunc, inquit, quid ex his consequatur. Ego enim quum dudum haberem cognita et perspecta, quae iam explicavi, indignatus non modo Philebi, sed plurimorum aliorum iudicium, qui voluptatem pro summo bono habent, mentem et rationem censui illa multo esse praestantiorem. Sed quum suspicarer etiam alia reperiri, quae pro bonis ducenda sint, invento alio bono duabus

illis praestabiliore, me professus sum de secundis pro ratione adversus voluptatem pugnare velle. Et vero intelleximus postea, nec voluptatem nec scientiam consummati boni laudem tueri, quandoquidem neutra aut semet ipsa contenta aut perfecta ac sufficiens esse visa est. Reperimus autem revera utraque melius quiddam; atque huic liquido apparuit mentem ac sapientiam voluptate multo esse cognatiorem ac similiorem. Ex quo evenit, ut instituto denique iudicio voluptatis natura quintum demum locum acceperit. Et quidem iure ac merito. Nam primas partes ea nullo modo sibi vindicare potest, etiamsi omnes boves, equi, ceterae animantes pro ea pugnaverint; quibus quidem freta magna hominum multitudo, prorsus ut augures avibus fidem habent, voluptates arbitratur ad bene beateque vivendum longe plurimum valere, ideoque brutarum animantium cupiditates pro locupletioribus habet testibus, quam eorum iudicia, qui tanquam Musae philosophae oracula et effata audiunt.

His vero expositis Protarchus: Verissime, o Socrate, haec ita a te disputata esse nemo iam erit, quin facile largiatur. Ad quae Socrates: Nonne igitur me iam tandem dimittitis? Cui ille: Exiguum quiddam adhuc reliquum est. Sed nihil amplius morans Socrates repente discessum parat protenus abiturus. Protarchus autem eum ait suo tempore reliqua admonitum iri. Quibus dictis colloquium finitur. v. p. 66. A — 67. B.

Postrema haec pars dialogi quum facile appareat, quantum momenti habeat ad omnem librum recte intelligendum et interpretandum, tum item manifestum erit quanta prematur obscuritate ac difficultate, quae quidem eo maior est, quo maior est disputationis brevitas. Et de abrupto quidem sermonis exitu quid existimandum sit, in superioribus exposuimus, quae hic nolumus iterare. Sed restant difficultates non paucae, quas ipse recensus bonorum habet; quaeque tantae sunt, ut semper maxima fuerit virorum doctissimorum de his rebus dissensio. Nam ut mittamus alios, qui locum illustrare conati sunt, quae nostra aetate de eo disputarunt Tiedemannus Argument. Dialog. Platon. p. 123. sq. Fr. Henr. Iacobi Opp. Philosoph. Vol. I. p. 247. sq. Schleiermacherus Praef. ad Phileb. p. 132. sqq. Astius De Vita et Scriptis Plat. p. 296. sqq. Henr. Ritterus Histor. Philos. Vol. II. p. 417. sq. Fr. Ad. Trendelenburg. Comment. De Platonis Philebi Consilio, Be-

rol. a. 1837. p. 16. sqq. Victor Cousinus in Diario inscripto: Iournal des Savans a. 1825. p 420. sqq. et in Opp. Platon. Gall. Vers. Vol. II, p. 286. sqq., ea sunt adeo varia atque inter se diversa, ut tanquam adversa fronte inter ipsa pugnare dicenda sint. Longum igitur est ac prope infinitum, singulas singulorum opiniones referre et examinare. Quamobrem animum induximus in hoc argumento tractando eo modo versari, ut quid nobis videatur paucis exponamus, ac si quae graviora sint, quae sententiae nostrae adversari videantur, ea refellere conemur.

Dici autem non potest, quantum ad rectam totius loci interpretationem referat diligenter animadvertisse, de quo iam in superioribus monuimus aliquoties: non id agi in Philebo, ut quodnam sit bonum summum atque ultimum exquiratur, quod in se absolutum sit, sed disputari potius de fine bonorum, ad quem nobis hominibus natis eniti et contendere liceat, ita tamen, ut is referatur et comparetur ad absoluti boni ideam. Nam hoc si tenemus, in hac enumeratione bonorum haudquaquam putabimus a Socrate etiam ea proponi, quae ultra vitam humanam elata sint neque in eam ullo modo cadant. In quem errorem utique inciderunt, qui vel ipsum Deum vel perfectam absoluti boni ideam in bonis numerari sibi persuaserunt. Nam nec Deum possidere homines possunt, nec illam boni ideam participare. Esse vero illud argumentum potissimum, quod in Philebo illustratur, id vero adeo manifestum putamus, ut mirari subeat fuisse, qui alia hic sibi viderentur deprehendisse. Nam etsi eo loco, ubi ad summa rerum genera proceditur, etiam attinguntur ea, quae ad omnem rerum universitatem ipsumque Deum referuntur, tamen per totum sermonem putamus id unice quaeri: quidnam sit, quo vitae humanae praestantia ac felicitas absolvi existimari debeat. Quod luculentissime docet universae disputationis ordo et progressus. Nam quum ab initio libri ea de re duplex proponatur sententia, mox Socrates, positis summi boni, quod homini possit obtingere, notis quibusdam atque signis (p. 20. C. D.) evincit: nec sapientiam seclusa voluptate, nec voluptatem seclusa mente et sapientia per se expetendam esse; sed potius vitam ex utraque sapienter mixtam ac temperatam, ita quidem, ut voluptatis immoderatio mentis et rationis imperio compescatur atque coërceatur. Quod posteaquam demonstra-

tum est, agitur denique bonorum recensus fitque eorum contentio. Id ipsum igitur non aliorsum spectare consentaneum est, nisi eo, ut, quidnam de summo vitae humanae bono statuendum sit, accuratius diiudicetur; nisi forte existimare voluerimus, Platonem iam tandem consilii sui oblitum esse, atque temerario arbitratu repente ad alia omnia transiisse. At enim vero ipse profecto diligenter cavit, ne legentes tale quid opinarentur, quandoquidem Socratem suum fecit identidem clarissimis verbis commonentem, disputari nunc de eo bono, quod hominibus possit revera obtingere. Sic enim fit p. 11. B. C. D. ubi inter alia: *ὡς νὺν ἑκάτερος ἡμῶν ἕξιν ψυχῆς καὶ διάθεσιν ἀποφαίνειν τινὰ ἐπιχειρήσει τὴν δυναμένην ἀνθρώποις πᾶσι τὸν βίον εὐδαίμονα παρέχειν.* p. 20. E. 21. C. et in ipso exitu sermonis p. 66. E. Quid quod etiam eo ipso loco, ubi bonorum gradus significantur, id indicatur clarissime? Nam p. 66. A., ubi quid primo loco ponendum sit, proditur, Socrates haec dicit: *Πάντῃ δὴ φήσεις, ὡς ἡδονὴ κτῆμα οὐκ ἔστι πρῶτον, ἀλλὰ πρῶτον μὲν πῃ (κτῆμά ἐστιν;* hoc enim necessario intelligendum;) *περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον κ. τ. λ.* Quocirca adeo illud, quod primum locum tenere arbitratur, tale esse significat, quod ab homine acquiri ac possideri possit, ut hic quoque manifestum sit, cogitasse eum de eo bono, cuius vita humana particeps fieri possit.

Sed quemadmodum haec accurate tenuisse ad locum recte intelligendum plurimum sane conducit, ita etiam aliud quid est, quod nobis ea in re aliquantum utilitatis afferat, si modo diligenter animadversum fuerit. Iuvabit enim nostra sententia hic quoque eorum meminisse, quae Socrates antea de disserendi via ac summis rerum generibus exposuit; quae certe eiusmodi sunt, ut ne nunc quidem ab eo negligi putanda sint. Ac profecto insignem prorsus artem Platonis hic cerni plane nobis persuasimus, quippe qui eodem loco, quo disputationem ad exitum perduxit, etiam artis dialecticae usum antea commendatum veluti consummaverit, ac suo ipsius exemplo in clarissima luce collocaverit. Quod qua ratione perfecerit, paucis hic demonstrare licebit. Meminimus igitur Socratem ab initio dialogi docere, in omni quaestionum genere sic versandum esse, ut genera et formae accurate distinguantur, viam autem disserendi duplicem esse, quandoquidem primum a genere queat deinceps ad formas et

partes eius descendi, deinde autem ordine inverso a singulis formis ad genera et universalia procedi. His vero praeceptis ille per totum sermonem ita utitur, ut etiamsi legentes de eo nihil admoneantur, tamen ubique genus ac formas rerum in disceptationem vocatarum sollerter indaget ac definiat. Nam primum quidem, ut decernatur, utrum voluptate an mente ac sapientia summum vitae humanae bonum contineri putandum sit, prudentissime definit summam boni notionem, sive optimae vitae genus, eique simul voluptatem ac sapientiam tanquam partes subiicit. Itaque iam hic apparet, τὸ ἕν et τὰ πολλά summi boni ab eo constitui. Sed idem etiam in proximis factum. Nam ubi deinceps disputationis ordini convenienter voluptatis ac mentis et sapientiae natura definienda est, primum genus earum eruit, ostenditque, quaecunque sint, ad genera infiniti, finiti, mixti et caussae referri oportere. Quae quidem sic ad praesentem quaestionem transfert, ut exploratis simul et voluptatis et scientiae formis ac partibus unumquodque illorum in vita quoque humana cerni ostendat. Nam voluptatem subiicit generi infinito; mentem et intelligentiam caussae generi affinem esse demonstrat; cognitiones, artes ac disciplinas, quae sunt eius tanquam opera quaedam, ad finitum genus pertinere iubet; denique universam vitam sapienter temperatam mixto generi vult respondere. Itaque vitae moralis elementa quum singula tum coniuncta ita percenset, ut quorsum ea referenda sint acutissime ostendatur. Sed quo certius denique constet de mixtionis bonitate, tandem etiam ad absoluti boni ideam escendit atque signa quaedam eius et argumenta affert, unde quid in vita bonum haberi debeat, quidve cum ipso bono conveniat, intelligi et iudicari possit. Haec igitur omnia, quae insigni acumine et inventa et exposita sunt, nec in extrema libri parte negligi nobis penitus persuasimus; imo consentaneum esse arbitramur, Platonem hic cummaxime, ubi ad summam rei ventum est, iudicium suum ad illorum normam atque rationem composuisse. Atque hoc revera ab eo factum esse, age paucis demonstrare conemur.

Posuit igitur philosophus in bonorum recensu primo loco τὸ περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πανθ' ὁπόσα τοιαῦτα χρὴ νομίζειν τὴν ἀΐδιον ἰδέαν θεῖσθαι φύσιν. Quod si quaeris quidnam intelligatur, responsionem in promtu habemus. Significavit enim philoso-

plus his verbis absoluti boni ideam, quatenus mens humana eam comprehendere et ad vitam regendam moderandamque adhibere potest. Quae quidem non est alia, nisi boni idea in perfecta hominum vita tanquam elucescens. Etenim de absoluta summi boni idea, qualis per se seorsum constat, haudquaquam cogitare licet, propterea quod, sicuti antea vidimus, ipso Platone iudice mens humana eam vix ac ne vix quidem capere et intelligere potest. Etsi igitur boni idea in mundo intelligibili posita, cuius unus Deus capax est, et summi boni idea, quod potest hominibus natis obtingere, natura sua una est atque eadem: tamen plurimum refert, num tota atque integra mente humana comprehendi queat. Quod Plato quidem ideo negavit, quia humanae mentis atque rationis eam vidit esse imbecillitatem et infirmitatem, ut perfecta rerum divinarum scientia in eam nullo modo convenire videretur. Atque idcirco etiam philosophiam nihil aliud esse voluit, nisi studium sapientiae; homini autem id propositum esse iudicavit, ut Deo similis nec vero par aut aequalis existeret *). Quod quidem mirum est plane neglectum esse a viris praestantissimis, qui nuper hunc Philebi locum attingerunt, Car. Frider. Hermanno atque Fr. Ad. Trendelenburgio. Ille enim, quum iam olim in Programmate Academico Marburg. anni 1833., in quo inest Commentatio De Idea Boni, p. 5 sqq. omnino absolutam ideam boni intelligendam esse adversus nos contendisset, tum nuper etiam Histor. Philos. Platon. Vol. I. p. 690. annot. 648. in eadem permansit sententia. Trendelenburgius autem ideo quoque illam intelligi oportere arbitratus est, quia sibi persuasit, in hoc dialogi exitu cognationis quasi gradus significari, quibus non modo res humanae sed etiam res totius rerum universitatis cum ipso bono cohaereant **): quod quam falso ita statuatur, post paullo videbimus. At nimirum vel illud nos alia admonere potest, quod Plato antea non ipsam boni speciem attulit, sed tria eius signa ponenda iudicavit, unde vitae recte temperandae ratio cognosceretur. Eo enim aperte significavit boni speciem eam, quae et vitam humanam regeret et mentis humanae cognitioni esset subiecta, eamque

*) V. Theaet. p. 176. A. B. De Rep. VI. p. 501. B. C. X. p. 613. A.

**) V. De Plat. Philebi Consilio p. 10 sq.

ob caussam κτῆμα hominis fieri posset. Quoniam autem haec optimae vitae idea, quae in animo humano insidet quaeque omnino eadem est atque summi boni species, nisi quod haec sub mentis humanae intelligentiam non omnino subiecta est, haec igitur idea, quoniam patefacit nobis atque ostendit, quidnam illud sit, quo omnis vitae nostrae perfectio et beatitas absolvatur, una maxime pro caussa et effectrice omnis vitae bonitatis habenda est. Quemadmodum enim Deus totum hunc mundum ad ideae boni exemplar generavit et composuit, ut ipse atque boni species fons et caussa sit omnis rerum generatarum perfectionis, sic etiam omnis vitae humanae absolutio exinde pendet, ut homo ideam boni intueatur seque totum ad eius normam et legem componat. Quod dum facit, ad illum ipsum finem, qui ei propositus est, enititur, hoc est, ad similitudinem cum Deo. Itaque non videmur iniuria statuere, eandem illam ideam, quatenus ad vitam humanam refertur, nunc item poni tanquam τὸ αἴτιον omnis vitae perfectionis; est enim ea utique maximum κτῆμα, quod mortalibus obtingere potest, quippe sine qua omnis eorum vita tanquam caussa bonitatis generatrice caritura esset. De cetero nemo mirabitur, quod τὸ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον et quae cum iis genere suo cognata sunt, aeternam naturam dicuntur adepta esse. Nam quemadmodum reliquae ideae omnes, ita hae quoque natura sua sunt constantes, perpetuae, sempiternae.

Sed haec per se clara erunt iis, qui philosophiae Platonicae non imperiti sunt. Pergimus ad secundum dignitate bonum, quod Plato censet esse τὸ ξύμμετρον καὶ καλὸν καὶ τὸ τέλεον καὶ ἱκανὸν καὶ παντὶ ὁπόσα τῆς γενεᾶς αὖ ταύτης ἐστίν. Apertum vero putamus, quomodo haec ab iis differant, quae antea sunt commemorata. Illa enim caussam ac principium (τὸ αἴτιον) omnis vitae bonitatis indicant; haec autem sine dubio sunt id, quod per caussae effectricis vim et potentiam revera ortum est, quodque per eam existit pulcrum, in se congruens, perfectum ac sufficiens. Quod quidem facile apparet nihil aliud esse posse nisi perfectionem ideoque beatitatem vitae humanae ad ideae boni speciem comparatam, ad quam tanquam ad propositum finem omnes omnino contendunt, qui summi boni participes fieri cupiunt. Habemus igitur hic τὸ ξυμμεμιγμένον, quemadmodum antea τὸ αἴτιον optimae vitae cognovimus. At-

quę hoc si vere ita iudicavimus, non modo intelligetur, cur τὸ ξύμμετρον καὶ καλόν commemoretur: sed etiam illud ad explicandum facile erit, quod cum eo iungitur τὸ τέλεον καὶ ἱκανόν. Nam haec tanquam signa et argumenta vitae omnibus numeris beatae et studiis nostris dignae p. 20. B. sqq. afferri meminimus, ut hoc loco profecto aptissime commemorentur. Habet vero inde explicationem etiam illud, quod antea nulla iniecta veritatis mentio est. Nam quanquam eam putari licet verbis: καὶ πάνθ' ὁπόσα τοιαῦτα χρὴ νομίζειν τὴν ἀΐδιον ἕξιν σῴζεσθαι φύσιν, significatam esse, tamen accedit utique hoc, quod veritas maxime nunc talis intelligenda est, qualis inest in bono revera orto. Id ipsum autem hic ita describitur, ut eius commemoratione haud sane opus fuerit. Haec igitur nostra de secundo boni gradu sententia est. A qua tamen longissime discessit Trendelenburgius, qui p. 23. significari putat ideae boni simulacra *in rerum natura expressa*, sive, omne id, quod ad eius exemplar natum factumque sit. Quod ingenue fatemur nobis quidem videri a Platonis mente et sententia maxime abhorrere. Etenim haec verborum interpretatio si vera esset, omnis omnino οὐσία γεγενημένη, hoc est, universa rerum natura et quidquid in ea extat, in vitae humanae bonis numeraretur adeoque κτῆμα hominis appellaretur. Nimirum in fraudem inductus est vir egregius eo, quod Plato, sicuti ideam optimae vitae ad absoluti boni speciem retulit, ita etiam vitam humanam ad illius exemplar comparatam cum τῇ γεγενημένῃ οὐσίᾳ totius rerum naturae componendam iudicavit. At enimvero ex eo certe nihil efficitur nisi hoc, Platonem optimam hominis vitam sive summum bonum, quod illi obtingere posset, τῷ ξυμμεμιγμένῳ totius naturae tanquam ex altera parte respondere voluisse, ut tanquam eius imago quaedam haberetur. Quamobrem ista omnia neutiquam sunt eiusmodi, ut sententiam nostram falsam aut ineptam esse arguant. Facile autem apparet, cur vita humana ad ideae boni exemplum composita secundo loco recenseatur. Quid enim post ipsam ideam boni, cuius mens humana capax est, usquam reperiri potest maius ac studiis hominum magis dignum, quam quod per illam tanquam caussam effectricem revera ortum generatumque est? Nimirum est hoc ipsum illud, in quo ea vitae perfectio et beatitas cernitur, qua una secundum Platonem summum eius bonum continetur.

Et haec quidem de duobus bonis prioribus. Progredimur ad reliqua. Enumerantur vero, si quid iudicare possumus, tertio, quarto et quinto loco ea, quae in humana natura atque indole insunt summi boni tanquam elementa et principia. Nam ut homo illius compos fiat atque particeps, prorsus necesse est ante omnia mente et intelligentia praeditus sit, quo vitae optimae speciem intelligere possit atque intueri. Praeterea vero etiam aliquid natura sua habeat oportet, quod iusto temperamento ad illius similitudinem in unum coniunctum οὐσίαν illam efficiat, qua demum orta vita optima existit. Haec omnia igitur nunc ordine deinceps a Platone enumerari arbitramur.

Et tertio quidem loco ponitur νοῦς καὶ φρόνησις, mens et intelligentia. Quae prorsus respondet summi boni ideae primo loco commemoratae. Nam quemadmodum haec tanquam superior optimae vitae caussa est, ita mens in ipso homine inclusa eiusdem genetrix fit. Nec vero cuiquam videbitur mirabile, quod mens et intelligentia non primo, sed tertio loco collocatur. Nam idea boni fons et principium est omnis vitae humanae beatitatis, neque ea a mente humana procreatur, sed altioris est originis, quandoquidem a perfecta ratione, hoc est a summo Deo, profecta est. Quodsi igitur aliqua extitura sit vitae nostrae perfectio et beatitas, mens nostra necesse est ad eam tanquam exsurgat eiusque particeps fieri studeat. Ex quo consequitur, menti et intelligentiae haudquaquam primum locum assignari potuisse. Nec vero ei secundus locus concedi potuit. Quod enim tanquam totum quoddam ad ideae speciem et similitudinem ortum generatumque est, id profecto potius habendum fuit, quam unum aliquod ipsius principium atque elementum, praesertim quum nihil aliud sit quam ipsa idea rerum veritate expressa (die verwirklichte Idee). Intelligi vero hinc licebit, cur mens et intelligentia humana in superioribus sub caussae genus subiecta fuerit. Etenim summa et perfecta ratio, quae est in numine divino, aut potius quae ipsum numen divinum est, quum omnia efficiat, gubernet, moderetur, sane mente humana multo est maior, excelsior, praestantior; est enim etiam idearum, maximeque ideae boni, tanquam parens atque genetrix. Quocirca haec pro unica et suprema caussa haberi debet. Veruntamen nec menti humanae caussae dignitas atque virtus abiudicanda est,

quamvis divina mente multo inferiori. Est enim e mente divina tanquam decerpta ac delibata, atque adeo ideae boni ita capax, ut ad eius legem vitam humanam temperare, regere ac moderari possit.

Haec igitur de tertii boni caussis et rationibus, quod apparet rursus a Platone sic informatum esse, ut, quaenam sit eius cum summi boni idea adeoque cum ipso numine divino coniunctio ac necessitudo, facile ex superioribus coniicias. Iam vero quartus locus in ordine bonorum tribuitur iis, quae ex mente et intelligentia gignuntur, hoc est cognitionibus, artibus ac disciplinis, denique etiam rectis opinionibus. Ac profecto consentaneum fuit, id quod cum praestantissima nostri parte maxime cognatum est, etiam proxime post eam collocari. Quamobrem nec fieri potuit, quin voluptates eaeque purae ac sincerae quinto demum loco commemorarentur. Itaque hic omnia expeditu sunt facillima. Contemplantes autem nos et voluptates postremo commemoratas et cognitiones ac doctrinas, quae illas antecedunt, fugere non poterit, esse eas tanquam elementa, unde moderante mente ac sapientia vitae optimae conditio atque status conficiatur. Quod si verum est, sponte consequitur, cognitiones, disciplinas, rectas opiniones denique sine dubio ad finitum genus referri oportere; ut hinc tandem certissime intelligatur, quodnam fuerit philosophi de iis iudicium. Nimirum antea id non putavit clarius declarandum esse ob eas caussas, de quibus in superioribus exposuimus; nunc vero illud tacito quasi prodidit, quippe quum res sponte intelligi posset. Itaque Platonem iam tandem liberabimus a crimine negligentiae ac temeritatis, cuius eum quis, non perspectis rei caussis et rationibus, praecipitato iudicio facile incusaverit. Praeterea vero etiam aliud quid hic animadvertisse non poenitebit. Etenim duo haec vitae humanae tanquam elementa postremo loco memorata ubi accuratius consideraveris et cum reliquis bonorum gradibus contenderis, dubitari haudquaquam poterit, quin sicuti antea mens et intelligentia ideae boni e regione positae sunt, ita haec perfectae vitae imagini respondeant ad ideae similitudinem quam exactissime conformatae et expressae. Quocirca quae secundo loco in unum iuncta tanquam unum quiddam ponuntur, ea quarto et quinto loco disiunguntur atque separantur. Id vero magnopere cavendum est, ne temere ac sine caussa idonea sic a Platone institutum putemus. Etenim pru-

dentissime philosophus ab universa vitae optimae, sive consummati boni, specie et imagine deinceps progressus est ad lustranda singula, unde conficitur, eius elementa; ut nec hic immemor fuisse putandus sit eius disputationis, quam ab initio sermonis de rerum generibus et formis sedulo discernendis instituisset. Quod igitur antea iudicavimus, omnia ea, quae supra quum de generibus et formis notionum tum de summis rerum principiis copiose exposita sunt, hoc quoque loco respici accuratissime et ad rem praesentem transferri *), nihil dixisse videbimur, quod ab ipsa re et veritate abhorreat. Proposuit igitur philosophus primum ideam summi boni, quod homini nato potest contingere, hoc est, ideam summae perfectionis, cuius vita hominum moralis capax est. Quod est quasi genus (*τὸ ἓν*) boni ideale, ut ita dicam, idque simul *τὸ αἴτιον*. Attulit deinde ipsius vitae optimae speciem et imaginem ad ideae exemplar expressam planeque conformatam; in qua cernitur genus optimae vitae reale (*τὸ ἓν*) itemque *τὸ ξυμμεμιγμένον*. Tum vero tertio loco vitae humanae rectorem, animum, propriamque ei intelligentiam memoravit. Qui quoniam iuxta cum duobus reliquis bonis propius ad ipsum hominem pertinet, dehinc *τὰ πολλά* afferri putanda sunt, quae in vita humana ad boni similitudinem comparata discernere liceat, eaque ipsa sunt rursus *τὸ αἴτιον*, *τὸ πέρας* et *τὸ ἄπειρον*. Nam mens et intelligentia quoniam boni ideam assequitur et ad eius legem vitam componit atque gubernat, pro caussa omnis eius perfectionis habenda est. Ita igitur apparet iam clarissime, quibus de caussis Plato hunc bonorum ordinem constituerit. Qui ut iam tandem cognosci possit ab omnibus et uno quasi obtutu considerari, age eum in tabula consignatum sub oculorum conspectum subiiciamus:

---

*) Mireris Schleiermacherum Praef. p. 129. de his sic scribentem: dieſe Begriffe (*ἄπειρον πέρας, μεμιγμένον, αἴτιον*) kommen allerdings inſofern in Anwendung, als von der unreinen Luſt gezeigt wird, ſie gehöre in das Unbeſtimmte; aber niemand wird behaupten wollen, daß dies nur deswegen hier ſtehe, vielmehr ſchließt ſich dies dem Sophiſten an, und es wird, wie dort, die Art und Weiſe des gewordenen Sinns näher unterſucht und der Urſprung deſſen, was in ihm das Fließende iſt und das Beharrliche. Ergone haec in ipso Philebo fere redundabunt?

I. Idea vitae optimae s. summi boni, τὸ ἓν ideale. τὸ αἴτιον, idque ideale.

II. Vita optima ad ideae illius exemplar conformata, sive summum bonum, ad quod homini enitendum, τὸ ξυμμειγμένον. τὸ ἓν reale.

III. Mens et intelligentia humana, qua idea comprehenditur, τὸ αἴτιον in ipsa hominis natura situm.

IV. Cognitiones, artes, disciplinae, et rectae opiniones, τὸ πέρας ἔχον, in natura hominis positum. τὰ πολλά.

V. Voluptates purae et cum sensuum perceptionibus coniunctae, s. τὸ ἄπειρον, quatenus illud cum finiti legibus concordat iisque obtemperat.

Concordant cum hac nostra loci gravissimi interpretatione egregie, quae apud Stobaeum Eclogg. Eth. I. p. 85. ed. Heeren. leguntur, quem locum iam olim Prolegg. ed. 1. p. CVI. comparavimus. Ibi enim haec sunt: *Πρῶτον μὲν γὰρ τἀγαθὸν τὴν ἰδέαν αὐτὴν ἀποφαίνεται, ὅπερ ἐστὶ θεῖον καὶ χωριστόν· δεύτερον δὲ τὸ ἐκ φρονήσεως καὶ ἡδονῆς συνθετόν, ὅπερ ἐνίοις δοκεῖ κατ' αὐτὸ εἶναι τέλος τῆς ἀνθρωπίνου ζωῆς· τρίτον αὐτὴν καθ' αὑτὴν τὴν φρόνησιν· τέταρτον τὸ ἐκ τῶν ἐπιστημῶν καὶ τεχνῶν συνθετόν· πέμπτον αὐτὴν καθ' αὑτὴν τὴν ἡδονήν.* Quae contemplantibus rationi nostrae ne antiquitatis quidem testimonium deesse videbitur. Nec inutiliter contuleris, quae fuse disputavit Plotinus Enneadis primae libro VII. et VIII., ubi de bono eiusque variis generibus exponitur, et Enneados sextae libr. VII.; ad quos locos doctissime disputavit Creuzerus Vol. III. p. 530 sqq. et 386 sqq.

Positis autem quinque istis boni tanquam gradibus, quibus manifestum est Platonem censuisse omnem vitae humanae perfectionem et felicitatem absolvi, reliquum fuit, ut etiam de ceteris voluptatibus sententia dicenda esset. Nec defuit qui has ipsas sexto bonorum loco ponendas arbitraretur. Statuit enim ita nuper Steinhardtus Meletematt. Plotin. p. 14., qui miratus est non vidisse alios, quod ipse scilicet vidit, sex bonorum vel potius boni gradus a Platone constitutos esse. At enim vero Plato ipse omnino sensit aliter. Quod enim Socratem fecit de reliquis voluptatibus tacentem ac sexto loco

protenus disputationem finientem, eo ipso significavit elegantissime, voluptates impuras atque falsas tales esse, quae non possint in perfectae vitae beatitate locum habere. Enimvero turbant eae consummatae felicitatis, quae eadem est summa vitae humanae moralis absolutio, tanquam concentum et convenientiam, quippe quae et a veritate alienae sunt, neque symmetriae quidquam habent, nec denique ad illam pulcritudinem aliquid conducunt, qua vitam optimam ac beatam insignem esse omnino consentaneum est *). Quamobrem Plato τὸ ἄπειρον voluptatum, quod in humana natura cernatur, eatenus tantum ad optimam vitam absolvendam valere voluit, quatenus cum finito in unum coiret, ac finitionis legem ferret ac susciperet. Quod quam egregie cum reliqua viri doctrina conveniat, si modo eius sententiam recte perceperis, facillime intelligere licebit. Sed de his fortasse alio loco dicendi occasio erit; nunc satis erit paucis aperuisse, cur philosophus quinque tantum summi boni gradus secernendos iudicaverit.

Reliquum est, ut iam paucis ostendamus, etiam hoc loco a Platone respectata esse, quae in superioribus de dialecticis sunt exposita. Quum enim ea per totum sermonem admirabili artificio viderimus ad rem praesentem revocari, tum ne hoc quidem loco a philosopho neglecta esse consentaneum est. Quod miramur a Trendelenburgio l. c. p. 30. non satis diligenter observatum esse. Et summa quidem rerum generatarum principia, de quibus supra explicatum est, qua ratione philosophus ad rei controversae diiudicationem traduxerit, iam satis ostendisse videmur, in eaque caussa plurimum dissentimus a Trendelenburgio, qui eorum nullam propemodum rationem haberi iudicavit. Hoc unum hic addidisse iuvabit, prudentissime in optimae vitae ad ipsam summi boni ideam informatae finitum et infinitum non discerni, sed in vitae humanae adumbratione disiungi. Nam in vita ideali, ut ita dicam, utrumque illud tam arcto iun-

*) Vidit igitur omnem voluptatem sapientiae esse contrariam. Recte reprehendit Cicero Calliphonem et Dinomachum Offic. III, 33. Tusc. V, 30. De fin. V, 8. qui se diremturos controversiam putaverint, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulavissent. Non recipit, inquit, istam coniunctionem honestas, aspernatur, repellit; nec vero finis bonorum, qui simplex esse debet, ex dissimillimis rebus misceri potest.

ctum est vinculo, ut alterum ab altero cogitatione divelli ac segregari nullo modo possit. Sed alia est vitae humanae ratio, in qua utrumque non tam apte iunctum copulatumque est, ut discerni nequeat; nam illi hoc ipsum est propositum, ut quam maxima utriusque efficiatur convenientia. Quamobrem etiam alterum ab altero probe discerni debet, ut possit accurate intelligi, quo temperamento inter se misceri et consociari possint. Itaque dubium non est, quin quae de summis rerum generibus ac principiis antea explicata sunt, ea hic prudentissime a Platone ad usum revocata sint. Nec vero neglecta ab eo sunt illa, quae ab initio dialogi de analytica et synthetica disserendi ratione copiose disputata leguntur. Nam quemadmodum in superioribus a summo notionum genere ad eius partes et formas paullatim descendi vidimus, ita quidem, ut primum genus summi boni definiretur, et voluptates atque cognitiones ei tanquam partes subiicerentur, tum harum ipsarum rursus genera et formae variae exquirerentur: ita nunc vicissim earum formas et partes sapientissime ad ea genera revocari liquidum est, quae ut ponerentur disputatio de summo vitae humanae bono, vel ut brevius dicam, de optima vita, in qua ipsa summum hominis bonum cernitur, utique postulavit atque flagitavit. Quodsi igitur Philebum iudicamus etiam dialecticae nomine pro perfectissimo artis opere haberi oportere, haudquaquam veremur, ne id praeiudicata quadam opinione ducti dixisse videamur.

Atque haec quidem de singulis libri partibus: quas ita persequuti esse videmur, ut quorsum totum opus spectet et quid ei propositum sit, iam tandem paucis verbis definiri posse existimemus.

Redit enim summa universae disputationis, si quid iudicare possumus, fere huc.

Quod quaeri solet a multis, quidnam illud sit, in quo omnis vitae humanae praestantia ac beatitas cernatur, et utrum ea in voluptate an in mente et scientia inesse putanda sit; neutra harum sententiarum omnino probanda et pro vera ducenda est. Imo re diligentius considerata sic statuendum videtur, ut, quemadmodum in rerum universitate finitum cum infinito moderante mente et ratione divina coniunguntur, quo existat rerum generatarum quam maxima perfectio et absolutio, ita etiam in vita humana quae sunt contrariae inter se na-

turae nostrae partes atque affectiones, eae ad boni ideam, quae est tanquam procreatrix quaedam omnis perfectionis et felicitatis, sapienter temperandae atque in unum copulandae sunt. Verum enim vero ex eo ipso, quod vita omnis ad boni summi ideam gubernari debet, facile intelligi potest, mentem et intelligentiam ad vitae beatitatem efficiendam multo plus valere voluptate. Mens enim atque ratio humana quum summam habeat cum perfecta numinis divini ratione cognationem, etiam una capax est atque particeps ideae illius, in quam intueri debent, qui ad quam maximam vitae suae praestantiam atque felicitatem pervenire voluerint. Ex quo intelligi debet, ei in vita humana utique primum locum tribui oportere. Sunt autem cum ea coniunctae arctissime cognitiones, artes, disciplinae, rectae opiniones, alia id genus multa. Quae etsi magnopere inter se differunt magnamque prae se ferunt varietatem, tamen hoc certe habent commune, quod ex mente et intelligentia gignuntur ideoque cum ea intimae cuiusdam necessitudinis vinculo continentur. Neque quidquam in iis animadverti potest, quod eas possidentibus detrimenti quid atque damni afferre videatur. Ex quibus omnibus consequitur, ut ipsae quoque voluptati longissime anteponendae sint. Idque recte ita iudicari vi et natura voluptatis accuratius considerata etiam clarius apparet. Nam voluptas in se nullum habet modum; est item vera et falsa, bona et mala, parva et magna; imo etiam quo est vehementior, eo magis conturbare videtur naturae nostrae aequabilitatem atque concordiam. Ex quo efficitur, ut, si de optimae vitae agitur condicione, non omnia eius genera cum humana felicitate convenire aut consistere posse iudicanda sint. Multae enim sunt voluptates, quae menti, cognitioni, sapientiae, existant adversariae atque inimicae. Quamobrem ad vitae nostrae felicitatem eae tantum conducunt voluptates, quibus efficitur, ut quantum iucunditatis insit in sapientia, in cognitione, in artium ac disciplinarum studio, denique in mentis animique agitatione, acrius persentiscamus ac vicissim sensus corporis ad intelligentiae et cognitionis virtutem convertantur. Nam ea demum vera voluptas est, quum suavi quodam et iucundo sensu perfundimur sic, ut in vita nostra omnia inter se tanquam concentu quodam concordare et ad ipsam boni ideam spectare intime sentiamus. Quocirca nec dubitare licet, quinam

tanquam gradus boni nobis constituendi sint. Nam primum boni ideam adesse oportet, in quam iis, qui ad vitae suae perfectionem quam maximam perventuri sint, intueri liceat; quae si rata fit et re ipsa efficitur, perfecta vitae conditio oritur, quae secundo loco ponenda est; tum mens in homine habitet necesse est, quae ideam boni concipere et vitam nostram ad eius legem moderari queat; denique in ipsa hominis natura tanquam elementa reperiantur necesse est, unde optima vita componatur. Atque ex his omnibus facile iudicari licet, quibus rebus summum vitae humanae bonum absolvatur, et quid voluptas, quid mens ac scientia ad illud valere iudicari oporteat. Hoc igitur argumentum, hoc propositum universi dialogi est *).

Quod tamen qui recte aestimare voluerint, ii etiam artem dialecticam in eo conspicuam diligenter considerare debent. Etenim tractavit philosophus hanc quaestionem de summo vitae humanae bono admirabili arti-

*) Hanc universae disputationis summam qui attente considerayerint ac diligenter perpenderint, ii facile iudicabunt, quatenus vera sint, quae Schleiermacherus l. c. p. 132. de Philebi argumento ac proposito disputavit. Scripsit enim haec: Dieſes alſo lag ihm am Herzen, das Gute zu beſtimmen nicht nur für das Leben des Menſchen, ſondern auch zumal für das ganze Gebiet des gewordenen Seins, und mußte auch demjenigen anliegen, welcher nicht nur für die Erkenntniß des Menſchen ſelbſt, ſondern auch für die aller andern Dinge die Idee des Guten zum Princip gemacht hatte. Und eben dieſe gemeinſchaftliche Grundlage aufzuſtellen für die Bücher vom Staate ſowohl als für den Timäus, iſt das Ziel dieſer Erörterungen über das gewordene Sein als Miſchung, welche wir offenbaren ſollen, welches wohl daſſelbe ſein könne ꝛc. Nimirum hae merae argutiae sunt, quas quum Schleiermacherus innumeras in opere suo protulerit, operam perdiderit, si quis singulas coarguere voluerit; ridiculique sunt, qui Schleiermacheri rationem nondum censent labefactatam et convulsam esse propterea, quod nondum omnia ac singula, quae scripserit, examinata et confutata sint. Philebi ratio quaenam sit, in aprico est, modo ne argute pervertantur omnia. Est enim opus in se absolutum, quod neutiquam partes alienas ac supervacaneas complectitur, quantumvis necessitudine quadam cum aliis Platonis scriptis contineatur. Neque in eo id potissimum agitur, ut omnino bonum exquiratur, sed exquiritur vitae humanae bonum sic, ut iudicium de eo ab summis rerum universitatis principiis repetatur atque ad boni summi ideam referatur.

ficio sic, ut, quemadmodum in Sophista et Politico fecit, ita etiam hic eadem opera disciplinam dialecticam egregie locupletaverit eiusque praeceptis ad rem praesentem ita usus sit, ut praestantissimum quoddam condiderit artis opus, quale alterum nulla unquam hominum aetas denuo extulit. Sed de hac re quoniam qui superioris disputationis nostrae non immemores fuerint, facile ipsi iudicabunt, non opus esse existimo, ut nunc accuratius exponatur.

Atque haec quidem satis erunt ad gravissimi operis argumentum et propositum demonstrandum atque illustrandum. Nam quae alia adiicere constitueramus, ut, quibus caussis universa haec Platonis de summo bono doctrina nitatur, plenius certiusque intelligeretur et quanta sit eius praestantia ac sublimitas perspiceretur, ea nunc quidem, ne libri moles nimium excresceret, in scriniis servanda duximus, alio tempore atque loco daturi, quae in hac commentationis parte litteris perscripsimus. Nec vero videmur his in alium locum reiectis quidquam omisisse, quod ad perspiciendas iudicandasque libri rationes necessario requiratur. Nam dedimus certe quantum satis sit, quo aditus ad eius lectionem aperiatur; censuram autem eorum, quae a Platone exposita sunt, nunc quisque pro se ipse instituere poterit. Quod qui docte facere voluerint, ii comparabunt etiam quae Aristoteles Ethic. ad Nicom. X, 2 sqq. et VII, 11 sqq. adversus Platonis rationem disputavit. Nam ad Philebum maxime pertinere, quae ibi leguntur, id vero adeo manifestum est, ut ea de re dubitari nullo modo possit.

Codices manu scripti,

qui ad hunc librum excussi sunt, numerantur septemdecim. Sunt autem hi:

1) Clarkianus sive Bodleianus, Bekkero $\mathfrak{A}$.
2) Vaticanus Δ. hunc etiam Bastius contulit.
3) Coislinianus Γ.
4) Venetus Λ.
5) Venetus Ξ.
6) Venetus Π.
7) Venetus Σ.
8) Parisinus B.
9) Parisinus C.

10) Parisinus E.
11) Parisinus F.
12) Parisinus H.
13) Angelicus w.

De his omnibus v. Bekkeri Elench. Codd. Comment. Crit. Vol. I. p. XII. XIII. VII sqq.

14) Florentinus a.
15) Florentinus b.
16) Florentinus c.
17) Florentinus d.

De his nos vide in edītt. Operum Platon. Lipsiensi Tom. XII. p. VI sq.

Commentarios in Philebum scripsit Olympiodorus, ex quibus, quae adhuc reliqua sunt, ex codice Cizensi descripta dedimus in editione nostra a. 1822. p. 235 sqq. Sunt autem tantummodo eclogae scholiorum.

Praeterea etiam Eubulus, Proclus et Marinus commentarios in Philebum scripsisse perhibentur. v. Fabricii Biblioth. Gr. Vol. III. p. 172. 178. ed. Harless. et de Eubulo Longin. p. 178. ed. Weisk. Sed Eubuli et Procli opera intercidisse videntur; quae autem Marinus scripserat, ea ipse flammis tradidit. Praeterea Müllerus in Notitia et Recens. Codd. mss. Cizens. Part. II. p. 4. narrat extare in bibliotheca Monacensi codicem nota C. insignitum, qui praeter Olympiodori Scholia in Phaedonem contineat etiam Stratonis commentationes in Philebum, neque a Fabricio neque ab aliis memoratas. Verum ista nescimus sane quo auctore Müllerus scripserit. Nos enim ab amico quodam certiores facti sumus, illa Stratonis scholia non alia esse nisi Olympiodori commentarios, qui inde a p. 103. cod. illius perscripti leguntur, hac inscriptione praemissa: *τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν Φίληβον.* Hunc igitur Stratonem mittamus. Praeter eos, quos modo nominavimus Philebi interpretes, inprimis nominandus est etiam Claudius Galenus, celeberrimus medicus, qui librum composuisse fertur *περὶ τῶν ἐν Φιλήβῳ μεταβάσεων*, hodie non amplius superstitem. v. Histor. literar. Claud. Galeni in Edit. Kühn. p. CCI. Ad eundem dialogum spectasse videtur eius opusculum *περὶ τοῦ τῶν ὄντων ἕκαστον ἓν τε εἶναι καὶ πολλά*, de quo v. l. c. CXCIX. quandoquidem haec quaestio in Philebo potissimum tractatur. Nec tamen quidquam ea de re certo definiam, deficien-

tibus plane rei argumentis. Sed alter ille liber in eo versatus esse videtur, ut singularum disputationis partium nexum et cohaerentiam illustraret, atque varias ab uno argumento ad aliud transitiones explicaret. Quae res profecto digna fuit subtiliore examine, quandoquidem ex superioribus clarum erit ac perspicuum, obscuriorem sane in Philebo subinde esse disputationis universae ordinem et progressionem.

Editiones Philebi

ante Fischerum, si discesseris ab universis Platonis operibus, hoc est ante annum superioris saeculi 76., nullae factae sunt. Is igitur primus eum una cum Symposio ex Henr. Stephani recensione varietate lectionis et animadversionibus criticis illustratum separatim edidit Lipsiae, 8. 1776. Substitit autem vir doctus in conquirendis, quae tum suppetebant, opibus criticis.

Tum sequuta est post longum prope quinquaginta annorum intervallum nostra opella: Platonis Philebus. Recensuit, prolegomenis et commentariis illustravit G. Stallbaum. Accesserunt Olympiodori scholia in Philebum nunc primum edita. Lipsiae, 1820. 8. qua id egimus, ut totus liber iusta interpretatione explanaretur et illustraretur. Ita certe libri difficillimi pariter atque gravissimi interpretandi aliquando factum initium est. Quanquam multum abfuit, ut quae nobis ipsi proposueramus, ea successu operis omnino prospero perficeremus. Nam et virium iuvenilium periculum erat et carebamus subsidiis criticis; nondum enim Im. Bekkeri Commentarii critici in lucem prodierant. Quo maior fuit felicitas nostra, quod humanissimos nacti sumus libri censores, qui in Indic. litter. Götting. a. 1821. n. 31. in Seebodii Biblioth. Critic. a. 1822. n. 3. p. 225 sqq. in Diar. litt. Ienens. a. 1822. fol. 195. et in Iahnii Annal. a. 1827. Vol. II. Fasc. I. p. 147 sqq. de eo exposuerunt sic, ut quidquid scriberent, id totum valeret ad benevolam admonitionem atque studiorum nostrorum commendationem. Sed quum aliis satisfecisse videremur, ipsi tamen nobis nunquam satisfecimus. Coepimus enim mox intelligere, cognitis inprimis opibus criticis, quantum opera nostra ab ea laude distaret, quam ardore studii iuvenilis utique consectati eramus. Quo gratius atque exoptatius nobis accidit,

quod nunc libri denuo interpretandi opportunitas nobis oblata est. Quaecunque igitur hac operis editione correcta sunt atque emendata (sunt autem plurima), ea iam sic a viris doctis accipi volumus, ut eorum, quae olim aliter disputata fuerunt, memoria omnino abolcatur. Quae autem praeterea propria sunt pristino operi bona, ea rogamus legentes, ut porro aequi bonique consulant. Ceterum nos nunc etiam iis usos esse, quae viri docti de editione nostra passim disputaverunt, hic grato animo profiteri licebit, quanquam ubi ipsi verum pervidisse videremur, eorum sententias exponere aut refutare noluimus.

Praeter editiones memorandae sunt etiam quae vulgo dicuntur

Versiones operis.

Germanice nuper Philebum verterunt

1) *Fr. Hülsemannus* in libro: Ueber das Wahre, Gute und Schöne; drei Dialogen des Platon, Theaetet, Philebus, Hippias; insbesondere für junge Theologen nach einem berichtigten Texte übersetzt und mit Einleitungen nebst erläuternden Anmerkungen, welche besonders die Sachen betreffen, versehen. Lips. 1807. 8. II. Vol. Sed bonus Hülsemannus nec Graeca intellexit, nec rerum habuit satis subtilem cognitionem, ut totum opus praeter ea, quae aliunde excerpta sunt, fere nihil contineat, quod Platonis lectoribus usui esse possit.
2) *Fr. Schleiermacherus* Opp. Platon. Vol. II. Part. III. cuius operis virtutes notiores sunt, quam ut a nobis hic praedicandae sint. Quanquam vir egregius dum docere subtilius instituit, quo ordine singuli Platonis dialogi inter se nectendi atque coniungendi sint, ut alius alium tanquam praeparasse, ac doctrina Platonis veluti naturali incremento paullatim ad maioris perfectionis laudem aucta esse videatur, nostro quidem iudicio multa disputavit argute magis quam vere atque adeo, quae esset uniuscuiusque libri per se spectati ratio, rarius quam par erat quaerendum putavit. Quocirca de ordine scriptorum Platonicorum prudenter instituendo cum eo dissentimus plurimum, lactamurque vehementer, quod quae de

hac re in Prolegg. Volum. I. P. I. anno 1827. disputavimus, ea quum aliis tum Car. Fr. Hermanno non displicuerunt.

3) *Io. Casp. Götzius:* Platons Philebus, oder von der Lust; aus dem Griechischen übersetzt, und mit philosophischen und andern Anmerkungen erläutert. Augsburg, 1827. 8. Interpretatio non spernenda, quamquam Graeca minus accurate quam a Schleiermachero expressa sunt.

Anglice vertit Philebum *Floyer Sydenham*, cuius hoc opus est: *Philebus*, a Dialogue concerning the chief Good of Man. *The first Part.* (by Floyer Sydenham). Lond. 1759. 4. *Philebus*, a Dialogue concerning the chief Good of Man. *The second part.* Lond. 1780. 4.

Gallice liber conversus est in his operibus: *Les Dialogues de Platon*, traduits du Grec en François (*par l'Abbé I. Grou*). Amstel. Vol. II. 1770. 8. Additae sunt aliquot annotationes criticae. *Oeuvres complètes de Platon*, traduites par *Victor Cousin.* Paris. ap. Didot. Philebus tomo secundo continetur, atque illustratus est quum eleganti de argumento libri disputatione tum animadversionibus criticis. Quae hic leguntur, eadem fere vir eximius exposuit etiam in diario: Iournal des Savans a. 1825. p. 420 sqq. 729 sqq. ubi meae editionis censuram egit; et a. 1826. p. 38 sqq. ubi de scholiis Olympiodori docte disseruit.

Singulos Philebi locos qui peculiaribus scriptis tractarunt, ii suis locis, si qua opus fuerit, in Commentariis nominabuntur. Hoc loco unam invabit memorasse disputationem *Lud. Fr. Ottonis Baumgarten-Crusii* — celeberrimi nunc apud Ienenses Theologiae Professoris — De Philebo Platonico, quae prodiit Lipsiae 1809. 4. In hoc enim libello priora tredecim dialogi capita usque ad p. 26. D. ed. Steph. doctissime sic illustrantur, ut et sententia totius loci exponatur accuratius, et verborum usus, sicuti res postulare visa est, uberrime declaretur.

ΦΙΛΗΒΟΣ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ

ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΠΡΩΤΑΡΧΟΣ, ΦΙΛΗΒΟΣ.

T. II. p. 11

Cap. I. Ὅρα δή, Πρώταρχε, τίνα λόγον μέλλεις παρὰ Φιλήβου δέχεσθαι νυνὶ καὶ πρὸς τίνα τὸν παρ' ἡμῖν ἀμφισβητεῖν, ἐὰν μή σοι κατὰ νοῦν ᾖ λεγόμενος. βούλει συγκεφαλαιωσώμεθα ἑκάτερον; B

P. 11. Ὅρα δή, Πρώταρχε,] Bekkerus ex Ven. Σ. rec. ὦ Πρώταρχε. Sed vocativus sine ὦ est admonentis, ut ea vocula nunc non indigeamus. v. ad Sophist. p. 220. D. conf. mox p. 12. B. 21. A. 28. B.

δέχεσθαι νυνί] Sic pro vulg. νῦν Bodl. Vat. Ven. Π. Recte; nam νυνί est nunc ipsum, diciturque de praesenti temporis momento; v. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 242., quum νῦν trium sit temporum. Recte hoc ex Heraclide docuerunt Etym. M. p. 608. et Eustathius ad Odyss. Σ. p. 1840.

πρὸς τίνα τὸν παρ' ἡμῖν] Libri τῶν, quod correxit Schleiermacher. v. interpretat.

ἐὰν μή σοι κ. ν.] V. ἄν, invitis Bodl. Vat. Ven. Π.

P. 11. Ὅρα δή, Πρώταρχε —] De exordio libri exposuimus Prolegg. p. 4 sqq.

καὶ πρὸς τίνα τὸν παρ' ἡμῖν] Male vulgo scribebatur τῶν παρ' ἡμῖν. Nam una tantum fuerat sententia, quam Socrates aliis consentientibus adversus Philebum defenderat. Itaque verissime Schleiermacherus τὸν scribendum iudicavit, quod placuit etiam aliis, quantumvis librorum auctoritati alias omnia tribuentibus. Enimvero ita Socrates de sua ipsius sententia loquitur δεικτικῶς; dicit enim hoc: καὶ τίς ἐστιν ὁ παρ' ἡμῖν λόγος, πρὸς ὃν μέλλεις ἀμφισβητεῖν, sive τίς οὗτός ἐστιν ὁ λόγος, ὁ παρ' ἡμῖν, πρὸς ὃν μέλλεις ἀμφισβητεῖν. Gorg. p. 520. E. ἐπὶ ποτέραν οὖν με παρακαλεῖς τὴν θεραπείαν; Lysid. p. 203. B. παρὰ τίνας τοὺς ὑμᾶς; Legg. I. p. 629. D. Reip. IX. p. 585. B. Cratyl. p. 433. E. Phaed. p. 79. B. Lucian. Diall. Mort. 13. σκόπει, ὅντινα τὸν τρίτον πατέρα ἐπινοήσεις τῷ σώματι; h. e, ὅστις ὁ τρίτος πατήρ ἐστιν, ὃν ἐπινοήσεις. Sed allatim exemplorum suppeditabunt A. Matthiae Gramm. §. 265. 4. ann. et Elmsleius ad Eurip. Bacch. v. 492. Pro παρ' ἡμῖν ne quis

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Φίληβος μὲν τοίνυν ἀγαθὸν εἶναί φησι τὸ χαίρειν πᾶσι ζώοις καὶ τὴν ἡδονὴν καὶ τέρψιν, καὶ ὅσα τοῦ γένους ἐστὶ τούτου σύμφωνα· τὸ δὲ παρ' ἡμῶν ἀμφισβήτημά ἐστι, μὴ ταῦτα, ἀλλὰ τὸ φρονεῖν καὶ τὸ νοεῖν καὶ τὸ μεμνῆσθαι καὶ τὰ τούτων αὖ ξυγγενῆ, δόξαν τε ὀρθὴν καὶ ἀληθεῖς λογισμούς, τῆς γε ἡδονῆς ἀμείνω καὶ λῴω γίγνεσθαι
C *ξύμπασιν, ὅσαπερ αὐτῶν δυνατὰ μεταλαβεῖν· δυνατοῖς δὲ μετασχεῖν ὡφελιμώτατον ἁπάντων εἶναι πᾶσι*

B. *καὶ τὸ μεμνῆσθαι*] τὸ ex Bodl. Vat. Ven. *Π.* additum vulgo deerat.

οὕτω πως λέγομεν] *λέγωμεν* Vat.

C. *Δέχει δὴ τοῦτο*] V. *δέχῃ*, contra auctoritatem Bodl.

requirat *παρ' ἡμῶν*, sicuti deinde scriptum legimus *τὸ δὲ παρ' ἡμῶν ἀμφισβήτημα*. Nam *ὁ παρ' ἡμῖν λόγος* est sententia nobis propria, quam nos tuemur ac defendimus. Infra p. 20. A. *τὰ νῦν ἀμφισβητούμενα παρ' ἡμῖν*. De Rep. IV. p. 435. A. *καὶ φανερὰν γενομένην (τὴν δικαιοσύνην) βεβαιωσαίμεθ' ἂν παρ' ἡμῖν αὐτοῖς*. Sophist. p. 251. D. *ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν λόγοις τιθῶμεν*.

B. *ἀγαθὸν εἶναί φησι*—] Iungas verba hunc in modum: *τὸ χαίρειν φησὶν εἶναι ἀγαθὸν πᾶσι ζώοις κ. τ. λ.* Cogitandum autem de summo bono, quo humana felicitas absolvitur, quanquam id nunc verbis non accurate exprimitur, quippe omisso ante *ἀγαθὸν* articulo. Non enim in se perinde esse, utrum dicatur *εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν*, an *εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀγαθόν*, facile tibi persuadebit Aristotel. Analytic. Prior. Lib. I. c. 40. p. 49. ed. Bekker. *ἐπεὶ δ' οὐ ταὐτόν ἐστι τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν, καὶ τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀγαθόν, οὐχ ὁμοίως θετέον τοὺς ὅρους, ἀλλ' εἰ μέν ἐστιν ὁ συλλογισμός, ὅτι ἡ ἡδονὴ τἀγαθόν, τἀγαθόν, εἰ δ' ὅτι ἀγαθόν, ἀγαθόν. οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων*. Sed Platonem etiam alibi similiter omisisse articulum evincent exempla rei iam olim memorata, Phaedon. p. 76. D. 77. A. De Rep. VI. p. 506. C. Hipp. mai. p. 293. E. Mox de *ξύμφωνα* genitivo adiuncto consulas Matthiae Gr. §. 379.

τὸ δὲ παρ' ἡμῶν ἀμφισβ. —] n nobis autem id vocatur in dubitationem, atque contenditur non ista, sed prudentiam et intelligentiam etc. Nam *ἀμφισβητεῖν* non raro sic dicitur, ut sit dubitantem contendere; cuius usus exempla congessimus ad Gorg. p. 452. C. et Erast. p. 136. D. Post *μὴ ταῦτα* subiungi deinde oportebat haec: *κράτιστα καὶ λῷστα γίγνεσθαι ξύμπασιν*; sed admissa levi orationis mutatione per anacoluthon quoddam dicitur: *τῆς γε ἡδονῆς ἀμείνω καὶ λῴω γίγνεσθαι κ. τ. λ.* in qua sermonis conversione nemo temere offendet.

C. *δυνατοῖς δὲ μετα-*

τοῖς οὖσί τε καὶ ἐσομένοις. Μῶν οὐχ οὕτω πως λέγομεν, ὦ Φίληβε, ἑκάτεροι;

ΦΙ. Πάντων μὲν οὖν μάλιστα, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Δέχει δὴ τοῦτον τὸν νῦν διδόμενον, ὦ Πρώταρχε, λόγον;

ΠΡΩ. Ἀνάγκη δέχεσθαι· Φίληβος γὰρ ἡμῖν ὁ καλὸς ἀπείρηκε.

ΣΩ. Δεῖ δὴ περὶ αὐτῶν τρόπῳ παντὶ τἀληθὲς πῃ περανθῆναι;

ΠΡΩ. Δεῖ γὰρ οὖν.

Vat., qui per totum hunc librum alteram secundae personae formam tuentur, quod interdum etiam alii faciunt. Vaticanum quidem librum, cuius collationem diligentissimam debemus Bastio, ne unum quidem locum habere novimus, quo vulgaris terminatio sola compareat.

σχεῖν ὠφελιμώτατον] Expectabas *ὠφελιμώτατα*. Sed numero singulari utitur propterea, quod in animo retinuit infinitivum *μετασχεῖν*. Quocirca consequutio verborum haec est: *δυνατοῖς δὲ μετασχεῖν (αὐτῶν) ὠφελιμώτατον (αὐτὸ s. μετασχεῖν) εἶναι κ. τ. λ.* — Mox *οὕτω πως λέγομεν* est: sic fere indicamus et statuimus. Quod ideo monemus, quia Astium vidimus *ἐλέγομεν* requirere. Usum temporis praesentis attigimus ad Theaet. p. 188. D. Phaedon. p. 77. D. Euthyphr. p. 10. D. Hipp. mai. p. 302. E. al. Atque haec qui tenuerint, iis nec *λέγωμεν* probabitur.

Δέχει δὴ τοῦτον τὸν νῦν διδόμενον — λόγον;] Loquendi ratio haec ex eo habet explicationem, quod ad notissimum illud proverbium, *δέχεσθαι τὰ διδόμενα ἀνάγκη*, respicitur. Gorg. p. 499. C. *ἀνάγκη μοι κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ.* Expressit illud etiam Cicero Epistol. Famil. I. 1, 5. Quod dat, accipimus: Simile est illud Euthydem. p. 285. A. *ἐμοὶ μὲν δοκεῖ χρῆναι ἡμᾶς παρὰ τῶν ξένων δέχεσθαι ἃ λέγουσιν, ἐὰν ἐθέλωσι διδόναι.* Alcib. II. p. 141. C. *οὐκ ἀσφαλὲς — τὰ διδόμενα εἰκῇ δέχεσθαι.* Plura suppeditabit Wyttenbach. ad Plutarch. De Superstit. p. 1069. ed. Oxon.

Φίληβος γὰρ ὁ καλὸς] Crebrum hoc Atticae urbanitatis blandimentum. v. Hippiam mai. in. ibique ann. Dorvill. ad Charit. p. 23. Creuzer. ad Plotin. De Pulcrit. p. XVI. Wyttenbach. Epist. Crit. p. 33. ed. Lips. Boissonad. ad Aristaen. p. 295. et ad Philostr. p. 306.

Δεῖ δὴ περὶ αὐτῶν] Oportet *igitur*, sicuti convenit inter nos antea, rem aliquo modo ad liquidum perduci. Nam ita *δή* intelligimus, quod Astius in *δέ* commutari maluit.

τἀληθὲς πῃ περανθῆναι] Gorg. p. 454. C. *ἵνα σὺ τὰ σαυτοῦ — ὅπως ἂν βούλῃ περαίνῃς.* Ibid. p. 472. B. *πεπεράνθαι περὶ ὧν λόγος.* Ibid.

Cap. II. ΣΩ. *Ἴθι δή, πρὸς τούτοις διομολογησώμεθα καὶ τόδε.*

ΠΡΩ. *Τὸ ποῖον;*

ΣΩ. *Ὡς νῦν ἡμῶν ἑκάτερος ἕξιν ψυχῆς καὶ διάθεσιν ἀποφαίνειν τινὰ ἐπιχειρήσει τὴν δυναμένην ἀνθρώποις πᾶσι τὸν βίον εὐδαίμονα παρέχειν. ἆρ' οὐχ οὕτως;*

ΠΡΩ. *Οὕτω μὲν οὖν.*

ΣΩ. *Οὐκοῦν ὑμεῖς μὲν τὴν τοῦ χαίρειν, ἡμεῖς δ' αὖ τὴν τοῦ φρονεῖν;*

ΠΡΩ. *Ἔστι ταῦτα.*

D. Ὡς νῦν ἡμῶν ἑκάτερος] Pro *ἡμῶν*, quod praebuerunt Bodl. Vat. Ven. *Π.*, vulgo erat *αὐτῶν*. In Flor. c. et Ven. *Σ.* nec *ἡμῶν* nec *αὐτῶν* legitur.

E. τοῦ ταῦτα ἔχοντος βεβ.] ταῦτ' Coisl. quod dedit

p. 497. D. *Ἵνα περανθῶσιν οἱ λόγοι.* De Rep. VI. p. 502. E. *τὰ τῶν γυναικῶν τε καὶ παίδων πεπείρανται.* Politic. p. 272. D. *Ἵνα τὸ μετὰ τοῦτο εἰς τὸ πρόσθεν περαίνωμεν.* al.

D. Ὡς νῦν ἡμῶν ἑκάτερος ἕξιν ψυχῆς —] Hanc lectionem trium codicum praestantissimorum quilibet amplectetur facillime. Mirum tamen accidit, quod ceteri libri omnes cum editt. veteribus pro *ἡμῶν* habent *αὐτῶν*. Quod qui scripserunt, li *τῶν λόγων* videntur intellexisse. Etiam Ficinus: uterque *nostrum*, unde Sydenhamus *ἡμῶν* scribendum coniecit. De discrimine *τῆς ἕξεως καὶ τῆς διαθέσεως* Aristot. Categor. c. 6. *Ἕξις ἐστὶ χρονιώτερον καὶ μονιμώτερον, διάθεσις εὐκίνητον καὶ ταχὺ μεταβάλλον.* Galen. Protrept. p. 29. ed. Kühn. *ἡ μὲν γὰρ ἕξις ἕμμονός τις καὶ δυσαλλοίωτος διάθεσις.*

E. τοῦ ταῦτα ἔχοντος β. β.] Sc. *τὸ κρεῖττω φανῆναι.* Cui quod *ταῦτα*, numero plurali, adiungitur, id etsi fraudem fecit viris doctis, tamen hodie non amplius mirabuntur qui comparaverint nostra ad Gorg. p. 447. A. ed. 2. Apolog. Socr. p. 19. D. Sympos. p. 187. D. De *κρατεῖν* vi superandi ac vincendi cum accusativo iuncto v. Matthiae Gr. §. 360. b.

P. 12. *ὁμολογούμενά φατε*] Non deerunt, qui *ὡμολογημένα* requirant. Nec, qui tres optimos codd. recensuerunt, haec videntur legisse sine offensione, siquidem correxerunt *ὁμολογοῦμεν ἃ φατέ*. Sed sincera est reliquorum librorum scriptura. Nam *ὁμολογούμενα* sunt de quibus etiam nunc convenit; v. ad Criton. p. 48. B. Gorg. p. 476. C. Quod quidem ita esse, facile senties verborum constructione in hunc modum mutata: *ἆρα φατὲ περὶ τούτων ἡμᾶς ὁμολογεῖν*; Sed non opus est, opinor, copiosiore rei demonstratione.

ΣΩ. Τί δ' ἂν ἄλλη τις κρείττων τούτων φανῇ; μῶν οὐκ, ἂν μὲν ἡδονῇ μᾶλλον φαίνηται ξυγγενής, ἡττώμεθα μὲν ἀμφότεροι τοῦ ταῦτα ἔχοντος βεβαίως E
βίου, κρατεῖ δὲ ὁ τῆς ἡδονῆς τὸν τῆς φρονήσεως; 12

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Ἂν δέ γε φρονήσει, νικᾷ μὲν φρόνησις τὴν ἡδονήν, ἡ δὲ ἡττᾶται; ταῦθ' οὕτως ὁμολογούμενά φατε, ἢ πῶς;

ΠΡΩ. Ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ.

ΣΩ. Τί δαὶ Φιλήβῳ; τί φῄς;

Bekkerus, qui omnino elisiones in hoc libro ex Coisl. ubique restituit: nos aliter fecimus.

P. 12. ὁμολογούμενά φατε] ὁμολογοῦμεν ἃ Bodl. Vat. Ven. *II.*

Ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ.] Editt. libris mss. invitis Ἐμοιγ' οὖν δοκεῖ, quod mendum correxit Bekkerus in Commentariis. Enimvero Ἐμοιγ' οὖν si legitur, quorsum οὖν pertineat, nemo quisquam dixerit. Differunt enim γε οὖν et γοῦν inter se sic, ut illud ubi reperitur, ibi γε ad vocabulum proxime antegressum referatur, οὖν autem sua ac propria vi et significatione igitur, ergo, valeat; ubi vero γοῦν dicitur, utraeque voces consociatae vim confirmandi cum restrictione habeant, ut Lat. quidem certe; v. ad Politicum p. 257. D. Itaque γοῦν rectissime pro γ' οὖν restitutum esse in Apolog. Socr. p. 20. C. De Rep. I. p. 335. E. etiam nunc contendimus. Aliter tamen visum est Schneidero ad Remp. I. p. 335. E. qui γε οὖν ita usurpari opinatur, ut γε oppositionem efficiat, οὖν autem valeat ad declarandum consensum. Quod si verum esset, sanequam etiam hoc loco altera scriptura sese recte esset habitura. Sed dubitamus vehementer de huius sententiae veritate. Nam οὖν confirmandi vim et potestatem ita tantum habere putamus, si cum aliis particulis ita in unam notionem veluti coalescit, ut singulae partes divelli cogitatione nequeant. Unde accidit, ut in quibusdam dictionibus cum antecedentibus una scripturae perpetuitate et continuatione coniungeretur. Quod ipsum in γοῦν ita evenit: quod tamen ideo saepenumero est depravatum, quia etiam γε οὖν in usu fuit. Ceterum nemo erit, quin sententiam hanc esse largiatur: Certe quidem ita mihi videtur. Iam vero hoc modo ubi vera intellexerimus, nec ineptum cuiquam videbitur, quod Ven. *II.* et Bastio testante Vat. obtulerunt *Τί δαὶ Φιλήβῳ*; idque nunc loco vulg. *Τί δὲ Φιλήβῳ* restituimus.

ΦΙ. Ἐμοὶ μὲν πάντως νικᾶν ἡδονὴ δοκεῖ καὶ δόξει· σὺ δέ, Πρώταρχε, αὐτὸς γνώσει.

ΠΡΩ. Παραδούς, ὦ Φίληβε, ἡμῖν τὸν λόγον οὐκ ἂν ἔτι κύριος εἴης τῆς πρὸς Σωκράτη ὁμολογίας ἢ καὶ τοὐναντίον.

B *ΦΙ. Ἀληθῆ λέγεις· ἀλλὰ γὰρ ἀφοσιοῦμαι καὶ μαρτύρομαι νῦν αὐτὴν τὴν Θεόν.*

ΠΡΩ. Καὶ ἡμεῖς σοι τούτων γε αὐτῶν συμμάρ-

σὺ δέ, Πρώταρχε, αὐτὸς γν.] Sic Bodl. Vat. pro vulg. *σὺ δ', ὦ Πρ.* Dein pro *γνώσῃ* Bodl. et corr. Vat. Ven. *II. γνώσει*, ut solent. Mox iidem tres libri *παραδοὺς ὦ Φίληβος.*

B. *τούτων γε αὐτῶν*] *γε* additum e Bodl. Vat. Ven. *II.*

ἡδονὴ δοκεῖ καὶ δόξει] Usitatius fuerit *δοκεῖ τε καὶ δόξει*, quod olim de coniectura dedimus. Infra p. 60. B. *οὐ ταὐτ' ἔστι τε καὶ ἦν τὰ τότε λεγόμενα*; Crito p. 49. D. *ὀλίγοις τισὶ ταῦτα καὶ δοκεῖ καὶ δόξει.* Ibid. p. 45. C. *ἅπερ ἂν καὶ οἱ ἐχθροί σου σπεύσαιέν τε καὶ ἐσπεύσαν.* Menexen. p. 249. C. *Θεραπεύειν τε καὶ Θεραπεύεσθαι.* Theaet. p. 210. C. *Θαυμάσιοι ἄνδρες εἰσί τε καὶ γεγόνασι.* Sophist. p. 244. E. *πῶς γὰρ οὐ φήσουσί τε καὶ φασίν*; Ibid. p. 258. C. *κατὰ ταὐτὸν ἦν τε καὶ ἔστι μὴ ὄν.* Politic. p. 264. A. *ἐν τοῖς ἡμέροις ἦν τε καὶ ἔστι.* De Rep. II. p. 377. E. *μύθους τοῖς ἀνθρώποις λέγόν τε καὶ λέγουσιν.* Ibid. III. p. 391. E. *ὡς ἄρα ταῦτα πράττουσί τε καὶ ἐπραττον.* Ibid. V. p. 453. C. *σοὶ δεήσομαί τε καὶ δέομαι.* Ibid. p. 457. B. *κάλλιστα γὰρ δὴ τοῦτο καὶ λέγεται καὶ λελέξεται.* Legg. VI. p. 754. B. *ἵνιοι γεγόνασί τε καὶ ἔσονται.* Ibid. mox: *ἐν γε τῇ παρούσῃ παιδείας ἀπορία στέργει τε καὶ στέργεται ὑπὸ τῶν γεννησάντων.* Ibid. p. 771. A. *ὅσας εἶχέ τε καὶ ἔχει.* Nec aliter Latini. Cicero De offic. I, 17. §. 57. et in ea (republica) delenda occupati *et* sunt *et* fuerunt. Ibid. I, 20. §. 69. multi autem *et* sunt *et* fuerunt, qui a negotiis publicis se removerunt. Philipp. I. c. 8. §. 20. itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant et iudicarunt. Nempe ita, quae sunt unius generis, tanquam inter se opposita accurate distinguuntur. Sed ut hoc loco Legg. X. p. 887. D. *ἀνάγκη γὰρ δὴ χαλεπῶς φέρειν καὶ μισεῖν ἐκείνους, οἳ τούτων ἡμῖν αἴτιοι τῶν λόγων γεγένηνται καὶ γίγνονται*; atque alibi. Nec sine aliqua sententiae diversitate. Nam copula non geminata primariae sententiae parti aliquid per se cum vi et gravitate adiungitur tanquam secundarium. Quocirca hunc locum sic interpretari licebit: Mihi quidem voluptas omnino victoriam reportare videtur; *et vero etiam* videbitur. Quo sensu ubi verba acceperis, facile carebis voculae repetitione, quam nec ullus codex manu scriptus testatam habet.

σὺ δέ, Πρώταρχε, αὐτὸς γνώσει] Formulam *αὐτὸς γνώσει*, ipse videris, attigimus ad Gorg. p. 505. C. Lachet. p. 187. C. cap. XII. in.

τυρες ἂν εἶμεν, ὡς ταῦτα ἔλεγες ἃ λέγεις. Ἀλλὰ δη τὰ μετὰ ταῦτα ἑξῆς, ὦ Σώκρατες, ὅμως καὶ μετὰ Φιλήβου ἑκόντος ἢ ὅπως ἂν ἐθέλῃ πειρώμεθα περαίνειν.

Cap. III. *ΣΩ. Πειρατέον ἀπ' αὐτῆς δὴ τῆς θεοῦ, ἣν ὅδε Ἀφροδίτην μὲν λέγεσθαί φησι, τὸ δ' ἀληθέστατον αὐτῆς ὄνομα ἡδονὴν εἶναι.*

ΠΡΩ. Ὀρθότατα.

Coisl. et rec. Ven. *ΞΣ.* Tum pro vulg. *ἦμεν* recte Ven. *Σ.* corr. *εἶμεν*, quod restituendum vidit Heindorf. ad Theaet. p. 298.

ἀπ' αὐτῆς δὴ τῆς θεοῦ] Pro *δή* Bodl. Vat. Ven. *Π. δε.* Silet tamen Bastius de Vaticano.

ἢ καὶ τοὐναντίον.] Facili negotio correxeris *τοὐναντίον*, h. e. *τῆς ἀπαρνήσεως.* Sed *τοὐναντίον* adverbii instar est, ac sexcenties ita dicitur, ut sit vicissim, contra.

B. *ἀλλὰ γὰρ ἀφοσιοῦμαι*] H. e. solvo me religione, atque id tanquam nefas et impium aversor, eiusque rei caussa ipsam deam testor, h. e. Voluptatem. Usum verbi *ἀφοσιοῦσθαι*, quo significat animum suum religione ita exsolvere, ut aliquid tanquam impium aut molestum repudies et averseris, s. religionis caussa aliquid detestari, doctissime illustravit Wyttenbachius ad Plutarch. De discern. adul. ab amico p. 489. ed. Ox. — Vol. I. p. 386. ed. Lips. Omnes autem vocabuli significationes subtiliter rimatus est Leopoldus ad Plutarch. Num. c. X. p. 299 sqq.

ὅμως καὶ μετὰ Φιλήβου ἑκόντος —] Dicturus erat: *ὅμως καὶ μετὰ Φιλήβου ἑκόντος ἢ καὶ ἄκοντος αὐτοῦ πειρώμεθα περαίνειν.* Sed pro *ἢ καὶ ἄκοντος* urbane, mutato repente sermonis tenore, infert haec: *ἢ ὅπως ἂν ἐθέλῃ.* In quibus cernitur levis quaedam anacoluthia. Praeterea diligenter observandum, *ὅμως* pertinere ad *πειρώμεθα περαίνειν* prorsus eodem modo, quo participio praemittitur, quum tamen ad sequentia pertineat. Sic Phaedon. p. 91. C. *Σιμμίας φοβεῖται, μὴ ἡ ψυχὴ ὅμως καὶ θειότερον καὶ κάλλιον ὂν τοῦ σώματος προαπολλύηται.* Lysid. p. 213. A. *ὅμως καὶ μισοῦντα ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ πάντων μάλιστα ἐστὶ τοῖς γονεῦσι φίλτατα.* Theaet. p. 145. D. Xenoph. Cyrop. V, 1, 26. VIII, 2, 21. Oeconom. XIV. 8. Memor. I, 2, 10. conf. Matthiae Gr. §. 566. 3. Itaque sententia verborum haec est: At nimirum quae deinceps sequuntur, o Socrate, ea etiam cum Philebo, sive voluerit sive noluerit, tamen communiter persequi conemur.

Πειρατέον ἀπ' αὐτῆς δη τῆς θεοῦ.] Pro *δή* optimi libri *δέ.* Sententia tamen vulgatam lectionem satis tuetur. Nam hoc dicit Socrates: Conandum id nobis ab ipsa *scilicet* dea exordientibus. Quid vero istud *δέ* hic valeat, vix quisquam dixerit. Nam quid tandem hoc est: Conandum id nobis, *sed*

C ΣΩ. Τὸ δ' ἐμὸν δέος, ὦ Πρώταρχε, ἀεὶ πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φόβου. καὶ νῦν τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ὅπῃ ἐκείνῃ φίλον, ταύτῃ προςαγορεύω· τὴν δὲ ἡδονὴν οἶδα ὡς ἔστι ποικίλον, καὶ ὅπερ εἶπον, ἀπ' ἐκείνης ἡμᾶς ἀρχομένους ἐνθυμεῖσθαι δεῖ καὶ σκοπεῖν, ἥντινα φύσιν ἔχει. ἔστι γάρ, ἀκούειν μὲν οὕτως, ἁπλῶς ἕν τι, μορφὰς δὲ δήπου παντοίας

C. ταύτῃ προςαγορεύω] V. ταύτην, quod unus fere tenet Ven. Π.

D. ἥδεσθαι δὲ καὶ τὸν ἀνοηταίνοντα] Quod vulgo hic post δέ inserebatur αὖ, id abieci cum Bodl. Vat. Ven. Π.

ab ipsa dea exordientibus? Nihilominus Turicenses δέ, quod ex manifesta ortum est grammaticorum correctione, restituendum putarunt. Post τῆς θεοῦ Stephanus excidisse putabat ἀρξαμένοις. Sed recte dicitur πειρατέον περαίνειν τὸν λόγον s. διαλέγεσθαι ἀπὸ τῆς θεοῦ. Theophrast. Charact. 1. πρῶτον ποιήσομαι λόγον ἀπὸ τῶν τὴν εἰρωνείαν ἐζηλοκότων ἀφεὶς τὸ προοιμιάζεσθαι. Proxima sic accipienda sunt, ut Philebus putetur in sermone antea instituto contendisse atque affirmasse, voluptatem tanquam deam vulgo appellari Ἀφροδίτην, quum tamen vero nomine suo Ἡδονή dici debuerit. Quocirca videtur homo voluptatis dignitatem atque magnitudinem ex eo voluisse declarare, quod ea adeo in numerum Deorum relata sit, quamquam non vero nomine suo Ἡδονή, sed nomine alio Ἀφροδίτη dicatur. Ceterum non negligendum, quod in altero membro τὸ δὲ ἀληθέστατον αὐτῆς ὄνομα κ. τ. λ. post relativum ἥν infertur αὐτῆς demonstrativum; cuius generis exempla bene multa congessimus ad Gorg. p. 452. D. Alia suppeditabit Matthiae Gr. §. 469.

C. Τὸ δ' ἐμὸν δέος, ὦ Πρ.] Censet Socrates mittendam esse istam de nominis ratione disceptationem; illud potius arbitratur diligenter animadverti oportere, quam varia sit atque multiplex voluptatis vis et significatio, quaeque vera sit eius natura. Quod quidem sic exprimit, ut sese dicat magna semper religione ac verecundia in usurpandis variis deorum nominibus teneri; quocirca se nec in praesenti velle de nomine Ἀφροδίτης quidquam decernere; illud autem certum esse et exploratum, nominis ἡδονῆς tantam esse ambiguitatem, ut rerum diversissimarum significationi inserviat, siquidem non modo virtuti ac sapientiae, verum etiam stultitiae atque sceleri suae sint atque propriae voluptates. De veterum religione in usurpandis deorum nominibus atque πολυωνυμίᾳ eorum, qua utebantur, ipse Plato Cratyl. p. 400. E. ὥςπερ ἐν εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι οἵ τινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι, ταῦτα καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς (τοὺς

εἴληφε καί τινα τρόπον ἀνομοίους ἀλλήλαις. ἰδὲ γάρ, ἡδεσθαι μέν φαμεν τὸν ἀκολασταίνοντα ἄνθρωπον, D
ἡδεσθαι δὲ καὶ τὸν σωφρονοῦντα αὐτῷ τῷ σωφρονεῖν·
ἡδεσθαι δὲ καὶ τὸν ἀνοηταίνοντα καὶ ἀνοήτων δοξῶν
καὶ ἐλπίδων μεστόν, ἡδεσθαι δ' αὖ τὸν φρονοῦντα
αὐτῷ τῷ φρονεῖν· καὶ τούτων τῶν ἡδονῶν ἑκατέρας
πῶς ἄν τις ὁμοίας ἀλλήλαις εἶναι λέγων οὐκ ἀνόητος
φαίνοιτο ἐνδίκως;

ἥδεσθαι δ' αὖ τὸν φρονοῦντα] Vulgo *καί* ante *τὸν* insertum erat, quod eliminavi auctoritate Bodl. Vat. Ven. *II.* Iidem deinde *τὸν σωφρονοῦντα αὐτῷ τῷ σωφρονεῖν*, quod redolet lucernam criticorum, qui praecedenti *ἀνοηταίνοντα σωφρονεῖν* potius quam *φρονεῖν* opponendum fuisse crederent.

θεούς) καλεῖν, ὡς ἄλλο μηδὲν εἰδότας ubi v. ann. Quocirca vult etiam Socrates *Ἀφροδίτην ταύτῃ προσαγορεύειν, ὅπῃ ἐκείνῃ φίλον*. Sic enim rectissime codd. pro vulg. *ταύτην πρ.* Cratyl. p. 418. D. *ταύτῃ ὀνόμασαν ἡμῖραν*, ubi idem vulgo *ταύτην* scribebatur. De *ἐκείνῃ* ad nomen proxime praegressum referendo v. Ast. Annot. ad Phaedr. Vol. X. p. 270 sq. Ceterum sententiam totius loci referunt Origenes adv. Cels. I. p. 20. et 4. p. 196. atque Iulian. Orat. VII. p. 236. D sqq.

ὡς ἔστι ποικίλον] H. e. varium et multiplex, quod quem specie sua facile deludat. v. ad Sympos. p. 182. B. — *ὅπερ εἶπον*; nam dixit antea, *πειρατέον ἀπ' αὐτῆς δὴ τῆς θεοῦ κ. τ. λ.*

ἀκούειν μὲν οὕτως,] si quis nomen sic audiat, re nondum accuratius pensitata, wenn man es so hört, Demosthen. adv. Leptin. §. 15. *ἔστι δὲ τοῦτο, οὕτωσὶ μὲν ἀκοῦσαι, λόγον τινὰ ἔχον· εἰ δέ τις ἀκριβῶς ἐξετάσειε, ψεῦδος ἂν ὂν φανείη*. Plat. Lysid. p. 216. A. *εὖ γε, ἦφη ὁ Μενέξενος, ὡς γε οὕτωσὶ ἀκοῦσαι*. Sed affatim exemplorum collegerunt Reizius ap. Hermann. ad Viger. p. 744. et Matthiae Gr. §. 545. 2. Ceterum male vulgo *οὕτως* cum *ἁπλῶς* iungunt neglecta verborum distinctione, de qua re monuit Bastius Epistol. Crit. p. 37. ed. Lips. Nam *οὕτως ἁπλῶς* foret sic simpliciter, sine ulla exceptione, ut Symp. p. 180. C. Theaet. p. 468. C. De Rep. I, 331. C. 351. A. Protag. p. 351. D. Gorg. p. 468. C. Quod facile apparet in hunc locum minime congruere. Ne vero de *ἁπλῶς ἕν τι*, simpliciter unum quiddam, dubites, vel unus ille Philebi locus p. 50. D. satis, opinor, prohibebit.

D. *τὸν ἀκολασταίνοντα ἄνθρωπον*] Galenus T. V. p. 332. ed. Bas. *ἄνθρωπον* omittit. Quod fecit lubidinose. Neque vi sua caret vocabulum, quod constat saepenumero poni cum quodam contemtu. v. Valcken. ad N. F. p. 336. — *αὐτῷ τῷ σωφρονεῖν*, eo ipso, quod temperans sit. — *αὐτῷ τῷ φρονεῖν*, eo ipso, quod sapiat.

ΠΡΩ. Εἰσὶ μὲν γὰρ ἀπ' ἐναντίων, ὦ Σώκρατες, αὗται πραγμάτων, οὐ μὴν αὗταί γε ἀλλήλαις ἐναντίαι.
E πῶς γὰρ ἡδονή γε ἡδονῇ μὴ οὐχ ὁμοιότατον ἂν εἴη, τοῦτ' αὐτὸ ἑαυτῷ, πάντων χρημάτων;

ΣΩ. Καὶ γὰρ χρῶμα, ὦ δαιμόνιε, χρώματι· κατά γε αὐτὸ τοῦτο οὐδὲν διοίσει, τὸ χρῶμα εἶναι πᾶν, τό γε μὴν μέλαν τῷ λευκῷ πάντες γιγνώσκομεν ὡς πρὸς τῷ διάφορον εἶναι καὶ ἐναντιώτατον ὂν τυγχάνει· καὶ δὴ καὶ σχῆμα σχήματι κατὰ ταὐτόν· γένει μέν ἐστι πᾶν ἕν, τὰ δὲ μέρη τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ

E. ὦ δαιμόνιε, χρώματι· καιά γε αὐτο τ.] Pro χρώματι Ven. Ξ et corr. Π. χρώματος, quod Astio placebat. Sed interpunctione post χρώματι restituta non opus est mutatione. v. interpretat. Dein vulgo τὸ χρῶμα εἶναι τὸ πᾶν; sed articulum ante πᾶν om. Bodl. Vat. Ven. ΑΞΠ. Coisl. Par. BCH. Aug.

Εἰσὶ μὲν γὰρ ἀπ' ἐναντίων] Toto hoc loco diligenter animadvertendum est, Protarchum ea duci opinione, ut generis notionem mordicus teneat, partium et formarum diversitatem paene negligat atque tollat. Errat igitur ille contrario modo, atque faciunt alibi apud Platonem sophistarum filii, qui fere haerent in partibus atque formis notionum, ad genera earum vix ac ne vix quidem animum advertunt. Quod non caret caussa idonea, sicuti apparebit ex iis, quae de Philebi artificio in Praefat. exposuimus. *πῶς γὰρ ἡδονὴ γε ἡδονῇ μὴ οὐχ ὁμ.*] Ne mireris usum vocalarum *μὴ οὔ*. Inest enim in interrogatione negandi vis ac potestas. v. Matthiae Gr. §. 609. 4. a. γ. p. 1452. ed. 3. Pro *τοῦτ' αὐτὸ ἑαυτῷ* etiam nunc requirimus *τό γ' αὐτὸ ἑαυτῷ*. Nihil enim ad sententiam momenti facit istud *τοῦτ' αὐτό*.

Καὶ γὰρ χρῶμα, ὦ δ., χρώματι· κατά γε αὐτὸ τ.] Perperam post *χρώματι* ante nos olim omissa fuit distinctio. Etenim repetendum ex antecedentibus est *ὁμοιότατον ἂν εἴη*. Quo facto quae sequuntur recte per epexegesin sine copula vel coniunctione adiiciuntur. Neque iam *γε* istud spreverim, quod fuit qui in *μέν* mutatum vellet. Nam quomodo differat ab *γὰρ*, satis docebunt quae scripsimus ad Sympos. p. 180. D. quibus adde Schaefer. ad Dionys. de Comp. Verb. p. 406. Apparat. ad Demosthen. Vol. I. p. 784 sq. Schneider. ad Xenoph. Hieron. I. 11. Cyrop. IV. 3, 18. Dobraeum ad Aristoph. Comment. VII. 1. p. 510. ed. Lips. Nec vero Astius audiendus est, qui pro *χρώματι* corrigendum censuit *χρώματος*, his verbis cum iis, quae sequuntur, una perpetuitate coniunctis. Nam unice veram esse nostram rationem, prorsus evincunt proxima: *καὶ δὴ καὶ σχῆμα σχήματι κατὰ ταὐτόν*, ad quae item intelligendum relinquitur *ὁμοιότατον ἂν εἴη*. Verum hic quoque ante nostram editionem post *ταὐτόν* deerat interpunctio. Est vero in his eadem epexegesis, quae in antecedentibus cernitur, neque est

τὰ μὲν ἐναντιώτατα ἀλλήλοις, τὰ δὲ διαφορότητα ἔχοντα μυρίαν που συγχάνει. καὶ πάλλ' ἕτερα οὕτως 13
ἔχοντ' εὑρήσομεν, ὥστε τούτῳ γε τῷ λόγῳ μὴ πίστευε, τῷ πάντα τὰ ἐναντιώτατα ἓν ποιοῦντι. φοβοῦμαι δὲ μή τινας ἡδονὰς ἡδοναῖς εὑρήσομεν ἐναντίας.

ΠΡΩ. Ἴσως· ἀλλὰ τί τοῦθ' ἡμῶν βλάψει τὸν λόγον;

ΣΩ. Ὅτι προσαγορεύεις αὐτὰ ἀνόμοια ὄντα ἑτέρῳ, φήσομεν, ὀνόματι. λέγεις γὰρ ἀγαθὰ πάντ' εἶναι τὰ ἡδέα. τὸ μὲν οὖν μὴ οὐχ ἡδέα εἶναι τὰ ἡδέα

Flor. a. b. c. i. Vulgatam tenet Galenus V. p. 332. ed. Bas.

P. 13. *τί τοῦθ' ἡμῶν βλ.*] V. *ἡμῖν*, invitis Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΠΣ*. Coisl. Par. BCFH. Aug. Flor. a. b. c. i. Mox Coisl. *ὄντ' ἀνόμοια*.

cur *γένει μὲν γάρ ἐστι* corrigendum statuas. v. ad Gorgiam p. 464. B. Legg. VII. p. 791. A. XII. p. 957. A. Protagor. p. 338. C. Xenoph. Cyrop. III. 2, 28. Homer. Odyss. *β'*. 90. *δ'*. 160. al. De *χρῶμα* et *σχῆμα* coniuncto v. ad Gorg. p. 465. B.

P. 13. *μή τινας ἡδονὰς ἡδ. εὑρήσομεν*] Metuo, inquit, num forte voluptates quasdam inventuri simus voluptatibus contrarias, h. e. puto futurum esse, ut voluptates voluptatibus contrariae appareant. Nam *μή* cum indicativo post eiusmodi verba iunctum indicat, id quod metuatur, revera futurum esse vel esse vel fuisse. Germanice dixeris: ich fürchte, ob wir nicht irgendwo Lüste finden werden, die andern entgegengesetzt sind. De Rep. V. p. 451. A. *φοβερὸν καὶ σφαλερὸν — μὴ σφαλεὶς τῆς ἀληθείας κείσομαι*, Aristoph. Nubb. v. 489. *δέδοικά σ', ὦ πρεσβῦτα, μὴ πληγῶν δέει.* ubi v. Herrmann. coll. ann. ad Eurip. Med. v. 310. Soph. Aiac. v. 272. Electr. v. 992. Nos germanice haec sic interpretamur: ich fürchte, o Alter, ob du nicht Prügel bedarfst. Phaedon. p. 84. E. *φοβεῖσθε, μὴ δυσκολώτερόν τι νῦν διάκειμαι ἢ ἐν τῷ πρόσθεν βίῳ*, h. e. ihr fürchtet, ob ich nicht wirklich mich jetzt in einer üblern Stimmung befinde als früher. De eodem temporum praeteritorum usu diximus ad Menon. p. 89. C.

τί τοῦθ' ἡμῶν βλάψει τὸν λόγον;] quid hoc nostrae rationi officiet?

Ὅτι προσαγορεύεις — ἑτέρῳ φήσομεν ὀνόματι] Locus ab interpretibus variis modis vexatus. Grouius enim, Gallicus interpres, p. 234. ante *προσαγορεύεις* suspicatus est *οὐ*, particulam negantem, inseri oportere. Heindorfius Spec. Crit. p. 20. pro *ἑτέρῳ* scribendum censuit *ἑνί γέ τῳ*, h. e. uno certe aliquo nomine. Baumgarten-Crusius porro p. 22. maluit reponi *προσαγορεύσει*, addita hac interpretatione: compellabit, compellare nos iubebit, di-

B λόγος οὐδεὶς ἀμφισβητεῖ· κακὰ δὲ ὄντ' αὐτῶν τὰ πολλὰ καὶ ἀγαθὰ δέ, ὡς ἡμεῖς φαμέν, ὅμως πάντα σὺ προσαγορεύεις ἀγαθά, αὐτὰ ὁμολογῶν ἀνόμοια εἶναι, τῷ λόγῳ εἴ τίς σε προσαναγκάζοι. τί οὖν δὴ ταὐτὸν ἐν ταῖς κακαῖς ὁμοίως καὶ ἐν ἀγαθαῖς ἑνὸν πάσας ἡδονὰς ἀγαθὸν εἶναι προσαγορεύεις;

B. ὅμως πάντα σὺ προσαγορεύεις] πάντα om. Bodl. Vat. et pr. Ven. *II*, v. interpret.

versas illas ἑτέρῳ etiam, ἀνομοίῳ, ὀνόματι, neque vero uno illo τοῦ ἀγαθοῦ." Alii etiam aliter. Sed nihil istorum omnium nobis nunc probatur. Hoc enim dicit Socrates: Officiet sane ista diversitas voluptatum rationi nostrae eo, quod tu, quae inter se dissimilia sunt et contraria, ea alio nomine atque oportebat quodque cum dissimilitudine illa minime convenit, appellas; vocas enim omnia communi *bonorum* nomine. Quippe voluptates quoniam ita inter se differunt, ut aliae turpes, aliae honestae iudicandae sint, sponte consequitur, non posse omnes sine discrimine bonas appellari. Id enim rationi mirum quantum adversatur. Ita igitur nihil hic videmus, quod ineptum aut obscurum merito appellari queat. Nec vero Stephanus in isto φήσομεν debebat offendere, quod interfertur per parenthesin. Eodem modo infra p. 42. E. εἰ δ' οὖν μὴ γένοιτο, φήσω, τὸ τοιοῦτον, τί ποτε ἀναγκαῖον ἐξ αὐτοῦ ξυμβαίνειν ἡμῖν; Phaedon. p. 59. E. τίνες, φής, ἦσαν οἱ λόγοι; Ibid. p. 106. B. ὥσπερ τὰ τρία οὐκ ἔσται, ἔφαμεν, ἄρτιον. Ceterum rem ipsam persequitur philosophus etiam De Republ. VI. p. 505. C. τί δαί; οἱ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν ὁριζόμενοι μῶν μή τι ἁλάττονος πλάνης ἔμπλεοι τῶν ἑτέρων; ἢ οὐ καὶ οὗτοι ἀναγκάζονται ὁμολογεῖν ἡδονὰς εἶναι κακάς; Σφόδρα γε. Ξυμβαίνει δὴ αὐτοῖς, οἶμαι, ὁμολογεῖν ἀγαθὰ εἶναι καὶ κακὰ ταὐτὰ. κ.τ.λ.

μὴ οὐχ ἡδέα — ἀμφισβητεῖ] Legg. I. p. 650. B. οὐδένας οἰόμεθα ἀμφισβητήσαι μὴ οὐ πεῖραν ταύτην εἶναι κ. τ. λ. Sed v. Matthiae Gr. §. 609. 3. Mox istud καὶ ἀγαθὰ δέ sic accipimus, ut eo praegressa verba quodammodo corrigantur atque limitentur. Sed quum pleraque ex istis mala sint, quanquam etiam bona in iis reperiuntur, ut nos arbitramur, tamen tu omnia bona appellas, etiamsi ea inter se dissimilia esse fatearis, si quis te ratione s. argumentis cogat. Quocirca non opus esse putamus cum Astio τὰ δὲ καὶ ἀγαθά, aut καὶ οὐκ ἀγαθά, corrigere. De καὶ — δέ, et vero etiam, quod superioribus aliquid adiungit cum quadam oppositione, v. Criton. p. 51. A. Theaet. p. 171. E. Legg. II. 665. B. et quae congesserunt Astius ad Legg. p. 54. Schaefer. ad Long. p. 349 sq. Hartung. De Particul. Graec. Vol. I. p. 181 sq. Post ὅμως quod tres optimi libri πάντα omittunt, vereor ne vocabulum abiecerint praepostera sedulitate critici, qui illud antegressis istis αὐτῶν τὰ

ΠΡΩ. Πῶς λέγεις, ὦ Σώκρατες; οἶει γάρ τινα συγχωρήσεσθαι, θέμενον ἡδονὴν εἶναι τἀγαθόν, εἶτα ἀνέξεσθαί σου λέγοντος τὰς μὲν εἶναί τινας ἡδονὰς C *ἀγαθάς, τὰς δέ τινας ἑτέρας αὐτῶν κακάς;*

ΣΩ. Ἀλλ' οὖν ἀνομοίους γε φήσεις αὐτὰς ἀλλήλαις εἶναι καί τινας ἐναντίας.

B. *τὰς μὲν εἶναί τινας ἡδονὰς ἀγαθάς,*] *ἡδονάς* Vat. omittit, Bodl. Coisl. Ven. *II.* Par. C. post *ἀγαθάς* collocant.

πολλὰ adversari putarent; nisi forte ideo est extrusum, quia quod subiungitur *αὐτά*, id non cum *ὁμολογῶν ἀνόμοια εἶναι*, sed cum *προσαγορεύεις ἀγαθά* copulaverunt. Verum utut res sese habet, qui sententiam loci accurate perpenderint, ii *πάντα* optime cum ea convenire facile largientur. Ceterum *τῷ λόγῳ* coniunximus cum *προσαναγκάζοι*, quum vulgo interpunctione ante *εἴ τις* facta ad *ὁμολογῶν ἀνόμοια εἶναι* referatur, sensu aut nullo aut perinepto. Errorem nuperi editores sedulo propagarunt.

B. *τί οὖν δὴ ταὐτὸν — προσαγορεύεις;*] Mira structura verborum, orta, nisi fallor, ex anacoluthia. Scribi poterat sic: *τί οὖν δὴ ταὐτὸν ἐν ταῖς κακαῖς ὁμοίως καὶ ἐν ἀγαθαῖς ἔνεστιν, ὥστε πάσας ἡδονὰς ἀγαθὸν εἶναί σε προσαγορεύειν;* vel hunc in modum: *τίνος οὖν δὴ ταὐτοῦ — ἐνόντος πάσας ἡδονὰς ἀγαθὸν εἶναι προσαγορεύεις;* quid igitur in malis pariter atque in bonis voluptatibus inest commune, ut eas omnes boni nomine ornandas existimes? Sed loco posterioris constructionis positus est nominativus *τί — ἐνόν* aut quia scriptor dicturus erat: *τί οὖν δὴ — ἐνὸν αὐτὸ ἀγαθὸν εἶναι προσαγορεύεις;* aut quia *ἔνεστι* more impersonalium verborum, licet addito iam subiecto, in participio neutrius generis poni posse sensit, de qua ratione v. Matthiae Gr. §. 564. aut denique, quod *τί οὖν δὴ ταὐτὸν ἐνόν* accusativum posuit ad designandum id, cuius ratio in boni nomine ponendo haberi posset. Primam rationem fatemur maxime nobis probari. Nam recte sane dici poterat: *τί οὖν δὴ ταὐτὸν ἐν ταῖς κακαῖς ὁμοίως καὶ ἐν ἀγαθαῖς ἐνὸν ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι προσαγορεύεις*, pro *τί ἔνεστιν, ὥστε αὐτὸ ἀγαθόν σε προσαγορεύειν.* Hoc ipsum igitur audaciore quadam orationis mutatione facta ita expressit, ut pro *αὐτὸ ἀγαθὸν* dixerit *πάσας ἡδονὰς ἀγαθὸν εἶναι πρ.* Ceterum *εἶναι* istud ne quis moleste ferat, verba nominandi frequenter ita construuntur. v. Cratyl. p. 396. B. Tim. p. 59. A. Parmenid. p. 133. D. Lachet. p. 192. A. Theaet. p. 160. B. al. conf. Schaefer. ad Dionys. Hal. De Comp. Verb. p. 141. Iacobs Additam. ad Athen. p. 225.

εἶτα ἀνέξεσθαί σου λέγοντος] Repetunt haec verba cum vi quadam praegressum illud *συγχωρῆσαι*, quod egregie convenit orationi paullo vehementiori atque concitatiori. Sic Theaet. p. 171. B. ubi post *ὑπό γε ἐκείνου ὁμολογήσεται* deinceps infertur *ὁ Πρωταγόρας αὐτὸς ξυγχωρήσεται*, vide ibi ann. Similis ratio est ibid. p. 172. B. al. Quod *εἶτα* ante *ἀνέξεσθαι* interpositum

ΠΡΩ. Οὕτι καθ' ὅσον γε ἡδοναί.

ΣΩ. Πάλιν εἰς τὸν αὐτὸν φερόμεθα λόγον, ὦ Πρώταρχε. οὐδ' ἄρα ἡδονὴν ἡδονῆς διάφορον, ἀλλὰ πάσας ὁμοίας εἶναι φήσομεν, καὶ τὰ παραδείγματα ἡμᾶς τὰ νῦν δὴ λεχθέντα οὐδὲν τιτρώσκει, πειρασόμεθα δὲ καὶ ἐροῦμεν ἅπερ οἱ πάντων φαυλότατοί τε καὶ περὶ λόγους ἅμα νέοι.

ΠΡΩ. Τὰ ποῖα δὴ λέγεις;

ΣΩ. Ὅτι σὲ μιμούμενος ἐγὼ καὶ ἀμυνόμενος ἐὰν τολμῶ λέγειν ὡς τὸ ἀνομοιάτατόν ἐστι τῷ ἀνομοιοτάτῳ πάντων ὁμοιότατον, ἔξω τὰ αὐτὰ σαὶ λέγειν, καὶ φανούμεθά γε νεώτεροι τοῦ δέοντος, καὶ ὁ λόγος ἡμῖν ἐκπεσὼν οἰχήσεται. πάλιν οὖν αὐτὸν ἀνακρουώ-

C. *Οὕτι καθ' ὅσαν γε ἡδ.*] *γε* post *οὕτι* interponunt Ven. *A*. Flor. a. b. c. i.

ἡδονην ἡδονῆς διάφορον] V, *ἡδονὴ ἡδονῆς*, quod ex Ven. *ΑΞΣ*. Coisl. Par. BCH. Flor. a. b. c. i. et corr. Ven. *Π*. correctum. Accusativum tuentur etiam editt. Bass. 1. et 2. Proximum *εἶναι* om. Ven. *ΑΣ*. Par. BEFH. Angel. Flor. a. c. et pr. Ven. *Ξ*.

est, de eo v. ann. ad Phaedon, p. 70. E. Ad *ἀνέχεσθαί σου λέγοντος* autem contendas haec, Gorg. p. 491. A. *ἢ οὔτε ἐμοῦ ὑποβάλλοντος ἀνέξει οὔτε αὐτὸς ἔρεις*; De Rep. VIII. p. 564. D. *οὐκ ἀνέχεται τοῦ ἄλλα λέγοντος*. Ibid. X. p. 613. D. *ἀνέχει — λέγοντος ἐμοῦ*. Euthydem. p. 278. E. al. Constructionem notarunt etiam Coraes ad Isocrat. p. 47 et 100. et Creuzerus ad Proclum I. p. 101. Denique de *τινάς* post *τὰς μέν* et *τὰς δέ* illato v. Matthiae Gr. §. 288. coll. Euthyphron. p. 12. A. De Rep. I. p. 339. C. Legg. II. 658. B. p. 669. A. Xenoph. Cyrop. I. 4, 15. Vis pronominis satis aperta est. Nam hoc dicit Protarchus: putasne quemquam te laturum esse dicentem, alias aliquas voluptates bonas esse, alias autem nescio quas malas?

Οὕτι καθόσον γε ἡδοναί.] *Haudquaquam*, quatenus sunt voluptates. v. ad Phaedon. p. 81. D.

C. *οὐδὲν τιτρώσκει*] H. e. *οὐδὲν ἡμῶν τὸν λόγον βλάπτει*. Metaphora a pugnantibus sumta, ut p. 41. B. 43. A. p. 23. B. al.

D. *ἐὰν τολμῶ λέγειν*] si sustineo neque erubesco dicere; v. ad Alcibiad. II. p. 138. C. Apolog. Socr. p. 39. A. Menex. p. 245. C. Dein in verbis *ἐκπεσὼν οἰχήσεται* metaphora petita est a navibus, quae tempestatibus iactatae cursum non possunt tenere ideoque ad littus vel scopulos deferuntur. Legg.

μεθα, καὶ τάχ' ἀνιόντες εἰς τὰς ὁμοίας ἴσως ἄν πως ἀλλήλοις συγχωρήσαιμεν.

ΠΡΩ. Λέγε πῶς; E

Cap. IV. *ΣΩ. Ἐμὲ θὲς ὑπὸ σοῦ πάλιν ἐρωτώμενον, ὦ Πρώταρχε.*

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον δή;

ΣΩ. Φρόνησίς τε καὶ ἐπιστήμη καὶ νοῦς καὶ πάνθ' ὁπόσα δὴ κατ' ἀρχὰς ἐγὼ θέμενος εἶπον ἀγαθόν, διερωτώμενος ὅ τί ποτ' ἔστι τἀγαθόν, ἆρ' οὐ ταὐτὸν πείσονται τοῦτο, ὅπερ ὁ σὸς λόγος;

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Πολλαί τε αἱ ξυνάπασαι ἐπιστῆμαι δόξουσιν εἶναι καὶ ἀνόμοιοί τινες αὐτῶν ἀλλήλαις. εἰ δὲ καὶ ἐναντίαι πῃ γίγνονταί τινες, ἆρ' ἄξιος ἂν εἴην τοῦ 14

τὰ νῦν δὴ λεχθέντα] V. *δὴ τὰ νῦν*, quod mutatum est ex Bodl. Vat. Ven. *II.* Dein pro *πειρασόμεθα* Vat. Ven. *II. πειρώμεθα.* Bodl. *πειρόμεθα.* Ven. *Ξ.* Par. F. *πειρασώμεθα.*

D. *ἡμῖν ἐκπεσών*] Sic Bodl. Vat. Ven. *II.* Sed vett. editt. *ἐκπεσὼν ἡμῖν.*

E. *θέμενος εἶπον ἀγαθόν,*] V. *ἀγαθά*, quod auctoritate Bodl. Vat. Ven. *II.* Par. H. mutavi.

καὶ ἀνόμοιοί τινες] Bodl. Vat. Ven. *II. ἀνόμοιαί.*

IX. p. 866. C. *ἂν μὲν κατὰ Θάλατταν ἐκπίπτῃ πρὸς τὴν χώραν,* Thucyd. II. 92. *ἐξέπεσεν ἐς τὸν Ναυκακτίων λιμένα.* Xenoph. Anab. VI. 4, 2. *οὓς ἂν λάβωσι τῶν Ἑλλήνων ἐκπίπτοντας.* Eurip. Helen. v. 409. *καὶ νῦν τάλας ναυαγὸς — ἐξέπεσον ἐς γῆν τήνδε.* Ibid. v. 1211. *Λιβύης ἀλιμένοις ἐκπεσόντα πρὸς πέτραις.* Usum verbi demonstravit Hemsterhusius ad Luciani Nigrin. c. 8. Quocirca eleganter subiicitur, *πάλιν οὖν αὐτὸν ἀνακρουώμεθα.* Nam *ἀνακρούεσθαι* dicuntur, qui navem remis inhibent atque retrocedunt; id quod docuerunt Valcken. ad Herodot. VIII. 84. Wesseling. ad. Diod. I. p. 418. Gronov. ad Liv. III. 30. et in Obss. IV. 26. Beck. ad Aristoph. Ayv. p. 67.

ἀνιόντες εἰς τὰς ὁμοίας] Schol. *ἀπὸ μεταφορᾶς ἔρηται τῶν παλαιόντων.* Intelligendum est *λαβάς.* Sophist. p. 231. C. *τὰς ἁπάσας μὴ ῥᾴδιον εἶναι διαφεύγειν.* Phaedr. p. 236. C. *εἰς τὰς ὁμοίας λαβὰς ἐλήλυθας.* De Rep. VIII. in. *πάλιν τοίνυν, ὥσπερ παλαιστής, τὴν αὐτὴν λαβὴν πάρεχε.* Legg. III. 682. E. Significat autem Socrates: etiam sapientiae formas ac species fore varias ac diversas, quantumvis genus illius idem sit; quocirca illam eandem esse habituram reprehensionem.

ὁπόσα δὴ κ. ἀρχὰς — εἶπον ἀγαθόν] Vulgo erat *ἀγαθά.* Nunc melioribus codicibus obtemperantes dedimus *ἀγαθόν.* v. p. 11. B.

διαλέγεσθαι νῦν, εἰ φοβηθεὶς τοῦτ' αὐτὸ μηδεμίαν ἀνόμοιον φαίην ἐπιστήμην ἐπιστήμῃ γίγνεσθαι, κἄπειθ' ἡμῖν οὕτως ὁ λόγος ὥςπερ μῦθος ἀπολόμενος οἴχοιτο, αὐτοὶ δὲ σωζοίμεθα ἐπί τινος ἀλογίας;

ΠΡΩ. Ἀλλ' οὐ μὴν δεῖ τοῦτο γενέσθαι, πλὴν

P. 14. *μηδεμίαν ἀνόμοιον*] V. *ἂν ὅμοιον*, manifesto errore, et codd. mss. invitis.

ΠΡΩ. Ἀλλ' οὐ μὴν δεῖ —] Vulgo hic Protarchi nomen et mox ante *Τὴν τοίνυν διαφορότητα* nomen Socratis deest. Emendavit Schützius, consentientibus codd. non paucis, qui utroque loco

P. 14. *ὥςπερ μῦθος ἀπολόμενος οἴχοιτο,*] Hoc dicit: Sin autem contrariae aliquae reperiuntur scientiae formae, num ego dignus sim qui nunc tecum disseram, si istud ipsum reverens nullam contendam scientiam esse dissimilem scientiae, atque tum disputatio tanquam fabula in nihilum abeat, nos ipsi autem veluti in temeritatis vehiculo (i. e. ad absurdum quiddam et rationi contrarium confugientes) conservemur? Duplex *εἰ* in his sic explicandum, ut alterum ad protasin, alterum ad apodosin referatur; v. ad Menon. p. 72. B. Alius generis sunt de quibus momni ad Gorg. p. 453. C. Proverbii instar est *ὁ μῦθος οἴχεται, ὁ μῦθος ἀπώλετο*, et contrarium *ὁ μῦθος ἐσώθη*. Origines huius loquendi consuetudinis demonstrat Photius p. 279. 1. *Μῦθος ἐσώθη· ἐπιῤῥήματά ἐστι λεγόμενον ἐπ' ἐσχάτῳ τοῖς λεγομένοις μύθοις τοῖς παιδίοις.* Quod eleganter ad rem suam transtulit Plato Reip. X. p. 621. B. *μῦθος ἐσώθη καὶ οὐκ ἀπώλετο καὶ ἡμᾶς ἂν σώσειεν, ἂν πειθώμεθα αὐτῷ.* Legg. I. p. 645. B. *οὕτω δὴ — ὁ μῦθος ἀρετῆς σεσωμένος ἂν εἴη.* et alibi. Iam vero similiter de iis, quae non ad finem perducuntur aut disseruntur frustra, *ὁ μῦθος οἴχεται, ὁ μῦθος ἀπώλετο* frequentatur, Theaet. p. 164. D. *καὶ οὕτω δὴ μῦθος ἀπώλετο ὁ Πρωταγόρειος καὶ ὁ τοῦ ἅμα.* Euthydem. p. 68. D. Denique in his; *σωζοίμεθα ἐπί τινος ἀλογίας*, agnoscimus impropriam orationem cum propria mixtam et temperatam. Plenius Phaedon. p. 85. D. *τὸν γοῦν βέλτιστον τῶν ἀνθρωπίνων λόγων λαβόντα καὶ δυςεξελεγκτότατον, ἐπὶ τούτου ὀχούμενον, ὥςπερ ἐπὶ ὀχεδίας, κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον, εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος, λόγου θείου τινός, διαπορευθῆναι.* conf. ad p. 58. B.

ΠΡΩ. Ἀλλ' οὐ μὴν δεῖ — καὶ διάφορον.] Haec multo melius Protarcho quam, ut vulgo fit, Socrati assignari scite et eleganter iudicavit Schützius Opusc. Philol. p. 127. Nam rationi consentaneum est Protarchum, priusquam suum istud *Δεῖ γὰρ οὖν* enuntiat, inm consensisse de iis, quae Socrates antea dixerat. Itaque his verbis profitetur, se quoque admitti nolle crimen absurditatis alicuius aut temeritatis, quamquam *τὸ σωθῆναι* sibi placeat, h. e. quamquam optet, ut sua vincat sententia. Accedit igitur Socratis iudicio, et *ἡδονὰς* pariter atque *ἐπιστήμας* inter se diversas esse concedit. Nam *γιγνέσθων* est

τοῦ σωθῆναι. τό γε μήν μοι ἴσον τοῦ σοῦ τε καὶ ἐμοῦ λόγου ἀρέσκει· πολλαὶ μὲν ἡδοναὶ καὶ ἀνόμοιοι γιγνέσθων, πολλαὶ δὲ ἐπιστῆμαι καὶ διάφοροι.

ΣΩ. Τὴν τοίνυν διαφορότητα, ὦ Πρώταρχε, τοῦ ἀγαθοῦ τοῦ τ' ἐμοῦ καὶ τοῦ σοῦ μὴ ἀποκρυπτό- B

hoc personae signum (:) habent, veluti Vatic. Ven. *ΑΞΣΠ*. Pro vulg. τοῦτο δεῖ ex plurimis codd. inverso ordine δεῖ τοῦτο restituimus. δεῖν τοῦτο tres optimi.

ἀνόμοιοι γιγνέσθων] γίγνεσθον Bodl. Coisl. Ven. *A*. Par. BCEFH. sed. v. interpret.

concedentis, ut Lat. diversae sunto. Gorg. p. 47. C. τὴν δὲ ἄλλην ἐπίδειξιν ἐκεῖθεν ποιησάσθω. Euthyphron. p. 9. C. εἰ βούλει, πάντες αὐτὸ ἡγείσθωσαν θεοὶ ἄδικον καὶ πάντες μισοῦντων. Sophocl. Antig. v. 74. σοὶ δ' εἰ δοκεῖ, τὰ τῶν θεῶν ἔντιμ' ἀτιμάσασ' ἔχε. Sed non infrequens hic imperativi usus est.

B. ΣΩ. Τὴν τοίνυν διαφορότητα —] Ficinus: Differentiam itaque mei ac tui boni, o Protarche, minime abscondentes, sed in lucem potius educentes, feramus, si qui examinantes inquirant. Unde Cornarius reponi iubebat: τλῶμεν ἐλεγχόμενοι, ἄν τινες μηνύσωσι. Fischerus indidem extundebat: τλῶμεν, ἐάν τινες ἐλεγχόμενοι μηνύωσι. Stephanus quaedam ad loci integritatem desse sibi persuaserat. Baumgarten-Crusius malebat: τολμῶμεν ἐλεγχόμενοι, ἄν πῃ μηνύσωσι, sc. αἱ διαφορότητες. Sed displicet transpositionis audacia. Audacior etiam Schleiermacheri est coniectura legendum putantis: τολμῶμεν, ἄν πῃ ἐλεγχομένη μηνύσῃ. Multo lenius Grouius p. 237. et Heindorf. Specim. Crit. p. 20. coni. τολμῶμεν, ἄν πῃ ἐλεγχομένω (sc. τὸ ἐμὸν καὶ τὸ σὸν ἀγαθὸν) μηνύσωσιν. At enim vero, ut nihil dicam de usu numeri dualis, qui certe aliquantum offensionis habet, non ipsa utriusque boni natura, sed potius diversitas formarum atque partium utrique propria dicitur fortasse indicatura esse, si exploretur diligentius, num voluptas, an scientia, an tertium quiddam pro summo et absoluto bono ducendum sit. Atque hoc si ita est, facile appareret, nec ad ἐλεγχόμενοι aut intelligi ex superioribus aut de coniectura addi posse οἱ λόγοι, quorum alterum Bernhardio Syntax. Gr. p. 430. alterum Winckelmanno Praefat. ad Phileb. edit. min. p. IX. placuit. Nam quod frequens est loquutio μηνύει ὁ λόγος, id profecto nihil ad rem facit, quum illud potius quaeratur: quid nunc ipsi sententiae sit consentaneum. Quod ipsum etiam de loco Timaei p. 55. D. ita iudicandum est, quem depravavit Winckelmannus commendata hac scriptura: τὸ μὲν οὖν δὴ παρ' ἡμῶν ἕνα αὐτὸν κατὰ τὸν εἰκότα λόγον πεφυκότα μηνύει λόγος. Nam istud λόγος ibi non habet locum, quum τὸ παρ' ἡμῶν sit enuntiati subiectum, sicuti clarum erit iis, qui verba accuratius paullo considerauerint. Restat igitur, ut quid ipsi sentiamus, aperiendum sit. Fatemur autem libere, permanere nos in ea sententia, quam ante hos viginti annos proposuimus. Corrigendum enim etiam

μενοι, κατατιθέντες δὲ εἰς τὸ μέσον τολμῶμεν, ἂν πῃ ἐλεγχόμεναι μηνύσωσι, πότερον ἡδονὴν τἀγαθὸν δεῖ λέγειν ἢ φρόνησιν ἤ τι τρίτον ἄλλο εἶναι. νῦν γὰρ οὐ δήπου πρός γε αὐτὸ τοῦτο φιλονεικοῦμεν, ὅπως ἃ 'γὼ τίθεμαι, ταῦτ' ἔσται τὰ νικῶντα, ἢ ταῦτ' ἃ σύ, τῷ δ' ἀληθεστάτῳ δεῖ που συμμαχεῖν ἡμᾶς ἄμφω.

ΠΡΩ. Δεῖ γὰρ οὖν.

Cap. V. ΣΩ. Τοῦτον τοίνυν τὸν λόγον ἔτι
C μᾶλλον δι' ὁμολογίας βεβαιωσώμεθα.

B. ἐλεγχόμεναι μηνύωσι] Libri mss. et editt. ἐλεγχόμενοι. v. intpp.

ἤ τι τρίτον ἄλλο] τι om. Bodl. Vat. et pr. Ven. *II.*

πρός γε αὐτὸ τοῦτο φιλον.] Post τοῦτο quod vulgo additum legitur ὅ, id recte viderunt Grouius et Heindorf. omitti

nunc censemus ἐλεγχόμεναι, sc. αἱ διαφορότητες, idque tanto facimus confidentius, quo gratius nobis accidit, quod non modo Schleierm. sed etiam A. Matthiae, hoc est viros acutissimos, sententiae nostrae adstipulatores atque patronos nacti sumus. Etenim pluralis numerus ἐλεγχόμεναι nunc ponitur ideo, quia diversitas utriusque boni intelligitur, ut haec synesis admodum facilis sit et paene sponte ex ipsa re enata. Simillimus locus est Hipp. mai. p. 302. B. καὶ γὰρ ἐγὼ ἔλεγον, εἰ μέμνησαι, — ὅτι ἡ διὰ τῆς ὄψεως καὶ δι' ἀκοῆς ἡδονὴ οὐ ταὐτῷ ἂν εἶεν καλαί, ὅτι τυγχάνοιεν ἑκατέρα μὲν αὐτῶν πεπονθυῖα, ἀμφότεραι δὲ μή. Nec desunt alia, quae commode comparari queant; sicuti ostendit Matthiae Gr. Gr. §. 293. p. 749. ed. 3. Itaque totum locum sic interpretamur: Hanc vero differentiam mei atque tui boni non occultantes, sed in medium proferentes sustineamus, si forte explorata aliquo modo ostendat ac declaret, utrum voluptatem an sapientiam bonum dici oporteat. Illud ἄν πῃ μηνύσωσι sic dicitur, ut videndi vel experiendi notio assumenda sit, unde suspensum putetur. De quo genere loquendi aliquid monuimus ad Alcibiad. I. p. 122. D. Infra p. 52. A. προσθῶμεν τὰς περὶ τὰ μαθήματα ἡδονάς, εἴ ἄρα δοκοῦσιν ἡμῖν πείνας μὲν μὴ ἔχειν. Hom. Iliad. XX. 172. γλαυκιόων δ' ἰθὺς φέρεται μένει, ἤν τινα πέφνῃ ἀνδρῶν. Ibid. k. 55. ἐγὼ δ' ἐπὶ Νέστορα δῖον εἶμι καὶ ὀτρυνέω ἀνατήμεναι, αἴ κ' ἐθέλῃσιν ἐλθεῖν. Odyss. ά. 379. Thucyd. I. 58. πέμψαντες μὲν καὶ παρ' Ἀθηναίους πρέσβεις, εἴ πως πείσαιεν. Neque aliter Latini. Caesar. B. G. VI. 37. circumfunduntur hostes, si quem aditum reperire possent. Livius XXVII. 14. Hannibal elephantos in primam aciem induci iussit, si quem iniicere ea res tumultum ac pavorem posset. Vocabulo διαφορότης, quod

ΠΡΩ. Τὸν ποῖον δή.

ΣΩ. Τὸν πᾶσι παρέχοντα ἀνθρώποις πράγματα ἐκοῦσί τε καὶ ἄκουσιν ἐνίοις καὶ ἐνίοτε.

ΠΡΩ. Λέγε σαφέστερον.

ΣΩ. Τὸν νῦν δὴ παραπεσόντα λέγω, φύσει πως πεφυκότα θαυμαστόν. ἐν γὰρ δὴ τὰ πολλὰ εἶναι καὶ τὸ ἓν πολλὰ θαυμαστὸν λεχθέν, καὶ ῥᾴδιον ἀμφισβητῆσαι τῷ τούτων ὁποτερονοῦν τιθεμένῳ.

ΠΡΩ. Ἆρ' οὖν λέγεις, ὅταν τις ἐμὲ φῇ Πρώταρχον, ἕνα γεγονότα φύσει, πολλοὺς εἶναι πάλιν, D

oportere. Eiecit Bekker. cum corr. Coisl. Dein pro ἃ 'γὼ Bodl. ἄγω, unde Bekkerus ἀγὼ dedit.

δεῖ που συμμαχεῖν] Pro δεῖ Vat. Ven. *A.* Par. BCH. Aug. Flor. a. b. c. i. et pr. Coisl. Ven. *Σ δὴ*. errore creberrimo.

C. *καὶ ῥᾴδιον ἀμφισβητῆσαι*] ἄν post ῥᾴδιον vulgo insertum omisimus cum Bodl. Vat. Ven. *II.*

Platoni tanquam proprium attribuunt grammatici, philosophus non uno loco usus est, veluti Theaet. p. 209. A. D. E. Parmen. p 141. C. De Rep. IX. p. 587. E.; usi sunt etiam alii, Dio Chrysostomus, Aelianus, Porphyrius, reliquique Platonici. v. Pierson. ad Moer. p. 128. Lobeck. ad Phrynich. p. 350.

πρός γε αὐτὸ τοῦτο φιλονεικοῦμεν] Sic infra p. 50. B. *ἀδύνατον μὴ ὁμολογεῖν ταῦτα, ᾧ Σώκρατες, εἴ τις καὶ φιλονεικοῖ πάντη πρὸς τἀναντία.* Legg. V. p. 371. A. *φιλονεικείτω πρὸς ἀρετήν.* Gorg. p. 457. E. De Rep. I. p. 338. A.

C. *Τὸν νῦν δὴ παραπεσόντα*] qui modo forte se obtulit, natura nescio quomodo mirabiliter comparatum. Legg. p. 838. B. *τῷ παραπεπτωκότι λόγῳ.* De Rep. V. p. 466. A. *εἴ που παραπίπτοι.* Ibid. VIII. p. 561. B. al. Similiter *ἐμπίπτειν* dicitur Protag. p. 311. C. D. Dion Chrysost. Orat. VII. in. *τὸ μηδένα διωθεῖσθαι ῥᾳδίως τῶν ἐμπιπτόντων λόγων.* De πως, nescio quo modo, v. ad Theaet. p. 144. B. 177. A. Tim. p. 37. E. Mox *καὶ ῥᾴδιον ἀμφισβητῆσαι κ. τ. λ.* sic intelligas: *καὶ ῥᾴδιον, ὥστε τινὰ ἀμφισβητῆσαι τῷ τούτων ὁποτερ. τιθεμένῳ*, quodque facile efficiat, ut quis utrumcunque ponenti moveat controversiam.

Ἆρ' οὖν λέγεις, ὅταν τις ἐμὲ φῇ Πρ.] Rem attingit philosophus etiam Parmenid. p. 129. A. B. C. ubi inter alia haec leguntur: *εἰ δ' ἐμὲ τις ἓν ἀποδεῖξει ὄντα καὶ πολλά, τί θαυμαστόν, λέγων, ὅταν μὲν βούληται. πολλὰ ἀποφαίνειν, ὡς ἕτερα μὲν τὰ ἐπὶ δεξιὰ μού ἐστιν, ἕτερα δὲ τὰ ἐπ' ἀριστερά, καὶ ἕτερα μὲν τὰ πρόσθεν, ἕτερα δὲ τὰ ὄπισθεν, καὶ ἄνω καὶ κάτω ὡσαύτως. πλήθους γάρ, οἶμαι, μετέχω· ὅταν δὲ ἕν, ἐρεῖ ὡς ἑπτὰ ἡμῶν ὄντων εἷς ἐγώ εἰμι ἄνθρωπος, μετέχων καὶ τοῦ ἑνός· ὥστε ἀληθῆ ἀποφαίνει ἀμφότερα. ἐὰν οὖν τις τοιαῦτα ἐπιχειρῇ πολλὰ καὶ ἐν ταὐτὰ ἀποφαίνειν, λίθους καὶ*

τοὺς ἐμὲ καὶ ἐναντίους ἀλλήλοις μέγαν καὶ σμικρόν τιθέμενος, καὶ βαρὺν καὶ κοῦφον τὸν αὐτόν, καὶ ἄλλα μυρία;

ΣΩ. Σὺ μέν, ὦ Πρώταρχε, εἴρηκας τὰ δεδημευμένα τῶν θαυμαστῶν περὶ τὸ ἓν καὶ πολλά, συγκεχωρημένα δὲ ὡς ἔπος εἰπεῖν ὑπὸ πάντων ἤδη, μὴ δεῖν τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι, παιδαριώδη καὶ ῥᾴδια καὶ σφόδρα τοῖς λόγοις ἐμπόδια ὑπολαμβανόν-
E των γίγνεσθαι· ἐπεὶ μηδὲ τὰ τοιάδε, ὅταν τις ἑκά-

D. *τιθέμενος, καὶ βαρὺν κ.*] V. *τιθεμένους*, quod sicuti Grouius et Heindorf. corrigendum viderunt, ita ex Bodl. Vat. et pr. Ven. *II.* emendatum est.

ξύλα καὶ τὰ τοιαῦτα, φήσομεν αὐτὸν πολλὰ καὶ ἓν ἀποδεικνύναι, οὐ το ἓν πολλά, οὐδὲ τὰ πολλὰ ἕν, οὐδέ τι θαυμαστὸν λέγειν, ἀλλ' ἅπερ ἂν πάντες ὁμολογοῖμεν. Easdem argutias explodit etiam Sophist. p. 251. A. sqq. et C. ad quem locum p. 176. ostendisse videmur, quinam fuerint potissimum, qui eas sedulo iactaverint. Istud *τοὺς ἐμέ* egregie convenit ipsi sententiae, nec quidquam habet offensionis, praesertim quum articulus etiam alibi pronomini personali addatur, ut infra p. 20. B. ubi vide ann. Nam significat multos istos, in quos ego tanquam disceptus sum. Quapropter non opus est coniectura Heusdii, qui Specim. Crit. p. 99. locum sic refingi voluit: — *πολλοὺς εἶναι, καὶ πάλιν τούτους ἐμὲ καὶ ἐναντ. ἀλλ. μ. κ. σ. τιθέμενος.*

D. *συγκεχωρημένα δὲ ὡς ἔπος εἰπεῖν ὑπὸ πάντων ἤδη*] trita et vulgaria, qualia non oportere attingi propemodum iam ab omnibus concessum est. Nam *ὡς ἔπος εἰπεῖν* pertinet ad *ὑπὸ πάντων*, de quo usu loquendi v. ad Symp. p. 179. A. Apol. p. 17. A. Gorg. p. 450. B. D. Phaed. p. 78. E. al. conf. infra p. 17. C. Porro *ἅπτεσθαι τῶν τοιούτων* est talia attingere, talia tractare, sich mit dergleichen Dingen befassen; quem usum loquendi illustravimus ad Remp. VI p. 497. E. VII. p. 539. A. Alienum ab hoc loco videtur, quod olim putavimus, *ἅπτεσθαι* nunc redarguere, impugnare, significare; qua vi et significatione Phaed. p. 86. D. dicitur *ἅπτεσθαι τοῦ λόγου*. Ad proxima, *παιδαριώδη καὶ ῥᾴδια — γίγνεσθαι*, non poenitebit contendisse illa Sophist. p. 251. A. B. qui locus commentarii instar est. Putamus autem *καὶ σφόδρα* hic ita dici, ut alibi *καὶ πάνυ*, *καὶ μάλα*, *καὶ πάλαι*, ideoque *καί* vim augendi et intendendi habere. Ita non opus erit cum Schützio *καὶ οὐ σφόδρα* corrigere. Nam sententia iam haec est: quippe quum existiment, puerilia atque levia vel maxime disputationibus officere. Sic *καὶ σφόδρα* legitur Reip. III. p. 405. A. al.

ἐπεὶ μηδὲ τὰ τοιάδε,] Ex praegressis *τοῦ τοιούτων ἅπτε-*

στου τὰ μέλη τε καὶ ἅμα μέρη διελὼν τῷ λόγῳ πάντα ταῦτα τὸ ἓν ἐκεῖνο εἶναι διομολογησάμενος ἐλέγχῃ καταγελῶν, ὅτι τέρατα διηνάγκασται φάναι, τό τε ἓν ὡς πολλὰ ἐστι καὶ ἄπειρα, καὶ τὰ πολλὰ ὡς ἓν μόνον.

ΠΡΩ. Σὺ δὲ δὴ ποῖα, ὦ Σώκρατες, ἕτερα λέγεις, ἃ μήπω συγκεχωρημένα δεδήμευται περὶ τὸν αὐτὸν τοῦτον λόγον;

ΣΩ. Ὁπόταν, ὦ παῖ, τὸ ἓν μὴ τῶν γιγνομένων 15

E. διομολογησάμενος ἐλέγχῃ] διομολογησάμενον editt. Bas. 1. et 2. cum Ficino.

ὦ Σώκρατες, ἕτερα λέγεις] Sic Bodl. Vat. Ven. Π. Coisl. Par. BC. Vulgo ἕτερα ante ὦ Σώκρατες collocabatur.

σθαι synesi sanequam duriore intelligendum est δεῖν ἐλέγχειν, vel simile quiddam. — ἑκάστου τὰ μέλη τε καὶ ἅμα μέρη διελὼν κ. τ. siquis uniuscuiusque membra et partes disputatione sua distinxerit atque haec omnia unum istud esse altero consentiente evicerit, quando (eum) deridens doceat, coactum eum fuisse monstra dicere etc. De μέλη καὶ μέρη conf. Legg. VII. p. 795. E. Phaedr. p. 238. A. Ion. p. 14. A. Tim. p. 76. E. ibique ann. Eodem modo Latini. Ovidius Metam. XIV. v. 547. cremabit edax nemorum partes et membra meorum. Pro διομολογησάμενος olim cum Schleiermachero διομολογησάμενον accusativum requirebam, quem habent Bas. 1. et 2. ne scilicet ἐλέγχῃ suo casu careret. Sed huic rationi plura officiunt. Nam primum quidem ita aegre desideres τὸν articulum. Deinde διομολογεῖσθαι nusquam est fateri, assentiri aut consentire alteri, sed potius aliqua re pertractanda efficere, ut inter colloquentes de ea conveniat, id quod iam Baumgarten-Crusius p. 28. breviter significavit, copiosius demonstravit Graserus Adversar. p. 78 sqq. Itaque ἐλέγχῃ καταγελῶν absolute ponitur, ut ex praegresso ἑκάστου intelligendum relinquatur αὐτόν, usu haudquaquam raro v. ad Sophist. p. 217. C. 230. B. Praeterea ad τέρατα φάναι comparasse iuvabit Theaet. p. 163. D. τέρας ἂν εἴη ὃ λέγεις. Ibid. p. 164. B. ὃ τέρας ἔφαμεν εἶναι, εἰ γίγνοιτο. Ibid. p. 188. C. τέρας γὰρ ἔσται. Euthydem. p. 296. C. τέρας γὰρ ἂν εἴη, ἦν δ' ἐγώ. Parmen. p. 129. A. εἰ μὲν γὰρ αὐτὰ τὰ ὅμοιά τις ἀπέφαινεν ἀνόμοια γιγνόμενα ἢ τὰ ἀνόμοια ὅμοια, τέρας ἄν, οἶμαι, ἦν. ubi de eadem re disputatur, quam hoc loco exponit philosophus. Menon. p. 91. D. Hipp. mai. p. 300. E.

P. 15. Ὁπόταν, ὦ παῖ, τὸ ἓν μὴ τῶν γιγν.] Illud τὸ ἓν εἶναι πολλά, καὶ τὰ πολλὰ ἕν, grave quiddam et magnificum esse arbitratur, si non lusu paene puerili et inepto, qui disserendi subtilitati plurimum officiat, ad res oculorum conspectui subiectas transferatur, sed referatur potius ad ipsas rerum species

τε καὶ ἀπολλυμένων τις τιθῆται, καθάπερ ἀρτίως ἡμεῖς εἴπομεν. ἐνταυθοῖ μὲν γὰρ καὶ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὅπερ εἴπομεν νῦν δή, συγκεχώρηται τὸ μὴ δεῖν ἐλέγχειν· ὅταν δέ τις ἕνα ἄνθρωπον ἐπιχειρῇ τίθεσθαι καὶ βοῦν ἕνα καὶ τὸ καλὸν ἓν καὶ τἀγαθὸν ἕν, περὶ τούτων τῶν ἑνάδων καὶ τῶν τοιούτων ἡ

atque formas nulli mutationi obnoxias. Oriri quidem sic multas gravesque quaerendi difficultates ac plena esse omnia dubitationis; sed ea si recte ac subtiliter fuerint pervestigata, tum vero aperiri fontem veritatis perennem atque plane inexhaustum. — *μὴ τῶν γιγνομένων τε καὶ ἀπολλυμένων τις τιθῆται*, h. e. non ad res adspectabiles referat, ita ut *ἕν* de corporum parte aliqua vel toto dicatur. De constructione verborum v. ad Theaet. p. 186. A.

ἐνταυθοῖ μὲν γὰρ καὶ τὸ τοιοῦτον] H. e. ubi ponitur esse *τῶν γιγνομένων καὶ ἀπολλυμένων*. Itaque merito aliquis requirat *ἐνταῦθα*, nisi forte malis *ἐνταυθὶ* cum Elmsleio ad Aristoph. Acharn. v. 152. Ne tamen scripturam mutemus, primum quidem codicum auctoritas impedit, qui hic quidem *ἐνταυθοῖ* unanimi consensione tuentur. Deinde nec alii desunt loci simillimi, in quibus ea forma status et quies designari videatur. Videatur, inquam. Nam cavendum est magnopere, ne vana specie deludamur, id quod praeter alios accidit etiam Buttmanno Gr. Gr. T. II. p. 288. et ad Philoctet. v. 481. sq. qui *ἐνταυθοῖ* statuit pro *ἐνταῦθα* demonstrandi vi et potestate usurpari, ut *ἐνταυθί*, originem autem huius formae ex analogia adverbiorum in *οῖ* exeuntium repetendam censet. Quo ipso, si verum quaerimus, ne hilum quidem proficitur. Imo vero sic existimandum est, ut *ἐνταυθοῖ* propriam vim et significationem suam habere dicamus, hoc est, motum in locum indicare; sed eodem modo, quo alia id genus adverbia, cum verbis quietem significantibus consociari arbitremur. Sic Plat. Apol. Socr. p. 33. D., *πάρεισιν αὐτῶν πολλοὶ ἐνταυθοῖ*, idem est quod: multi *huc* (hierherwärts) venerunt atque praesentes adsunt. Legg. VII. p. 822. C. *ἆρ' οὐκ οἰόμεθα γελοῖόν τε καὶ οὐκ ὀρθὸν — νῦν ἐνταυθοῖ* (quod istuc pertinet) *καὶ ἐν τούτοις γίγνεσθαι*, Prot. p. 310. A. Xenoph. Mem. IV. 2, 13. *Βούλει οὖν — γράψωμεν ἐνταυθοῖ μὲν δέλτα, ἐνταυθοῖ δὲ ἄλφα*; ubi *ἐνταυθοῖ* item est hierherwärts, ut locus temere sollicitatus sit. Aristoph. Rann. v. 272. *τί ἔστι τἀνταυθοῖ*, i. e. was giebts hierherwärts? Thesmophor. v. 225. *οὐ γὰρ ἐνταυθοῖ μενῶ*, i. e. nicht werde ich hierherwärts bleiben. Vesp. v. 1442. *οὗτοι ἔτ' ἐνταυθοῖ μενεῖς*. Nubb. v. 814. 843. Plut. v. 223. Euripid. Iphig. Taur. v. 1010. *ἥπτερ καὐτὸς ἐνταυθοῖ περῶ*. al. Itaque hunc locum sic interpreteris: nam ad ista quod pertinet (istuc) concessum est etc. denn hierherwärts (i. e. in Bezug hierauf) ist zugegeben, etc. Ad *τὸ μὴ δεῖν ἐλ.* contendas illa Sophist. p. 218. C. *περὶ τῶν τοιούτων δέδοκται*

πολλὴ σπουδὴ μετὰ διαιρέσεως ἀμφισβήτησις γίγνεται.

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Πρῶτον μέν, εἴ τινας δεῖ τοιαύτας εἶναι B
μονάδας ὑπολαμβάνειν ἀληθῶς οὔσας· εἶτα πῶς αὖ ταύτας, μίαν ἑκάστην οὖσαν ἀεὶ τὴν αὐτὴν καὶ μήτε

πᾶσι καὶ πάλαι τὸ πρότερον αὐτὰ δεῖν μελετᾶν. ubi idem est usus articuli.

ὅταν δέ τις ἕνα ἄνθρωπον — τἀγαθὸν ἕν.] Intelligit ideam sive speciem hominis, animalis, pulcri et boni, atque id significat quod alibi vocatur *τὸ ὃ ἔστιν ἕν*, ut Parmen. p. 129. B. vel *αὐτὸς ὁ ἄνθρωπος, αὐτὸ τὰ ἀγαθόν, αὐτὸ τὸ καλόν, κ. τ. λ.* Hae vero ideae, quia semper sibi constant neque ullam subeunt mutationem ac vicissitudinem, recte ex numero rerum generatarum eximuntur atque *τῶν ἑνάδων* nomine insigniuntur. Sed *ἡ πολλὴ σπουδὴ μετὰ διαιρέσεως περὶ αὐτῶν γίγνεται ἀμφισβήτησις.* Quae verba nonnihil habent difficultatis. Et Schützius quidem Opuscul. p. 134. putat librariorum incuria excidisse particulam *καί*, legendumque esse *καὶ μετὰ διαιρέσεως*, ut sententia verborum haec sit: De hac unitate generis ad multitudinem specierum comparata magna inter philosophos quaestio *et vero etiam* disceptatio atque controversia agitatur. Vereor tamen, ut ulla opus sit verborum mutatione. Nam *ἡ πολλὴ σπουδὴ μετὰ διαιρέσεως* idem est fere, quod *ἡ πολλὴ σπουδὴ*, quae utitur *διαιρέσεως*, adiumento et auxilio. De Rep. VIII. p. 546. C. *οὐδὲν μᾶλλον λογισμῷ μετ' αἰσθήσεως τεύξονται.* Ibid. IX. p. 571. B. *κολαζόμενοι — ὑπό τε νόμων καὶ τῶν βελτιόνων ἐπιθυμιῶν μετὰ λόγου.* Phaedon. p. 69. E. Legg. X. p. 906. A. B. al. Iam vero plurimum studium ac diligentissima de iis quaestio cum subtili disceptatione coniuncta dicitur *γίγνεσθαι ἀμφισβήτησις*, h. e. exire denique et evadere in dubitationem atque controversiam. Hoc igitur modo ubi verba acceperis, non opus fore putamus, ut quidquam loco suo moveatur. Pendent vero ex *ἀμφισβήτησις γίγνεται* proxima, *εἴ τινας δεῖ τοιαύτας εἶναι μονάδας κ. τ. λ.*

B. *Πρῶτον μέν, εἴ τινας δεῖ τοιαύτας κ. τ. λ.*] Triplicem ait oriri dubitationem, primum, num quas liceat statui eiusmodi species sive notiones revera esse; deinde, quomodo unaquaeque ab ortu et interitu immunis esse intelligatur; denique, num illas ideas consentaneum sit credere per rerum adspectabilium infinitatem diffusas esse et in partes divisas, an totas putare liceat tanquam extra se positas esse atque infinitis modis quasi repetitas. Eaedem dubitationes de idearum doctrina moventur Parmenid. p. 130. A. sqq. de quo loco copiose exposuimus Prolegg. p. 43 sqq. ed. Lips., ut hic nihil addendum videatur. Ad *εἶτα πῶς — μίαν ταύτην* ex antecedentibus repetendum *ὑπολαμβάνειν δεῖ*. — *αὐτὴν αὑτῆς χωρίς*, h. e. a semet ipsa seiunctam et extra se positam.

γένεσιν μήτε ὄλεθρον προσδεχομένην, ὅμως εἶναι βεβαιότατα μίαν ταύτην· μετὰ δὲ τοῦτ' ἐν τοῖς γιγνομένοις αὖ καὶ ἀπείροις εἴτε διεσπασμένην καὶ πολλὰ γεγονυῖαν θετέον, εἰθ' ὅλην αὐτὴν αὑτῆς χωρίς, ὃ δὴ πάντων ἀδυνατώτατον φαίνοιτ' ἄν., ταὐτὸν καὶ ἓν ἅμα ἐν ἑνί τε καὶ πολλοῖς γίγνεσθαι. ταῦτ' ἔστι
C τὰ περὶ τὰ τοιαῦτα ἓν καὶ πολλά, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνα, ὦ Πρώταρχε, ἀπάσης ἀπορίας αἴτια, μὴ καλῶς ὁμολογηθέντα, καὶ εὐπορίας ἂν αὖ, καλῶς.

P. 15. B. ὅμως εἶναι βεβαιότατα] Sic Vat. Ven. ΠΣ. Coisl. Par. BCFH. Flor. a. b. c. i. et codd. Vind. ac Paris. apud Bastium ad Gregor. Corinth. p. 790. Vulgo erat βεβαιότητα, quod primus correxit Grotius p. 239.

ὃ δὴ πάντων ἀδυνατώτατον —] Pronominis vis et significatio accuratius deinceps declaratur his verbis: ταὐτὸν — πολλοῖς γίγνεσθαι, quae epexegesin quandam continent. Gorg. p. 519. D. καίτοι τοῦτον τοῦ λόγου τί ἂν ἀλογώτερον εἴη πρᾶγμα, ἀνθρώπους ἀγαθοὺς — ἀδικεῖν τούτῳ, ὃ οὐκ ἔχουσιν; ubi v. ann. conf. Matthiae Gr. §. 476. p. 1060. ed. 3. Pertinent vero haec ad dubitationem tertiam. Quod si tenes, haudquaquam assentieris Schleiermachero corrigendum putanti: ταὐτὸν καὶ ἓν ἅμα εἶναι καὶ ἐν πολλοῖς γίγνεσθαι. Nimirum sententia haec est: istud vero omnium minime fieri posse apparet, ut idem atque unum pariter in uno atque multis insit. Nam si idea ὅλη αὐτὴ αὑτῆς χωρίς inest in rebus generatis atque individuis, id quod natura sua est ταὐτὸν καὶ ἕν, inest sane in aliis, et quidem nunc in uno nunc in multis. Vocabulum ἅμα saepe sic vocatis τε καὶ praemittitur, ut Theaet. p. 182. A. De Rep. I. p. 348. B. Cratyl. p. 440. B. Aliam eius collocationem notabimus ad p. 42. A. Ita igitur omnia suadent, ut ne de verborum integritate dubitemus. Et concessit ipse Schleiermacherus in repetita libri sui editione nostris rationibus pristinamque sententiam suam retractavit.

C. τὰ περὶ τὰ τοιαῦτα ἓν καὶ πολλά, ἀλλ' —] Recte Schleiermacherus istud ἓν καὶ πολλά, quod olim pro glossemate habendum statuebat, in altera editione pro sincero probavit. Etenim articulus τά pertinet ad ἓν καὶ πολλά, ut loci sententia haec sit: Haecce sunt in talibus quaestionibus τὰ ἓν καὶ πολλά (quae ad res non adspectabiles, atque notiones animis nostris informatas referuntur), nec vero illa (quae ad res sensibus subiectas pertinent), quae, si non recte de iis constiterit, omnis dubitationis causae existunt; sin recte, etiam prosperi disputationis successus felicitatem afferre possint. Nam ad εὐπορίας ἂν αὖ intell. εἴη, qui usus nihil habet offensionis. Theaet. p. 186. D. οὔκουν ἂν δίκαιόν γε sc. εἴη. Aristoph. Nubb. v. 5. οἱ δ' οἰκέται ῥέγκουσιν· ἀλλ'

ΠΡΩ. Οὐκοῦν χρὴ τοῦθ' ἡμᾶς, ὦ Σώκρατες, ἐν τῷ νῦν πρῶτον διαπονήσασθαι;

ΣΩ. Ὡς γοῦν ἐγὼ φαίην ἄν.

ΠΡΩ. Καὶ πάντας τοίνυν ἡμᾶς ὑπόλαβε συγχωρεῖν σοι τούσδε τὰ τοιαῦτα· Φίληβον δ' ἴσως κράτιστον ἐν τῷ νῦν ἐπερωτῶντα μὴ κινεῖν εὖ κείμενον.

Cap. VI.

ΣΩ. Εἶεν. πόθεν οὖν τις ταύτης

C. *Οὐκοῦν χρὴ τοῦθ'*] Sic Bodl. Vat. Ven. *H.* pro vulg. *χρή που τοῦθ'*.

D. *πόθεν οὖν τις ταύτης*] Sic Bodl. Vat. Ven. *H.* Vulgo erat *οὖν ἄν τις*. v. interpretat.

οὐκ ἄν πρὸ τοῦ, sc. *ἔρεγκον*. Pac. v. 908. *ὁ πρύτανις παρεδέξατο· ἀλλ' οὐκ ἄν, εἰ τὰ προῖκα προσαγαγεῖν σ' ἔδει*. Nubb. v. 1377. *ἀλλ' αὖθις αὖ τυπτήσομαι. Φειδ. νὴ μὰ Δί' ἐν δίκῃ γ' ἄν*. Sed alia exempla verbi apud *ἄν* quum optativo tum indicativo et vero etiam coniunctivo modo sic omissi suppeditabunt Hermann. De Partic. *ἄν* p. 187. et Sauppe Epist. crit. ad Hermannum p. 72. Ceterum pro *ἀπάσης ἀπορίας* ne quis *πάσης ἀπορίας* requirat, v. ad Phaedon. p. 108. B.

Φίληβον δ' ἴσως κράτιστον —] Philebum autem fortasse optimum est in praesenti non sollicitare eo, ut et ipsum praeter ceteros interrogemus, quippe bene cubantem. Urbane ac facete Philebus, acerrimus voluptatis defensor ac patronus, his verbis carpitur. Is enim significatur harum rerum disputationem aegre concessurus esse, ne scilicet caussa sua cadat. Quippe p. 12. A. ille sane confidentius: *ἐμοὶ πάντως νικᾶν ἡδονὴ δοκεῖ καὶ δόξει*. Graecorum proverbium fuit, *μὴ κινεῖν καλὸν εὖ κείμενον*. Salse igitur pro *καλόν* dicitur *Φίληβον*. Suidas: *Μὴ κινεῖν καλὸν εὖ κείμενον· ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς ἐξ ἀγνοίας πράγματα ἐγειρόντων*. Apostolius XII. 95. *Μὴ κίνει καλὸν εὖ κείμενον· ἐπὶ τῶν παρακινούντων τινὰ ἐπὶ σφετέρᾳ βλάβῃ*. Schol. ad h. l. *Μὴ κινεῖν καλὸν εὖ κείμενον· ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς ἐξ ἀγνοίας πράγματα ἐγειρόντων. ταύτης μέμνηται καὶ Ὑπερίδης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα· καὶ οὐδὲ ἐκ τῆς παροιμίας δύνασαι μανθάνειν τὸ μὴ κινεῖν καλὸν εὖ κείμενον*. Qui quae praeterea addit, merae nugae sunt, ut satius videatur ea silentio transmittere.

D. *πόθεν οὖν τις ταύτης ἄρξηται* —] Vett. editt. *οὖν ἄν τις ἄρξηται*. Sed *ἄν* si verum esset, opus foret *ἄρξαιτο*, optativo. Idque per se haudquaquam spernendum. De Rep. IV. p. 439. D. *πῶς οὖν ἂν τὴν δικαιοσύνην εὕροιμεν;* Menexen. c. 5. extr. *τίς οὖν ἂν ἡμῖν τοιοῦτος λόγος φανείη; ἢ πόθεν ἂν ὀρθῶς ἀρξαίμεθα ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐπαινοῦντες;* Aristoph. Pac. v. 525. *πόθεν ἂν λάβοιμι ῥῆμα μυριάμφορον;* Sophocl.

D ἄρξηται πολλῆς οὔσης καὶ παντοίας περὶ τὰ ἀμφισβητούμενα μάχης; ἆρ' ἐνθένδε;

ΠΡΩ; Πόθεν;

ΣΩ. Φαμέν που ταὐτὸν ἓν καὶ πολλὰ ὑπὸ λόγων γιγνόμενα περιτρέχειν πάντῃ καθ' ἕκαστον τῶν λεγομένων ἀεὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν. καὶ τοῦτο οὔτε

Φαμέν που ταὐτὸν] V. *ποι*, invitis Vat. Coisl. Ven. *Π.*

Phil. v. 1388. *τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δρῷμεν*; Sed optativum praebuit codex plane nullus, *ἄν* autem tres optimi libri omittunt. Ex quo consequitur ut recepta lectio pro vera ducenda sit. Habet vero coniunctivus deliberativus personae tertiae cum *τις* coniunctus ideo nihil incommodi, quia in eius usu semper de certa aliqua persona cogitari potest, sicuti fit etiam in formula Germanica, was soll man nun anfangen? Sophist p. 225. A. *τῷ δὲ λόγοις πρὸς λόγους τί τις, ὦ Θεαίτητε, ἄλλο εἴπῃ πλὴν ἀμφισβητικόν;* Sophocl. Oed. Col. v. 170. *θύγατερ, ποῖ τις φροντίδος τρέπῃ*; Aristoph. Plut. v. 438. *ποῖ τις φύγῃ*; Et hoc quidem loco facile apparet *πόθεν τις ἄρξηται* idem esse quod *πόθεν ἀρξώμεθα*, ut coniunctivus omni ex parte satis firmatus sit atque munitus.

Φαμέν που ταὐτὸν ἓν —] Locus plane divinus, quo quanta sit vis et amplitudo eius, quod dicitur *τὸ ἓν καὶ πολλά*, in omnis generis quaestionibus, vividis coloribus describitur. Patere enim illius vim latissime Socrates arbitratur, ita ut etiam perpetua ac sempiterna et viguerit olim et etiamnunc vigeat; eum autem, qui primum eam sentiat, mira quadam perfundat voluptate. Iungenda autem verba sunt hunc in modum: *φαμέν που ἓν καὶ πολλὰ ὑπὸ λόγων ταὐτὸν γιγνόμενα περιτρέχειν πάντῃ*; dicimus, opinor, unum et multa disserendo idem facta ubique reperiri. In quibus *ἓν καὶ πολλὰ διὰ λόγων ταὐτὸν ποιεῖν* certe nihil est aliud quam disserendo facere, ut unum et multa idem videatur, h. e. genera in partes dividere et vicissim partes ad genera sua referre, quo arctissima eorum intelligitur necessitudo et coniunctio. Itaque *περιτρέχει αὐτὰ πάντῃ* est: ubique locum habet ista generum et formarum coniunctio; ubique ea reperitur. Theaet. p. 207. A. *ταῦτα περιτρέχοντα πᾶσι προσφέρεται.* Iam adduntur haec: *καθ' ἕκαστον τῶν λεγομένων ἀεὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν*, h. e. in unoquoque eorum quae dicuntur. Iungendum hic *ἀεὶ* cum *τῶν λεγομένων*. Neque enim novi qui dixerit *ἀεὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν*; id esset potius *ἀεί τε καὶ νῦν*. v. ad Gorg. p. 523. A. Phaedr. p. 254. A. Sunt igitur *τὰ ἀεὶ λεγόμενα* i. q. *τὰ ἑκάστοτε λεγόμενα*, ut significetur, vim illius unitatis atque multitudinis semper patere, quotiescunque sermones atque disputationes instituantur. De hoc usu voc. *ἀεί* v. ad Remp. p. 360. A. ac ne in collocatione verborum haereas, conf. ann. ad Tim. p. 79. A. et Phaedon. p. 88. A. ubi alia eius exempla attulimus, Monk. ad Eurip. Alcest. v. 710. Borneemann. ad Xenoph. Mem. I. 6, 7. et ad Cyrop. VII. 1, 1. 4, 2. Iam vero his ita exploratis nullam caussam esse putamus, cur aliquid vitiosum existimetur.

μὴ παύσηταί ποτε οὔτε ἤρξατο νῦν, ἀλλ' ἔστι τὸ τοιοῦτον, ὡς ἐμοὶ φαίνεται, τῶν λόγων αὐτῶν ἀθάνατόν τι καὶ ἀγήρων πάθος ἐν ἡμῖν. ὁ δὲ πρῶτον αὐτοῦ γευσάμενος ἑκάστοτε τῶν νέων, ἡσθεὶς ὥς τινα σοφίας εὑρηκὼς θησαυρόν, ὑφ' ἡδονῆς ἐνθουσιᾷ τε καὶ πάντα κινεῖ λόγον ἄσμενος, τοτὲ μὲν ἐπὶ θάτερα

καὶ ἀγήρων] ἄγηρων Bodl., de qua scriptura v. Buttmann. Gramm. I. p. 53.

οὔτε μὴ παύσηταί ποτε] nec unquam desinet; v. ad p. 21. E. Aoristum Astius secundum sententiam Dawesii Misc. Crit. p. 221 sqq. plurimis grammaticis probatam sine librorum consensione in παύσεται mutavit. Sed illum Dawesii canonem idonea caussa et ratione carere satis demonstrarunt Heindorf. ad Phaedon. p. 44. Hermann. ad Soph. Aiac. v. 557. Reisig. ad Oed. Colon. Comm. Crit. p. 250 sqq. Matthiae Gr. §. 517. ann. 1. conf. nostra ad Remp. X. p. 609. B.

ὁ δὲ πρῶτον αὐτοῦ γευσάμενος —] Comparata haec descriptio est ad ludendos praesentes adolescentes, quorum exultans laetitia de tali invento dialectico ita adumbratur, ut simul levitas atque protervitas juvenilis rideatur. Consimilis lusus est Reip. VIII. p. 539. B. ἆρ' οὖν οὐ μία μὲν εὐλάβεια αὕτη σχεδὸν τὸ μὴ νέους ὄντας αὐτῶν γεύεσθαι; οἶμαι γάρ σε οὐ λεληθέναι, ὅτι οἱ μειρακίσκοι, ὅταν τὸ πρῶτον λόγων γεύωνται, ὡς παιδιᾷ αὐτοῖς καταχρῶνται, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι καὶ μιμούμενοι τοὺς ἐξελέγχοντας αὐτοὶ ἄλλους ἐλέγχουσι, χαίροντες ὥσπερ σκυλάκια τῷ ἕλκειν τε καὶ σπαράττειν τοὺς πλησίον ἀεί, — πάντα κινεῖ λόγον ἄσμενος est lubens omnem movet orationem; omnia molitur, ut rem in disceptationem vocatam pervestiget. Nam eadem vi et significatione nunc loquutionem hanc positam esse, quam de qua dictum est ad Symp. p. 198. E. et alibi, facile intelligitur. Qua ratione vero talis adolescens versetur in exploranda re proposita, id declaratur verbis proximis: τοτὲ μὲν ἐπὶ θάτερα κυκλῶν κ. τ. λ. in quibus ἐπὶ θάτερα κυκλῶν, in alteram partem circumvolvens, explicatur per ξυμφύρων εἰς ἕν, h. e. varias ac multiciples formas uno genere complectens, ut de synthetica notionum sive idearum copulatione cogitandum sit. Itaque contrarium est πάλιν ἀνειλίττων καὶ διαμερίζων, rursus ea evolvens et in partes distinguens, h. e. via analytica notionum genera in formas suas dissolvens. — ἀεὶ τὸν ἐχόμενον, h. e. τὸν πλησίον ἀεί. — φειδόμενος οὔτε πατρὸς οὔτε μητρός. Germanice item omisso articulo dixeris: schonend weder Vater noch Mutter, ubi sententia est generalior. v. Schaefer. Appar. ad Demosth. I. p. 329. — Ad ὀλίγου δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζώων intellige ex antegressis οὐ φειδόμενος, ut non opus sit corrigere ὀλίγου δὲ οὐδὲ τῶν ἄλλων ζώων. v. Schneider. ad Rempl. X. p. 605. A. Denique ita ἐπεὶ βαρβάρων γε referuntur ad ὀλίγου δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζώων, atque sic intelligi debent: nam (id quod proximum est illi) barbarorum certe nemini par-

κυκλῶν καὶ συμφύρων εἰς ἕν, τοτὲ δὲ πάλιν ἀνειλίττων καὶ διαμερίζων, εἰς ἀπορίαν αὐτὰν μὲν πρῶτον καὶ μάλιστα καταβάλλων, δεύτερον δ' ἀεὶ τὸν ἐχόμενον, ἄν τε νεώτερος ἄν τε πρεσβύτερος ἄν τε ἡλιξ
16 ὢν τυγχάνῃ, φειδόμενος οὔτε πατρὸς οὔτε μητρὸς οὔτε ἄλλου τῶν ἀκουόντων οὐδενός, ὀλίγου δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζώων, οὐ μόνον τῶν ἀνθρώπων· ἐπεὶ βαρβάρων γε οὐδενὸς ἂν φείσαιτο, εἴπερ μόνον ἑρμηνέα ποθὲν ἔχοι.

ΠΡΩ. Ἆρ', ὦ Σώκρατες, οὐχ ὁρᾷς ἡμῶν τὸ πλῆθος, ὅτι νέοι πάντες ἐσμέν; καὶ οὐ φοβεῖ μὴ σοι μετὰ Φιλήβου ξυνεπιθώμεθα, ἐὰν ἡμᾶς λοιδορῇς; ὅμως δέ, μανθάνομεν γὰρ ὃ λέγεις, εἴ τις τρόπος ἔστι καὶ μηχανὴ τὴν μὲν τοιαύτην ταραχὴν ἡμῖν ἔξω τοῦ λόγου εὐμενῶς πως ἀπελθεῖν, ὁδὸν δέ τινα καλ-

E. πάλιν ἀνειλίττων] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. ἀνελίττων.

P. 16. μόνον ἑρμηνέα] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. pro vulg. ἑρμηνέα μόνον.

ceret, si modo alicunde nancisceretur interpretem. Quo neglecto olim parum considerate verba transponenda iudicavimus.

P. 16. Ἆρ', ὦ Σώκρατες, οὐχ ὁρᾷς ἡμῶν τὸ πλῆθος —] Iocose minatur Socrati propter lepidam descriptionis istius petulantiam. v. ad Phaedr. p. 236. C. De Rep. I. 327. C. Sic etiam Horatius Serm. I. 4. extr. Cui si concedere nolis, multa — veniat manus, auxilio quae sit mihi; nam multo plures sumus.

ὅμως δὲ μανθάνομεν γὰρ ὃ λ.] Parmen. p. 137. A. ὅμως δέ — δεῖ γὰρ χαρίζεσθαι, ἐπειδὴ καὶ ὁ Ξήνων λέγει — αὐτοὶ γὰρ ἐσμέν. Aristoph. Lysist. v. 144. ὅμως γε μάν· δεῖ τᾶς γὰρ εἰράνας μάλ' αὖ. Proxima sic interpretamur: si qua ratio et ars est huius perturbationis placide ex hoc sermone nostro amovendae (sed ταραχὴ ipsa tanquam dea aliqua dicitur εὐμενῶς πως ἔξω τοῦ λόγου ἀπελθεῖν), viae autem alicuius haccce pulcrioris ad disputationem inveniendae, tu id lubenter ac parato animo facias. — οὐ γὰρ σμικρός, h. e. χαλεπός; v. ad Phaedon. p. 62. B. Euthydem. p. 275. D. Cratyl. p. 384. B. ubi item, τὸ περὶ τῶν ὀνομάτων οὐ σμικρὸν τυγχάνει ὂν μάθημα.

B. ὦ παῖδες, ὡς φησιν ὑμᾶς πρ.] Blanda haec fuisse videtur Philebi alloquutio, qua reliquos adolescentes, fortasse ipso aliquanto iuniores, salutabat, pro ὦ νεανίαι. conf. p. 15 A. et infra p. 36. D. ubi plura

λίω ταύτης ἐπὶ τὸν λόγον ἀνευρεῖν, σύ τε προθυμοῦ B
τοῦτο καὶ ἡμεῖς συνακολουθήσομεν εἰς δύναμιν· οὐ
γὰρ σμικρὸς ὁ παρὼν λόγος, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Οὐ γὰρ οὖν, ὦ παῖδες, ὥς φησιν ὑμᾶς
προσαγορεύων Φίληβος. οὐ μὴν ἔστι καλλίων ὁδὸς
οὐδ' ἂν γένοιτο, ἧς ἐγὼ ἐραστὴς μέν εἰμι ἀεί, πολ-
λάκις δέ με ἤδη διαφυγοῦσα ἔρημον καὶ ἄπορον κα-
τέστησε.

ΠΡΩ. Τίς αὕτη; λεγέσθω μόνον.

ΣΩ. Ἦν δηλῶσαι μὲν οὐ πάνυ χαλεπόν, χρῆ- C
σθαι δὲ παγχάλεπον. πάντα γὰρ ὅσα τέχνης ἐχόμε-
να ἀνευρέθη πώποτε, διὰ ταύτης φανερὰ γέγονε.
σκόπει δὲ ἣν λέγω.

ΠΡΩ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε

B, οὐδ' ἂν γένοιτο] γίγνοιτο vett editt., quod ex Bodl. Vat. Ven. *II.* correctum.

C. ἀνευρέθη πώποτε] Sic Bodl. Vat. Ven. *II.* Male vulgo ἂν εὑρεθῇ πώποτε. Paullo ante χρῆναι Bodl.

πολλάκις δέ με ἤδη διαφ.] H. e. ἡ δὲ ἤδη δ. vel πολλάκις δὲ αὐτή με δ. v. ad Sympos. p. 201. B. Gorg. p. 496. B. Sed dixit de relativo pronomine pariter atque de aliis nominibus cum verbis diversae constructionis copulari solitis A. Matthiae Gr. §. 428. 2. b. Hic illud tantum admonuisse iuvabit, etiam in proximis, pro ἧ δὲ χρῆσθαι παγχάλεπόν ἐστι, scriptum esse χρῆσθαι δὲ παγχάλεπον. Pro ἔρημον καὶ ἄπορον κατέστησε poterat etiam dici εἰς ἐρημίαν καὶ ἀπορίαν κατέστησε. Sophist. p. 283. D. ὅτι καὶ τὸν ἐλέγχοντα εἰς ἀπορίαν καθίστησι τὸ μὴ ὄν. Phaedr. p. 232. D. εἰς ἐρημίαν φίλων καθιστᾶσιν.

C. ὅσα τέχνης ἐχόμενα ἀνευρέθη πώποτε] omnia quae unquam inventa sunt ad artem pertinentia et cum ea coniuncta. Frequens est dictio ἔχεσθαί τινος vel ἐχόμενόν ἐστί τινος, cuius exempla sunt De Rep. V. p. 526. C. Lach. p. 182. C. Politic. p. 289. A. Legg. V. p. 734. D. Theaet. p. 145. A. Alia si cupis, adi quaeso Hemsterhus. ad Plut. p. 472. et quos laudavimus ad Lachet. l. c.

Θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις —] Solet philosophus maxima quaeque vitae humanae bona ad divinam referre originem. Hinc De Rep. IV. p. 411. E. musicam et gymnasticam vult ab aliquo deorum mortalibus esse donatam. Hinc in Protagora et Politico p. 274. B. sqq. quaecunque ad vitam sustentandam feliciterque degendam pertineant, deorum be-

καταφαίνεται ἐμοί, ποθὲν ἐκ θεῶν ἐρρύφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί· καὶ οἱ μὲν

φανοτάτῳ τινὶ π.] V. *φανωτάτῳ*, quod correctum ex plurimis optimisque codicibus. Mox permulti libri, sed ii fere ignobi-

nignitati accepta referri statuit. Hinc igitur etiam artem dialecticam, qua genera rerum atque formae tum secernantur tum coniungantur, de coelo demissam esse arbitratur, et quidem per Prometheum aliquem, hoc est, per aliquem, qui similiter atque ille igne in terras deferendo de genere humano meritus sit, siquidem in maximis beneficiis numerari debeat, quod artis dialecticae usum teneamus. Dicti huius multi rationem habuerunt: veluti Iulianus Orat. VI. p. 183. C. *ἡ τῶν θεῶν εἰς ἀνθρώπους δόσις ἅμα φανοτάτῳ πυρὶ διὰ Προμηθέως ἐξ Ἡλίου μετὰ τῆς Ἑρμοῦ μερίδος οὐχ ἕτερόν ἐστι παρὰ τὴν τοῦ λόγου καὶ νοῦ διανομήν.* Damascius apud Suidam in v. *Λῶρος* —: *εἰς τὴν διὰ Προμηθέως τινὸς ἅμα φανοτάτῳ πυρὶ καταπεμφθεῖσαν διαλεκτικήν, αὐτοψίαν καθαρωτάτην τε οὐσαν νοῦ καὶ φρονήσεως ἀναδραμεῖν.* Numenius ap. Euseb. Praep. Ev. XI. p. 539. A. *διὸ καὶ ὁ Πλάτων τὴν σοφίαν ὑπὸ Προμηθέως ἐλθεῖν εἰς ἀνθρώπους μετὰ φανοτάτῳ τινὸς πυρὸς ἔφη.* Iamblich. Myster. Aegypt. III. c. X. p. 71. Synes. Epist. CXXXVII. p. 274. C. Indicavit haec ex parte Wyttenbach. ad Plutarch. De Fortuna p. 99. C. cuius loci color item hinc ductus est. Et haec quidem de loco universo: pergimus ad rimanda singula. Hic vero primum observandum est, *θεῶν δόσις εἰς ἀνθρώπους* dici pro usitatiore *θεῶν δόσις ἀνθρώποις*, de quo nunc satis erit consuluisse A. Matthiae Gr. Gr. §. 390. et

quae nos scripsimus ad Euthyphron. p. 13. D. et 15. A. Dein *ἐκ θεῶν ποθὲν* nihil sane discrepat ab illis Phaedr. p. 244. C. *παλαιῶν ἐκ μηνιμάτων ποθέν*. Reip. VIII. p. 560. A. *ἢ ποθὲν παρὰ τοῦ παιρὸς*. Ibid. p. 544. E. *ἐκ δρυὸς ποθέν*. quae iam olim comparavimus. Sophist. p. 246. B. *ἄνωθεν ἐξ ἀοράτου ποθὲν ἀμύνονται*. Atque eodem pertinet, quod legitur infra p. 44. D. *ἀρχομένους ποθὲν ἄνωθεν*. Porro *ἐρρύφη* idem est quod *κατερρύφη*, *κατεπέμφθη*, quo non perspecto Schützius corrigebat, *εἰ μὴ ποθὲν ἐκ θεῶν ἐρρύφη*, futili sane commento. Denique *ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί* improprie intelligendum. Nam *πῦρ φανότατον* intelligitur lumen rationis arte dialectica tanquam accensum mentibus hominum atque allatum. Verum pervidit Clemens Alexandrinus Protreptico p. 2. C. *κατάγωμεν δὲ ἄνωθεν ἐξ οὐρανῶν τὴν ἀλήθειαν ἅμα φανοτάτῃ φρονήσει*. Ceterum prave vulgo *φανωτάτῳ*. Suidas: *Φανάς· φαεινός, κατὰ συγκοπήν*. Primam igitur syllabam producit.

καὶ οἱ μὲν παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν —] Priscae aetatis homines, quippe qui ab ortu rerum omnium atque adeo divina progenie propius abessent, talia posteris prodere certius potuisse, Plato iuxta cum aliis philosophis statuit; scilicet ad traditionem maiorum in rebus dubiis atque incompertis provocare solitus. Neque vero *οἱ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες* sunt qui utebantur diis familiariter, ut interpretantur

παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ

liores, *φήμῃ παρέδοσαν.* Ante *πολλῶν* ex Bodl. Vat. Ven. *Π. ἐν* accessit, quod vett. editt. ignorant.

Baumgarten-Crusius in Actis Semin. Reg. et Societ. Phil. Lips. ed. a Chr. Dan. Beckio Vol. I. p. 40. et Im. G. Huschkius Annal. Litter. p. 332. sed qui illis erant ortu suo propiores, ut recenti veri rectique sensu pollerent, et quid verum esset facilius sentirent atque acutius cernerent. Nam non solum filiis deorum, sed etiam hominibus aetate diis propioribus singularis tribuitur sapientia. Platonis mentem egregie patefacit Cicero, qui Tuscul. I, 12. antiquitas, inquit, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat. Idem. Legg. II. 11, 27. Iam ritus familiae patrumque servare, id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a diis quasi traditam religionem tueri. Iam audi ipsum Platonem, et facile senties, quo iure Huschkius quidem illam sententiam suam tantopere iactaverit. Timaeo p. 40. D. *περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰπεῖν καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς, πειστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν θεῶν οὖσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τούς γε αὑτῶν προγόνους εἰδόσιν.* De Rep. III. p. 388. B. *μηδὲ Πρίαμον ἐγγὺς θεῶν γεγονότα λιτανεύοντα.* Ibid. p. 391. E. *ὡς ἄρα τοιαῦτα πράττουσί τε καὶ ἐπράττον καὶ θεῶν ἀγχίσποροι — ὧν ἕνεκα παυστέον τοὺς τοιούτους μύθους.* Quo loco quid sit *θεῶν ἀγχίσποροι*, satis dilucide explicatur versu, *οὔ πώ σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων*: intelliguntur igitur, in quibus vis divina nondum gravius exoluisset. Denique vide, quae de his rebus ad Remp. p. 391. A. et Tim. p. 40. E. alio tempore commentati sumus: — Pro *ταύτην φήμην παρέδοσαν* ne quis requirat *ταύτην τὴν φήμην παρέδοσαν*. Nam recte omittitur articulus, quia *ταύτην* est subiectum, *φήμην* praedicatum, ut etiam sic dici potuerit: *τοῦτο ὡς φήμην τινὰ παρέδοσαν.* Sic Protagor. p. 341. E. *τῷ θεῷ τοῦτο γέρας ἀπένειμεν.* ubi v. ann. Infra p. 65. D. *εὐσκεπτόν γε καὶ ταύτην σκέψιν προβέβληκας.* Apolog. p. 18. A. p. 24. B. al. — Dein *ὡς — ὄντων — ἐχόντων* post *φήμην παρέδοσαν* loco accusativi cum infinitivo infertur; unde mirum non est, quod facta constructionis mutatione hic ipse infinitivus inde a *δεῖν οὖν ἡμᾶς κ. τ. λ.* usurpatur. Prorsus eodem modo Legg. I. p. 624. A. 626. A. Charmid. p. 164. D. Omnino autem de *ὡς* cum participii casu secundo post verba alias accusativum cum infinitivo regentia v. Phaedr. p. 244. C. Euthyd. p. 273. E. Cratyl. p. 439. C. Legg. I. p. 644. B. IV. p. 722. E. VI. 755. A. XII. p. 964. E. Reip. IV. p. 437. A. Theaet. p. 158. B. Phaedon. p. 94. E. Alia praeterea dabit Matthiae Gr. §. 569. Atque hinc sponte intelligetur, quo iure Schützius olim *ὄντων* deleri ac pro *δεῖν* infinitivo *δεῖ* indicativum restitui iusserit. Itaque locum sic interpretamur: prisci illi homines hanc nobis

ἐκ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν αὐτοῖς ξυμφυτὸν ἐχόντων. δεῖν οὖν
D ἡμᾶς τούτων οὕτω διακεκοσμημένων ἀεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν· εὑρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν· ἐὰν οὖν μεταλάβωμεν, μετὰ μίαν δύο, εἴ πως εἰσί, σκοπεῖν, εἰ δὲ μή, τρεῖς ἢ τινα ἄλλον ἀριθμόν, καὶ τῶν ἓν ἐκείνων ἕκαστον πάλιν ὡσαύ-

D. θεμένους ζητεῖν] Vitiose Bodl. Vat. Ven. *II.* ζητῶν.
ἐὰν οὖν μεταλάβωμεν] Libri omnes *μεταλάβωμεν*, quod mutavit Stephanus in *καταλάβωμεν*.

famam tradiderunt, quaecunque dicantur esse, ea ex uno et multis constare, atque finem et infinitatem in se innatam habere. *Πέρας* facile patet intelligi genus, quo formae et res individuae comprehenduntur; *ἀπειρίαν* autem infinitas partes atque res singulas eius notioni subiectas; id quod ex proxima disputatione clarissime intelligetur.

D. *εὑρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν*] Int. *αὐτῷ s. παντί.*
ἐὰν οὖν μεταλάβωμεν] Codd. omnes cum Ald. Bas. 1. 2. *μεταλάβωμεν* scriptum habent, pro quo Stephanus nescimus quo auctore *καταλάβωμεν* dedit. Sed non est cur librorum scripturam spernamus. Nam sententia haec est: si igitur eius participes facti simus s. si eam nacti simus et acceperimus. Dein post *ἐάν* quod *εἰ δὲ μή* infertur, solemnis est ea ratio et prope legitima. Exempla rei sunt Protag. p. 311. D. Gorg. p. 470. A. 481. A. Sympos. p. 185. D. Phaed. p. 93. B. Reip. VII. p. 540. C. Charmid. p. 157. C. Lysid. p. 210. D. ubi v. annotat.

καὶ τῶν ἓν ἐκείνων ἕκαστον ὡσαύτως] Locus aperte mendosus quomodo emendandus sit, vehementer dubitatur. Sententia Socratis haec est. Censet ille primum quidem quaerendam esse generalem notionem eius rei, quae sit ad pervestigandum proposita. Qua inventa post unam duas, si forte reperiri queant, sin minus, tres aut quattuor aut alium numerum vult investigari. Tum vero singulas notiones hac ratione inventas pari modo dividendas et explorandas esse praecipit, usque dum, quod tanquam unum antea fuerit positum, non tantum unum et multa esse intellexeris, sed etiam exploratum habeas, quot illud partes et formas complectatur. Et postrema quidem sententiae huius pars his ipsis verbis declaratur, de quarum scriptura ambigitur. Ea igitur Schützius sic mutari iussit, ut *τὸ* in locum *τῶν* sufficiendum statuerit; speciose sane, nec tamen vere. Nam vix quisquam dixerit, quaenam ita vis articuli sit, etiamsi mox sequitur *τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων*. Quocirca Schleiermacherus scribi iussit *καὶ τῶν ἐνόντων ἐκείνων ἕκαστον*. Verum id vel audaciae nomine displicet. Lenius igitur nos olim tentavimus *καὶ τῶν ἐξ ἐκείνων ἕκαστον*. Nec tamen id postea quoque nobis omni ex parte satisfecit, praesertim quum ita *ἐκείνου* requiri videatur. Dicam

τως, μέχρι περ ἂν τὸ κατ' ἀρχὰς ἓν μὴ ὅτι ἓν καὶ πολλὰ καὶ ἄπειρά ἐστι μόνον ἴδῃ τις, ἀλλὰ καὶ ὁπόσα· τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προσφέρειν, πρὶν ἄν τις τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ πάντα κατίδῃ τὸν μεταξὺ τοῦ ἀπείρου τε καὶ τοῦ ἑνός· τότε δ' ἤδη τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων εἰς τὸ ἄπειρον μεθέντα χαίρειν ἐᾶν. οἱ μὲν οὖν θεοί, E

τότε δ' ἤδη τὸ ἓν] τότε δὴ δεῖ Bodl. Vat. Ven. *II.* sed *v.* interpretat. Vulgat. lectionem Vat. teste Bastio in marg. annotatam habet.

igitur quod nunc sentio. Proxime ad illam rationem nostram accessit Astius, qui τῶν ἐν ἐκείνῳ correxit, idque putamus unice verum esse. Nam quum scriptura librorum paene nihil mutata sit, siquidem ex ἐκείνωι, quod iota non subscriptum, sed adscriptum haberet, facillime per errorem oriri potuit ἐκείνῳ ν, tum sententia verborum ita fit protenus clara, recta, dilucida. Etenim τῶν ἐν ἐκείνῳ ἕκαστον est unaquaeque species atque forma in illo (τῷ παντί) comprehensa. Has igitur Socrates pariter censet ita perquirendas et rimandas esse, ut continuata earum pervestigatione denique numerus formarum summo generi subiectarum iniri queat.

μέχρι περ ἂν — καὶ ὁπόσα] H. e. usque dum summum genus initio positum non tantum videat unum esse et multa et infinita, sed etiam intelligat, quot formas ac species illud sibi subiectas habeat. De μὴ ὅτι seq. ἀλλὰ καί v. ad Sympos. p. 207. E. Praeterea illud animadversione dignum est, quod καὶ ὁπόσα non potest ad τὰ ἄπειρα referri, sed tantummodo ad τὰ πολλὰ pertinet. Nam si vera sunt, quae de his rebus in Prolegomenis exposuimus, τὰ πολλὰ dicuntur formae et partes generis, quarum numerum philosophus accurate definiri vult; τὰ ἄπειρα autem sunt res singulae, quarum tam infinita copia est, ut singula percenseri ac dinumerari nullo modo possint. Itaque facile aliquis in eam deveniat opinionem, ut istud καὶ ἄπειρα eiiciendum censeat. Verum tuentur illud verba proxima, τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν κ. τ. λ. Quocirca sic est existimandum, ut scriptorem hic putemus primum quidem universe loquutum esse ideoque addidisse καὶ ἄπειρα; tum autem sententiam suam definivisse subtilius, subiunctis his, τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν κ. τ. λ. quae Latine licet cum superioribus hoc fere modo coniungere: quamquam infiniti speciem non prius ad multitudinem illam, h. e. ad summum genus eiusque omnem formarum ambitum, adhiberi licere, quam quis numerum eius universum perspexerit infinito atque uni interiectum.

E. τότε δ' ἤδη τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων —] *ac tunc demum* unum quodque omnium illorum, quae explorata sunt formarum pervestigatione instituta, ad infinitum esse dimittendum.

ὅπερ εἶπον, οὕτως ἡμῖν παρίδοσαν σκοπεῖν καὶ μανθάνειν καὶ διδάσκειν ἀλλήλους· οἱ δὲ νῦν τῶν ἀν-
17 *θρώπων σοφοὶ ἓν μέν, ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλὰ θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα εὐθύς, τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει· οἷς διακεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους.*

P. 17. *σαφέστερον δέομαι*] Hunc ordinem verborum

Pro *τότε δ' ἤδη* tres optimi libri *τότε δὴ δεῖ*, quod receperunt Turicenses. Male, si quid iudicare possumus. Nam primum quidem illud *τότε δ' ἤδη* tanquam fortius ac ponderosius ipsi sententiae longe est accommodatius, quam exile istud *τότε δή*. Deinde orationem aliunde suspensam hic quoque continuari, satis aperte indicant quae subsequuntur, *οἱ μὲν οὖν θεοί, ὅπερ εἶπον*, κ. τ. λ. quibus iam tandem narrationem de voluntate et institutione divina finitam esse significatur. Denique illud *δεῖ* speciem glossematis prae se fert, aut potius praeposterae correctionis. Repetendum enim hic quoque ex superioribus est *δεῖν*; quod qui moleste ferrent, istud suum emplastrum vulneri opinato imposuerunt. De sententia conf. Polit. p. 262. A. B. C. Sophist. p. 266. A. B.

P. 17. *ἓν μέν, ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλὰ θᾶττον* —] Hoc dicit: nostri autem sapientes universam rerum notionem atque singulas eius formas, sive unum et multa, sicuti fors fortuna fert, et iusto festinantius et vero etiam tardius conficiunt s. ponunt, atque post unum statim infinita. Recte etiam *τὰ πολλὰ* memorat; nam ea ipsa quoque fiunt *ἕν*, quatenus iis tanquam generibus rursus aliae partes ac formae subiectae sunt. Itaque levis traiectio, sive *ὑπέρβατον*, verborum *ὅπως ἂν τύχωσι* hic notanda est, quam Latino sermone sic expresseris: nostri autem sapientes *unum*, ut fors fortuna fert, et vero etiam multa modo citius modo tardius ponunt. Enimvero *καὶ πολλά* addit, quia post *ὅπως ἂν τύχωσιν* subiecturus erat *θᾶττον καὶ βραδύτερον*, quod additamentum sine illa accessione vix potuit intelligi. Nunc vero quorsum illud spectet, in aprico est. Nam tardius in harum rerum tractatione versantur, dum prae socordia non iusta via procedunt, usque dum revera omnia explorata sint; festinantius autem agunt, quum opera tumultuaria transiliunt in dividendo, quae non debent praetermitti. Veram esse hanc loci interpretationem, plane evincunt quae infra p. 17. B. exempli caussa afferuntur. Nam ibi Socrates, quid ad musici nomine suo digni laudem pertineat, vocis exemplo demonstraturus non satis esse ait, ut quis vocis tanquam generis notitiam habeat, aut ut sciat tria esse sonorum genera, gravem, acutum et consonum: sed accede-

Cap. VII. *ΠΡΩ. Τὰ μέν πως, ὦ Σώκρατες, δοκῶ σου μανθάνειν, τὰ δὲ ἔτι σαφέστερον δέομαι ἃ λέγεις ἀκοῦσαι.*

ΣΩ. Σαφὲς μήν, ὦ Πρώταρχε, ἐστὶν ἐν τοῖς γράμμασιν ὃ λέγω, καὶ λάμβανε αὐτὸ ἐν τούτοις οἷσπερ καὶ πεπαίδευσαι. B

ΠΡΩ. Πῶς;

praestant Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *δέομαι σαφέστερον.*

re etiam oportere hoc, ut numeros sonorum et intervallorum omnes variasque eorum coniunctiones cognitas habeat. Hic igitur praeter summum vocis genus etiam formae quaedam ei subiectae memorantur, quae sunt illa ipsa *πολλά*. Verum eae non efficiunt plenam accuratamque generis divisionem, ideoque magno sane argumento sunt, qui fieri possit, ut in pervestigandis generibus, prouti casus fert, vel tardius vel festinantius agatur. His ita expositis supervacaneum putamus varias interpretum de his verbis opiniones percensere. Nolumus enim aliorum somnia interpretari.

οἷς διαχεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς —] Pronomen *οἷς* non tantum ad postremum orationis membrum refertur, verum etiam ad antecedentia spectat. Itaque post *ἐκφεύγει* loco commatis pleniorem feci verborum distinctionem. His rebus continetur rursus, inquit, discrimen inter dialecticam et eristicam disputandi rationem. Politic. p. 276. D. *ᾗ τε τὸν θεῖον ἄν που διειλόμεθα νομέα χωρίς, καὶ τὸν ἀνθρώπινον ἐπιμεληιῆν.* Demosthen. T. II. p. 1109. 15. ed. Reisk. *πλεῖστον δὲ δήπου κεχώρισται τό τ' εἶναι καὶ τὸ τούτων φάσκειν.* conf. annot. ad p. 44. A. ubi similia congessimus. Pro *πάλιν* quod Heusdius Specim. Crit. p. 100. requirebat *ἔμπαλιν*, ea mutatione non opus esse putamus. Eristicam Plato etiam aliis locis monet diligenter a dialectica segregandam esse, veluti Sophist. p. 253. C. coll. p. 216. B. 231. E.

Τὰ μέν πως, ὦ Σώκρ., δοκῶ σου μ.] Ad haec iam olim comparavimus Gorg. p. 488. C. *οὐδὲ γάρ τοι τότε οἷός τ' ἦν μαθεῖν σου, τί ποτε λέγεις*; ibid. p. 517. C. *ἀγνοοῦντε ἀλλήλων, ὅ τι λέγομεν.* De Rep. IV. p. 432. E. *ὡς δοκοῦμέν μοι — οὐ μανθάνειν ἡμῶν αὐτῶν, ὅτι ἐλέγομεν τρόπον τινὰ αὐτό.*

Σαφὲς μήν, ὦ Πρ.] Evidens *vero*, o Protarche, res erit in litterarum elementis, ac percipe eam exemplo earum rerum, quibus tu quoque institutus et eruditus es. In his *μήν* non erat sollicitandum, quod saepe sic in responsionibus usurpari solet. Quae res est notior, quam ut exemplis demonstranda videatur. Praepositio *ἐν* in his: *ἐν τοῖς γράμμασιν*, significat rem, in qua rei rationem cernere et cognoscere licet; Germanice dixeris: Deutlich ist das, was ich meine, *an* den Buchstaben. Xenoph. Hist. Gr. VII. 1, 6. *ἐν τούτοις εὔδηλον.* Atque eodem modo vocula istel-

ΣΩ. Φωνὴ μέν ἐστί που μία διὰ τοῦ στόματος ἰοῦσα, καὶ ἄπειρος αὖ πλήθει, πάντων τε καὶ ἑκάστου.

ΙΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Καὶ οὐδὲν ἑτέρῳ γε τούτων ἐσμέν πω σοφοί, οὔθ' ὅτι τὸ ἄπειρον αὐτῆς ἴσμεν οὔθ' ὅτι τὸ

B. *Φωνὴ μέν ἐστί που μία*] Vulgo post *μέν* interponitur *ἡμῖν*, quod cum Bodl. Vat. Ven. *II.* extrusi.

ligenda est in his: *λάμβανε αὐτὸ ἐν τούτοις*. Sic etiam infra p. 18. B. *πάλιν δὲ ἐν γράμμασι τὸ νῦν λεγόμενον λάβωμεν*. P. 29. B. *ἐν ἑνὶ δὲ λαβὼν περὶ πάντων νόει ταὐτόν*. et p. 21. A. *οὐκοῦν ἐν σοὶ πειρώμεθα βασανίζοντες ταῦτα*. De Rep. III. p. 392. D. *πειράσομαί σοι ἐν τούτῳ δηλῶσαι ὃ βούλομαι*. Menon. p. 82. B. *ἵνα ἐν τούτῳ σοι ἀποδείξωμαι*. Alcibiad. I. p. 114. D. *ἐν ἐμοὶ ἐμμελέτησον καὶ ἐπιχείρησον ἐπιδεῖξαι*. Sophist. p. 238. D. *οὐδὲν δεῖ τὸ σαφέστερον ἐν ἐμοὶ σκοπεῖν*. Phaedr. p. 229. E. *ἐν σοὶ ἐγγυμνασάμενος*. Ibid. p. 262. C. *ἐν οἷς ἡμεῖς εἰσόμεν ἰδεῖν*. Xenoph. Cyrop. I. 6, 29. *καὶ ἐξαπατᾶν δὲ καὶ πλεονεκτεῖν οὐκ ἐν ἀνθρώποις ἐπαιδεύσαμεν ὑμᾶς, ἀλλ' ἐν θηρίοις*. Iam vero non opus est ante *οἷσπερ* mente et cogitatione rursus repetere *ἐν* praepositionem. Nam *παιδεύειν* etiam cum simplici dativo eius rei, in qua quis instituitur, coniungi solet. De Rep. IV. p. 430. A. *ὅτε ἐξελεγόμεθα τοὺς στρατιώτας καὶ ἐπαιδεύομεν μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ*. Ibid. VII. p. 521. D. *γυμναστικῇ καὶ μουσικῇ ἔν γε τῷ πρόσθεν ἐπαιδεύοντο ἡμῖν*. De usu voc. *καὶ* contulisse non erit inutile Xenoph. Mem. II. 1, 10. *ἔρχονται δὲ τῶν Ἑλλήνων, ἐν οἷς καὶ αὐτὸς εἶ*. Germanice dixeris: worinn du ja eben auch unterrichtet bist.

B, *Φωνὴ μέν ἡμῖν ἐστί που* —] Rem duobus illustrat exemplis, quorum altero docetur, nihil ad scientiae subtilitatem prodesse, si cui generis tantum atque rerum singularum sive infinitorum aliqua notitia comparata sit; altero ostenditur, nec sufficere ad illam, generis et paucarum formarum (*πολλῶν*) cognitionem. Ex quo perspicuum fit, cur duo rei exempla in medium afferantur. Dein *Τί μήν*; idem est quod *τί μὴν ἄλλο*; diciturque sic, ut affirmandi vim et significationem habeat. Rei exempla ex hoc uno libro attulisse iuvabit haec: pag. 23. E. 26. A. 27. A. 33. A. E. 34. A. E. 38. E. 39. E. 40. B. 41. D. 43. C. 48. B. C. 54. D. 57. D. 59. E. Semel tamen positum est aliter p. 44. B. ubi v. ann.

Καὶ οὐδὲν ἑτέρῳ γε τούτων —] Atqui neutro istorum iam ullius rei periti existimus, neque eo, quod novimus infinitam esse eius multitudinem, neque eo, quod eius genus aliquod tenemus; sed illud demum, ut quot et qualia in eo insint, h. e. ut quot et quales vocis humanae formae reperiantur, exploratum habeamus, hoc igitur demum est quod quemque

ἔν· ἀλλ' ὅτι πόσα τέ ἐστι καὶ ὁποῖα, τοῦτ' ἔστι τὸ γραμματικὸν ἕκαστον ποιοῦν ἡμῶν.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα.

ΣΩ. Καὶ μὴν καὶ τὸ μουσικὸν ὃ τυγχάνει ποιοῦν, τοῦτ' ἔστι ταὐτόν.

ΠΡΩ. Πῶς;

Καὶ οὐδὲν ἑτέρῳ γε τ.] Bodl. et Vat. a sec. man. οὐδ' ἕν. Pro ἑτέρῳ vulgo erat ἑτέρων, quod solus agnoscit Par. E.

Καὶ μὴν καὶ τὸ μουσικὸν] τὸν Steph. cum Par. B.

nostrum grammaticae peritum efficiat. Non opus est, ut οὐδετέρῳ refingatur. Nam quae in οὐδέν inest vis negandi, ea etiam ad ἑτέρῳ pertinere existimari debet, perinde ac si scriptum legatur: οὐδετέρῳ γε τούτων ἐσμέν πω σοφοί τι. Omnino enim tenendum est οὐδέν per quoddam genus attractionis dicam an breviloquentiae sic usurpari solere, ut pro οὔ τι dicatur, ita quidem, ut negatio, etiamsi aliorsum pertineat, tamen istud τι tanquam secum traxisse iudicanda sit, ideoque in οὐδέν esse commutata. Pertinet huc locus Charmid. p. 168. D. ἄχρων γὰρ ὄψις οὐδὲν μή ποτε ἴδῃ, h. e. ὄψις γὰρ οὐ μή ποτε ἴδῃ ἄχρων τι. Quod qui aliter interpretari conatus est Sauppius Epist. crit. ad G. Hermannum p. 72. is perperam sibi persuasit οὐδὲν μή pro simplici οὐ μή usurpari, ut nec οὐδὲν ex ἴδῃ suspensum putari oporteat. Nimirum istum usum nec ea firmant, quae collegerunt Engelhardt. Obss. in Demosth. p. 46. et Hermann. ad Iphigen. Taur. v. 886. Locum Plat. Sympos. p. 214. A. ὁπόσον γὰρ ἂν κελεύῃ τις, τοσοῦτον ἐκπιὼν οὐδὲν μᾶλλον μή ποτε μεθυσθῇ, manifestum est sic explicari oportere: οὐ μή ποτε μεθυσθῇ μᾶλλόν τι, quo intellecto caussa in promtu erit, cur οὐδὲν μή dictum sit. Eadem ratio est Xenoph. Hellen. I. 6, 32. Καλλικρατίδας δὲ εἶπεν, ὅτι ἡ Σπάρτη οὐδὲν μὴ κάκιον οἰκεῖται (l. οἰκιεῖται); ubi οὐδὲν μὴ κάκιόν idem est atque οὐ μὴ κάκιόν τι. Nec aliter accipimus illa Demosthen. Phil. II. §. 24. ἐὰν οὖν ταύτην σώζητε, οὐδὲν μὴ δεινὸν πάθητε, quae nescio qua intemperie agitatus Sauppius sic dicta esse censet, ut οὐδὲν μή rursus pro simplici οὐ μή positum arbitretur. Imo verissime Voemelius ea pervidit sic explicari oportere: οὐ μὴ πάθητε δεινόν τι. Sic etiam Demosth. adv. Aristocrat. p. 680. 22. ed. Reisk. ἔρχῳ πεῖραν ἔχων, ὅτι τῶν πρὸς ὑμᾶς οὐδὲν μὴ δυνηθῇ πρότερον λῦσαι, πρὶν ἂν ἐκβάλῃ τούτους, i. e. ὅτι οὐ μὴ δυνηθῇ τι τῶν πρὸς ὑμᾶς πρότερον λῦσαι κ. τ. λ. — Post ἀλλ' ὅτι πόσα — ὁποῖα, repetendum est ἴσμεν. — De πόσα interrogativo cum ὁποῖα relativo consociato v. infra p. 27. D. et ad Criton. p. 48. A. Gorg. p. 500. A. Alia rei exempla suppeditabit Lobeckius ad Phrynich. p. 57. Ceterum γραμματικός etiam Sophist. p. 253. A. al. vocatur is, qui varios litterarum sonos recte discernere et coniungere sciat. v. ad p. 18. D.

τὸ μουσικὸν ὃ τυγχάνει ποιοῦν] H. e. musicae ar-

C ΣΩ. Φωνὴ μέν που καὶ τὸ κατ' ἐκείνην τὴν τέχνην ἐστὶ μία ἐν αὐτῇ.

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Δύο δὲ θῶμεν, βαρὺ καὶ ὀξύ, καὶ τρίτον ὁμότονον. ἢ πῶς;

ΠΡΩ. Οὕτως.

ΣΩ. Ἀλλ' οὔπω σοφὸς ἂν εἴης τὴν μουσικὴν

C. καὶ τὸ κατ' ἐκείνην τὴν τ.] In Bodl. Vat. Ven. *Π.* deest *καὶ τό.* v. interpretat.

tis vere peritum. Qui qualis esse debeat, similiter atque hoc loco exponitur etiam Sophist. p. 253. B. Legg. VII. p. 802. B.

C. *Φωνὴ μέν που καὶ τὸ κατ' ἐκείνην τὴν τ.*] Int. ex superioribus *μουσικήν*, notissima loquendi ratione. Proxima Heindorfius refugebat sic: *κατ' ἐκείνην τὴν τέχνην ἐστὶ καὶ ἐστὶ μία ἐν αὐτῇ*, quem sequutus est in vertendo Schleiermacherus: Die Stimme ist es doch auch, was iene Kunst ausmacht, und ist nur Eine in ihr. Et sane ita istud *ἐν αὐτῇ* fit paullo tolerabilius. Sed prorsus intolerabile evadit, ubi cum Turicens. ex tribus codd. praestantissimis scripseris *που κατ' ἐκείνην τὴν τ.* omissis vocibus *καὶ τό.* Nam hae profecto aliquid momenti faciunt ad leniendam structurae duritiem, siquidem *καὶ τὸ κατ' ἐκείνην τὴν τέχνην* est: etiam quod ad illam artem attinet, ut tanquam sententiam intermediam quandam afferre videatur, cui illud *ἐν αὐτῇ* accommodatum sit.

βαρὺ καὶ ὀξύ, καὶ τρίτον ὁμότονον] H. e. aequaliter intentum ideoque eandem rationem habens, quae est 1 : 1. Sympos. p. 187. A. *ἀλλ' ἴσως τῶδε ἐβούλετο λέγειν* (Heraclitus) *ὅτι ἐκ διαφερομένων πρότερον τοῦ ὀξέος καὶ βαρέος, ἔπειτα ὕστερον ὁμολογησάντων γέγονεν ὑπὸ τῆς μουσικῆς τέχνης (ἡ ἁρμονία).* Lucian. Prometh. T. I. p. 24. ed. Bip. *ὥστε τὸ τῶν μουσικῶν τοῦτο, δὶς διὰ πασῶν, εἶναι τὴν ἁρμονίαν ἀπὸ τοῦ ὀξυτάτου ἐς τὸ βαρύτατον.* In proximis *ὥς γ' ἔπος εἰπεῖν* rursus iunge cum *οὐδενὸς ἄξιος*; v. ad p. 14. A. D. Praeterea conferas Apolog. Socr. p. 23. B. *ὅτι οὐδενὸς ἄξιός ἐστι τῇ ἀληθείᾳ πρὸς σοφίαν.* Infra p. 19. B. *οὐδεὶς εἰς οὐδὲν οὐδενὸς ἂν ἡμῶν οὐδέποτε γένοιτο ἄξιος.*

Ἀλλ', ὦ φίλε, ἐπειδὰν λάβῃς —] *Διαστήματα τῆς φωνῆς* sunt vocis intervalla, quibus varii soni definiuntur; sive, ut Euclidis verbis utamur, *διάστημά ἐστί τι περιεχόμενον ὑπὸ δύο φθόγγων ἀνομοίων ὀξύτητι καὶ βαρύτητι.* v. Bulliald. ad Theon. 248. Horum ipsorum vero termini, quibus inter se discernenda sunt, vocantur *ὅροι τῶν διαστημάτων τῆς φωνῆς.* De Rep. VII. p. 531. A. *τὰς γὰρ ἀκουομένας αὖ συμφωνίας καὶ φθόγγους ἀλλήλοις ἀναμετροῦντες* (musici) *ἀνήνυτα, ὥσπερ οἱ ἀστρονόμοι, πονοῦσι. Νὴ τοὺς θεούς, ἦφη, καὶ γε-*

εἰδὼς ταῦτα μόνα· μὴ δὲ εἰδὼς ὥς γε ἔπος εἰπεῖν εἰς ταῦτα οὐδενὸς ἄξιος ἔσει.

ΠΡΩ. Οὐ γὰρ οὖν.

ΣΩ. Ἀλλ', ὦ φίλε, ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος, καὶ ὁποῖα, καὶ τοὺς ὅρους τῶν διαστημάτων, καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅσα συστήματα γέγονεν, ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν D

μὴ δὲ εἰδὼς] V. μὴ εἰδὼς δέ. Bodl. Vat. Ven. Π. μὴ δὲ εἰδώς.

λοίως γε, πυκνώματ' ἄττα ὀνομάζοντες καὶ παραβάλλοντες τὰ ὦτα, οἷον ἐκ γειτόνων φωνὴν θηρευόμενοι, οἱ μέν φασιν ἔτι κατακούειν ἐν μέσῳ τινὰ ἠχὴν καὶ σμικρότατον εἶναι τοῦτο διάστημα, ᾧ μετρητέον, οἱ δὲ ἀμφισβητοῦντες ὡς ὅμοιον ἤδη φθεγγομένων, ἀμφότεροι ὦτα τοῦ νοῦ προστησάμενοι. ubi facete carpuntur organici. Iam vero ex his sonorum intervallis eorumque terminis et rationibus, de quibus v. praeter alios Boeckhium in Studiis a Daubio et Creuzero editis Vol. III. P. I. p. 40 sq., nasci dicuntur συστήματα, quae a veteribus harmoniarum nomine appellata sint, h. e. variorum sonorum compositiones. Nam harmonia a Graecis dicitur non modo quaelibet sonorum gravium atque acutorum congruentia, sicuti ostendit Boeckhius l. c. et De Metris Pindari p. 203. Vol. I. edit. Part. II., verum intelliguntur etiam varia modulationis et cantus genera atque modi, ad quos soni temperabantur: ex quo dicta est harmonia Doria, Phrygia, Lydia, aliae. v. Ptolem. Harm. II. 6. Cicero Tuscul. I, 18. Harmoniam ex intervallis sonorum nosse possumus; quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures. Ceterum ad nominis etymon respici vix eget admonitione.

ἃ κατιδόντες — σκοπεῖν] Inde a verbis ἔν τε ταῖς κινήσεσιν αὖ τοῦ σώματος κ. τ. λ. iam tanquam per occasionem etiam rhythmi et metri mentio iniicitur, ita quidem ut rhythmus atque metrum significetur nomen accepisse suum, quia significet πάθη τινὰ τοῦ σώματος δι' ἀριθμῶν μετρηθέντα; in quo rursus inest facetus quidam verborum lusus. Enimvero Plato rhythmum esse voluit τάξιν τινὰ τῆς κινήσεως. De Legg. II. p. 665. A. τῇ δὲ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δὲ αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος ξυγκερανυμένων, ἁρμονία ὄνομα προσαγορεύοιτο, χορεία δὲ τὸ ξυναμφότερον κληθείη. Ibid. p. 672. E. τό γε μὴν κατὰ τὴν τοῦ σώματος κίνησιν ῥυθμὸν μὲν κοινὸν τῇ τῆς φωνῆς εἶχε κινήσει κ. τ. λ. Ne vero mireris illud τοῦ σώματος, pro quo fortasse aliquis τῆς φωνῆς expectaverit; ἁρμονίᾳ ad cantandi, ῥυθμός autem ad saltandi artem potissimum referebatur. Quamquam utraeque artes ita coniunctae erant, ut in cantu non minus rhythmus quam harmonia, ac

τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας, ἔν τε τἀῖς κινήσεσιν αὖ τοῦ σώματος ἕτερα τοιαῦτα ἐνόντα πάθη γιγνόμενα, ἃ δὴ δι' ἀριθμῶν μετρηθέντα δεῖν αὖ φασὶ ῥυθμοὺς καὶ μέτρα ἐπονομάζειν, καὶ ἅμα ἐννοεῖν ὡς οὕτω δεῖ περὶ παντὸς ἑνὸς καὶ πολλῶν σκοπεῖν· ὅταν γὰρ ταῦτά τε λάβῃς οὕτω, τότε
E ἐγένου σοφός, ὅταν τε ἄλλο τῶν ὄντων ὁτιοῦν ταύτῃ σκοπούμενος ἕλῃς, οὕτως ἔμφρων περὶ τοῦτο γέγονας. τὸ δ' ἄπειρόν σε ἑκάστων καὶ ἐν ἑκάστοις πλῆθος ἄπειρον ἑκάστοτε ποιεῖ τοῦ φρονεῖν καὶ οὐκ ἐλλόγιμον οὐδ' ἐνάριθμον, ἅτ' οὐκ εἰς ἀριθμὸν οὐδένα ἐν οὐδενὶ πώποτε ἀπιδόντα.

D. *δεῖν αὖ φασὶ ῥυθμοὺς*] *αὖ* pro vulg. *αὐτὰ* debetur Bodl. Vat. Ven. *II.* Iidem *ἀριθμοὺς*, vitiose.

καὶ ἅμα ἐννοεῖν] *ἄλλα* Bodl. et teste Bastio Vat.

ὅταν τε ἄλλο τῶν ὄντων] Sic Bodl. Ven. *II.* et pr. Vat. pro vulg. *ὅταν δὲ ἄλλο.*

vicissim in saltatione non minus harmonia quam rhythmus dominaretur. Lectu digna sunt, quae his de rebus commentatus est Burette Comm. Acad. Inscript. Par. Vol. I. p. 109 sqq. et Vol. V. p. 152. Ceterum harmoniae et rhythmi commemoratio, ut res ipsa tulit, fere coniungitur, ut Symp. p. 187. C. D. Gorg. p. 502. C. De Rep. III. p. 397. B. Legg. p. 655. A. 669. D. al. unde mirum non est, quod Socrates hoc loco, facta harmoniae mentione, iam ultro ad rhythmum quoque defertur.

ἃ δὴ δι' ἀριθμῶν μετρ.] Recessit ab inchoata verborum constructione. Debebant enim haec quoque ex antegresso *παρέδοσαν* pendere oratione sic fere continuata: *ἔν τε ταῖς κινήσεσιν — γιγνόμενα ἅτε δι' ἀριθμῶν μετρηθέντα ἐπονομάζειν ῥυθμοὺς καὶ μέτρα.* Nunc abrupta sententia primaria repente relativum sequente *φασὶ δεῖν* infertur. Simillima anacoluthia est infra p. 18. B.

ὅταν γὰρ ταῦτά τε λάβῃς] Absoluta parenthesi filum abrupti sermonis denuo resumitur interposito etiam explicativo *γάρ*, nämlich, repetiturque protasis.

E. *τὸ δ' ἄπειρόν σε — ἄπειρον ἑκ. ποιεῖ*] Faceta dilogia, cuius aliud exemplum invenitur Tim. p. 55. C. *τὸ ἀπείρους κόσμους εἶναι λέγειν ὄντως ἀπείρου τινὸς δόγμα, ὧν ἔμπειρον χρεὼν εἶναι.* Simili ambiguitate *ἀλόγως* dicitur Gorg. p. 501. A. Atque etiam in proximis facetus lusus est, quoniam qui in quaerendo disserendoque genera atque formas negligit, is dicitur *οὐκ ἐλλόγιμος οὐδ' ἐνάριθμος.* Respicitur enim oraculum olim Megarensibus datum, de quo Schol. Theocriti ad Carm. XIV. v. 48 sqq. Ultimi eius versus sunt: *ὑμεῖς δ', ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι Οὔτε*

Cap. VIII. *ΠΡΩ. Κάλλιστα, ὦ Φίληβε, ἔμοιγε τὰ νῦν λεγόμενα εἰρηκέναι φαίνεται Σωκράτης.*

ΦΙ. Καὶ ἐμοὶ ταῦτά γε αὐτά. ἀλλὰ τί δήποτε πρὸς ἡμᾶς ὁ λόγος οὗτος νῦν εἴρηται, καὶ τί ποτε 18
βουλόμενος;

ΣΩ. Ὀρθῶς μέντοι ταῦθ' ἡμᾶς, ὦ Πρώταρχε, ἠρώτηκε Φίληβος.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν, καὶ ἀποκρίνου γε αὐτῷ.

ΣΩ. Δράσω ταῦτα διελθὼν σμικρὸν ἔτι περὶ

E. *τῶν ὄντων*] Pro *ὄντων* Bodl. Vat. Ven. *II.* habent *ἓν*. Mox iidem *περὶ τούτων γέγονας*. Offendit nimirum criticos constructio *ἔμφρων περί τι*, cuius alibi exempla dedimus. Deinde Bodl. *οὐδέν' ἀριθμόν*, et *καί μοι*.

P. 18. *ταῦθ' ἡμᾶς*] Sic Bodl. Vat. Ven. *II.* pro vulg. *τοῦθ' ἡμᾶς*.

δυωδέκατοι οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ. Ad quorum similitudinem Theocritus l. l. haec pepigit: *ἄμμες δ' οὔτε λόγω τινὸς ἄξιοι οὔτ' ἀριθματοί, Δυστάνοι Μεγαρῆες, ἀτιμοτάτᾳ ἐνὶ μοίρᾳ*. Vide de hoc oraculo etiam Callimachi Epigr. XXVI. ibique intpp. et Schraderum ad Musaeum p. 198. Respexit Plato etiam Hipp. mai. p. 288. B. ubi satis perspicue *τοῦ χρηαμοῦ* mentionem fecit.

Καὶ ἐμοὶ ταῦτά γε αὐτά.] *αὐτά* est in se s. per se seorsum spectata, sicuti proxima verba docent. Mox p. 18. C. dicitur plenius *αὐτά γε πρὸς ἄλληλα*. Cod. Coisl. *ταὐτά γε ὄντα αὐτά*, quod fluxit ex interpretatione.

P. 18. *Ὀρθῶς μέντοι*] De *μέντοι* in responsionibus affirmandi vi usurpato, ut respondeat Lat. vero, v. ad Phaedon. p. 65. D. 86. D. Sympos. p. 176. B. al. Quod monere placuit, ne qui veterem scripturam hic sollicitavit, is porro haberet reprehendendi caussas et argumenta.

διελθὼν σμικρὸν ἔτι περὶ αὐτῶν] Descripsit hactenus Socrates analyticam viam, qua in notionum sive idearum pervestigatione incedendum sit; quam alii permutato nomine etiam syntheticam appellare consueverunt. Accedit nunc ad rationem syntheticam, quam pari elegantia et subtilitate illustrat. Est autem totius disputationis summa fere haec. Quemadmodum ubi unius et multorum pervestigatio a summo inde genere suscipitur, non protenus ad rerum singularum infinitatem properandum est, ita vicissim, ubi a singulis rebus vel formis quaerendi initium fit, magnopere est cavendum, ne ab infinitis protenus ad unum transiliatur. Sunt enim res infinitae ad certas formas revocandae, formae autem ad genera referendae. Hoc demum peracto negotio

αὐτῶν τούτων. ὥςπερ γὰρ ἓν ὁτιοῦν εἴ τίς ποτε λάβοι, τοῦτον, ὥς φαμεν, οὐκ ἐπ' ἀπείρου φύσιν δεῖ βλέπειν εὐθὺς ἀλλ' ἐπί τιν' ἀριθμόν, οὕτω καὶ τοὐναντίον ὅταν τις τὲ ἄπειρον ἀναγκασθῇ πρῶτον
B *λαμβάνειν, μὴ ἐπὶ τὸ ἓν εὐθὺς ἀλλ' ἐπ' ἀριθμὸν αὖ τινὰ πλῆθος ἕκαστον ἔχοντά τι κατανοεῖν, τελευ-*

εἴ τίς ποτε λάβοι] *ἓν εἴ ποτε λ.* Bodl.
φύσιν δεῖ] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. Vett. editt. *δεῖ φύσιν.*

recté licet ad summum genus procedere. — *δράσω ταῦτα*, i. e. *ἀποκρινοῦμαι* v. ad Politic. p. 260. C. Soph. p. 253. A.

ἀλλ' ἐπ' ἀριθμὸν αὖ τινὰ πλῆθος — κατανοεῖν,] Hic codices spem nostram plane destituerunt, per quos putaveramus huic loco aliquando integritatem suam atque salutem restitutum iri. Nam omnes illi de ea, quam servavimus, scriptura egregie consentiunt. Nihilominus recte videmur statuisse locum ex parte saltem esse depravatum. Corruptum autem est *ἕκαστον*, quod sententiae non convenit. Patet enim designari formas, quae infinitarum rerum, h. e. singularum, tanquam multitudinem aliquam complectuntur. Ea vero multitudo formis comprehensa haudquaquam dici potuit *ἕκαστον πλῆθος*. Sententiae prorsus conveniens esset *αὐτοῦ* s. *ἐκείνου*, hoc est *τοῦ ἀπείρου*. Nam hoc si legeretur, id ipsum exprimeretur, quod res postulat: sed numerum aliquem respicere quandam rerum infinitarum multitudinem complectentem. Sed vereor, ut a Platone ita scriptum sit. Malo igitur *ἕκαστον' ἔχοντα*, quod iam olim in Commentariis Criticis p. 326. proposui, atque ab Astio quoque coniectatum est. Ita nimirum ad *πλῆθός τι* sponte intelligitur *αὐτοῦ*, h. e. *τοῦ ἀπείρου*. Sententia autem haec emergit: sed respicere ad aliquem numerum, qui semper copiam aliquam et multitudinem infiniti contineat, h. e. ad formas generi subiectas, quarum numerus aliquis iniri potest. Etenim ex infinitis rebus in ordinem quasi redactis oriuntur formae atque species, per quas deinceps ad summum genus pervenitur. Atque haec quidem de isto *ἕκαστον*, quod fuit qui perperam defenderet sic, ut illud idem fere esse vellet quod *ἑκάστοτε*. Enimvero videtur vir doctus non attendisse ad *τι*, quod cum *πλῆθος* connectendum est. Praeterea magnae offensioni fuit *κατανοεῖν*. Nam mire sane dictum est *κατανοεῖν ἐπί τινα ἀριθμόν*, cuius constructionis alterum exemplum nemo quisquam invenerit. Itaque alii *δεῖ βλέποντα* ex antecedentibus huc pertrahi voluerunt, quo levaretur insolitae dictionis molestia. Verum ita profecto non tollitur sed augetur difficultas, quoniam inusitatae loquutioni etiam inusitata constructionis ratio adiungitur. Alii locum mutandum censuerunt. Nam ipsi olim aut *κατασκοπεῖν* aut *κατανύειν* restituendum iudicavimus, ex quibus posterius sic dictum esset, ut intellecto *τὴν ὁδόν* significaret

τᾶν τε ἐκ πάντων εἰς ἕν. πάλιν δὲ ἐν τοῖς γράμμασι τὸ νῦν λεγόμενον λάβωμεν.

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Ἐπειδὴ φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν εἴτε τις θεὸς εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος ἐν Αἰγύπτῳ

οὕτω καὶ τοὐναντίον] οὕτως καὶ Florentini. τὸ ἐναντίον Bodl.

viam conficere, pervenire, ut Herodot. VI, 40. Xenoph. Hellen. V, 4, 21. Sed vide de hoc usu Markland. ad Suppl. v. 1142. Lobeck. ad Aiac. v. 606. p. 296. ed. 2. Hermann. ad Soph. Electr. v. 1344. Nec Platoni eam loquendi rationem temere esse abiudicandam, docebunt, opinor, quae Politic. p. 264. B. et ad Theaet. p. 144. B. de adverbio *ἀνυσίμως* exposuimus. Lehrsius autem in Jahnii Annal. a. 1827. Vol. I. p. 154. post *πλῆθος ἐκ. ἴχνιά* inserendum censuit *ἰόντα*. Verum nolumus iam omnia omnium consilia memorare, quibus loci integritatem restitui posse iudicarunt. Arbitramur enim nunc sanitati eius nihil deesse, modo recte et subtiliter explicetur. Putamus vero scriptorem, quum posuisset antea *ἐπ' ἀπείρου φύσιν βλέπειν*, eadem constructione porro usum esse, sed tandem insolentius addidisse *κατανοεῖν*, ita ut id iam esse vellet mentem convertere ad aliquid. Ita igitur inauditus hic verbi usus ex audaciore quadam et insolita constructionis conversione declarandus videtur; quem facilius iam ferent qui etiam Julianum Ep. ad S. P. Q. Atheniens. p. 281. A. = 82. A. compererint scripsisse haec: *κατανοήσας δὲ πρὸς τὸ διάφορον τοῦ ἰρύπου καὶ βλέπων τῷ μὲν ἄγαν αὐτὸν πιστεύοντα, τῷ δὲ οὐδ' ὅλως προσέχοντα*, ubi quod dicitur *κατανοεῖν πρός τινα*, id certe ab huius loci similitudine haudquaquam abhorret.

ὡς λόγος ἐν Αἰγύπτῳ Θεύθ τινα γενέσθαι, ὅς —] Rursus hic habes anacoluthiam periodi insignem. Quum enim orationis initium sit, *ἐπειδὴ φωνὴν ἄπειρον — ἄνθρωπος*, huic protasi nihil in sequentibus reperitur quod apte respondeat. Enimvero quum per parenthesin adiiciantur haec: *ὡς λόγος (ἐστὶν) ἐν Αἰγύπτῳ Θεύθ' τινα τοῦτον γενέσθαι λέγων*, quemadmodum fama est apud Aegyptios Theuth quendam istum fuisse nuntians, intermediae huic orationis parti iam adaptatur relativum *ὅς*, eoque inserto sic pergitur in constructione verborum, ut protasis nulla amplius ducatur ratio. Similiter Phaedon. p. 86. A. et Phileb. 17. D. De Aegyptio illo, quem vetus fama ferebat geometriae, arithmeticae, astronomiae et litterarum inventorem fuisse, quemque alii volunt fuisse Hermetem Trismegistum, alii Mercurium, alii Anubin, alii alium, v. Hugii Mytholog. Untersuchungen p. 268 sq. et intpp. ad Cicer. De Nat. Deor. III. 22. p. 611. ed. Creuzer. ubi inter complures, qui ferantur, Mercurios dicitur etiam

Θεύθ τινα τοῦτον γενέσθαι λέγων, ὃς πρῶτος τὰ φωνήεντα ἐν τῷ ἀπείρῳ κατενόησεν οὐχ ἓν ὄντα ἀλλὰ πλείω, καὶ πάλιν ἕτερα φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ
C *μετέχοντά τινος, ἀριθμὸν δέ τινα καὶ τούτων εἶναι· τρίτον δὲ εἶδος γραμμάτων διεστήσατο τὰ νῦν λεγό-*

B. *Θεύθ τινα τοῦτον γ.*] V. *Θεῦθ.* Coisl. *Θεῦθον.* Dein Bodl. *ὡς* pro *ὅς.*

C. *μέχρι ἑνὸς ἑκάστου*] V. *μέχρις.* Sed recte et veterum

is esse, quem colunt Pheneatae, qui et Argum dicitur interemisse, ob eamque caussam Aegyptum profugisse, atque Aegyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc, inquit, Aegyptii Thoth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur. Apud Platonem Theuth memoratur etiam Phaedr. p. 274. ed. Steph. ubi v. ann. De *λέγων* post *λόγος* subiuncto conf. Legg. I. p. 630. B. *ποῖ δὴ τελευτᾷ νῦν ἡμῖν οὗτος ὁ λόγος, καὶ τί φανερόν ποτε ποιῆσαι βουληθεὶς λέγει ταῦτα*; Theaet. p. 169. D. *ὁ λόγος — ὁ λέγων.*

πρῶτος τὰ φωνήεντα ἐν τῷ ἀπείρῳ —] Tria litterarum genera Theuth narratur discrevisse atque distinxisse; primum, *τὰ φωνήεντα*, sive vocales; deinde, *τὰ ἄφωνα*, insonas sive mutas, quod genus illis natura sua oppositum est, quippe quum eas habeat litteras, quae voce omnino carent; denique quae media inter illa interiecta sunt *τὰ φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντά τινος*, quae vulgo dicuntur *ἡμίφωνα*, semivocales. Nam *τὰ φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντά τινος*, non duo sed unum tantummodo significare litterarum genus, ex eo intelligitur, quod non repetitur articulus. Nec recte distinxeris *τὰ φωνῆς μέν, οὐ φθόγγου δὲ μ.*, quoniam sic ordo hic potius esse debet: *φωνῆς μέν, φθόγγου δὲ οὐ μετ.* Quocirca lubenter nunc retractamus, quae olim de hac re ad illustrandum hunc locum commentati sumus. Eadem vero illa litterarum genera variis hic insigniuntur nominibus, quod diligenter animadvertere debemus, ne in fraudem et errorem abripiamur. Nam quae postremo loco commemorata sunt *τὰ ἄφωνα*, ea deinceps per chiasmum quendam primo ponuntur loco atque vocantur *ἄφθογγα καὶ ἄφωνα*. Quae autem appellata sunt *φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντα*, ea dicuntur *μέσα*. Nec vero id temere sic factum, sed veterum doctrinae convenientissime. Nam quae litterae vulgo simpliciter vocantur *ἄφωνα*, eae iudicatae sunt non modo vocis et cantus, sed etiam soni expertes esse. Dionysius quidem Halic. De Comp. Verb. p. 156. *ἃ δέ ἐστιν ἀπάσης ἄμοιρα φωνῆς καὶ ψόφου, ταῦτα μὲν ἄφωνά τινες ἐκάλεσαν.* Quocum convenit prorsus, quod Plato de mutis censet in Theaet. p. 142. *τοῦ δὲ αὖ β οὔτε φωνὴ οὔτε ψόφος.* Ne vero pro *ἄφθογγα καὶ ἄφωνα* eam ipsam ob caussam *ἄψοφα καὶ ἄφωνα* hic refingendum existimemus, prohibebit, opinor, gravissimus Cratyli locus p. 424.

μενα ἄφωνα ἡμῖν· τὸ μετὰ τοῦτο διήρει τά τε ἄφθογγα καὶ ἄφωνα μέχρι ἑνὸς ἑκάστου, καὶ τὰ φωνήεντα καὶ τὰ μέσα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἕως ἀριθμὸν αὐτῶν λαβὼν ἑνί τε ἑκάστῳ καὶ ξύμπασι στοιχεῖον ἐπωνόμασε. καθορῶν δὲ ὡς οὐδεὶς ἡμῶν

grammaticorum praeceptis convenienter Vat. Ven. *ΑΞΠ*. Coisl. Par. BCFH. Flor. a. i. Angel. *μέχρι ἑνός*.

ἀριθμὸν αὐτῶν] Bodl. Vat. Ven. *Π*. Coisl. Par. BC. Vulgo *αὐτῶν ἀριθμόν*.

C. sqq. *ἆρ' οὖν καὶ ἡμᾶς οὕτω δεῖ πρῶτον μὲν τὰ φωνήεντα διελέσθαι, ἔπειτα τῶν ἑτέρων κατὰ τὰ εἴδη τά τε ἄφωνα καὶ ἄφθογγα* (h. e. mutas), *οὑτωσὶ γὰρ που λέγουσιν οἱ δεινοὶ περὶ τούτων, καὶ αὖ τὰ φωνήεντα μὲν οὔ, οὐ μέντοι γε ἄφθογγα.* Ubi manifestum est, philosophum eandem plane de litteris sententiam prodidisse, quam exposuit hoc loco. Iam vero quod ea, quae *φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντα* vocantur, etiam dicuntur *μέσα*, eius rei caussa in promtu est. Tenent enim *τὰ ἡμίφωνα* quasi medium locum inter reliqua duo genera, siquidem mutis cognata sunt, quia carent voce, cum vocalibus autem affinitate quadam continentur eo, quod sonum aliquem atque strepitum edunt, sive *ψόφους ὁπολους δή τινας ἀποτελεῖν πεφύκασι*, ut loquitur Dionysius l. c. Ita igitur videmus locum satis esse expeditum, nec quidquam continere, quod a doctrina Platonis alibi prodita discrepare existimandum sit. Sed quod gravius etiam est magisque dignum observatione, consentit Plato amicissime cum doctrina veterum doctorum, qui tria litterarum genera eodem modo distinxerunt. Nam gravissimi artis grammaticae magistri teste Aristotele De arte poëtica c. 20. Sexto Emp. adv. Matth. c. 5. Dionysio Halic. De comp. verb. c. 14. p. 158. ed. Schaef. primum litterarum genus fecerunt *τὰ φωνήεντα*, quae septem esse voluerunt: *α, ε, η, ι, ο, υ, ω*; alterum posuerunt *τὰ ἄφωνα*, et quidem haec, *β, γ, δ, κ, π, τ, φ, χ, θ*, quae Stoicorum potissimum fuit sententia, quum alii teste Sexto Emp. adv. Math. l. c. adspiratas litteras potius semivocalibus annumerarent; tertium denique statuerunt *τὰ ἡμίφωνα*, sive semivocalia, ad quae revocarunt *λ, μ, ν, ρ, σ, ζ, ξ, ψ*. Quae qui consideraverint, ea prorsus cum Platonis sententia convenire facile largientur. De hac litterarum divisione v. G. Vossius De Arte Grammat. I. c. 12 sqq. et qui totum hunc Platonis locum eleganter illustravit auctor disputationis, quae praemissa est Indici lectionum in Acad. Reg. Monaster. Guestphal. per menses hibern. 1827—1828. habendar. Monast. 1828. 4.

C. *ἑνί τε ἑκάστῳ καὶ ξύμπασι στ. ἐπ.*] et singulis et cunctis *litterarum nomen* attribuit, quum eas antea formis suis distinxisset et certo quodam numero definivisset. Quod *στοιχεῖον* idem est ac *τὸ ὄνομα τῶν στοιχείων*, de eo v. ann. ad Cratyl. 392. A. B.

οὐδ' ἂν ἓν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἄνευ πάντων αὐτῶν μάθοι, τοῦτον τὸν δεσμὸν αὖ λογισάμενος ὡς ὄντα
D *ἕνα καὶ πάντα ταῦτα ἕν πως ποιοῦντα, μίαν ἐπ' αὐτοῖς ὡς οὖσαν γραμματικὴν τέχνην ἐπεφθέγξατο προσειπών.*

ΦΙ. Ταῦτ' ἔτι σαφέστερον ἐκείνων αὐτά γε πρὸς ἄλληλα, ὦ Πρώταρχε, ἔμαθον· τὸ δ' αὐτό μοι τοῦ λόγου νῦν τε καὶ σμικρὸν ἔμπροσθεν ἐλλείπεται.

ΣΩ. Μῶν, ὦ Φίληβε, τὸ τί πρὸς ἔπος αὖ ταῦτ' ἐστί;

ΦΙ. Ναί, τοῦτ' ἔστιν ὃ πάλαι ζητοῦμεν ἐγώ τε καὶ Πρώταρχος.

D. *καὶ πάντα ταῦτα*] V. *ταῦτα πάντα.* In Bodl. Vat. Ven. *II.* est *πάντα τὰ ταὐτὰ.* Videtur igitur scriptum fuisse *πάντα τὰ τοιαῦτα.* Vulgata lectio Bastio teste in marg. Vat. notata est.

τοῦτον τὸν δεσμὸν αὖ λογισάμενος] hoc vinculum, quo singula cum cunctis continentur, reputans unum tantummodo esse, atque illa omnia (cuncta atque singula) quodammodo unum facere, h. e. generis communione colligare, grammaticam artem tanquam unam iis praefecit nomineque suo insignivit. Pro *πάντα ταῦτα* tres optimi codd. *πάντα τὰ ταὐτά*, in quo nisi latet *πάντα τὰ τοιαῦτα*, articulum dixerim errore additum esse.

D. *μίαν ἐπ' αὐτοῖς ὡς οὖσαν*] H. e. *ὡς μίαν οὖσαν*, ordine prope legitimo. Sic Sophist. p. 242. C. *παισὶν ὡς οὖσιν ἡμῖν.* ubi v. Heindorf. Addimus alia non dissimilia. Ita Legg. IX. p. 867. B. *ἑκουσίους αὐτοὺς ἢ τινας ὡς ἀκουσίους νομοθετητέον.* Ibid. p. 878. A. *νίὸν ὡς ἐκείνων εἰςποιοῦντας.* Theaet. p. 188. A. *μεταξὺ τούτων ὡς ὄντα.* Sed creberrime in comparationibus *ὡς* sic postponitur. Aeschyl. Theb. v. 50. *λεόντων ὡς Ἄρην δεδορκότων*, h. e. *ὡς λεόντων Ἄρ. δ.* Ibid. v. 388. *μάχης δ' ἐρῶν, ἵππος χαλινῶν ὡς κατασθμαίνων μένει, ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει κλύων.* Ibid. v. 494. *βαχχᾷ πρὸς ἀλκὴν Θυιὰς ὡς φόβον βλέπων.* Pers. v. 130. *πᾶς γὰρ ἱππηλάτας καὶ πεδοστιβὴς λεὼς σμῆνος ὡς ἐκλέλοιπεν μελισσᾶν.* Homer. Iliad. VI. v. 295. *ἀστὴρ δ' ὡς ἀπέλαμπεν.* Eurip. Bacch. v. 167. *πῶλος ὅπως ἅμα ματέρι φορβάδι.* Aristoph. Nubb. v. 258. *οἵμοι Σωκράτην ὥσπερ με τὸν Ἀθάμαν' ὅπως μὴ θύσετε*, i. e. *μὲ ὅπως τὸν Ἀθάμ.* Sophocl. Philoct. v. 703. al. — *γραμματικήν*, h. e. artem litterarum elementa legendi et scribendi: nam id Platoni grammaticam esse iam antea significavimus. conf. De Rep. II. p. 402. A. Theaet. p. 207. A. Sophist. p. 253. A. sq. Cratyl. p. 431. B. et quae in superioribus de grammatico comparavimus.

αὐτά γε πρὸς ἄλληλα] V. ad p. 17. E.

τὸ τί πρὸς ἔπος —] H. e.

ΣΩ. Ἦ μὴν ἐπ' αὐτῷ γε ἤδη γεγονότες ζητεῖτε, ὡς φής, πάλαι.

ΦΙ. Πῶς;

Cap. IX. *ΣΩ. Ἆρ' οὐ περὶ φρονήσεως ἦν καὶ ἡδονῆς ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς ὁ λόγος, ὁπότερον αὐτοῖν αἱρετέον;*

ΦΙ. Πῶς γὰρ οὔ; E

ΣΩ. Καὶ μὴν ἕν γε ἑκάτερον αὐτοῖν εἶναί φαμεν.

ΦΙ. Πάνυ μὲν οὖν.

αὐτά γε πρὸς ἄλληλα] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΠΣ*. Coisl. Par. BCF. Angel. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. *αὐτά τε πρὸς ἄλληλα*. Schleiermacherus coniiciebat, *αὐτά τε καὶ πρὸς ἄλληλα*.

γεγονότες ζητεῖτε] Sic tres optimi pro vulg *ἐζητεῖτε*.

quid ad rem pertineant. v. ad Euthydem. p. 295. C. et infra ann. ad p. 33. B. 42. E. ubi similiter dicitur *πρὸς λόγον εἶναι*. Respicitur his ad p. 18. A.

Ἦ μὴν ἐπ' αὐτῷ γε ἤδη γεγονότες ζητεῖτε] H. e. quum rem iam prope attigissetis. Loquutionem *γίγνεσθαι ἐπί τινι* illustrabunt haec: Politic. p. 244. B. De Rep. VII. p. 532. C. VI. p. 490. D. Cratyl. p. 422. A. et Euthyphron. p. 14. C. ubi v. ann. Dein vulgo scribebatur *ἐζητεῖτε*. Quod ferri nullo modo potest, quandoquidem his iterantur praegressa illa *πάλαι ζητοῦμεν*, cuius rei indicium facit interpositum *ὡς φής*. Ex quo intelligi debet *πάλαι* non ad *γεγονότες*, sed ad *ζητεῖτε* referri oportere.

E. *Ἆρ' οὐ περὶ φρονήσεως ἦν —*] Ostendit iam, quorsum pertineat disputatio hactenus de constituendis rerum generibus et formis instituta et quid ea ad rem praesentem momenti faciat. Vult enim etiam voluptatis ac scientiae varias tanquam formas ac partes diligenter secerni, quo facilius intelligatur, num alterutra pro summo bono ducenda sit. Verum tamen operosior harum rerum quaestio Protarcho pariter atque eius familiaribus videtur, quam quae commode profligari queat. Quocirca Socrates mox precibus eorum id concedit, ut missis in praesenti subtilioris disputationis ambagibus aliam viam eamque multo faciliorem atque expeditiorem ingrediatur. Etenim positis quibusdam summi boni notis atque signis protenus comparare instituit inter se vitam eam, quae cum una voluptate agatur, atque illam, quae unice sapientiae dedita sit. Qua quidem comparatione planum facit, neutram per se omnino expetendam esse, aut omnibus naturae humanae desideriis prorsus satisfacere. Inde vero consequi arbitratur, aliud vitae genus esse circumspiciendum, quo omnis nostra felicitas contineatur. Copiosius de toto loco explicavimus in Prolegomenis.

ΣΩ. Τοῦτ' αὐτὸ τοίνυν ἡμᾶς ὁ πρόσθεν λόγος ἀπαιτεῖ, πῶς ἔστιν ἓν καὶ πολλὰ αὐτῶν ἑκάτερον, καὶ πῶς μὴ ἄπειρα εὐθύς, ἀλλά τινά ποτε ἀριθμὸν
19 *ἑκάτερον ἔμπροσθεν κέκτηται τοῦ ἄπειρα αὐτῶν ἕκαστα γεγονέναι;*

ΠΡΩ. Οὐκ εἰς φαῦλόν γε ἐρώτημα, ὦ Φίληβε, οὐκ οἶδ' ὄντινα τρόπον κύκλῳ πως περιαγαγὼν ἡμᾶς ἐμβέβληκε Σωκράτης. καὶ σκόπει δή, πότερος ἡμῶν ἀποκρινεῖται τὸ νῦν ἐρωτώμενον. ἴσως δὴ γελοῖον τὸ ἐμὲ τοῦ λόγου διάδοχον παντελῶς ὑποστάντα διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὸ νῦν ἐρωτηθὲν ἀποκρίνασθαι σοὶ πάλιν τοῦτο προστάττειν· γελοιότερον δ' οἶμαι
B *πολὺ τὸ μηδέτερον ἡμῶν δύνασθαι. σκόπει δὴ τί δράσομεν. εἴδη γάρ μοι δοκεῖ νῦν ἐρωτᾶν ἡδονῆς*

E. *ὁ πρόσθεν λόγος*] Coisl. *πρόσθε* et mox *ἔμπροσθε*, ut solet. Recepit Bekkerus quum hic tum alibi.

P. 19. B. *ἐρωτᾶν ἡδονῆς*] *ἡδονὴν* Bodl. Vat. Ven. *II*.

πῶς ἔστιν ἓν καὶ πολλὰ αὐτῶν ἑκάτερον] H. e. qui fiat, ut quaeque, quum in se *unum* quiddam sit, tamen etiam *multa* habeat, hoc est, varias generis formas ac species in se complectatur, quae prius explorandae sint quam res innumerae et infinitae, quae vel voluptatem vel scientiam sociam atque comitem habeant, in censum referri possint. Verba *ἀλλά τινά ποτε ἀρ. — γεγονέναι* opponuntur proxime praecedentibus *καὶ πῶς μὴ ἄπειρα εὐθύς*, hoc sensu: qui fiat ut non statim *ἄπειρα* sint, sed utraque potius (*ἑκάτερον* enim ad scientiam et voluptatem pertinet) priusquam unaquaeque in iis *ἄπειρα* fiant, numerum aliquem nacta sit. Pessime vulgo ante *τοῦ* commate distinguebatur. Apparet enim hunc genitivum pendere ex *ἔμπροσθεν*.

P. 19. *Οὐκ εἰς φαῦλόν γε ἐρ.*] H. e. *πάνυ χαλεπόν* v. ad Phaedon. p. 95. E. et ad Politic. p. 263. A. De verbis *κύκλῳ πως περιαγαγὼν* compares locum simillimum Euthyphron. p. 15. B. C. et Lachet. p. 187. E.

τοῦ λόγου διάδοχον παντελῶς ὑποστάντα] me, quum plane *τοῦ λόγου διάδοχος* tibi successerim, sive substitutus sim. Ita haec nunc intelligenda censemus, quum olim accepissemus aliter. Verbum *προστάττειν* de iis, qui alteri disputandi partes demandant, apud Platonem frequentius dicitur, quam ut huius usus exempla memoranda sint. Mox *πολύ* quod comparativo *γελοιότερον* postpositum est, de eo vide sis annot. ad Alcibiad. II. p. 143. D.

B. *κατὰ παντὸς ἑνὸς καὶ ὁμοίου καὶ ταὐτοῦ*] de

ἡμᾶς Σωκράτης, εἴτ' ἔστιν εἴτε μή, καὶ ὁπόσ' ἐστὶ καὶ ὁποῖα· τῆς τ' αὖ φρονήσεως πέρι κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως.

ΣΩ. Ἀληθέστατα λέγεις, ὦ παῖ Καλλίου· μὴ γὰρ δυνάμενοι τοῦτο κατὰ παντὸς ἑνὸς καὶ ὁμοίου καὶ ταὐτοῦ δρᾶν καὶ τοῦ ἐναντίου, ὡς ὁ παρελθὼν λόγος ἐμήνυσεν, οὐδεὶς εἰς οὐδὲν οὐδενὸς ἂν ἡμῶν οὐδέποτε γένοιτο ἄξιος.

ΠΡΩ. Σχεδὸν ἔοικεν οὕτως, ὦ Σώκρατες, ἔχειν. C
ἀλλὰ καλὸν μὲν τὸ ξύμπαντα γιγνώσκειν τῷ σώφρονι, δεύτερος δ' εἶναι πλοῦς δοκεῖ μὴ λανθάνειν αὐτὸν αὑτόν. τί δή μοι τοῦτο εἴρηται τὰ νῦν; ἐγώ σοι φράσω. σὺ τήνδε ἡμῖν τὴν συνουσίαν, ὦ Σώκρατες, ἐπέδωκας πᾶσι καὶ σαυτὸν πρὸς τὸ διελέσθαι, τί

κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως] Sic Bodl. Vat. Ven. Π. Vulgo κατα τὰ αὐτὰ ὡσαύτως.

C. λανθάνειν αὐτὸν αὑτόν] αὑτόν om. Bodl. Vat. Venet. Π. errore.

πᾶσι καὶ σαυτὸν] σεαυτὸν Bodl.

unoquoque, quod unum est et sibi semper simile atque idem, h. e. de unaquaque idea. De ὅμοιον i. q. ἑαυτῷ ὅμοιον significante v. Tim. p. 42. C. 67. B. ibique annot. Ad proxima οὐδεὶς εἰς οὐδὲν κ. τ. λ. haud incommode contendes Phaedr. p. 236. E. Sophist. p. 162. E. Polit. p. 187. B. Phaedon. p. 78. D. Legg. XII. p. 951. C. Sed creberrima sunt talia cumulatarum negationum exempla, notata illa ex Platone a Wyttenbachio ad Phaedon. p. 198 sq. ex aliis scriptoribus a Corayo ad Heliodor. p. 144. Boissonadio ad Philostrat. Her. p. 446. Matthiaeo Gr. Gr. p. 1450. ed. 3. Respicitur vero ad p. 17. C.

C. δεύτερος δ' εἶναι πλοῦς] De hoc proverbio v. ad Phaedon. p. 99. D. Politic. p. 300. B. infra p. 59. C. Sententia verborum haec est: illud nisi licuerit, hoc saltem nobis agendum est, ut ne plura scire videamur, quam revera sciamus.

τί δή μοι τοῦτο εἴρηται τὰ νῦν; ἐγώ σοι φρ.] Distinximus orationem post νῦν nota interrogandi, pro qua in ceteris editt. comma poni solet. Causam rei cognosces ex ann. ad Gorg. p. 487. B. Charm. p. 172. B. Istud ἐγὼ φράσω in exordiis responsionum habere quandam gravitatem pridem monuerunt Hermannus ad Lucian. De conscr. histor. p. 27. et Fritsch. Praef. ad Lucian. Diall. Mort. p. XXXI.

ἐπέδωκας — σαυτόν] te nobis impertiisti, tui nobis copiam fecisti. Mox p. 19. E. σὺ δὴ συνεχώρησας καὶ ἔδωκας εἰς ταῦθ' ἡμῖν σαυτόν. Euthyphr. p. 3. D. δοκεῖς σπάνιον σεαυτὸν παρέχειν. Euthydem. p. 305. A. Sophocl. Philoct. v.

τῶν ἀνθρωπίνων κτημάτων ἄριστον. Φιλήβου γὰρ
εἰπόντος ἡδονὴν καὶ τέρψιν καὶ χαρὰν καὶ πάνθ'
ὁπόσα τοιαῦτ' ἐστί, σὺ πρὸς αὐτὰ ἀντεῖπες, ὡς οὐ
D *ταῦτ' ἀλλ' ἐκεῖνά ἐστιν, ἃ πολλάκις ἡμᾶς αὐτοὺς*
ἀναμιμνήσκομεν ἑκόντες, ὀρθῶς δρῶντες, ἵν' ἐν μνήμῃ
παρακείμενα ἑκάτερα βασανίζηται. φῂς δ' ὡς ἔοικε
σὺ τὸ προρρηθησόμενον ὀρθῶς ἄμεινον ἡδονῆς γε
ἀγαθὸν εἶναι νοῦν, ἐπιστήμην, σύνεσιν, τέχνην καὶ
πάντα αὖ τὰ τούτων ξυγγενῆ, ἃ κτᾶσθαι δεῖν, ἀλλ'
οὐχὶ ἐκεῖνα. τούτων δὴ μετ' ἀμφισβητήσεως ἑκατέρων
λεχθέντων ἡμεῖς σοι μετὰ παιδιᾶς ἠπειλήσαμεν ὡς
E *οὐκ ἀφήσομεν οἰκαδέ σε, πρὶν ἂν τούτων τῶν λόγων*
πέρας ἱκανὸν γένηταί τι διορισθέντων· σὺ δὲ συνε-
χώρησας καὶ ἔδωκας εἰς ταῦθ' ἡμῖν σαυτόν. ἡμεῖς

D. *ἃ κτᾶσθαι δεῖν*] ἃ ex uno Ven. *Σ.* additum. Restituendum viderat Schleiermacherus. Pro *δεῖν*, quod debetur Vat. Ven. *II.* et corr. Coisl. Venet. *Σ.*, vett. editt. *δεῖ*.

84. *νῦν δ' εἰς ἀναιδὲς ἡμέρας μέρος βραχὺ δός μοι σεαυτόν.* Cicero ad Divv. II. 8. Da te homini, h. e. accommoda te eius voluntati; ubi v. intpp. Dein *διελέσθαι* est disceptare, explicare; de quo verbi significatu optime exposuit Dorvill. ad Chariton p. 645.

Φιλήβου γὰρ εἰπόντος — τοιαῦτ' ἐστί,] Int. *τῶν ἀνθρωπίνων κτημάτων ἄριστον.*

ἀλλ' ἐκεῖνά ἐστιν, ἃ πολλάκις —] non haec (voluptatem, iucunditatem, laetitiam, alia id genus) esse maximum bonorum, sed illa potius, quae saepe nos ipsos sponte ac dedita opera admonemus, recte utique facientes, ut utraque bona in memoria adposita diligenter explorentur et examinentur. Conf. p. 27. B. *ὀρθῶς μὴν ἔχει — μνήμης ἕνεκα αὐτὰ ἐφεξῆς καταριθμήσασθαι.* Iam vero quaenam illa sint, quae Socrates pro summis bonis habenda arbitratur, id declaratur verbis proximis: *φῂς δ' ὡς ἔοικε κ. τ. λ.* censes autem, opinor, tu, bonum, quod quis recte dicturus sit voluptate praestantius, esse mentem, scientiam, intelligentiam et quae his cognata sunt. Ita igitur nos quidem nihil caussae videmus, cur Cousinus, elegantissimus Platonis interpres Gallicus, Tom. II. p. 488. in his adeo haeserit, ut locum coniectura tentaret. Neque Schützius quidquam vidit, qui Opuscul. p. 129. verba *τὸ προρρηθησόμενον ὀρθῶς*, quippe quae sensum pervertant, delenda iudicavit. Ceterum mox pronomen *ἅ* cum infinitivo iunctum ne quem male habeat, conf. Matthiae Grammat. §. 538. et ann. ad Phaedon. p. 72. A.

D. *ἡμεῖς σοι μετὰ παιδιᾶς — οἰκαδέ σε*] Tale quiddam in superioribus nusquam legitur. Itaque Protarchus existimandus est respicere ad ea,

δὲ δὴ λέγομεν, καθάπερ οἱ παῖδες, ὅτι τῶν ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστι. παῦσαι δὴ τὸν τρόπον ἡμῖν ἁπάντων τοῦτον ἐπὶ τὰ νῦν λεγόμενα.

ΣΩ. Τίνα λέγεις;

ΠΡΩ. Εἰς ἀπορίαν ἐμβάλλων καὶ ἀνερωτῶν ὧν 20
μὴ δυναίμεθ' ἂν ἱκανὴν ἀπόκρισιν ἐν τῷ παρόντι διδόναι σοι. μὴ γὰρ οἰώμεθα τέλος ἡμῖν εἶναι τῶν νῦν τὴν πάντων ἡμῶν ἀπορίαν, ἀλλ' εἰ δρᾶν τοῦθ' ἡμεῖς ἀδυνατοῦμεν, σοὶ δραστέον· ὑπέσχου γάρ. βουλεύου δὴ πρὸς ταῦτα αὐτός, πότερον ἡδονῆς εἴδη σοι καὶ ἐπιστήμης διαιρετέον ἢ καὶ ἑατέον, εἴ πῃ καθ' ἕτερόν τινα τρόπον οἷός τ' εἶ καὶ βούλει δηλῶσαί πως ἄλλως τὰ νῦν ἀμφισβητούμενα παρ' ἡμῖν.

ΣΩ. Δεινὸν μὲν τοίνυν ἔτι προσδοκᾶν οὐδὲν B

μετ' ἀμφισβητήσεως] Sic Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π.* cum corr. *Λ.* Vulgo ἀμφισβητήσεων. Mox παιδείας pr. Bodl. et Ven. *Π.* E. σὺ δὲ συνεχώρησας] δὴ Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π.*

quae disputata finguntur, priusquam ipse disserendi partes in se suscepisset.

E. ὅτι τῶν ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστι] Similiter Gorg. p. 471. A. κἂν παίζων τίς σοι ἐνδῷ ὁτιοῦν, τούτου ἀσμένως ἔχεις, ὥςπερ τὰ μειρακία.

P. 20. Εἰς ἀπορίαν ἐμβάλλων —] Participium etsi pendet ex παῦσαι, tamen valet ad definiendam notionem verborum τίνα τρόπον et τὸν τρόπον τοῦτον. Loquendi genus illustravimus ad Phaedon. p. 59. A.

ὧν μὴ δυναίμεθ' ἄν] Recte dicitur ἀπόκρισις τούτων; v. ad Apol. Socrat. p. 26. B. Mox μὴ οἰώμεθα non est vetantis, sed potius monentis et cohortantis. Phaedr. p. 271. C. μὴ πειθώμεθα. Hinc iudicabis, quae scripsit Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 1005. ann.

εἰ δρᾶν τοῦθ' ἡμεῖς ἀδ.] si illud nos perficere non possumus, ut τούτων τῶν λόγων πέρας ἱκανὸν γένηταί τι διορισθέντων, tibi faciendum est. De hoc usu verbi δρᾶν, quo ponitur pro quovis alio verbo ex antegressis iterando, etiam pro intransitivo, diximus ad Sophist. p. 233. C. et 253. A. Politic. p. 260. C. conf. infra ann. ad p. 62. A. Mox post καθ' ἕτερόν τινα τρόπον observabis iterum inferri πως ἄλλως, in quo gratam quandam sermonis negligentiam agnoscimus, non dissimilem illi, de qua exposuimus ad Phaedon. p. 60. C.

B. προσδοκᾶν οὐδὲν δεῖ τὸν ἐμέ] Schützius τὸ κατ' ἐμέ corrigebat. Bernhardy vero Syntax. Graec. p. 274. τὸν articulum putabat deleri oportere. Neuter verum pervidit. Nam hoc dicit Socrates: *Ille ego*, cui antea minati estis veniam discedendi negatum iri, iam nihil habeo quod metuam; nam istud tuum εἰ βούλει me omni metu liberat. Quocirca τὸν aptissime

δεῖ τὸν ἐμὲ, ἐπειδὴ τοῦθ' οὕτως εἶπες· τὸ γὰρ εἰ βούλει ῥηθὲν λύει πάντα φόβον ἑκάστων πέρι.

P. 20. B. *τὸν ἐμὲ*] Bodl. *τον* sine accentu.

ponitur propterea, quod Socrates se tanquam illum alterum significat, cui antea minae intentatae sint. Etenim respicitur manifesto ad praecedentia: *ἡμεῖς σοι μετὰ παιδιᾶς ἠπειλήσαμεν κ. τ. λ.*, falliturque Aug. Matthiae Gr. Gr. §. 267. p. 712. ed. 3. qui articulum censet ad superiora illa: *ἀλλ' εἰ δρᾶν τοῦθ' ἡμεῖς ἀδυνατοῦμεν, σοὶ δραστέον· κ πέσχον γάρ· βουλεύου δή κ. τ. λ.* referri. Alia exempla articuli pronominibus personalibus similiter praemissi notavimus ad Phaedr. p. 258. A. Theaet. p. 166. A. Sophist. p. 239. B. infra p. 59. B. Attigerunt hunc usum loquendi iam veteres grammatici, Dionysius Thrax apud Valckenar. ad Ammon. p. 201. Apollonius De Pronom. p. 275. De Syntax. I. 28. p. 65. ed. Sylb. Bekker. Anecdot. II. p. 923. Ceterum alia ratio articuli est supra p. 14. D. in verbis *τοὺς ἐμέ*, quae fuit qui temere cum hisce confunderet.

τὸ γὰρ εἰ βούλει ῥηθέν] Cave articulum cum *ῥηθέν* iungas, qui pertinet potius ad *εἰ βούλει*, frequentissimo usu loquendi, de quo non est cur post A. Matthiae Gr. Gr. §. 280. copiosius exponamus. Imo *ῥηθέν* tanquam extrinsecus accedit, ut caussa rei simul significetur; hoc sensu: nam istuc verbum *si vis*, quum pronuntiatum sit, exsolvit illud me omni metu de rebus quibusvis. Supra p. 14. D. *ἐν γὰρ δὴ τὰ πολλὰ εἶναι καὶ τὸ ἓν πολλὰ θαυμαστὸν λεχθέν.* ubi similis est ratio. Sed similiora etiam sunt haec, in quibus pariter praecedente articulo nomini substantivo participium subiunctum videas. Infra p. 21. D. *τῆς δ' ἐν τῷ παραχρῆμα ἡδονῆς προσπιπτούσης μηδ' ἡντινοῦν μνήμην ὑπομένειν.* p. 43. A. *ὑπεκστῆναι τὸν λόγον ἐπιφερόμενον τοῦτον βούλομαι*, h. e. *τὸν λόγον τ.*, *ὅτε ἐπιφέρεται.* ubi v. ann. De Rep. II. p. 377. B. *τοὺς ἐπιτυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθους πλασθέντας ἀκούειν.* Xenoph. Cyrop. VI. 1, 18. *οὐ γάρ, οἶμαι, δυνήσονται τῶν ἐγγὺς ἑαυτῶν κακῶν ὄντων* (quum sint ignavi) *ἀμελοῦντες τοῖς πρόσω ἡμῖν ἐπιβουλεύειν.* ubi v. intpp. Hell. V, I, 36. *ἐκ τῆς ἐπ' Ἀνταλκίδου εἰρήνης καλουμένης*, h. e. quae vocatur. Demosthen. pro Coron. p. 269. 12. *δεῖ δέ με, ὡς ἔοικε, καίπερ οὐ φιλολοίδορον ὄντα φύσει διὰ τὰς ὑπὸ τούτου βλασφημίας εἰρημένας ἀντὶ πολλῶν καὶ ψευδῶν αὐτὰ τὰ ἀναγκαιότατα εἰπεῖν.* ubi *εἰρημένας* item additum est tanquam extrinsecus, ut caussam rei gravius significet. Ibid. p. 295. 10. *τίσι δ' ὀφθαλμοῖς πρὸς Διὸς ἑωρῶμεν ἄν τοὺς εἰς τὴν πόλιν ἀνθρώπους ἀφικνουμένους.* Ibid. p. 323. 13. *ὑμᾶς ἠναντιῶσθαι τῇ κατὰ τῶν Ἑλλήνων ἀρχῇ πραττομένῃ.* Thucyd. VII. 23. *αἱ πρὸ τοῦ στόματος νῆες ναυμαχοῦσαι.* Ibid. 58. *τὸ πρὸς Λιβύην μέρος τετραμμένον.* Xenoph. Histor. Gr. II. 4, 10. *ἐχώρουν κατὰ τὴν εἰς τὸν Πειραιᾶ ἀμαξιτὸν ἀναφέρουσαν.* ubi plura Dindorf. Aeschin. c. Timarch. §. 166. *καὶ ταῖς μὲν ὑπὲρ τοῦ πράγματος κακοηθείαις λεγομέναις ἧττον ἄν τις ἀγανακτήσειεν.* Isaeus De Pyrrhi heredit. §. 50. *τοῖς*

πρὸς δὲ αὖ τούτοις μνήμην τινὰ δοκεῖ τίς μοι δεδωκέναι θεῶν ἡμῖν.

πρὸς δὲ αὖ τούτοις] αὖ τοῖς Bodl. αὐτοῖς Vat. Ven. *Π.* τούτοις Coisl.

γε ἐκ τῆς γνησίας θυγατρὸς παισὶ γεγονόσιν — κληρονομία προσῆκει. Sophocl. Philoct. v. 1316. *ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δοθείσας ἴσθ' ἀναγκαῖον φέρειν.* Id. Trachin. v. 436. *πρὸς τοῦ καθ' ἄκρον Οἰταῖον νάπος Διὸς καταστράπτοντος.* Aristoph. Plut. v. 996. *καὶ τἄλλα τὰ ἐπὶ τοῦ πίνακος τραγήματα ἐπόντα πεμψάσης.* Alia id genus multa suppeditabunt Maetznerus ad Antiphont. p. 259. Borneemann. ad Xenoph. Cyrop. VI. 1, 18. ed. Goth. et Fr. Frankius in Jahnii Annal. XIV. 2. p. 213. et in Quaestionn. Aeschin. p. 16 sq. Quamquam caussam huius collocationis nemo eorum perspexit penitus, quandoquidem Frankius eam vult in numero positam esse adeoque totam hanc rationem oratoriam arbitratur, alii autem in participio nescio quid gravitatis inesse censuerunt, quae vulgarem verborum ordinem mutari iusserit; alii denique satis habuerunt exempla rei colligere, de caussa eius et ratione quaerere noluerunt. Contemplantibus autem nobis omnem exemplorum allatorum vim visum est de tota hac ratione sic iudicari oportere, ut ea ex duarum constructionum per se diversarum consociatione originem duxisse existimanda sit. Postponitur enim participium propterea, quod quum proprie ad nomen substantivum pertineat, tamen simul sententiae intermediae facit significationem, qua vel caussa rei, vel opportunitas vel simile quiddam indicatur, ideoque etiam cum verbi primarii notione cohaeret. Quocirca horum participiorum duplex est quasi necessitudo atque coniunctio, quandoquidem ea et cum nomine cohaerent, et ad verbi vim notionemque referuntur. Hoc autem posterius ut pateret, Graeci pro ea qua usi sunt orationis conformandae libertate, mutato vulgari verborum ordine, participium in alium locum transferendum iudicarunt. Apparet res ex hoc ipso loco luculentissime. Nam *τὸ ῥηθὲν εἰ βούλει* significaret: pronuntiatum istud *si vis*, ut *ῥηθέν* ad solum nomen pertineret. Sed *τὸ εἰ βούλει ῥηθέν* eam habet vim, ut *ῥηθέν* simul apertius caussam indicet, cur se Socrates putet omni metu liberatum esse. Itaque in eiusmodi locis semper etiam verbi primarii ratio ducenda est, neque recte agunt, qui eos exscribunt mutilos, appositis tantum nominibus atque participiis. Ceterum similis etiam adiectivorum ratio est, de quibus alio loco explicabitur. Dein tres optimi codd. *πρὸς δὲ αὖ τοῖς* vel *πρὸς δὲ αὐτοῖς μνήμην τινὰ δ.* Illud receperunt Turicenses; parum recte, si quid iudicare possumus, praesertim quum alia exempla articuli sic positi haudquaquam suppetant. Sententia haec est: praeterea autem (h. e. praeterquam quod nihil amplius mihi metuendum esse video) videtur aliquis deorum iam nobis suppeditasse obscuram quandam veteris alicuius sermonis recordationem, qua res controversa facilius possit expediri; memini enim me aliquando nescio quo modo audire, nec sapientiam nec voluptatem

ΠΡΩ. Πῶς δὴ καὶ τίνων;

Cap. X. *ΣΩ. Λόγων ποτέ τινων πάλαι ἀκούσας ὄναρ ἢ καὶ ἐγρηγορὼς νῦν ἐννοῶ περί τε ἡδονῆς καὶ φρονήσεως, ὡς οὐδέτερον αὐτοῖν ἐστὶ τἀγαθόν, ἀλλ' ἄλλο τι τρίτον, ἕτερον μὲν τούτων, ἄμεινον*
C *δὲ ἀμφοῖν. καί τοι τοῦτο ἐὰν ἐναργῶς ἡμῖν φανῇ νῦν, ἀπήλλακται μὲν ἡδονὴ τοῦ νικᾶν· τὸ γὰρ ἀγαθὸν οὐκ ἂν ἔτι ταὐτὸν αὐτῇ γίγνοιτο. ἢ πῶς;*

ΠΡΩ. Οὕτως.

ΣΩ. Τῶν δέ γε εἰς τὴν διαίρεσιν εἰδῶν ἡδονῆς

αὐτοῖν ἐστὶ τἀγαθόν,] Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *ἀγαθόν.*

τοῦτο ἐὰν ἐναργῶς] *οὕτω γε ἐὰν ἐν.* Bodl. pr. et Vat. errore. Ortum videtur ex *καὶ τοιοῦτό γε ἄν*, quod habet corr. Bodl. Sed praestare videtur vulgatum.

summum bonum esse. Quod Socrates hic sese divina quadam admonitione ait in aliam sententiam deduci, id ex eo habet explicationem, quod apud Platonem qui quid sublimius et reconditius intelligunt et cognoscunt, ii saepenumero dicuntur illud mente sua tanquam praesagire atque divinare, sive quod maius et excelsius videtur, quam quod animo humano penitus intelligi liceat, sive quia non subtilius explanatum est aut explorari potest, quibus illud caussis et rationibus nitatur. v. ad Remp. I. p. 349. A. Hinc igitur Socrates etiam haec addit: *ἀκούσας ὄναρ ἢ καὶ ἐγρηγορώς*, seque profitetur ista audivisse somniantem vel etiam vigilantem, h. e. modo sibi non satis noto, ut aut divinasse rem videatur, aut etiam aliquando clarius perspexisse. Sic De Rep. VIII. p. 563. D. *ἐμὸν ὄναρ* est quod ego saepenumero mecum animo sentiebam, mea opinio, tacita mentis meae cogitatio. Theaet. p. 201. D. *ἄκουε δὴ ὄναρ ἀντὶ ὀνείρατος.* Politic. p. 278. E. al. De Rep. VII. p. 533. C. *ὀνειρώττουσι — περὶ τὸ ὄν.* Legg. VII. p. 800. A. *ὥστε τάχ' ἂν οὐδ' ἐκεῖνοι παντάπασί γ' ἂν ἀφεστῶτες εἶεν τοῦ νῦν λεγομένου, καθ' ὕπνον δὲ οἷόν πού τις ἢ καὶ ὕπαρ ἐγρηγορὼς ὠνείρωξε μαντευόμενος αὐτό.* Sed hoc loco quaenam rei caussa sit, in Prolegomenis p. 33. exposuimus accuratius.

C. *καί τοι τοῦτο ἐὰν ἐναργ.*] tertium illud, quod quum a scientia et voluptate differat, tamen utraque praestantius sit. Non igitur praeferam, quod cod. Bodl. corr. suppeditat *καὶ τοιοῦτό γε ἂν ἐν.*, quantumvis id placuerit Turicensibus.

προῖόν δ' ἔτι σαφέστερον δείξει] Stephan. cum Bas. 2. et paucis quibusdam codd. mss. edidit *προῶν δ' ἔτι ὁ λόγος σαφέστερον δείξει.* Quam lectionem ex correctione ortam esse, codicum meliorum de recepta scriptura communis consensio reddit verisimillimum. Accedit, quod insolens istud *προῖόν δείξει* facile parere potuit eiusmodi sive glossema sive *παράθωμα.* Nec vero

οὐδὲν ἔτι προσδεησόμεθα κατ' ἐμὴν δόξαν. προϊὸν δ' ἔτι σαφέστερον δείξει.

ΠΡΩ. Κάλλιστα εἰπὼν οὕτω καὶ διαπέραινε.

ΣΩ. Σμικρὰ ἄττα τοίνυν ἔμπροσθεν ἔτι διομολογησώμεθα.

ΠΡΩ. Τὰ ποῖα;

ΣΩ. Τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν πότερον ἀνάγκη τέλεον ἢ μὴ τέλεον εἶναι; D

ΠΡΩ. Πάντων δήπου τελεώτατον, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Τί δέ; ἱκανὸν τἀγαθόν;

C. *αὐτῇ γίγνοιτο.*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *γίγνηται.*

προϊὸν δ' ἔτι σαφέστερον δείξει.] V. *προϊὸν δ' ὁ λόγος.* Receptam lectionem firmant Bodl. Vat. Ven. *ΠΣΛ.* Par. BC. Flor. b. Praeterea *ὁ λόγος* deest etiam in Par. EF. Angel. Flor. a. c. i.

D. *Τί δέ; ἱκανὸν τἀγ.*] *δαί* Vat. Coisl.

est cur in librorum lectione haereamus. Nam tertia persona *δείξει, δηλοῖ, ἐδήλωσε*, non raro sic poni solet absolute, ut *αὐτὸ* vel *τὸ πρᾶγμα* intelligi liceat, quod tamen iam in praegressis inest. Aristoph. Ran. v. 1261. *πάνυ γε μέλη θαυμαστά· δείξει δὴ τάχα*, h. e. res ipsa declarabit, ut loquitur Terentius. Plat. Reip. VI. p. 493. C. *τότε δηλώσει.* Herodot. IX. 68. Aristot. Polit. IV. 11. p. 115. ed. Schneid. *δηλοῖ*, res ipsa declarat, unde *δηλοῖ* Herodoto etiam libr. II. 117. vindicamus, ubi Valckenarius corrigebat *δῆλον.* Idem scriptor III. 82. *καὶ ἐν τούτῳ διέδεξεν*, in eo res ipsa declaravit, h. e. in eo apparuit, quod non intellexerunt interpretes, licet mox subsequatur *καὶ ἐν τούτῳ δηλοῖ.* Xenoph. Mem. I. 2, 32. *ἐδήλωσε δέ* Cyrop. VII. 1, 30. Eundem tertiae personae usum etiam in aliis verbis reperiri copiosa exemplorum enumeratione ad Theaet. p. 187. C. demonstravimus. conf. etiam quae exposuit Matthiae Gr. Gr. §. 295. 2. p. 753 sq. ed. 3. Quum igitur in tertia persona *δείξει* insit notio generalior subiecti *αὐτό*, huic ipsi facile accommodare licuit participium *προϊόν*, nec quidquam caussae est, cur eius accessionem moleste feramus.

D. *Τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν* —] Tria requirit in eo, quod pro summo bono ducendum sit, ut sit *τέλεον, ἱκανόν* atque *αἱρετόν*, hoc est, ut felicitatem humanam omni ex parte absolvat, planeque beatos reddat qui sint eius participes; ut sibimet ipsi sufficiat, neque alius cuiuspiam boni adiumento ac praesidio indigeat; denique ut dignum sit quod expetatur ab omnibus, neque cuiquam spernendum aut reiiciendum videatur. Sed copiosius rem tractavimus in Prolegg. p. 31 sqq. — *τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν*, per periphrasin dictum pro *τὸ ἀγαθόν.* Infra p. 60. B. *μέτοχον εἶναι τῆς τοῦ ἀγαθοῦ μοίρας.* Phaedr. p. 255. B. *μοῖραν φιλίας οὐδεμίαν παρέχονται.* al. Quanquam hanc periphrasin non esse vi sua destitutam facile intelligas.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ; καὶ πάντων γε εἰς τοῦτο διαφέρειν τῶν ὄντων.

ΣΩ. Τόδε γε μήν, ὡς οἶμαι, περὶ αὐτοῦ ἀναγκαιότατον εἶναι λέγειν, ὡς πᾶν τὸ γιγνῶσκον αὐτὸ θηρεύει καὶ ἐφίεται βουλόμενον ἑλεῖν καὶ περὶ αὐτὸ κτήσασθαι, καὶ τῶν ἄλλων οὐδὲν φροντίζει πλὴν τῶν ἀποτελουμένων ἅμα ἀγαθοῖς.

ΠΡΩ. Οὐκ ἔστι τούτοις ἀντειπεῖν.

E ΣΩ. Σκοπῶμεν δὴ καὶ κρίνωμεν τόν τε ἡδονῆς καὶ τὸν φρονήσεως βίον ἰδόντες χωρίς.

ΠΡΩ. Πῶς εἶπες;

ΣΩ. Μήτε ἐν τῷ τῆς ἡδονῆς ἐνέστω φρόνησις μήτ' ἐν τῷ τῆς φρονήσεως ἡδονή. δεῖ γὰρ, εἴπερ πότερον αὐτῶν ἐστὶ τἀγαθόν, μηδὲν μηδενὸς ἔτι προσδεῖσθαι· δεόμενον δ' ἂν φανῇ πότερον, οὐκ
21 ἔστι που τοῦτ' ἔτι τὸ ὄντως ἡμῖν ἀγαθόν.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

εἰς τοῦτο διαφέρειν] Steph. διαφέρει, invitis codd. omnibus et editt. Ald. Bas. 1. 2. Tenuit Stephani lectionem Bekkerus.

E. εἴπερ πότερον αὐτῶν] V. πρότερον, quod ex Bodl. Vat. Ven. *Π.* emendatum. Aliquot libri ὁπότερον. Pro ἐστὶ τἀγαθόν, quae est lectio Bodl. Vat. Ven. *Π.*, vulgo scribebatur ἐστ' ἀγαθόν. Mox vett. editt. ordine inverso μηδενὸς μηδέν, invitis codd. fere omnibus cum Bodl. Vat. Ven. *Π.*

ἂν φανῇ πότερον] V. ὁπότερον, invitis Bodl. Vat. Ven. *Π Λ.* Par. B C. Angel. Flor. a. b. i.

P. 21. Δέξαι' ἄν; Πρώταρχε, σὺ ζῇν —] Sic Bodl.

Τόδε γε μὴν — εἶναι λέγειν] Infinitivus ex parenthesi aptus; v. ad Phaedr. p. 272. D.

καὶ περὶ αὐτὸ κτήσασθαι] H. e. κτήσασθαι αὐτό, ὥστε περὶ ἑαυτὸ ἔχειν. Demosth. Olynth. I. p. 23. τούτους ἀσπάζεται καὶ περὶ ἑαυτὸν ἔχει. — πλὴν τῶν ἀποτελ. ἅμ. ἀγ. praeterquam ea, quae una cum bono absolvuntur; h. e. cum eo semper sunt coniuncta et copulata. Sic ἀποτελεῖσθαι dictum Sympos. p. 188. D. De Rep. IX. p. 480. E. VIII. 558. E. infra p. 54. E. al.

E. ἰδόντες χωρίς.] seorsum considerantes.

εἴπερ πότερον αὐτῶν ἐ. ἀγ.] Πότερον est alterutrum, ut infra p. 22. D. Theaet. p. 145. A. 178. C. Sophist. p. 264. D. p. 252. A. Reip. VI. p. 509. A. Lach. p. 182. D. Charmid. p. 171. B. al.

P. 21. ἐν σοὶ πειρώμεθα] V. ad p. 17. A.

B. μῶν μηδὲ ὁρᾶν τι;] Repetendum ex antecedentibus

ΣΩ. Οὐκοῦν ἐν σοὶ πειρώμεθα βασανίζοντες ταῦτα;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἀποκρίνου δή.

ΠΡΩ. Λέγε.

ΣΩ. Δέξαι' ἄν, Πρώταρχε, σὺ ζῆν τὸν βίον ἅπαντα ἡδόμενος ἡδονὰς τὰς μεγίστας;

ΠΡΩ. Τί δ' οὔ;

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἔτι τινὸς ἄν σοι προσδεῖν ἡγοῖο, εἰ τοῦτ' ἔχεις παντελῶς;

ΠΡΩ. Οὐδαμῶς.

ΣΩ. Ὅρα δή, τοῦ φρονεῖν καὶ τοῦ νοεῖν καὶ λογίζεσθαι τὰ δέοντα, καὶ ὅσα τούτων ἀδελφά, μῶν B μηδὲ ὁρᾶν τι;

ΠΡΩ. Καὶ τί; πάντα γὰρ ἔχοιμ' ἄν που τὸ χαίρειν ἔχων.

Vat. et corr. Ven. *Π.* Vett. editt. *Δέξαιο ἄν σύ, Πρ., ζῆν.* Ven. *Σ.* rec. *σὺ ὦ Πρώταρχε.* conf. p. 11. in.

εἰ τοῦτ' ἔχεις παντελῶς] V. *ἔχοις*, quod mutavi auctoritate Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΠΑΞ.* Par. BCEF. Ang. Flor. a. b. c. i. De indicativo cum optativo consociato v. ad Apolog. p. 25. B. Symp. 176. B. al.

τοῦ φρονεῖν καὶ τοῦ νοεῖν] Articulum ante *νοεῖν* iteravi cum Bodl. Vat. Ven. *Π.* Qui quod deinceps omittitur, de eo v. annot. ad Euthyphron. p. 7. C. Sophist. p. 251. A. Protag. p. 357. A. B. *μῶν μηδὲ ὁρᾶν τι;*] *ἐρᾶν* corr. Ven. *Σ.*

---

est *προσδεῖν σοι ἡγοῖο.* Salva igitur est constructionis ratio. Sed haeremus etiamnunc in isto *μηδὲ ὁρᾶν*, quod, qui ita dixerit, novimus sane neminem. Nam quae contulit cum his Winckelmannus in editione Turicensi, Euthyphr. p. 5. C. *οὗτος οὐ μὲν οὐδὲ δοκεῖ ὁρᾶν.* Reip. VIII. p. 555. E. *οὐδὲ δοκοῦντας τούτους ὁρᾶν.* Gorg. p. 501. D. ubi *μηδὲν σκοπούμενον* unice verum, Aristoph. Equitt. v. 1146. *τηρῶ γὰρ ἑκάστοτ' αὐτοὺς οὐδὲ δακᾶν ὁρᾶν*; ea quam sint disparia, vel negationis collocatio unumquemque edocere potest. Accipe igitur, quomodo locum nunc emendandum existimemus. Scribendum enim putamus: *μῶν μήθ' ὄναρ ὁρᾶν τι*; Proverbii instar est *οὐδὲ ὄναρ*, ne in somnio quidem. Theaet. p. 173. D. *οὐδὲ ὄναρ πράττειν προσίσταται αὐτοῖς.* conf. infra p. 36. E. 65 E. Demosth. De Fals. Legat. p. 429. ed. Reisk. *ἃ μηδ' ὄναρ ἤλπισαν πώποτε κτησαμένην.* Atque in eandem fere coniecturam postmodo vidimus etiam Lehrsium incidisse. — *Καὶ τί*; at cur tandem?

ΣΩ. Οὐκοῦν οὕτω ζῶν ἀεὶ μὲν διὰ βίου ταῖς μεγίσταις ἡδοναῖς χαίροις ἄν;

ΠΡΩ. Τί δ' οὔ;

ΣΩ. Νοῦν δέ γε καὶ μνήμην καὶ ἐπιστήμην καὶ δόξαν μὴ κεκτημένος ἀληθῆ, πρῶτον μὲν τοῦτ' αὐτό, εἰ ἢ χαίρεις ἢ μὴ χαίρεις, ἀνάγκη δήπου σε ἀγνοεῖν, κενόν γε ὄντα πάσης φρονήσεως.

ΠΡΩ. Ἀνάγκη.

C ΣΩ. Καὶ μὴν ὡσαύτως μνήμην μὴ κεκτημένον ἀνάγκη δήπου μήθ' ὅτι ποτὲ ἔχαιρες μεμνῆσθαι, τῆς τ' ἐν τῷ παραχρῆμα ἡδονῆς προσπιπτούσης μηδ'

μὴ κεκτημένος ἀληθῆ, πρῶτον μὲν κ. τ. λ.] Recte haec Bas. 1. 2. et codd. plurimi Socrati continuant. Nam Stephan. cum Ald. sic: μὴ κεκτημένος. ΠΡΩ. Ἀληθῆ. ΣΩ. Νοῦν δέ γε κ. τ. λ.

εἰ ἢ χαίρεις ἢ μὴ χ.] V. εἰ χαίρεις. Bodl. Vat. Ven. Π. εἴη χαίρεις.

C. μήθ' ὅτι ποτὲ ἐχ.] Sic sponte correxi. Libri mss. et editi omnes μηδ' ὅτι.

μηδ' ἠντινοῦν μνήμην —] V. μνήμην μηδ' ἠντινοῦν. Sed μὴδ' ἤντιν' οὖν μνήμην Bodl. μηδ' ἤντινα οὖν μνήμην Vat. μηδ'

Νοῦν δέ γε καὶ μνήμην — κεκτημένος — ἀνάγκη δήπου σε ἀγνοεῖν] Volebat dicere ἀγνοήσεις, aut similiter. Nunc mutato structurae tenore post nominativum intulit accusativum σε; v. ad Protag. p. 316. C. Criton. p. 50. E.

C. μήθ' ὅτι ποτὲ ἔχαιρες] Libri μηδ' ὅτι. Quod sponte correxi. Nam μηδὲ, ne quidem, huic membro orationis non convenit, quum in altero demum membro id quod gravius est commemoretur. Nunc apte inter se μήτε et τε respondent; v. ad Gorg. p. 501. A. 522. B. Protagor. p. 309. B. al. ὡς χαιρήσεις δ.] Moeris p. 403. χαιρήσεις, Ἀττικῶς, χαιρήσῃ Ἑλληνικῶς. v. intpp. ad Aristoph. Plut. v. 64. Lysistr. v. 469. χαιρήσομαι dixit personatus Lucian. Philopatr. §. 24.

ἀλλά τινος πλεύμονος] Fuit πλεύμων piscis marinus, qui a Plinio H. N. IX. 47., XVIII. 35. XXXII. 9 et 10. pulmo et pulmo marinus vocatur. Dicitur ei nullus sensus esse utpote silicea testa incluso. Hesychius. λέγονται πλεύμονες καὶ θαλάττια εἴδη ζώων ἀναίσθητα. conf. Aristot. Hist. An. XIII. 27. Fabric. ad Sext. Emp. p. 216. Hinc ortum proverbium πνεύμονος βίον ζῆν, de quo v. Casaubon. ad Athen. III. 17. Comment. T. II. p. 153. ed. Schweigh. et Petavium ad Synes. De Regn. p. 14. De scriptura vocabuli dissentiunt grammatici. Tamen verum videtur, quod vett. grammatici quidam perhibent, πλεύμων esse Atticum, πνεύμων dici Ἑλληνικῶς. v. Moeris p. 309. Thom. Mag. s. v. Gregor. Corinth. p. 148. Et certe hoc loco πλεύμων confirmatur testimoniis codicum fere

ἡντινοῦν μνήμην ὑπομένειν, δόξαν δ' αὖ μὴ κεκτημένον ἀληθῆ μὴ δοξάζειν χαίρειν χαίροντα, λογισμοῦ δὲ στερόμενον μηδ' εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ὡς χαιρήσεις δυνατὸν εἶναι λογίζεσθαι, ζῆν δὲ οὐκ ἀνθρώπου βίον ἀλλά τινος πλεύμονος ἢ τῶν ὅσα θαλάττια μετ' ὀστρείνων ἔμψυχά ἐστι σωμάτων. ἔστι ταῦτα, ἢ παρὰ D
ταῦτ' ἔχομεν ἄλλως πως διανοηθῆναι;

ΠΡΩ. Καὶ πῶς;

ΣΩ. Ἆρ' οὖν αἱρετὸς ἡμῖν βίος ὁ τοιοῦτος;

ΠΡΩ. Εἰς ἀφασίαν παντάπασί με, ὦ Σώκρατες, οὗτος ὁ λόγος ἐμβέβληκε τὰ νῦν.

ἡντινοῦν μνήμην Ven. *Π.* Unde saltem ordinem vulgarem mutavi *μνήμην* post *ἡντινοῦν* collocato.

μηδὲ δοξάζειν χαίρειν] *χαίρειν* Bodl. *μηδὲ χαίρειν* Vat.

ἀλλά τινος πλεύμονος] *πνεύμονος* Ven. *Σ.* et corr. Coisl. Vat. De scriptura vocabuli v. Lobeck. ad Phrynich. p. 305. Blomfield. ad. Aeschyl. Theb. v. 61.

μετ' ὀστρείνων] Sic Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΣΠ.* Par. BEF. Flor. i. cum Ald. Bass. 1. 2. Stephanus *ὀστρείων* scripsit.

D. *ἔχομεν ἄλλως*] *ἐχόμενα* Bodl. Vat. Ven. *Π.* lidem dein *πως* omittunt.

omnium; in Lachete autem p. 192. E. qud vulgo *περιπνευμονία* scribitur, id ex cod. Bodl. in *περιπλευμονία* mutandum est. Similiter Tim. p. 70. C. D. 79. C. 84. D. 91. A. ea scriptura optimorum librorum auctoritate nititur. conf. Lobeck. ad Phrynich. p. 305. qui, quae de Platone effatus est, ea nunc sine dubio retractabit.

D. *ἢ παρὰ ταῦτ' ἔχομεν ἄλλως πως δ.*] Expectabas *ἄλλο τι* vel *ἄλλα τινά*. Gorg. p. 507. A. *οὐκ ἔχω παρὰ ταῦτα ἄλλα φάναι.* Phaedr. p. 107. A. *οὔκουν — ἔχω παρὰ ταῦτα ἄλλο τι λέγειν.* Phaedon. p. 74. A. *παρὰ ταῦτα πάντα ἕτερόν τι.* Ibid. p. 80. B. *ἔχομέν τι παρὰ ταῦτα ἄλλο λέγειν;* Politic. p. 295. D. E. Theaet. p. 156. A. Lysid. p. 213. C. De Rep. I. p. 337. E. VI. p. 506. B. X. p. 603. C. Xenoph. Hell. I. 5, 5. Aristoph. Nubb. v. 698. Pac. v. 110. Lysistr. v. 110. Quibus addas licet quae collegerunt Schaeferus ad Dionys. De Comp. Verb. p. 117 sq. et Bastius ad Gregor. Corinth. p. 360. Neque aliter Latini. Cicero Offic. II. 2. nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, *praeter* studium sapientiae, h. e. quam studium sapientiae. Tres optimi codd. mss. *πως* omittunt. Hinc facile aliquis suspicetur in *ἄλλως* latere *ἄλλο τι.* Sed vereor, ne *πως* ob id ipsum a grammaticis deletum sit, quo facilius *ἄλλο τι* refingi posset. Recte autem dici *ἄλλως παρὰ ταῦτα* non videtur egere demonstratione.

Εἰς ἀφασίαν παντάπασί με —] *Ἀφασία* tribuitur ei, qui prae animi perturbatione vel etiam dubitatione non reperit,

ΣΩ. Μήπω τοίνυν μαλθακιζώμεθα, τὸν δὲ τοῦ νοῦ μεταλαβόντες αὖ βίον ἴδωμεν.

Cap. XI. ΠΡΩ. Ποῖον δὴ λέγεις;

ΣΩ. Εἴ τις δέξαιτ' ἂν αὖ ζῆν ἡμῶν φρόνησιν μὲν καὶ νοῦν καὶ ἐπιστήμην καὶ μνήμην πᾶσαν πάν-
E των κεκτημένος, ἡδονῆς δὲ μετέχων μήτε μέγα μήτε σμικρόν, μηδ' αὖ λύπης, ἀλλὰ τὸ παράπαν ἀπαθὴς πάντων τῶν τοιούτων.

ΠΡΩ. Οὐδέτερος ὁ βίος, ὦ Σώκρατες, ἔμοιγε τούτων αἱρετός, οὐδ' ἄλλῳ μήποτε, ὡς ἐγῷμαι, φανῇ.

Μήπω τοίνυν μαλθακ.] νῦν Bodl.

μεταλαβόντες αὖ βίον] Par. F. *μεταβάλλοντες*. Bastius Specim. ed. Symp. p. 65. et Epist. Crit. p. 157. ed. Lips. ex Paris. reponendum censebat *μεταβαλόντες*.

Ποῖον δὴ λέγεις;] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *τὸν ποῖον δὴ λ.*

P. 22. *Τί δ' ὁ ξυναμφότερος —*] *Τὸ δ' ὁ ξ.* Bodl. Idem

---

quid dicat vel faciat: id quod pulcre demonstrarunt intpp. ad Thom. Mag. p. 135. Bergler. ad Aristoph. Thesmoph. v. 911. Ruhnken. Epist. Crit. II. p. 212. Wyttenbach. Bibl. Crit. Vol. III. Part. IV. p. 45. Dein *μαλθακίζεσθαι* de disputantibus eodem modo positum Alcib. I. p. 124. D. *οὐκ ἀποκνητέον οὐδὲ μαλθακιστέον, ὦ ἑταῖρε.* Sophist. p. 241. C. *οὕτως ἀποστησόμεθα νῦν μαλθακισθέντες.*

μεταλαβόντες αὖ βίον] Aliquot codices *μεταβαλόντες*, quod olim cum Bastio Specim. Crit. in Symp. p. 65. et Epist. Crit. ad Boisson. p. 157. ed. Lips. amplexi sumus. Postea temporis acceptis librorum copiis eam sententiam deserendam putavimus; quod quibus de caussis fecerimus, docebunt quae ad Phaedr. p. 241. A. commentati sumus. Nimirum Socrates hoc dicit: vicissim etiam vitam menti ac sapientiae dicatam explorandam sumamus atque consideremus.

Εἴ τις δέξαιτ' ἂν αὖ ζῆν] Codd. omnes *ἄν* post *εἰ* illatum unanimi consensione firmare videntur. Nec profecto vocula temere sollicitanda est, sicubi sententia conditionalis rursus ex alia conditione suspensa esse intelligitur. Quod hoc quidem loco fieri potest rectissime. Vide quae de hac re exposuimus ad Menon. p. 98. B. et ad Protagor. p. 329. B. Formulam *μήτε μέγα μήτε σμικρόν* illustravimus ad Apolog. Socr. p. 19. D. Post *ἀπαθὴς* ne quis *ὤν* addendum censeat, alia id genus dedimus ann. ad Tim. p. 98. D. et Gorg. p. 501. A.

E. *οὐδ' ἄλλῳ μήποτε — φανῇ*] V. ad Remp. VI. p. 492. D.

P. 22. *συμμιχθεὶς κοινὸς γενόμενος*] H. e. facta mixtione communis red-

ΣΩ. Τί δ' ὁ ξυναμφότερος, ὦ Πρώταρχε, ἐξ ἀμφοῖν συμμιχθεὶς κοινὸς γενόμενος; 22

ΠΡΩ. Ἡδονῆς λέγεις καὶ νοῦ καὶ φρονήσεως;

ΣΩ. Οὕτω καὶ τὸν τοιοῦτον λέγω ἔγωγε.

ΠΡΩ. Πᾶς δήπου τοῦτόν γε αἱρήσεται πρότερον ἢ ἐκείνων ὁποτερονοῦν, καὶ πρὸς τούτοις γε οὐχ ὁ μέν, ὁ δ' οὔ.

ΣΩ. Μανθάνομεν οὖν ὅ τι νῦν ἡμῖν ἐστι τὸ ξυμβαῖνον ἐν τοῖς παροῦσι λόγοις;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν, ὅτι τρεῖς μὲν βίοι προὐτέθησαν, τοῖν δυοῖν δ' οὐδέτερος ἱκανὸς οὐδὲ αἱρετὸς οὔτ' ἀνθρώποις οὔτε ζώων οὐδενί. B

mox cum Vat. Ven. *Π.* pro *καὶ τὸν τοιοῦτον* habet *καὶ τῶν τοιούτων*, et *ἔγωγε* omittit.

ἢ ἐκείνων] V. *ἢ κείνων*, invitis Bodl. Vat. Ven. *ΠΑ.* Ex iisdem libris in proximis *γε* restitutum est. Mox Bodl. *ἔτι νῦν* pro *ὅτι νῦν*.

ὅτι τρεῖς μὲν βίοι] V. *ὅτι γε τρεῖς μ. β.* Omisi *γε* cum Bodl. Vat. Ven. *Π.*

ditus. Concursum hunc complurium participiorum abunde illustrabunt, quae ad Phaedr. p. 251. D. Gorg. p. 464. C. 471. B. Apol. Socr. p. 27. A. al. scripsimus. Ad *τί δὲ — γενόμενος* int. *φαίνεται*. v. Phaedr. p. 234. C. Men. p. 82. E. Prot. p. 352. B. al.

καὶ πρὸς τούτοις γε οὐχ ὁ μέν, ὁ δὲ οὔ.] ac praeterea (hanc vitam eliget) non alter, alter contra. Itaque his verbis notio atque vis praecedentis *πᾶς* confirmatur et augetur. Simillima sunt Aeschyl. Pers. v. 807. *σύμβαίνει γὰρ οὐ τὰ μέν, τὰ δὲ οὔ.* ubi v. Blomfield. Herodot. I. 138. *ἐς τοῦτο διζήμενος εὑρήσεις τελευτῶντα τῶν Περσῶν οὐνόματα, οὐ τὰ μέν, τὰ δὲ οὔ, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως.* Ibid. II. 37. *οὐκ ὁ μέν, ὁ δὲ οὔ, ἀλλὰ πάντες.* Phocylid. ap. Strab. X. p. 487. *καὶ τόδε Φωκυλιδέω· Λέριοι κακοί, οὐχ ὁ μέν, ὁ δ' οὔ· πάντες, πλὴν Προκλέους· καὶ Προκλῆς Λέριος.* Plato Legg. XI. p. 923. B. *ἡμῖν δὲ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ὑμετέρων μελήσει, κηδομένοις ὅ τι μάλιστα εἰς δύναμιν οὐ τῶν μέν, τῶν δὲ οὔ*, quem locum interpretes frustra emendare conati sunt. Senties iam, quo iure Stephanus haec scripserit: Post haec verba, inquit, *οὐχ ὁ μέν, ὁ δὲ οὔ*, aliquid subaudiendum relinquitur, nisi quid deesse dicendum sit. Ceterum *πρὸς τούτοις* pro *πρὸς τούτῳ* dicitur. Aliter Schleiermacherus, qui commate post *τούτοις γε* posito verba sic interpretatur: Diese wird wohl ieder eher als irgend eine von ienen wählen, und zu ienen dazu; nicht etwa einer, und ein anderer wieder nicht. Quod non uno nomine displicet. Aristoph. Rann. p. 1129. *ἔπειτα γραῦν ἔγημεν αὐτὸς ὢν νέος, καὶ πρός γε τούτοις τὴν ἑαυτοῦ μητέρα.*

ΣΩ. Μῶν οὖν οὐκ ἤδη τούτων γε πέρι δῆλον ὡς οὐδέτερος αὐτῶν εἶχε τἀγαθόν; ἦν γὰρ ἂν ἱκανὸς καὶ τέλεος καὶ πᾶσι φυτοῖς καὶ ζώοις αἱρετός, οἷσπερ δυνατὸν ἦν οὕτως ἀεὶ διὰ βίου ζῆν. εἰ δέ τις ἄλλα ἠρεῖθ' ἡμῶν, παρὰ φύσιν ἂν τὴν τοῦ ἀληθῶς αἱρετοῦ ἐλάμβανεν ἄκων ἐξ ἀγνοίας ἢ τινος ἀνάγκης οὐκ εὐδαίμονος.

ΠΡΩ. Ἔοικε γοῦν ταῦθ' οὕτως ἔχειν.

C ΣΩ. Ὡς μὲν τοίνυν τὴν γε Φιλήβου θεὸν οὐ δεῖ διανοεῖσθαι ταὐτὸν καὶ τἀγαθόν, ἱκανῶς εἰρῆσθαί μοι δοκεῖ.

ΦΙ. Οὐδὲ γὰρ ὁ σὸς νοῦς, ὦ Σώκρατες, ἔστι τἀγαθόν, ἀλλ' ἕξει που ταὐτὰ ἐγκλήματα.

ΣΩ. Τάχ' ἄν, ὦ Φίληβε, ὅ γ' ἐμός· οὐ μέντοι

B. οὐδέτερος αὐτῶν] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΠΑ*. Legebatur olim αὐτοῖν.

τοῦ ἀληθῶς αἱρετοῦ] Sic tres optimi pro vulg. ἀληθοῦς.

C. ἕξει που ταὐτὰ ἐγκλήματα] Sic Vat. et pr. Ven. *Π*. Vulgo ταὐτὰ τἀ ἐγκλ.

D. οὕτω τὸ μὲν ἀγαθὸν τ.] Stephanus τῷ μὲν ἀγ. errore. Dein οὐδετέρων Bodl. Vat. et Ven. *Π*. corr.

B. ἦν γὰρ ἂν ἱκανὸς —] Int. εἰ εἶχε τἀγαθόν. Eodem modo infra. Pro πᾶσι φυτοῖς κ. τ. λ. Sydenhamus p. 23. A. πᾶσι τοῖς ζώοις αἱρετὸς scribendum putabat. At secundum Platonem etiam τὰ φυτὰ vita quadam perfruuntur; v. Tim. p. 76. E. sqq. 77. B. C. ubi inter alia: διὸ δὴ ζῷ μὲν (genus plantarum) ἔστι τε οὐχ ἕτερον ζώου, μόνιμον δὲ καὶ κατεῳρίζωμένον πέπηγε διὰ τὸ τῆς ὑφ' ἑαυτοῦ κινήσεως ἐστερῆσθαι. Itaque sententiam verborum hanc esse apparet: Foret ea vita omnino omnibus expetenda naturis sensu aliquo praeditis.

C. διανοεῖσθαι ταὐτὸν καὶ τἀγαθόν,] Suspicari possis, legendum esse ταὐτὸν ὂν καὶ τἀγαθόν, h. e. οὖσαν, de quo genere constructionis v. ad Menon. p. 79. E. Nec tamen necessaria est ea mutatio.

οὐ μέντοι — οἶμαι νοῦν] Int. ἔχειν ταὐτὰ ἐγκλήματα, constructione prope legitima; v. ad Euthyphron. p. 3. E. Protag. p. 314. B. Significatur autem his verbis, mentem et rationem divinam utique humana mente longe maius quiddam esse ac praestantius: eam enim, quum in se perfecta et absoluta sit, nec quidquam aliunde desiderare ad summae perfectionis et beatitatis possessionem. Ob oculos habuit hunc locum Plotinus Libr. VII. Ennead. VI. p. 1311 sqq. ed. Creuzer.

τῶν μὲν οὖν νικητηρίων — οὐκ ἀμφισβητῶ] De hac

τόν γε ἀληθινὸν ἅμα καὶ θεῖον οἶμαι νοῦν, ἀλλ' ἄλλως πως ἔχειν. τῶν μὲν οὖν νικητηρίων πρὸς τὸν κοινὸν βίον οὐκ ἀμφισβητῶ πω ὑπὲρ νοῦ, τῶν δὲ δὴ δευτερείων ὁρᾶν καὶ σκοπεῖν χρὴ πέρι τί δράσομεν. τάχα γὰρ ἂν τοῦ κοινοῦ τούτου βίου αἰτιώμεθ' D
ἂν ἑκάτερος ὁ μὲν τὸν νοῦν αἴτιον, ὁ δ' ἡδονὴν εἶναι, καὶ οὕτω τὸ μὲν ἀγαθὸν τούτων ἀμφοτέρων οὐδέτερον ἂν εἴη, τάχα δ' ἄν αἰτιόν τις ὑπολάβοι πότερον αὐτῶν εἶναι. τούτου δὴ πέρι καὶ μᾶλλον ἔτι πρὸς Φίληβον διαμαχοίμην ἄν, ὡς ἐν τῷ μικτῷ τούτῳ βίῳ, ὅ τι ποτ' ἔστι τοῦτο ὃ λαβὼν ὁ βίος οὗτος γέγονεν αἱρετὸς ἅμα καὶ ἀγαθός, οὐχ ἡδονῇ ἀλλὰ νοῦς τούτῳ ξυγγενέστερον καὶ ὁμοιότερόν ἐστι. καὶ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον οὔτ' ἂν τῶν πρωτείων οὐδ' αὖ τῶν δευ- E
τερείων ἡδονῇ μετὸν ἀληθῶς ἄν ποτε λέγοιτο. πορ-

πότερον αὐτῶν εἶναι] Sic Bodl. Vat. Ven. ΑΞΠ. Par. BCEH. Aug. Flor. a. b. c. i. cum Ald. Bas. 1. Unus Steph. ὁπότερον.

E. οὔτ' ἂν τῶν πρωτείων] V. οὔτ' αὖ, quod ex Bodl. Vat. Ven. Π. emendatum.

οὐδ' αὖ τῶν δευτ.] Sic codd. plurimi. Bekkerus οὔτ' αὖ scripsit ex Ven. Σ. Angel. Pro αὖ Vat. Ven. Π. ἄν.

constructione verbi ἀμφισβητεῖν v. ad Politicum p. 275. B. in quo libro ea usurpatur frequentius.

D. τάχα γὰρ ἂν τοῦ κοινοῦ βίου αἰτιώμεθ'] Κοινὸς βίος non alius est, nisi qui mox vocatur μικτός, hoc est, ex voluptate atque sapientia mixtus ac temperatus. Iam vero, pronti vel haec vel illa plus valet ad illius dignitatem et praestantiam, ita alterutra etiam propius ad ipsius boni similitudinem accedere existimanda est. Quocirca Socrates iam de δευτερείοις videndum esse arbitratur. Etenim secundas vult ei deferri, unde vitae ad fructum beatitatis recte temperandae leges maxime suspensae sint: quod quoniam in mentem et rationem quidem conveniat, in sensum iucundi non item congruat, voluptatem nec secundas, imo ne tertias quidem habituram esse auguratur. Loquutionem αἴτιον αἰτιᾶσθαί τι attigimus ad Hipp. min. p. 372. B. Cratyl. p. 411. C. Phaedr. p. 253. A. al.

τάχα δ' ἂν αἴτιόν τις ὑπολάβοι —] fortasse autem aliquis existimet alterutrum eorum (aut voluptatem aut sapientiam) causs'am esse (vitae vere beatae). Nam ad αἴτιον facile intelligitur ex antegressis τοῦ κοινοῦ βίου. De πότερον autem v. ad p. 20. D.

E. οὐδ' αὖ τῶν δευτερείων —] In his οὐδ' αὖ post οὔτε infertur, quoniam alterum orationis membrum habet quandam oppositionis gravitatem atque id adauget, quod in priore

ῥωτέρω δέ ἐστι τῶν τριτείων, εἴ τι τῷ ἐμῷ νῷ δεῖ πιστεύειν ἡμᾶς τὰ νῦν.

ΠΡΩ. Ἀλλὰ μήν, ὦ Σώκρατες, ἔμοιγε δοκεῖ νῦν μὲν ἡδονή σοι πεπτωκέναι καθαπερεὶ πληγεῖσα ὑπὸ τῶν νῦν δὴ λόγων· τῶν γὰρ νικητηρίων πέρι
23 μαχομένη κεῖται. τὸν δὲ νοῦν, ὡς ἔοικε, λεκτέον ὡς ἐμφρόνως οὐκ ἀντεποιεῖτο τῶν νικητηρίων· τὰ γὰρ αὐτὰ ἔπαθεν ἄν. τῶν δὲ δὴ δευτερείων στερηθεῖσα ἡδονὴ παντάπασιν ἄν τινα καὶ ἀτιμίαν σχοίη πρὸς τῶν αὐτῆς ἐραστῶν· οὐδὲ γὰρ ἐκείνοις ἔτ' ἂν ὁμοίως φαίνοιτο καλή.

ΣΩ. Τί οὖν; οὐκ ἄμεινον αὐτὴν ἐᾶν ἤδη καὶ

νῦν μὲν ἡδονή σοι π.] μὲν om. Bodl. Vat. Ven. II.

P. 23. B. Βαβαὶ ἄρα] Βαβαῖ Bodl.

enuntiati parte dictum est. Sic p. 42. B. οὔτε αὐτὸ ὀρθῶς φαινόμενον ἐρεῖς οὐδ' αὖ ποτὲ τὸ ἐπὶ τοῦτο μέρος — ἀληθὲς πολμήσεις λέγειν, quem locum iam olim comparavimus. Legg. VIII. p. 840. A. οὔτε τινὸς πώποτε γυναικὸς ἥψατο οὐδ' αὖ παιδός. De Rep. X. p. 608. B. ἐπαρθένια οὔτε τιμῇ οὔτε χρήμασιν οὔτε ἀρχῇ οὐδεμιᾷ οὐδέ γε ποιητικῇ. Ibid. IV. p. 426. B. οὔτε φάρμακα οὔτε καύσεις οὔτε τομαὶ οὐδ' αὖ ἐπῳδαί. Plura id genus suppeditabunt Dorvill. ad Charit. p. 641. Schaefer. ad Dionys. De Comp. Verb. p. 36. et 299. Krüger. ad Dionys. Hist. p. 13. Reisig. Coniect. in Aristoph. p. 213. Patet ex his, opinor, quo iure codd. quidam οὔτ' ἄν pro οὐδ' αὖ tueantur. Nimirum ortum id est ex mera hariolatione. De participio μετόν cum verbo dicendi coniuncto v. Matthiae Gr. §. 555. anm. 4.

πεπτωκέναι καθαπερεὶ πληγεῖσα] Protag. p. 339. E. καὶ ἐγὼ τὸ μὲν πρῶτον ὥσπερεὶ ὑπὸ ἀγαθοῦ πύκτου πληγεὶς ἐκποτώθην τε καὶ ἐλιγγίασα εἰπόντος αὐτοῦ ταῦτα. Euthydem. p. 303. A. ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ Κρίτων, ὥσπερ πληγεὶς ὑπὸ τοῦ λόγου, ἐκείμην ἄφωνος.

P. 23. τὰ γὰρ αὐτὰ ἔπαθεν ἄν.] Int. εἰ ἀντεποιεῖτο αὐτῶν. v. p. 22. B.

στερηθεῖσα ἡδονὴ — καλή] Lepide et urbane voluptas dicitur, non reportato secundo praemio, apud suos in contemtum ventura esse, nec iam aeque pulcra existimatum iri. Loquitur igitur Protarchus de ea tanquam muliercula aliqua illecebris ac veneribus suis grata et amatores pelliciente. Non inepte cum his comparaveris Prodiciam illam fabulam de Hercule in bivio constituto apud Xenoph. Mem. II. 1.

ἐξελεγχοντα λυπεῖν] Haec quoque facete et iocose dicuntur. Non vult enim Voluptatem accuratiore examine reddere tristem et morosam, quippe quod eius

μὴ τὴν ἀκριβεστάτην αὐτῇ προσφέροντα βάσανον καὶ ἐξελέγχοντα λυπεῖν;

ΠΡΩ. Οὐδὲν λέγεις, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Ἆρ' ὅτι τὸ ἀδύνατον εἶπον, λυπεῖν ἡδονήν; B

ΠΡΩ. Οὐ μόνον γε, ἀλλ' ὅτι καὶ ἀγνοεῖς ὡς οὐδείς πώ σε ἡμῶν μεθήσει, πρὶν ἂν εἰς τέλος ἐπεξέλθῃς τούτων τῷ λόγῳ.

ΣΩ. Βαβαὶ ἄρα, ὦ Πρώταρχε, συχνοῦ μὲν λόγου τοῦ λοιποῦ, σχεδὸν δὲ οὐδὲ ῥᾴδιον πάνυ τι νῦν. καὶ γὰρ δὴ φαίνεται δεῖν ἄλλης μηχανῆς, ἐπὶ τὰ δευτερεῖα ὑπὲρ νοῦ πορευόμενον οἷον βέλη ἔχειν ἕτερα τῶν ἔμπροσθεν λόγων· ἔστι δὲ ἴσως ἔνια καὶ ταὐτά. οὐκοῦν χρή;

οὐδὲ ῥᾴδιον] In Ven. Ξ. corr. ῥᾳδίον. Ald. Bas. I. Flor. b. i. σχεδὸν δὲ ῥᾴδιον. Etiam Ven. A. Par E. οὐδὲ omittunt.

naturae et ingenio adversari videatur.

B. Οὐ μόνον γε, ἀλλ' ὅτι] Gorg. p. 491. E. Οὐ μόνον γε, ὦ Καλλίκλεις, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν. Phaedon. p. 107. B. Οὐ μόνον γε, ἔφη, ὦ Σιμμία, ὁ Σωκράτης, ἀλλὰ ταὐτά τε εὖ λέγεις καὶ τ. λ. ubi v. ann. Proxima sic interpreteris: prius quam ad finem harum rerum disputatione tua perveneris. Pro τούτων dici poterat ταῦτα. Sed τῷ λόγῳ ἐπεξελθεῖν nunc dicitur absolute ac sine casu obiecti, ut infra p. 65. B. Gorg. p. 492. D. De Rep. I. p. 349. A. II. p. 361. E. al. Unde τούτων recte ad εἰς τέλος referri potuit.

Βαβαὶ ἄρα — ῥᾴδιον πάνυ τι νῦν] Papae, quam copiosa relinquitur disputatio! nec admodum facile est iam rem sic disceptare! Dedimus olim ῥᾳδίον, quod unus cod. habet, sed ceteri omnes ῥᾴδιον tuentur. Quod sane αὐτὸ intellecto κατὰ σύνεσιν explicandum, uti nunc facimus. Idque optime cum verbis sequentibus concordat. Proxima Lehrsius hunc in modum iungi voluit: φαίνεται ἐπὶ δευτερεῖα ὑπὲρ νοῦ πορευόμενον δεῖν ἔχειν οἷον ἄλλης μηχανῆς βέλη ἕτερα τῶν ἔμπροσθεν λόγων. Quod cur nobis non probetur, nunc non dicam; longum est enim et ab hoc loco prope alienum. Imo interpunctione post μηχανῆς facta, quae deinceps adduntur per epexegesin quandam addi existimanda sunt, hoc sensu: es scheint ein anderes Hülfsmittel nöthig zu sein, dass man nämlich, indem man auf den zweiten Preis für die Vernunft losgeht, andere Geschosse habe als die vorigen Reden. Sic locum etiam Astius interpretatus est ad Remp. p. 430. Ponitur vero πορευόμενον, quia in infinitivo ἔχειν continetur subiectum indefinitum τινά. De sermonum cum telis comparatione v. Sym-

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

Cap. XII. *ΣΩ. Τὴν δέ γε ἀρχὴν αὐτοῦ διεν-*
C *λαβεῖσθαι πειρώμεθα τιθέμενοι.*

ΠΡΩ. Ποίαν δὴ λέγεις;

ΣΩ. Πάντα τὰ νῦν ὄντα ἐν τῷ παντὶ διχῇ διαλάβωμεν, μᾶλλον δ', εἰ βούλει, τριχῇ.

ΠΡΩ. Καθ' ὅ τι, φράζοις ἄν.

ΣΩ. Λάβωμεν ἄττα τῶν νῦν δὴ λόγων.

ΠΡΩ. Ποῖα;

C. *Τούτω δὴ τῶν εἰδῶν*] Sic dedi de coniectura. Libri mss. et editi omnes *Τούτων*. v. interpretat.

D. *ἱκανῶς κατ' εἶδη δ.*] *ἱκανὸς* Bodl. Vat. Ven. *Π.* Iidem

pos. p. 219. B. Protag. p. 242. E. ibique ann.

C. *Τὴν δέ γε ἀρχὴν — τιθέμενοι.*] Conemur vero principium rei dum ponimus nobis cavere, h. e. caute conemur initium huius rei facere. Nam participium utique principalem notionem continet, de quo usu loquendi v. ad Gorg. p. 483. E. Seidler. ad Eurip. Iphig. Taur. v. 1412. intpp. ad Gregor. Corinth. p. 35. Winckelmann. ad Euthyd. p. 44. Ponitur autem dehinc novum quasi propositae quaestionis fundamentum. Docetur enim, in rerum universitate hanc dominari legem, ut quidque vel infinitum sit, vel finiens, vel ex utroque mixtum ac temperatum, vel denique tale, quod mixtionis caussam ac principium contineat. Hinc igitur repetitur de voluptatis et sapientiae dignitate atque praestantia iudicium. Sed de his quoniam copiose diximus in Prolegg. p. 35 sqq., nolumus hic repetere quae ad totius loci interpretationem pertineant. — Mox *μᾶλλόν δέ* est vel potius, ut Gorg. p. 465. C. Lachet. p. 196. C. De Rep. IX. p. 582. B. et aliis locis fere innumeris.

Καθ' ὅ τι, φράζοις ἄν.] H. *ῥ. λέγε, καθ' ὅ τι αὐτὰ διχῇ διαλήψει.* Dein etiamnunc minime displicet coniectura Schleiermacheri et Heindorfii, qui *ἀναλάβωμεν ἄττα τῶν νῦν δὴ λόγων* legendum putarunt. Nam quod in superioribus memoratum erat *τὸ ἄπειρον* atque *ἓν καὶ πολλά*, ubi de generibus et formis rerum disputabatur, id Socrates hic quoque ad partes vocandum censet, distinguens iam *τὸ ἄπειρον* et *τὸ πέρας*. Quo in genere proprium est verbum *ἀναλαμβάνειν*. Et quis est quin *ἄνα* largiatur ob antegressum *ἄν* facillime excidere potuisse, quum personarum notationem in antiquissimis codicibus fere duobus punctis factam esse constet? Nihilo minus fatemur mutationem non esse plane necessariam. Nam *λάβωμεν ἄττα* omnino est: summamus nonnulla ex superiore disputatione, quae loco principii ponamus, sicuti locum dudum intelleximus. Paullo ante p. 18. A. *ὥσπερ γὰρ ἓν ὁτιοῦν εἴ τίς ποτε λάβοι κ. τ. λ.* Infra p. 34. D. *φαίνεται λεπτὸν ἐπιθυμίαν, τί ποτ' ἔστι* al. — *τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι*, h. e. ostendisse hominibus; v. p. 16. C. Pro

ΣΩ. Τὸν θεὸν ἐλέγομέν που τὸ μὲν ἄπειρον δεῖξαι τῶν ὄντων, τὸ δὲ πέρας;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Τούτω δὴ τῶν εἰδῶν τὰ δύο τιθώμεθα, τὸ δὲ τρίτον ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ἕν τι ξυμμισγόμενον. εἰμὶ δ', ὡς ἔοικεν, ἐγὼ γελοῖός τις ἱκανῶς κατ' εἴδη διστὰς καὶ συναριθμούμενος. D

ΠΡΩ. Τί φῄς, ὦ 'γαθέ;

ΣΩ. Τετάρτου μοι γένους αὖ προσδεῖν.

---

dein *τάτ' εἴδη*.

γένους αὖ προσδεῖν.] Vulgo post *προσδεῖν* additur *φαίνεται*, quod auctoritate Bodl. Vat. delevimus.

τὸ δὲ πέρας Heindorfius malebat *τὸ δὲ πέρας ἔχον*. Alius fortasse coniiciat *τὸ δὲ πεπερασμένον*. Sed vide p. 27. D. *μετὰ τοῦ πέρατος δεδεμένον*. p. 25. D. *συμμίγνυ εἰς αὐτὴν τὴν αὖ τοῦ πέρατος γένναν*, ubi nihil mutandum. P. 25. B. *εἰς τὸ πέρας ἀπολογιζόμενοι*. et p. 27. B. *πρῶτον μὲν τοίνυν ἄπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας*. Nimirum finitum quod appellatur, id non tantum vi et natura sua per se ipsum tale est, sed etiam finiendi vi et potentia pollet. Unde recte communi nomine *πέρας* dicitur.

Τούτω δὴ τῶν εἰδῶν τα δύο τιθ.] Haec igitur generum istorum duo illa esse ponamus, quae significabam antea quum dicerem *τὰ νῦν ὄντα διχῇ διαλάβωμεν*. Sic haec intelligenda. Correxisse enim recte videmur olim *τούτω*, quum libri omnes *τούτων* mordicus teneant: quod miror etiam recentissimis criticis placere potuisse. Enimvero pluralis numerus iste *τούτων* quorsum spectet et ad quidnam referatur, alius monstret; nos eum pro absurdo et inepto habemus.

D. *εἰμὶ δ', ὡς ἔοικεν, ἐγὼ γελοῖός τις*] Nihili est, quod tres optimi codd. *ἱκανός* et *τάτ' εἴδη* scriptum exhibent; neque omnino locus ulla eget mutatione, modo participia *διστάς* et *συναριθμούμενος* de conatu, quem vocant, intelligas. Ita enim sententia est haec: sum autem, ut videtur, ridiculus homo, qui haec *plene accurateque* (*ἱκανῶς*) secundum genera dividere et numero comprehendere *studeam*. Nimirum in hoc quid sit ridiculi, proximis verbis declaratur. Nam quum antea duo aut tria genera sufficere putasset, idem nunc etiam quarto opus esse videt. Theag. p. 122. C. *μὴ αἰσθώμεθα γελοῖοι ὄντες — μηδὲν τῶν αὐτῶν ἡγούμενοι*. Lucian. Char. §. 10. *καίτοι γελοῖος εἰμί σοι λέγων ταῦτα*. Alia id genus dedimus ad Protagor. p. 340. E. De verbo rei conatum indicante v. ad Menexen. p. 244. E.

D. *Τετάρτου — αὖ προσδεῖν.*] Repetendum *φημί*. Quod qui non perspexerunt, ii alleverunt post *προσδεῖν* istud suum *φαίνεται*, quod nunc non dubitavimus praestantissimorum codicum auctoritate rursus eliminare.

ΠΡΩ. Λέγε τίνος.

ΣΩ. Τῆς ξυμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα τὴν αἰτίαν ὅρα, καὶ τίθει μοι πρὸς τρισὶν ἐκείνοις τέταρτον τοῦτο.

ΠΡΩ. Μῶν οὖν σοι καὶ πέμπτου προσδεήσει διακρισίν τινος δυναμένου;

ΣΩ. Τάχ' ἄν· οὐ μὴν οἶμαί γε ἐν τῷ νῦν,
E *ἐὰν δέ τι δέῃ, συγγνώσει πού μοι σὺ μεταδιώκοντι πέμπτον [βίον].*

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Πρῶτον μὲν δὴ τῶν τεττάρων τὰ τρία διελόμενοι, τὰ δύο τούτων πειρώμεθα πολλὰ ἑκάτερον ἐσχισμένον καὶ διεσπασμένον ἰδόντες, εἰς ἓν πάλιν

E. *μοι σὺ μεταδιώκοντι*] *μοι συμμεταδιώκοντι* Vat. et pr. *Π.* Dein *βίον* tanquam suspectum seclusi ob eas caussas, de quibus dixi in interpretatione.

καὶ πέμπτου — δυναμένου.] Quoniam Socrates quartum genus posuit hoc, quod *ξύμμιξιν* finiti et infiniti efficiat, Protarchus perquam acute suspicatur fortasse adeo quinto opus fore genere, quandoquidem commixtioni ex altera parte respondet *ἡ διάκρισις*. Loquutionem *δύνασθαί τι*, aliquid efficere posse, illustrabunt Cratyl. p. 405. B. Legg. VI. p. 757. A. Gorg. p. 453. A. Protagor. p. 335. B. Attigit eam etiam A. Matthiae ad Eurip. Med. p. 443.

E. *μεταδιώκοντι πέμπτον [βίον].*] Aegre ferimus utique quod libri omnes importunum istud *βίον* tuentur. Ferri enim illud non potest propterea, quod nunc non de vivendi generibus agitur, sed potius de generibus *τῶν ὄντων*, id quod docent verba p. 23. C. *πάντα τὰ νῦν ὄντα ἐν τῇ παντὶ διχῇ διαλ. κ. τ. λ.* Itaque cum Schützio delendum censemus *βίον*, quod debetur scioli alicuius interpretationi, qui quum addere deberet *εἶδος*, sententia loci non perspecta, absurde adscripsit *βίον*. Nam Cousinus certe non videtur audiendus, qui p. 490. Interpret. Gall. *βίον* sic tuetur, ut eo vocabulo significari dicat une cinquième manière d'être, une cinquième classe d'existences: quod abhorret ab usu loquendi, nec Platonis sententiae satis accommodatum est. Pronomen *τι* ut adiiciatur, non est necessarium, quanquam facili negotio post *μεταδιώκοντι* inseri potest.

Πρῶτον μὲν δὴ τῶν τεττάρων — ἑκάτερον.] primum igitur ex illis quatuor generibus tria secernamus, et duorum ex his quum viderimus unumquodque tanquam fissum ac discerptum; in unum rursus quodque colligentes intelligere conemur, quo tandem modo unum-

ἑκάτερον συναγαγόντες, νοῆσαι πῇ ποτὲ ἦν αὐτῶν ἓν καὶ πολλὰ ἑκάτερον.

ΠΡΩ. Εἰ μοι σαφέστερον ἔτι περὶ αὐτῶν εἴποις, τάχ' ἂν ἐποίμην.

ΣΩ. Λέγω τοίνυν τὰ δύο, ἃ προτίθεμαι, ταῦτ' 24 εἶναι ἅπερ νῦν δή, τὸ μὲν ἄπειρον, τὸ δὲ πέρας ἔχον. ὅτι δὲ τρόπον τινὰ τὸ ἄπειρον πολλά ἐστι, πειράσομαι φράζειν· τὸ δὲ πέρας ἔχον ἡμᾶς περιμενέτω.

ΠΡΩ. Μένει.

ΣΩ. Σκέψαι δή. χαλεπὸν μὲν γὰρ καὶ ἀμφισβητήσιμον ὃ κελεύω σε σκοπεῖν, ὅμως δὲ σκόπει.

τῶν τεττάρων τὰ τρία] V. *τεσσάρων*, invitis codd. praeter Ven. Ξ. Par. EF.

ἐαχισμένον — πάλιν ἑκάτερον] Desunt haec in Par. H. et pr. Vat. Ven. Π. Omissionis caussa in homoeoteleuto cernitur.

quodque unum et multa sit, de quo antea disputabamus. Vult igitur duo genera, *τὸ ἄπειρον* et *τὸ πέρας ἔχον*, nunc ita explicare atque illustrare, ut primum utriusque formae ac partes ostendantur, deinde quanam generis communione utrumque tanquam unum quiddam contineatur doceatur. In his Stephanus requirebat *εἰς πολλὰ ἓν*., in quo ille neglexit, quod unicuique notissimum esse debet, verborum dividendi constructionem non raro cum simplici accusativo fieri. conf. Tim. p. 73. D. Politic. p. 283. D. Phaedr. p. 253. D. 265. B. Sophist. p. 217. A. 264. C. Sed v. quae collegit Matthiae Gramm. Gr. p. 767. §. 419. i. Nimirum caussa constructionis haec est, quod in eiusmodi verbis inest haec vis, ut sint dividendo vel partiendo efficere. Pro *διεσπασμένον* ne quis *διεσπαρμένον* malit, infra p. 25. A. *ὅσα διέσπασται καὶ διέχυται.* Recte vero *πῇ ποτε ἦν* dicitur, quia respicitur ad superiorem de uno et multis disputationem, ut sententia etiam hunc in modum exprimi potuerit: *νοῆσαι, πῇ ποτέ ἐστιν, ὡς ἐλέγομεν, ἑκάτερον αὐτῶν ἓν καὶ πολλά.* Exempla huius usus memoravimus ad Criton. p. 47. B. C. Phaedon. p. 72. A. et 79. C. quibus addas Legg. II. p. 657. A.

τάχ' ἂν ἐποίμην] fortasse ea assequar et intelligam. Theaet. p. 192. C. *νῦν μὲν γὰρ οὐχ ἕπομαι.* Protag. p. 319. A. *ἆρ' ἕπομαί σου τῷ λόγῳ;* Euthyphr. p. 12. C. *ἔπει γάρ που νῦν γε.* Politic. p. 280. B. *οὐχ ἕπου τοῖς λεχθεῖσιν, ὡς φαίνει.* Lysid. p. 218. E. al.

P. 24. *ὅτι δὲ τρ. τ. — πολλά ἐστιν*] H. e. in certa quaedam genera redigi potest. Censet enim *τὸ ἄπειρον* esse id, quod *το μᾶλλον καὶ ἧττον* habeat atque *τὸ ποσόν* omnino aspernetur.

θερμοτέρου καὶ ψυχροτέρου πέρι πρῶτον ὅρα πέρας εἴ ποτέ τι νοήσαις ἄν, ἢ τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἐν αὐτοῖς οἰκοῦντε τοῖς γένεσιν, ἕως περ ἂν ἐνοικῆ-
B *τον, τέλος οὐκ ἂν ἐπιτρεψαίτην γίγνεσθαι· γενομένης γὰρ τελευτῆς καὶ αὐτὼ τετελευτήκατον.*

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα λέγεις.

ΣΩ. Ἀεὶ δέ γε, φαμέν, ἔν τε τῷ θερμοτέρῳ καὶ ψυχροτέρῳ τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἐνι.

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ΣΩ. Ἀεὶ τοίνυν ὁ λόγος ἡμῖν σημαίνει τούτω μὴ τέλος ἔχειν· ἀτελῆ δ' ὄντε δήπου παντάπασιν ἀπείρω γίγνεσθον.

P. 24. *οἰκοῦντε τοῖς γένεσιν*] V. *οἰκοῦν*. Coisl. rec. *οἰκοῦν τε*. Inde fecimus *οἰκοῦντε*. Dein vett. editt. *ἐνοικείτον*. Recte Bodl. Vat. Coisl. Ven. *Π*. *ἐνοικῆτον*. Mox *οὐκ ἄν* om. Ven. *Π*. in margine habent Bodl. Vat. eiecerunt Turicenses.

B. *ἔν τε τῷ θερμοτέρῳ*] Sic cum Bodl. Vat. Ven. *Π* Coisl. plerique omnes pro vulg. *εἴτε τῷ θ*. Sed pro *τῷ θερμοτέρῳ καὶ ψυχροτέρῳ*, quod praebuerunt Bodl. Vat. Ven. *Π*., ceteri cum editt. vett. *τῷ ψυχροτέρῳ καὶ τῷ θερμοτέρῳ*.

θερμοτέρου καὶ ψυχροτέρου πέρι —] Toto hoc loco comparativi non id significant quod alio quopiam maius minusve sit, sed indicant gradum infinite crescentem vel decrescentem quippe nullis inclusum finibus atque terminis. Itaque *θερμότερον* est caloris infinitas, *ψυχρότερον* frigoris infinitas; pariterque *τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον* denotat id, quod in infinitum augeri ac minui potest. Qua ratione omnino definitur *τοῦ ἀπείρου* notio, quam in Prolegomenis accuratius illustrare conati sumus. Tractavit argumentum etiam Plutarchus De Animi Proc. p. 1014. D. Praeter eum scripsit etiam Strato librum quendam *περὶ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον*, memoratum Diogeni Laertio V. 60. quem verisimile est ad hunc ipsum Platonicae philosophiae locum pertinuisse. Dicitur vero *τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἐν αὐτοῖς οἰκοῦντε* (sic enim pro *οἰκοῦν* scribendum fuit) *τέλος οὐκ ἂν ἐπιτρέψαι γίγνεσθαι, ἕως ἂν ἐνοικῆτον*, h. e. infinitum tale esse, ut quamdin in rebus ipsis cernatur, nullus possit finis ac terminus in iis inesse, quoniam hoc si fiat, perpetua illa graduum vicissitudo et inconstantia protenus peritura sit. Quod profecto et verissime dictum est et intellectu facillimum. Ceterum mox facete ludit in verbis *γενομένης γὰρ τελευτῆς κ. τ. λ.* ubi *τελευτὴ* significat i. q. *τὸ πέρας*, h. e. finem ac terminum, *τελευτᾶν* autem est *οὐκέτι εἶναι*.

ἔν τε τῷ θερμοτέρῳ καὶ ψυχροτέρῳ] De voculae *τε* collocatione v. ad Criton. p. 43. B.

C. *ἆρ' ὅτι καὶ τὸ ἀφόδρα τοῦτο —*] Bene hercle, inquit Socrates, etiam istud *σφόδρα* sermone suscep-

ΠΡΩ. Καὶ σφόδρα γε, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Ἀλλ' εὖ γε, ὦ φίλε Πρώταρχε, ὑπέλαβες, καὶ ἀνέμνησας, ὅτι καὶ τὸ σφόδρα τοῦτο, ὃ σὺ νῦν C *ἐφθέγξω, καὶ τό γε ῥῆμα τὴν αὐτὴν δύναμιν ἔχετον τῷ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον. ὅπου γὰρ ἂν ἐνῆτον, οὐκ ἐᾶτον εἶναι ποσὸν ἕκαστον, ἀλλ' ἀεὶ σφοδρότερον ἡσυχαιτέρου καὶ τοὐναντίον ἑκάσταις πράξεσιν ἐμποιοῦντε τὸ πλέον καὶ τὸ ἔλαττον ἀπεργάζεσθον, τὸ δὲ ποσὸν ἀφανίζετον. ὃ γὰρ ἐλέχθη νῦν δή, μὴ ἀφανίσαντε τὸ ποσόν, ἀλλ' ἐάσαντε αὐτό τε καὶ τὸ μέτριον ἐν* D *τῇ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ σφόδρα καὶ ῥῆμα ἕδρᾳ ἐγγενέσθαι, αὐτὰ ἕδρει ταῦτα ἐκ τῆς αὐτῶν χώρας,*

ὁ λόγος ἡμῖν σημ.] *ἡμῖν* om. Vat. Ven. *II.* sed tenet Bodl. Eiecerunt tamen Turicenses.

ἀτελῆ δ' ὄντε] *ἅτε δηλόντε* Bodl. Ven. *II.* et pr. Vat. Dein, Coisl. *γίγνεσθον ἀπείρω.*

C. *τῷ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον*] V. *τῷ τε μᾶλλον καὶ ἧττον*, quod e Bodl. Vat. Ven. *II.* mutatum.

ὅπου γὰρ ἂν ἐνῆτον] *ἂν* additum ex Vat. Coisl. Ven. *ΞΠΣ.* Par. BCFH. Ang Flor. a. c.

pto me admonuisti. Nam *τὸ ἄπειρον* non modo ad *τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον* pertinet, verum etiam in *τῷ σφόδρα καὶ ῥήματι* inest: hoc est, infinitum non modo id habet proprium, ut externa rerum mensura perpetuo per ipsum crescat ac decrescat, verum illud quoque iis affert, ut interna vis ac vehementia earum vaga sit nullisque finibus circumscripta. Germanice dixeris: es ist nicht nur extensiv nach der Quantität, sondern auch intensiv nach der Qualität ein Unbestimmtes. Nam ubicunque adest, ibi nullo modo locum habere potest *τὸ ποσόν*, i. e. certa aliqua ac definita ratio, sed semper illud aut crescit vi sua fitque *σφοδρότερον ἡσυχαιτέρου*, h. e. vehementius quam fuit antea, quum esset *ἡσυχαίτερον*, aut contra decrescit, atque existit *ἡσυχαίτερόν σφοδρότερον*, sive lenius fit, quam quum esset vehementius.

ἐν τῇ τοῦ μᾶλλον — ἐγγενέσθαι] Negligentius haec scripta sunt. Nam quum enuntiati subiectum sit *τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον* et *τὸ σφόδρα καὶ ῥῆμα*, pro *ἐν τῇ τοῦ μᾶλλον — ῥῆμα ἕδρᾳ* dici profecto oportebat *ἐν τῇ αὐτῶν ἕδρᾳ*. Nihil tamen loco movendum censemus. Nam obversata scriptori sunt haec scribenti iam ea, quae deinceps de aliis rebus exposuit, in quibus infiniti natura conspicua est.

D. *αὐτὰ ἕδρει ταῦτα*] ipsa infinita protenus pereunt, quandoquidem sic in locum eorum succedit finita ratio finitusque modus. De *ἕδρει* v. Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 973. et Ruhnken. ad Tim. p. 120 sq. — Mox *ἥστην ἂν λαβόντε* idem est quod *ἥστην ἄν εἰ ἔλαβον*. Euthyphron. c. 4. *οὐ γὰρ ἄν που ὑπέρ γε ἀλλοτρίου*

ἐν ᾗ ἐνῆν. οὐ γὰρ ἔτι θερμότερον οὐδὲ ψυχρότερον ἔστην ἂν λαβόντε τὸ ποσόν· προχωρεῖ γὰρ καὶ οὐ μένει τό τε θερμότερον ἀεὶ καὶ τὸ ψυχρότερον ὡσαύτως, τὸ δὲ ποσὸν ἔστη καὶ προϊὸν ἐπαύσατο. κατὰ δὴ τοῦτον τὸν λόγον ἄπειρον γίγνοιτ' ἂν τὸ θερμότερον καὶ τοὐναντίον ἅμα.

ΠΡΩ. Φαίνεται γοῦν, ὦ Σώκρατες· ἔστι δ', ὅ περ εἶπες, οὐ ῥᾴδια ταῦτα ξυνέπεσθαι. τὸ δὲ εἰς
E αὖθίς τε καὶ αὖθις ἴσως λεχθέντα τόν τε ἐρωτῶντα καὶ τὸν ἐρωτώμενον ἱκανῶς ἂν ξυμφωνοῦντας ἀποφήνειεν.

ΣΩ. Ἀλλ' εὖ μὲν λέγεις, καὶ πειρατέον οὕτω ποιεῖν· νῦν μέντοι ἄθρει τῆς τοῦ ἀπείρου φύσεως εἰ τοῦτο δεξόμεθα σημεῖον, ἵνα μὴ πάντ' ἐπεξιόντες μηκύνωμεν.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον δὴ λέγεις;

ΣΩ. Ὁπόσ' ἂν ἡμῖν φαίνηται μᾶλλόν τε καὶ ἧττον γιγνόμενα καὶ τὸ σφόδρα καὶ ἠρέμα δεχόμενα

D. *θερμότερον οὐδὲ ψυχρότερον*] V. *θερμοτέρω οὐδὲ ψυχροτέρω*, invitis codd. omnibus. Pro vulg. *ἧτην* plerique cum Coisl. *εἶτην*, quod dederunt Turicenses. Sed Bodl. *ἔτην*. Ven. *Π. ἴσιην*. Vat. *ἤστην*, quod cum Bekkero recepimus.

E. *ξυμφωνοῦντας ἀποφήνειεν*] Sic emendavimus cum Bekkero quod libri habent *ἀποφήναιεν*.

P. 25. *εἰς τὸ τοῦ ἀπείρου γένος*] *γένους* Bodl.

ἐπεξῄσθα φόνου αὐτῷ. i. e. *εἰ ἀλλότριος ἦν*.

προχωρεῖ γὰρ καὶ οὐ μένει] H. e. vagum et instabile est utpote nullis circumscriptum limitibus; perpetuo in maius vel minus mutatur, crescit vel decrescit, quum *τὸ ποσὸν* suos habeat fines ac terminos.

οὐ ῥᾴδια ταῦτα ξυνέπεσθαι] H. e. *ὥστε τινὰ αὐτοῖς ξυνέπεσθαι*, non facilia sunt ad intelligendum.

E. *ξυμφωνοῦντας ἀποφήνειεν.*] Libri omnes *ἀποφήναιεν*, quod recte emendavit Bekkerus, tueri conatus est Schneiderus ad Remp. Vol. I. p. 93. Sed pluralem numerum hic quidem vix quisquam probaverit: formam autem optativi a nobis susceptam sexcenties a scribis et grammaticis depravatam esse, in vulgus notum est.

P. 25. *μίαν ἐπισημαίνεσθαί τινα φύσιν*] H. e. *μίαν ἰδέαν*, ut est p. 25. B. P. 26. D. *ὅμως δὲ ἐπισφραγισθέντα τῷ τοῦ μᾶλλον καὶ ἐναντίου γένει ἓν ἐφάνη*. Politic. p. 258. C. *ἰδέαν αὐτῇ μίαν ἐπισφραγίζεσθαι*. Phaedon. p. 75. D. *περὶ ἁπάντων, οἷς ἐπισφραγιζόμεθα τοῦτο ὃ ἔστι*. Politic. p. 258. D. *ταῖς ἄλ-*

καὶ τὸ λίαν καὶ ὅσα τοιαῦθ' ἅπαντα, εἰς τὸ τοῦ 25
ἀπείρου γένος ὡς εἰς ἓν δεῖ πάντα ταῦτα τιθέναι,
κατὰ τὸν ἔμπροσθεν λόγον, ὃν ἔφαμεν, ὅσα διέ-
σπασται καὶ διέσχισται συναγαγόντας χρῆναι κατὰ
δύναμιν μίαν ἐπισημαίνεσθαί τινα φύσιν, εἰ μέμνησαι.

ΠΡΩ. Μέμνημαι.

ΣΩ. Οὐκοῦν τὰ μὴ δεχόμενα ταῦτα, τούτων
δὲ τὰ ἐναντία πάντα δεχόμενα, πρῶτον μὲν τὸ ἴσον
καὶ ἰσότητα, μετὰ δὲ τὸ ἴσον τὸ διπλάσιον καὶ πᾶν
ὅ τί περ ἂν πρὸς ἀριθμὸν ἀριθμὸς ἢ μέτρον ἢ πρὸς
μέτρον, ταῦτα ξύμπαντα εἰς τὸ πέρας ἀπολογιζόμενοι B
καλῶς ἂν δοκοῖμεν δρᾶν τοῦτο, ἢ πῶς σὺ φῄς;

ΠΡΩ. Κάλλιστά γε, ὦ Σώκρατες.

Cap. XIII. ΣΩ. Εἶεν. τὸ δὲ τρίτον τὸ μικτὸν
ἐκ τούτοιν ἀμφοῖν τίνα ἰδέαν φήσομεν ἔχειν;

ΠΡΩ. Σὺ καὶ ἐμοὶ φράσεις, ὡς οἶμαι.

ΣΩ. Θεὸς μὲν οὖν, ἄν πέρ γε ἐμαῖς εὐχαῖς
ἐπήκοος γίγνηταί τις θεῶν.

τὰ ἐναντία πάντα] τἀναντία ex Ven. Σ. Bekker.

ἢ μέτρον ἢ πρὸς μ.] ἢ vulgo deerat. Restitutum est ex Bodl. Vat. Ven. Π. Coisl. Ven. Σ. Par. CF. Ang. Flor. a. b. In Ven. ΑΞ. Par. EH. est ἤ, quod eodem perducit.

B. Θεὸς μὲν οὖν,] Bodl. Ven. Π. et pr. Vat. ὁ θεὸς μὲν οὖν.

λαις ἐκτροπαῖς ἓν ἄλλο εἶδος ἐπισημηναμένους. Pro εἰ μέμνησαι non est cur quis cum Fischero ἢ μέμνησαι requirat. Infra p. 26. C. οὐκοῦν τὰ μὲν τρία ταῦτα εἴρηκα, εἰ ξυννοεῖς. De Rep. VII. p. 522. A. ἀλλ' ἦν ἐκείνη γ', ἦφη, ἀντίστροφος τῆς γυμνοστικῆς, εἰ μέμνησαι.

Οὐκοῦν τὰ μὴ δεχόμενα ταῦτα] Illi infinito contrarium esse vult τὸ πέρας ἔχον, quippe quod certum aliquem modum, finem, terminum, rationem denique habeat. Ex quo explicationem suam habent verba haec: καὶ πᾶν ὅ τί περ ἂν — πρὸς μέτρον, quae sic intelligimus: et quidquid numerum vel modum aliquem habet, qui propter id ipsum, quod est definitus, cum alio quopiam numero vel modo subit comparationem. Nam infinita cum aliis nulla ratione coniuncta esse possunt, aut ferre aliquam comparationem.

B. Θεὸς μὲν οὖν — θεῶν.] Accedit nunc ad eius vim naturamque declarandam, quod ex utroque illo, finito et infinito, mixtum esse censet atque temperatum. Quod quidem quoniam est eiusmodi, ut praestantissima quaeque exinde suam originem habere existimanda sint, cogni-

ΠΡΩ. Εὖχου δὴ καὶ σκόπει.

ΣΩ. Σκοπῶ, καί μοι δοκεῖ τις, ὦ Πρώταρχε, αὐτῶν φίλος ἡμῖν νῦν δὴ γεγονέναι.

C *ΠΡΩ.* Πῶς λέγεις τοῦτο; καὶ τίνι τεκμηρίῳ χρῇ;

ΣΩ. Φράσω δῆλον ὅτι. σὺ δέ μοι συνακολούθησον τῷ λόγῳ.

ΠΡΩ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Θερμότερον ἐρθεγγόμεθα τῶν δήπου τι καὶ ψυχρότερον. ἦ γάρ;

ΠΡΩ. Ναί.

D. *Ναί, συμμίγνυ δέ γε*] Sic Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π.* pro vulg. *συμμίγνυε δέ γε.* conf. Schneider. ad Remp. Vol. II. p. 250.

tionem eius maius quiddam esse significat, quam quae ingenio humano debeatur. Itaque etiam nunc preces et vota ad deos faciendas esse arbitratur, ut sibi de tanta re disputaturo praesentissimo auxilio suo adesse velint. Ita hic locus explicandus nobis videtur, quem olim fuerunt qui mysticae interpretationis somniis mire obscurarent. Tim. p. 27. C. *ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ τοῦ παντὸς λόγους ποιεῖσθαι πῃ μέλλοντας, ἢ γέγονεν ἢ καὶ ἀγενές ἐστιν, εἰ μὴ παντάπασι παραλλάττομεν, ἀνάγκη θεούς τε καὶ θεὰς ἐπικαλουμένους εὔχεσθαι πάντα κατὰ νοῦν ἐκείνοις μὲν μάλιστα, ἐπομένως δὲ ἡμῖν εἰπεῖν.* Praeterea loco nonnihil lucis afferent haec. Sophist. p. 268. A. *τούτου δὴ τὸ γένος ἓν ᾗ δύο φῶμεν; Θ. ὅρα σύ. Ξ. σκοπῶ, καί μοι διττὼ καταφαίνεσθόν τινε.* Parmenid. p. 148. D. *τί δὲ δὴ περὶ τοῦ ἅπτεσθαι τὸ ἓν αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων καὶ τοῦ μὴ ἅπτεσθαι πέρι, πῶς ἔχει; σκόπει. Σκοπῶ. Λύτο γάρ που ἐν ἑαυτῷ ὅλῳ τὸ ἓν ἐφάνη ὄν.* Ibid. p. 144. D. *ἆρα οὖν ἓν ὂν πολλαχοῦ ἅμα ὅλον ἐστίν; τοῦτο ἄθρει. Ἀλλ' ἀθρῶ, καὶ ὁρῶ ὅτι ἀδύνατον.* Charmid. p. 165. C. Prorsus eodem modo Socrates infra p. 61. B. C. ubi voluptatum et artium ac disciplinarum iustum temperamentum facturus est, quo vitae felicitati recte consulatur, Deos invocandos censet, qui mixtionem regere ac moderari possint.

C. *τῆς τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον — φύσεως.*] H. e. *εἰς ἓν τῆς τὸ μ. τ. κ. ἡ. δεχομένης φύσεως.*

D. *συμμίγνυ δέ γε εἰς αὐτὴν τὸ μ. τ. τὴν αὖ τοῦ πέρατος γένναν.*] De *τοῦ πέρατος* v. ad p. 23. C. Intelligitur igitur finiti genus, quod tanquam stirps generosior nunc *γέννα* vocatur.

Ἦν καὶ νῦν δὴ δέον ἡμᾶς — οὐ συνηγάγομεν.] Quod genus quum et ipsum paullo ante debuissemus in unum colligere communique ideae nota aliqua insignire, quemadmodum infiniti genere fecimus, tamen non in unum comprehendimus. Enimvero infinitum quidem definiverunt sic, ut, variis eius formis ac partibus exploratis, illud denique generatim *τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον* et *τὸ σφόδρα καὶ ἡρέμα* habere indicaverint; sed finiti etsi genus indicaverunt, tamen definitionem

ΣΩ. Πρόσθες δὴ ξηρότερον καὶ ὑγρότερον αὐτοῖς, καὶ πλέον καὶ ἔλαττον, καὶ θᾶττον καὶ βραδύτερον, καὶ μεῖζον καὶ σμικρότερον, καὶ ὁπόσα ἐν τῷ πρόσθεν τῆς τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον δεχομένης ἐτίθεμεν εἰς ἓν φύσεως.

ΠΡΩ. Τῆς τοῦ ἀπείρου λέγεις; D

ΣΩ. Ναί. συμμίγνυ δέ γε εἰς αὐτὴν τὸ μετὰ ταῦτα τὴν αὖ τοῦ πέρατος γένναν.

ΠΡΩ. Ποίαν;

ΣΩ. Ἦν καὶ νῦν δὴ δέον ἡμᾶς, καθάπερ τὴν

τὴν αὖ τοῦ πέρατος γ.] Sic Coisl. et Bekker. Vulgo αὐτοῦ.

accuratiorem, quae etiam τοῖς πολλοῖς eius ostensis τὸ ἓν patefaceret, nondum in medium attulerunt. Utrumque autem facere Socrates ab initio constituerat, sicuti perspicuum est ex p. 24. A. et p. 23. E. πρῶτον μὲν δὴ τ. — — ἓν καὶ πολλὰ ἑκάτερον. Itaque ipsos dicit non συναγαγεῖν τὰ πολλὰ εἰς ἕν, quia non allata erant τὰ πολλά. Iam vero perspicua erunt etiam proxima, in quibus fuit quum magnopere haereremus. Etenim istud: ἀλλ' ἴσως καὶ νῦν ταὐτὸν δράσει, pertinet ad illud ipsum genus finiti, cuius nondum subtilior definitio est proposita, atque hoc fere significat: at fortasse vel nunc (licet illud non accuratius excusserimus) eandem habebit vim et efficaciam, s. in hac nostra disputatione idem efficiet, quod, si esset definitum accuratius, inde efficeretur. Epist. V. p. 322. B. ταὐτὸν δὴ οἶμαι δρᾶσαι ἂν καὶ τὴν ἐμὴν ξυμβουλήν. Quidnam autem illud sit, quod effectum iri sperare liceat, indicatur verbis proximis: τούτων ἀμφοτέρων συναγομένων καταφανὴς κἀκείνη γενήσεται, h. e. haec utraque si coniunguntur, etiam illa fiet perspicua. In quibus ταῦτα ἀμφότερα sunt infinitum et finitum; sed ἐκείνη refertur ad superiora illa p. 25. B. τὸ δὲ τρίτον τὸ μικτὸν ἐκ τούτοιν ἀμφοῖν τίνα ἰδέαν φήσομεν ἔχειν; ideoque significat τὴν τοῦ μικτοῦ ἰδέαν. Itaque horum quoque verborum sententia clara est et perspicua. Significatur enim finito et infinito in unum coniuncto etiam formam ac speciem τοῦ μικτοῦ fore evidentem. At vero, dixerit aliquis, ita tamen aliquid saltem desideratur ad sententiarum integritatem et tanquam absolutionem. Nam post τούτων necessarium est plane, ut γάρ interseratur. Verum ne id quidem opus esse nobis persuasimus nunc certissime. Nam solent illae ipsae sententiae, quae praegressis illustrandis inserviunt, libere ac sine coniunctionum ligamentis tanquam per appositionem quandam sive epexegesin superioribus accedere. Cuius rationis exempla plurima ex ipso Platone congessimus in Indicibus nostris ad Gorgiam et Protagoram, ad Phaedonem, ad Rempublicam, alios libros, sub v. Asyndeton et Appositio vel Epexegesis. Itaque sponte apparet, quo iure hic γάρ omissum sit. Ut igitur

τοῦ ἀπείρου συνηγάγομεν εἰς ἕν, οὕτω καὶ τὴν τοῦ περατοειδοῦς συναγαγεῖν, οὐ συνηγάγομεν. ἀλλ' ἴσως καὶ νῦν ταὐτὸν δράσει· τούτων ἀμφοτέρων συναγομένων καταφανὴς κἀκείνη γενήσεται.

ΠΡΩ. Ποίαν καὶ πῶς λέγεις;

ΣΩ. Τὴν τοῦ ἴσου καὶ διπλασίου, καὶ ὁπόση
E παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται.

ταὐτὸν δράσει] V. *δράσῃ*, quod ex Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΞΠΣ*. Par. EFH. mutatum.

κἀκείνη γενήσεται.] *κἀκείνης* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. sed v. interpret.

Ποίαν καὶ πῶς λ.] V. *Ποῖ καὶ πῶς λ.*, invitis Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΑΠΞ*. Par. BCH, Ang. Flor. a. b. c. i. et edit. Bas. 2.

paucis absolvam, ne litterulam quidem loco movendam esse aio. Superest igitur hoc unum, ut de singulis verbis quaedam admonenda sint. Ac primum quidem ad *δέον ἡμᾶς*, quum nos oporteret (v. Matthiae Gr. §. 564.) apparet ex sequentibus referendum esse *συναγαγεῖν εἰς ἕν*. Deinde post *ἕν* observari debet per repetitionem quandam inferri *καὶ τὴν τοῦ περατοειδοῦς*: nam *ἓν* intelligit nihil aliud, nisi *τὴν τοῦ πέρατος γένναν*; sed de his v. Matthiae Gr. §. 476. Denique *τὸ πέρας* sive *τὸ πέρας ἔχον* nunc recte *περατοειδές* appellatur, quoniam intelligitur finitum, quatenus *εἴδει* sive *γένει τινί*, hoc est ideae unitate, comprehendi potest.

Ποίαν καὶ πῶς λέγεις;] Hoc *ποίαν* cave ad praegressum *κἀκείνη* pertinere existimes. Nam verba *ἀλλ' ἴσως καὶ νῦν — κἀκείνη γενήσεται* Socrates tanquam per occasionem addidit. Repetit igitur Protarchus superiorem interrogationem sic, ut de *τῇ τοῦ πέρατος γενεᾷ* scisciteur. Quod quoniam neglectum ab interpretibus est, magnis et gravibus sese erroribus implicuerunt, quos enumerare ac percensere nolumus. Iam vero hoc ubi ita statuerimus, recte profecto subiunguntur sequentia: *Τὴν τοῦ ἴσου καὶ διπλασίου κ. τ. λ. — ἐνθεῖσα ἀριθμόν*, h. e. certam ac definitam rationem, quod antea *τὸ ποσὸν* dicebatur.

E. *φαίνει γάρ μοι λέγειν μιγνὺς ταῦτα, γενέσεις* —] Fuit quum secutus Heindorfium coniiceremus *ἂν μιγνύῃς*. Nunc posteaquam codicum de vulgata lectione consensionem cognovimus, mente mutata *μιγνὺς* utcunque defendendum putamus. Pertinet autem participium, si quid video, ad *φαίνει λέγειν*, hoc sensu: Videris mihi, dum ista misces, h. e. miscenda esse statuis, ita generationes quasdam in singulis existere indicare. Ne *ἐπὶ* perperam accipias, conferas quaeso Parmenid. p. 136. B. *τί ἐφ' ἑκατέρᾳ τῇ ὑποθέσεως συμβήσεται.* Ibid. p. 160. C. *ἆρ' ἐφ' ἑκάστου ἂν δηλοῖ, ὅτι ἕτερόν τι λέγει τὸ μὴ ὄν*; Sophist. p. 251. E. *τί οὖν οὐ καθ' ἓν ἀποκρινάμενος ἐφ' ἑκάστου τὸ συμβαίνοντα ἐκείνῳ*; Theaet. p. 204. C. al. Turicenses *ἀφ'* dederunt,

ΠΡΩ. Μανθάνω· φαίνει γάρ μοι λέγειν, μιγνὺς ταῦτα, γενέσεις τινὰς ἐφ' ἑκάστων αὐτῶν συμβαίνειν.

ΣΩ. Ὀρθῶς γὰρ φαίνομαι.

ΠΡΩ. Λέγε τοίνυν.

ΣΩ. Ἆρ' οὐκ ἐν μὲν νόσοις ἡ τούτων ὀρθὴ κοινωνία τὴν ὑγιείας φύσιν ἐγέννησε;

ΠΡΩ. Παντάπασι μὲν οὖν. 26

E. *φαίνει γάρ μοι λέγειν*] V. *φαίνῃ*, quod hic ut alibi auctoritate Bodl. Vat. Ven. *Π.* al. mutavimus. Sed de hac re semel iterumque monuisse sat erit.

ἐφ' ἑκάστων αὐτῶν] *ἀφ'* Ven. *Π*, et corr. Par. I. ut scripserunt Turicenses. sed v. interpretat. *αὐτῶν* om. Bodl. et pr. Ven. *Π.* in marg. habet Vat. Non ausim delere; abiecerunt enim critici, quibus videretur redundare.

quod neutiquam probamus. Nam non *a* singulis eae mixtiones proficiscuntur, sed cernuntur in singulis, prout rerum fert condicio.

Ἆρ' οὐκ ἐν νόσοις —] Ex finiti et infiniti coniunctione praeclara quaevis oriri docet. Quocirca exempli gratia primum memorat sanitatem, deinde musicam, tum clementem coeli aërisque temperiem et anni tempestates, denique etiam pulcritudinem ac robur corporis. Quibus adiungit deinceps etiam virtutes animi. De sanitate corporis similiter Tim. p. 82. A. sqq. Sympos. p. 186. C. D., ubi iam Pythagoreos huic opinioni deditos fuisse demonstravimus. Musicam porro, quae continetur variis sonis (*ὀξεῖ καὶ βαρεῖ*), id est harmonia, eorumque celeritate atque tarditate recte temperanda, sive rhythmo, non minus huc revocandam censet. Theo Smyrn. I. p. 15. *καὶ οἱ Πυθαγορικοὶ δέ, οἷς πολλαχῇ ἕπεται Πλάτων, τὴν μουσικὴν φασιν ἐναντίων συναρμογὴν καὶ τῶν πολλῶν ἕνωσιν καὶ τῶν δίχα φρονούντων συμφρόνησιν.* ubi v. Bulliald. p. 212. Nicom. Arithm. c. 19. p. 133. ed. Ast. *ἁρμονία δὲ πάντως ἐξ ἐναντίων γίγνεται· ἔστι γὰρ ἁρμονία πολυμιγέων ἕνωσις καὶ διχοφρονούντων συμφρόνησις.* ad quem locum plura dabit Astius. Cicer. Somn. Scip. c. 5. Dulcis hic est sonus, qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu et motu — conficitur; qui acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter concentus efficit. al. Sed legendus de his quoque ipse Plato est Sympos. p. 187. A. sqq. Idem consulendus est de iis, quae hoc loco de coeli temperie disseruntur, Sympos. p. 188. A. sqq. ubi v. ann. Denique etiam *κάλλος καὶ ἰσχύν* affert, ut quae solerent fere una cum prospera corporis valetudine in praecipuis bonis externis numerari, unde toties *ὑγίεια, κάλλος, ἰσχὺς καὶ πλοῦτος* iunguntur, veluti Legg. I. p. 631. B. II. 661. A. Reip. VI. p. 491. C. Menex. p. 246. E. Euthydem. p. 279. A. Gorg. p. 451. E. Menon. p. 87. E. ubi v. annot. Enimvero pulcritudo cernitur in *μετριότητι καὶ ξυμ-*

ΣΩ. Ἐν δὲ ὀξεῖ καὶ βαρεῖ καὶ ταχεῖ καὶ βραδεῖ, ἀπείροις οὖσιν, ἆρ' οὐ ταὐτὰ ἐγγιγνόμενα ταῦτα ἅμα πέρας τε ἀπειργάσατο καὶ μουσικὴν ξύμπασαν τελεώτατα ξυνεστήσατο;

ΠΡΩ. Κάλλιστά γε.

ΣΩ. Καὶ μὴν ἔν γε χειμῶσι καὶ πνίγεσιν ἐγγενόμενα τὸ μὲν πολὺ λίαν καὶ ἄπειρον ἀφείλετο, τὸ δὲ ἔμμετρον καὶ ἅμα σύμμετρον ἀπειργάσατο.

ΠΡΩ. Τί μήν;

P. 26. ἆρ' οὐ ταὐτὰ ἐγγιγνόμενα ταῦτα ἅμα] Sic Bodl. Vat. pro ταῦτα ἐγγιγνόμενα τὰ αὐτὰ ἅμα. Ven. *II.* utrobique ταῦτα.

Κάλλιστά γε] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ.* Coisl. Par. BCEH. Ang. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. *Μάλιστα γε.*

πνίγεσιν ἐγγενόμενα] V. ἐγγενομένη, quod ex Bodl. Vat. μετρία quadam, ut est infra p. 64. E. Tim. p. 87. C. Politic. p. 284. B. Quam sententiam etiam Pythagorei videntur comprobavisse; v. Mahnium De Aristoxeno p. 79 sqq. Ἰσχὺς autem oritur ἀπὸ φύσεως καὶ εὐτροφίας τῶν σωμάτων, ut est Protagor. p. 351. A. Nec vero externa tantum bona ex finiti et infiniti temperamento oriri censet, verum etiam internorum animi bonorum originem inde repetit. Enimvero universa virtus tanquam harmonico quodam animi concentu continetur, sicuti docetur Phileb. p. 64. E. Phaedon. p. 60. D. al. Itaque inde oritur etiam inprimis σωφροσύνη, quae ὕβριν καὶ πᾶσαν πονηρίαν removet, dum ἡδοναῖς καὶ πλησμοναῖς natura sua immoderatis veluti lex et modus praescribitur. Sed haec satis sunto de totius loci sententia.

P. 26. ἆρ' οὐ ταὐτὰ ἐγγιγνόμενα ταῦτα ἅμα π.] haec eadem, id est, τὸ πέρας καὶ τὸ ἄπειρον inter se coniunctum et iusto temperamento sociatum. Ea vero τὸ ὀξὺ καὶ βαρὺ καὶ ταχὺ καὶ βραδύ protenus reddunt finitum eoque musicam artem efficiunt. Nam finiti accessione ipsum illud ἄπειρον accipit certam rationem finitaeque naturae legem. Quocirca deinde etiam haec adiiciuntur: καὶ μὴν ἔν γε χειμῶσι καὶ πνίγεσιν ἐγγενόμενα τὸ λίαν καὶ ἄπειρον ἀφείλετο κ. τ. λ. unde apparet, quomodo istud πέρας ἀπειργάσατο intelligendum sit. Verum pro ἐγγιγνόμενα, vide, an hic quoque ἐγγενόμενα legendum sit. De aoristis ἐγέννησε, ἀπειργάσατο, ἀφείλετο, satis erit comparasse, quae scripsimus ad Phaedon. p. 73. D. Sympos. 188. B.

τὸ μὲν πολὺ λίαν καὶ ἄπειρον] tollit id, quod est nimus multum et infinitum. Ita enim haec explicanda sunt, vehementerque errant, qui verba interpretantur sic: tollit multum, nimium et infinitum. Nam τὸ πολὺ apparet per se non potuisse ad infiniti genus referri. Itaque λίαν adiectivo suo postpositum est, quod non factum est prae-

ΣΩ. Οὐκοῦν ἐκ τούτων ὧραί τε καὶ ὅσα καλὰ πάντα ἡμῖν γέγονε, τῶν τε ἀπείρων καὶ τῶν πέρας ἐχόντων συμμιχθέντων; B

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Καὶ ἄλλα γε δὴ μυρία ἐπιλείπω λέγων, οἷον μεθ' ὑγιείας κάλλος καὶ ἰσχύν, καὶ ἐν ψυχαῖς αὖ πάμπολλα ἕτερα καὶ πάγκαλα. ὕβριν γάρ που καὶ ξύμπασαν πάντων πονηρίαν αὕτη κατιδοῦσα ἡ θεός, ὦ καλὲ Φίληβε, πέρας οὐδὲν οὔτε ἡδονῶν οὔτε πλησμονῶν ἐνὸν ἐν αὐτοῖς, νόμον καὶ τάξιν

Ven. *Π.* emendatum est. Dein pro *λίαν* iidem tres pessime *λεῖον*. v. interpretat.

B. *καὶ ἄλλα γε δὴ μυρία*] *γε* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.* nec tamen ausi sumus extrudere; quod fecere Turicenses.

οὔτε ἡδονῶν οὔτε πλ.] Bodl. Vat. Ven. *Π.* post *ἡδονῶν* ponunt *οὐδέν*.

ter morem et consuetudinem. Aristoph. Ran. v. 615. *πρᾶγμα γενναῖον πάνυ*. Ibid. v. 768. *πολλὴ πάνυ*. Ibid. v. 1124 et 1134. *πολλοὺς πάνυ*. Plat. Crit. p. 45. A. *ἄλλοι πολλοὶ πάνυ*. Menex. p. 235. A. *γενναίως πάνυ*. Ion. p. 533. E. *μακρὸς πάνυ*. Parmenid. p. 129. E. *ἀνδρείως πάνυ*. Sophocl. Antig. v. 469. *ἀκλῆ' ἄγαν*. Ac ne de *λίαν* ita collocato dubites, prorsus eodem modo illud positum est Eurip. Hippolyt. v. 489. *οἱ καλοὶ λίαν λόγοι*. Aristoph. Rann. v. 835. *ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν, μὴ μεγάλα λίαν λέγε*. Plat. Sophist. p. 225. C. *κατὰ τὰ σμικρὰ λίαν καὶ παντοδαπὰ διῄρηται*. Itaque nunc quidem nihil in his esse censemus, quod emendatione indigeat. — *τὸ ἔμμετρον καὶ ἅμα σύμμετρον*, i. e. internum externumque concentum.

B. *ἐπιλείπω λέγων*] V. Matthiae Gr. §. 551.

αὕτη κατιδοῦσα ἡ θεός,] Ad haec Schützius Opuscul. p. 138. „Hic primum inter verba *ὕβριν γὰρ* etc. et ea quae antecedunt intercidisse quaedam librariorum culpa videntur. Nam verba *αὕτη κατιδοῦσα ἡ θεὸς* non possunt ad illam *τοῦ ἀπείρου* et *πέρατος κοινωνίαν* referri; hanc enim deam appellare ridiculum fuisset. Praeterea satis e consequentibus intelligitur, hanc deam nullam aliam esse quam voluptatem, cuius partes Philebus defendendas susceperat. Hanc iam cap. 2. Philebus testem invocaverat. Et Socrates cap. 3. dixerat: *πειρατέον ἀπ' αὐτῆς τῆς θεοῦ, ἣν ὅδε Ἀφροδίτην μὲν λέγεσθαι φησί, τὸ δ' ἀληθέστατον αὐτῆς ὄνομα ἡδονὴν εἶναι*. Itaque post verba: *καὶ ἐν ψυχαῖς αὖ πάμπολλα ἕτερα καὶ πάγκαλα* suspicamur aliquot periodos excidisse, quibus Socrates ea, quae dixerat, ad voluptatem, scilicet moderatam et legitimam, quam in Symposio *Ἀφροδίτης οὐρανίας* nomine insignire constat, transferebat. Iam vero sequebantur ista: *ὕβριν γάρ που* etc. Sed in hisce verbis pro *οὔτε ἡδονῶν οὔτε πλησμονῶν* legen-

πέρας ἔχοντ' ἔθετο· καὶ σὺ μὲν ἀποκναῖσαί φῃς αὐτήν, ἐγὼ δὲ τοὐναντίον ἀποσῶσαι λέγω. Σοὶ δέ, ὦ Πρώταρχε, πῶς φαίνεται;

C

ΠΡΩ. Καὶ μάλα, ὦ Σώκρατες, ἔμοιγε κατὰ νοῦν.

πέρας ἔχοντ' ἔθετο] *ἐχόντων* Bodl. Ven. *II.* et pr. Vat. male.

ἀποκναῖσαί φῃς αὐτήν,] V. *ἀποκνᾶν ἔφης.* Bodl. Ven. *II.* Par. BCH. *ἀποκναῖς*, Vat. *ἀποκνᾷς*. Par. E. corr. *ἀποκναῖσαι.*

dum est *οὔτε κενώσεων οὔτε πλησμονῶν.* Nam nec ulla est oppositio inter *ἡδονήν* et *πλησμονήν*, et saepius apud Platonem opponuntur *κενώσεις* et *πλησμοναί.*" Haec igitur vir acutissimus ea, qua solebat, elegantia. Dubitamus tamen vehementer de sententiae, quam proposuit, veritate. Nam primum quidem, quidni *αὕτη ἡ Θεός* recte possit referri ad *τὴν τοῦ ἀπείρου καὶ πέρατος κοινωνίαν*, quum ei optima quaeque atque maxima deberi iudicata sint? Enimvero eadem fere Socrates huic attribuit, quae alibi vel Amori vel etiam Harmoniae tribuuntur. Quocirca protenus de ea tanquam dea aliqua loquitur, iocose scilicet ipsius Philebi imitans exemplum, qui voluptatem suam eandem esse voluerat atque *Ἀφροδίτην*. Et vero de ea cogitandum esse, luculentissime apparet ex verbis *νόμον καὶ τάξιν πέρας ἔχοντ' ἔθετο.* Nihil autem insoliti vel inusitati habet, quod de abstracta rei notione repente sic agitur, ac si ea persona aliqua vel potius dea sit. Id enim Graeci pro ea, qua pollebant, cogitandi celeritate non raro fecisse reperiuntur, sicuti evincent quae scripserunt Monkius ad Alcest. v. 50. Fritschius Quaest. Luciann. p. 4. quaeque ipsi exposuimus ad Sympos. p. 196. D. Itaque Socrates hoc dicit: Haecce dea, quae est finiti et infiniti harmonia, quum perspexisset in petulantia atque omni omnium pravitate non inesse neque voluptatis neque expletionis finem, legem et ordinem definitum constituit, ut nimirum voluptas quoque pro bono duci posset. Ex qua verborum interpretatione perspicuum fore speramus, neque alteram sententiam a Schützio propositam pro vera probari posse, qua *ἡδονῶν* in *κενώσεων* mutandum censuit. Dignum autem diligenti animadversione istud anacoluthon est *ὕβριν γάρ — ἐνὸν ἐν αὐτοῖς.* Nam constructio verborum legitima haec fuit: *ὕβριν γὰρ καὶ ἔνιπᾶσθαι πάντων πονηρίᾳ αὕτη καιδοῦσα ἡ Θεὸς πέρας οὐδὲν — ἐνόν, νόμον κ. τ. λ.* aut *ὕβριν γὰρ — καιδοῦσα — πέρας οὐδὲν οὔτε ἡδονῶν οὔτε πλησμονῶν ἔχουσαν.* Sed eam Socrates rara utique libertate adeo non curat, ut verbo *καιδοῦσα* duplicem accusativum adiunxerit, atque post nomina generis feminini deinde neutrum addiderit *ἐν αὐτοῖς.*

ἀποκναῖσαί φῃς αὐτήν, ἐγὼ δὲ τοὐναντίον] Dubitari utique potest, quorsum haec

ΣΩ. Οὐκοῦν τὰ μὲν δὴ τρία ταῦτα εἴρηκα, εἰ ξυννοεῖς.

ΠΡΩ. Ἀλλ' οἶμαι κατανοεῖν· ἓν μὲν γάρ μοι δοκεῖς τὸ ἄπειρον λέγειν, ἓν δὲ καὶ δεύτερον τὸ πέ-

Quod dedimus emendato etiam isto ἔφης. v. interpretat. Verum pervidit primus vir doctus in Kiddii Miscell. Porson. p. 265.

Οὐκοῦν τὰ μὲν δὴ τρία] δὴ additum ex Bodl. Vat. Ven. *II.*

τὸ ἄπειρον λέγειν] λέγων Bodl. Vat. Ven. *II.* errore.

pertineant, quum in dialogo nostro nihil tale usquam a Philebo dictum videatur. Itaque variae sunt interpretum de hac re opiniones. Schützius enim Socratem respicere censet ad ea, quae Philebus dixerat antea, quam scripta pars dialogi inciperet, h. e. antequam partes suas Protarcho demandasset. Alii haec ad voluptatem referri arbitrantur, quam Protarchus c. 11. iudicaverit πεπτωκέναι καθαπερεὶ πληγεῖσαν ὑπὸ τῶν λόγων. Nos quid sentiamus, ita aperire conabimur, ut ante omnia de verbis eorumque scriptura dispiciamus. Et vulgo quidem legitur ἀποκνᾶν ἔφη. Sed pro ἀποκνᾶν multi codd. vel cum Aldina ἀποκνᾷς vel ἀποκναῖς. Par. E. ἀποκναῖσαι. Unde veram esse liquet coniecturam viri docti in Miscellan. Porson. ed. Kidd. p. 265. propositam, ἀποκναῖσαί φησ. Nam ἔφης apparet ortum esse ex ultima praecedentis vocabuli syllaba cum φησ temere confusa. Ita igitur et infinitivum aoristi iam nacti sumus, qui apte respondeat consequenti ἀποσῶσαι, et praesens tempus φήσ habemus, quod certe non necessario referendum est ad aliqua Philebi verba, quibus in superiore sermone usus sit. His vero ita exploratis etiam facilius erit de verborum sententia iudicium. Reiicienda autem ante omnia est Schützii interpretatio: Et tu quidem me deae tuae, voluptati, detrahere dicebas, ego contra me eam servasse dico. Quod si Plato voluisset, certe scripturus erat: καὶ σὺ μὲν ἐμὲ ἀπ. φ. αὐτήν. Imo αὐτήν enuntiati subiectum est, quod vulgo vocant grammatici, infinitivi autem ἀποκναῖσαι et ἀποσῶσαι dicuntur indefinite ac sine rei, ad quam spectet eorum vis ac potestas, commemoratione. Quocirca Graeca sic reddenda sunt: Et tu quidem ipsam censes infringere et conterere, ego autem eam servare censeo, h. e. tu quidem putas hancce deam, a qua infinita finiti lege constringantur, esse quasi quandam enecatricem (quam vocat Tertullianus), ego autem eam conservatricem esse censeo. Quod quidem non sic accipiendum est, ac si Philebus antea his ipsis verbis usus sit, sed pertinet potius ad omnem eius sententiam, qua summum bonum statuit in una voluptate inesse. Itaque sententia Socratis denique huc redit: Et tu quidem fieri non potest, quin eam censeas tanquam enecandi debilitandique vim habere, quia quidquid infinitum est ideoque etiam voluptatis

ρας ἐν τοῖς οὖσι. τρίτον δὲ οὐ σφόδρα κατέχω τί βούλει φράζειν.

ΣΩ. Τὸ γὰρ πλῆθός σε, ὦ θαυμάσιε, ἐξέπληξε τῆς τοῦ τρίτου γενέσεως. καίτοι πολλά γε καὶ τὸ
D *ἄπειρον παρέσχετο γένη, ὅμως δ' ἐπισφραγισθέντα τῷ τοῦ μᾶλλον καὶ ἐναντίου γένει ἓν ἐφάνη.*

ΠΡΩ. Ἀληθῆ.

ΣΩ. Καὶ μὴν τό γε πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν οὔτ' ἐδυσκολαίνομεν ὡς οὐκ ἦν ἓν φύσει.

D. *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν*] V. *φασί*, quod solus tenet Par. F. *φαθί* Bodl.

ἓν τοῦτο τιθέντα] *ἓν τι τούτων τ.* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. Dein *ἔγγονον* Vat. Ven. *Π.*

perceptio, in qua una summum bonum vis contineri, per eam tanquam limitibus quibusdam circumscribitur; ego autem in hoc ipso, quod infinita per ipsam finita reddunturetiam voluptatis habita ratione, beneficam eius ac salutarem vim agnosco. Ita igitur ubi haec intellexerimus, omnia videbuntur satis expedita esse, ac ne opus quidem erit, quod facile alicui in mentem veniat, ut pro *φῄς* futurum *φήσεις* reponamus. Verbum *ἀποκαίσαι* docte illustravit Ruhnken. ad Gloss. Timaei p. 42. cuius disputationi non habemus quod addendum videatur. Aristoph. Rann. v. 1163. *ἀπορῶ τὴν λήκυθον, ἵνα μὴ διακναίσῃ τοὺς προλόγους ἡμῶν.*

C. *ἔμοιγε κατὰ νοῦν.*] V. ad Tim. p. 17. C.

Τὸ γὰρ πλῆθός σε — τῆς τοῦ τρίτου γ.] Hoc dicit: immensa varietas atque copia tertii huius generis te perturbavit. Verumtamen quemadmodum etiam infiniti plurimae fuerunt partes atque formae, nec tamen hac re magnopere offensi sumus, quandoquidem illas omnes communi quadam generis idea comprehendi licebat: sic etiam tertium genus non debet propter varietatem suam nos ullo modo morari; potest enim item generis unitate definiri; ac vel sine formarum ac specierum investigatione fortasse poterit cognosci, quemadmodum nec in eo haesimus, quod finiti formas haudquaquam declaravimus; ostendimus enim protenus *τὸ ἓν* ei proprium. Recte in his *τῆς τοῦ τρίτου γενέσεως* dicitur pro *τοῦ τρίτου γένους*, quandoquidem ita eleganti periphrasi simul significatur mixti origo. Sic etiam Politic. p. 284. C. *πρὸς τὴν τοῦ μετρίου γένεσιν.* Ibid. p. 284. E. al. De constructione verborum *καίτοι πολλά γε — ὅμως δὲ κ. τ. λ.* v. ann. ad Phaedon. p. 69. A. Euthyphr. p. 3. C.

D. *Καὶ μὴν τά γε πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν —*] Schützius, haec corrupta ratus, legendum coniecit: *οὔτε*

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

ΣΩ. Οὐδαμῶς. ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων.

ΠΡΩ. Ἔμαθον.

Cap. XIV. *ΣΩ. Ἀλλὰ δὴ πρὸς τρισὶ τέταρτόν* E *τι τότε ἔφαμεν εἶναι γένος σκεπτέον. κοινὴ δ' ἡ σκέ-*

E. *τέταρτόν τι τότε ἔφαμεν*] V. *ποτε.* Bodl. Ven. *Π. τό γε.* Vat. Coisl. Ven. *Α Σ.* Par. B C. Flor. a. b. c. i. *τότε*, quod cum Bekkero restituimus.

ὡς πολλὰ εἶχεν, consilio sanequam perverso. Hoc autem Socrates dicit: Et vero etiam finitum facili negotio sub una specie comprehendimus, quum singulas eius formas ac species non indagassemus. Nam p. 25. C. sq. iudicaverant, ad *τὸ πέρας* pertinere omnino *τὰ μὴ δεχόμενα ταῦτα* (*τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ τὸ σφόδρα καὶ ἡμέμα*) *τούτων δὲ τὰ ἐναντία πάντα κ. τ. λ.* ideoque finiti genus (*τὸ ἓν*) constituerant, licet singula atque formas illius non collegissent in unum. Quod ipsum p. 25. D. E. significari meminimus etiam verbis illis: *ἦν καὶ νῦν δὴ δέον ἡμᾶς — οὐ συνηγάγομεν.* Nam quatenus statim unum sive genus posuerant, haud sane *τὰ πολλὰ τοῦ πέρας ἔχοντος εἰς ἓν συνήγαγον.* Itaque Socrates ad haec respiciens rem sic eloquitur: Et vero etiam *τὸ πέρας nec* multa habebat, *nec* id moleste ferentes contendebamus, non esse illud unum natura sua; quocirca nec de felici tertii generis investigatione desperandum. Istud *οὐκ ἐδυσκολαίνομεν* praegnanti sensu dictum, ut sit *οὐχὶ ἀπηρνούμεθα δυσκολαίνοντες.* Ex quo intelligi licet, cur *ὡς οὗ* subiunctum sit, de quo v. Matthiae Gr. §. 534. ann. V. 2. p. 1242. ed. 3. Pro *Καὶ μὴν τό γε* ne quis requirat *Καὶ μὴν καὶ τό γε*, v. annot. ad Theaet. p. 154. E.

ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν] Affert nunc tertii generis, sive mixti, hanc notam communem, ut illud omnino esse dicat id, quod ex finiti et infiniti coniunctione nascatur, atque generatio quaedam, qua efficiatur *οὐσία*, siquidem ex iis, quae certam mensuram rationemque accedente finito acceperint, *οὐσία* nascatur. Enimvero ex infinito demum et finito in unum consociato oritur *ἡ γεγενημένη οὐσία*, das gewordene Sein, das bestimmte Sein. Sed de his satis dictum est in Prolegomenis. Pro *μέτρων* vide an *μετρίων* legendum sit. Praeterea haec comparavisse iuvabit. Phaedon. p. 71. B. *γένοιτο τε εἶναι ἐξ ἑκατέρων εἰς ἄλληλα.* Ibid. E. *ἐκ τῶν τεθνεώτων ἂν εἴη γένεσις εἰς τοὺς ζῶντας.* Tim. p. 49. C. 54. C. al.

ψις· ὅρα γάρ, εἴ σοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι πάντα τὰ γιγνόμενα διά τινα αἰτίαν γίγνεσθαι.

ΠΡΩ. Ἔμοιγε· πῶς γὰρ ἂν χωρὶς τούτων γίγνοιτο;

ΣΩ. Οὐκοῦν ἡ τοῦ ποιοῦντος φύσις οὐδὲν πλὴν ὀνόματι τῆς αἰτίας διαφέρει, τὸ δὲ ποιοῦν καὶ τὸ αἴτιον ὀρθῶς ἂν εἴη λεγόμενον ἕν;

ΠΡΩ. Ὀρθῶς.

27 ΣΩ. Καὶ μὴν τό γε ποιούμενον αὖ καὶ τὸ γιγνόμενον οὐδὲν πλὴν ὀνόματι, καθάπερ τὸ νῦν δή, διαφέρον εὑρήσομεν. ἢ πῶς;

ΠΡΩ. Οὕτως.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἡγεῖται μὲν τὸ ποιοῦν ἀεὶ κατὰ φύσιν, τὸ δὲ ποιούμενον ἐπακολουθεῖ γιγνόμενον ἐκείνῳ;

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Ἄλλο ἄρα καὶ οὐ ταὐτὸν αἰτία τ' ἐστὶ καὶ τὸ δουλεῦον εἰς γένεσιν αἰτίᾳ.

χωρὶς τούτων γίγνοιτο;] τούτου Bodl. Vat. Ven. Σ. quod recentiores cum Bekkero dederunt. Nobis pluralis numerus non videbatur tollendus, quem critici nimium severi, quique eum nollent de una tantum re poni, mero arbitrio sustulisse videntur.

P. 27. ἐπακολουθεῖ γιγνόμενον] Bodl. Vat. Ven. Π. ἀκολουθεῖ. Sed illud multo est significantius. Dein iidem tres pr. καὶ ἔξω γίγνεται; mendose.

B. λέγωμεν τέταρτον] Bodl. Ven. ΑΞΠ. Par. BCFH. Flor. b. et pr. Vat. λέγομεν.

ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον;] δεδηλωμένων Bodl. Vat. Ven. Π. mendose.

E. ἡ τοῦ ποιοῦντος φύσις] H. e. id, quod natura sua habet vim efficiendi. Sic Theaet. p. 160. A. τὸ ποιοῦν ἐμέ.

P. 27. B. Τὸ δὲ δὴ πάντα — δεδηλωμένον] Quartum ponit caussae genus, quippe quod a tribus illis diversum esse apparuerit. Etenim ex infiniti cum infinito coniunctione oritur demum ἡ γεγενημένη οὐσία. Haec ipsa vero quoniam orta est ac generata, caussam aliquam atque principium originis suae habeat necesse est. Etenim esse profecto aliquid debet, quod finiti et infiniti temperamentum tanquam regat ac moderetur, quoniam illud lege quadam fiat prorsus necesse est. Itaque hoc ut ita perficiatur, quartum genus principiorum requiritur, quod generatae οὐσίας caussam complectatur.

C. ἆρα-μὴ πλημμελοίην

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Οὐκοῦν τὰ μὲν γιγνόμενα, καὶ ἐξ ὧν γίγνεται πάντα, τὰ τρία παρέσχετο ἡμῖν γένη;

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ΣΩ. Τὸ δὲ δὴ πάντα ταῦτα δημιουργοῦν λέγωμεν τέταρτον, τὴν αἰτίαν, ὡς ἱκανῶς ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον; B

ΠΡΩ. Λέγωμεν γὰρ οὖν.

ΣΩ. Ὀρθῶς μὴν ἔχει, διωρισμένων τῶν τεττάρων, ἑνὸς ἑκάστου μνήμης ἕνεκα ἐφεξῆς αὐτὰ καταριθμήσασθαι.

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Πρῶτον μὲν τοίνυν ἄπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας, ἔπειτ' ἐκ τούτων τρίτον μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἰτίαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων ἆρα μὴ πλημμελοίην ἄν τι; C

Λέγωμεν γὰρ οὖν.] Bodl. Vat. Ven. *Π. ἕτερον γὰρ οὖν.* Sed id quum per se simile videatur interpretationi, quae verbo *λέγωμεν* adscripta fuerit, tum per se in hac responsione minus commode cum *γὰρ οὖν* consociatur. Vulgata teste Bastio in Vat. margini adscripta. Ceterum hic codd. omnes *λέγωμεν* tuentur praeter Par. *Λ.*, qui item *λέγομεν* habet. Ex quo consequens est, ut etiam antea *λέγωμεν* pro vero ducendum sit.

C. *τετάρτην λέγων ἆρα μὴ πλ.*] V. *λέγω*, quod ex Vat. Ven. *ΑΞΣ.* Par. BCFH. Flor. a. b. c. i. et edit. Bas. 1. correctum. Post *ἆρα* in Bodl. Vat. Ven. *Π.* deest *μή*. v. interpretat. Vitiose denique vulgo erat *πλημμελοίμην*, qui error ex codd. correctus est.

ἄν τι;] Bodl. et Vat. *μή* omittunt. Idem etiam in Ven. *Π.* a pr. m. factum. Vereor ut recte, quamquam Graserus Advers. p. 30. *ἆρα μή* usquam cum optativo et particula *ἄν* copulari praefracte negavit. At enim vero id quo iure ille sic statuerit, nondum intelleximus. Nam *μή* interrogans est suspicantis atque dicitur, ut nostrum „doch nicht," quod poni fere solet, ubi negatum iri expectamus id, de quo quaeritur. Quidni vero istiusmodi interrogatio hypothetica esse possit? Enimvero recte profecto dixeris: da würde ich doch nicht etwa irren? Idque ipsum hic dicitur verissime, siquidem *λέγων* idem est quod *εἰ λέγοιμι*. Eodem modo *μή* in obliqua interrogatione positum apud Sophocl. Trachin. v. 630. *τί δῆτ' ἄν ἄλλο γ' ἐννέποις; δέδοικα γάρ, μὴ πρὼ λέ-*

ΠΡΩ. Καὶ πῶς;

ΣΩ. Φέρε δή, τὸ μετὰ τοῦθ' ἡμῖν τίς ὁ λόγος; καὶ τί ποτε βουληθέντες εἰς ταῦτ' ἀφικόμεθα; ἆρ' οὐ τόδε ἦν; δευτερεῖα ἐζητοῦμεν πότερον ἡδονῆς γίγνοιτ' ἂν ἢ φρονήσεως. οὐχ οὕτως ἦν;

ΠΡΩ. Οὕτω μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν νῦν, ἐπειδὴ ταῦτα οὕτω διειλόμεθα, κάλλιον ἂν καὶ τὴν κρίσιν ἐπιτελεσαίμεθα πρώτου πέρι καὶ δευτέρου, περὶ ὧν δὴ τὸ πρῶτον ἠμφισβητήσαμεν;

ΠΡΩ. Ἴσως.

Ἆρ' οὖν νῦν — κάλλιον ἂν καὶ τὴν κρ.] Vulgo post *κάλλιον ἄν* interponitur *ἴσως*. Sed omittunt rec. Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΑΣ*. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. Contra iidem fere libri post *νῦν* interserunt *ὡς*; unde verisimile fit scriptum olim fuisse *Ἆρ' οὖν ἴσως νῦν κ. τ. λ.* Pro *κάλλιον*, quod ex Bodl. Vat. Ven. *Π*. restitutum est, vulgo *καλλίονα* scribebatur.

D. *νικῶντα μὲν ἔθεμέν που*] *μὲν* additum e Bodl. Vat. Ven. *Π*.

τίς τέ ἐστι καὶ ὁποίου γ.] *τε* additum e Bodl. Vat. Ven. *Π*.

γοις ἄν. ubi cur haec constructio locum habeat, clarissime docent verba *τί δῆτ' ἂν ἄλλο γ' ἐννέποις;* quae item hypothetice enuntiata sunt. Iam vero quum simplicis *μή* haec esse possit constructio, ecquis negabit, idem etiam de *ἆρα μή* statuendum esse? Enimvero *ἆρα μή* ab simplici *μή* eo tantum differt, quod *ἆρα* vim interrogationis acuit atque intendit, quam nudum *μή* habet leniorem. At enim vero, inquit aliquis, rarissima tamen est illa constructio, quam hic quidem nec tres aut potius duo optimi libri tuentur. Audio. Sed quod in talibus quoque libris istis omnia tribuenda esse statuitur, de eo magnopere dissentimus. Imo horum testimonio in eiusmodi locis, qualis hic est, maxima cum cautione utendum, quippe qui eam grammaticorum recensionem referant, qua saepenumero mutata sunt, quae vel difficiliora vel etiam rariora atque inusitata viderentur. Cuius rei exempla satis luculenta alibi notavimus. Atque id hoc quoque loco ita factum esse, plane nobis persuasimus. Etenim senserunt utique critici, quorum curae et industriae illorum codicum lectiones acceptas referimus, rarissimum esse hoc genus constructionis, ideoque arbitrio suo *μή* protenus eliminarunt. Sed ecquis est qui sibi persuadeat, auctoritatem reliquorum librorum, Coisliniani, Venet. *ΑΞΠΣ*. Paris. BCE FH. Flor. a. b. c. i. pro nihilo esse ducendam, quum nulla intelligatur caussa, quamobrem *μή* in iis temere sit inculcatum? Accedit, quod *ἆρα μή* ipsi sententiae Socratis convenientius est quam simplex *ἆρα*. Nam *ἆρα* etsi plerumque negandi vi dicitur, tamen proprie nihil ni-

ΣΩ. Ἴθι δή, νικῶντα μὲν ἔθεμέν που τὸν μι- D
κτὸν βίον ἡδονῆς τε καὶ φρονήσεως. ἦν οὕτως;

ΠΡΩ. Ἦν.

ΣΩ. Οὐκοῦν τοῦτον μὲν τὸν βίον ὁρῶμέν που τίς τέ ἐστι καὶ ὁποίου γένους;

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΣΩ. Καὶ μέρος γ' αὐτὸν φήσομεν εἶναι τοῦ τρίτου, οἶμαι, γένους. οὐ γὰρ δυοῖν τινοῖν ἐστὶ μικτὸς ἐκεῖνος, ἀλλὰ ξυμπάντων τῶν ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων, ὥστε ὀρθῶς ὁ νικηφόρος οὗτος βίος μέρος ἐκείνου γίγνοιτ' ἄν.

καὶ μέρος γ' αὐτὸν φήσομεν εἶναι] *μέρος ταὐτὸν* Bodl. Vat. Ven. *Π.* errore. Iidem *ἐφήσαμεν*, male. Ad *τοῦ τρίτου* in marg. Vat. adscriptum *τοῦ πρώτου*.

οὐ γὰρ δυοῖν τινοῖν] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Par. F. pro vulg. *οὐ γὰρ ἓ δυοῖν τ.* Articulum etiam in proximis cum Bodl. Vat. Ven. *Π.* sustulimus, ubi ante Bekkerum scribebatur *ἀλλ' ὁ ξυμπάντων*. Tum *τῶν* articulum ante *ἀπείρων* ex Bodl. Vat. Ven. *Π.* inseruimus, quem vett. editt. ignorant.

ὀρθῶς ὁ νικηφόρος β.] *ὀρθὸς* Bodl. Vat. male.

si dubitationis indicium facit, unde illa altera significatio duxit originem. v. Kühnerum ad Xenoph. Mem. II, 6, 1. *Ἆρα μή* autem eius est, qui sese apertius indicat non opinari aut velle, hoc vel illud locum habere. Atque hoc Socratem, qui de hac re iam antea subtilius exposuit, profecto maxime decere, nemo erit quin ultro largiatur. Ceterum bene cum hac interrogatione etiam fortior Protarchi responsio convenit: *Καὶ πῶς*; sc. *πλημμελοίης ἄν*, h. e. *Οὐδαμῶς πλημμελήσεις*. Itaque nihil esse apparet, cur duobus tribusve codicibus obtemperantes reliquorum librorum lectionem *ἆρα μὴ πλημμελοίην ἄν τι*; protenus reiiciamus: imo omnia suadent, ut amplectamur illam atque retineamus, praesertim quum, unde *μή* ortum sit, nemo facile explicaverit; cur sit deletum, nullo negotio intelligatur.

D. *τὸν μικτὸν βίον ἡδονῆς τε καὶ φρονήσεως*] vitam mixtam, quae ex voluptate pariter atque sapientia constat. Nam genitivus non ex *μικτόν* sed ex *τὸν μικτὸν βίον* suspensus est, quae verba unam notionem efficiunt. Mox de *τίς τέ ἐστι καὶ ὁποίου γένους* v. p. 17. B. *ἀλλ' ὅτι (ἴσμεν) πόσα τέ ἐστι καὶ ὁποῖα*. ubi conf. ann.

οὐ γὰρ δυοῖν τινοῖν — ἀλλὰ ξυμπάντων τῶν ἀπείρων] Socrates caussam et rationem affert, cur vita e voluptate et sapientia mixta ad tertium genus tanquam pars aliqua referenda sit. Etenim tertium illud genus ex infinito et finito compositum ex omnibus omnino *ἀπείροις* finitae *οὐσίας* vinculo colligatis constat: ex quo sequitur, ut etiam vita ex voluptate et sapientia con-

ΠΡΩ. Ὀρθότατα μὲν οὖν.

E Cap. XV. *ΣΩ.* Εἶεν. Τί δὲ ὁ σός, ὦ Φίληβε, ἡδὺς καὶ ἄμικτος ὤν; ἐν τίνι γένει τῶν εἰρημένων λεγόμενος ὀρθῶς ἄν ποτε λέγοιτο; ὧδε δ' ἀπόκριναί μοι πρὶν ἀποφήνασθαι.

ΦΙ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Ἡδονὴ καὶ λύπη πέρας ἔχετον, ἢ τῶν τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον δεχομένων ἑστόν;

ΦΙ. Ναί, τῶν τὸ μᾶλλον, ὦ Σώκρατες· οὐ

E. ἐν τίνι γένει] μέρει Ven. *Π.* Pro ἄμικτος Bodl. μικτός. δεχομένων ἑστόν;] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΞΠ.* et ed. Bas. 2. pro vulg. ἐστίν.

Ναί, τῶν τὸ μᾶλλον,] τῶν, quod vulgo deerat, ex Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΣ.* Par. BCEFH. Angel. Flor. a. b. c. i. et ed. Bas. 2. restitutum. Bodl. ναὶ τὸν τὸ μ. unde caussa erroris apparet.

P. 28. Οὐδέ γ' ἄν, ὦ Φίληβε,] γ' om. Bodl. Vat. Ven. *Π.* iniuria, opinor.

ὃ παρέχεταί τι μέρος] Vulgo ὡς. Recte Steph. coniecit

flata huic generi accenseri debeat, quanquam nunc nondum demonstratum est, de quo disputatur in proximis, voluptatem infinito, sapientiam finito esse affinem et cognatam. Haec vero si verborum sententia esse debet, sponte intelligitur, locum aliquid labis suscepisse. Scribendum enim cum Schützio est μικτὸν ἐκεῖνο, quam rationem etiam Schleiermachero nuper probatam esse non sine laetitia vidimus. Veram lectionem ex parte videtur ob oculos habuisse Ficinus, qui Graeca sic reddidit: neque enim quod ex duobus quibusdam mixtum illud est, sed quod ex infinitis omnibus a termino nexis; quapropter merito superatrix haec vita illius pars erit. Vide praeterea annot. criticam.

E. Τί δέ — ἄμικτος ὤν; ἐν τίνι γένει —] Distinxi post ὤν nota interrogandi vulgo male neglecta. De τί δέ cum nominativo ita alii interrogationi praemisso v. ad Gorg. p. 501. E.

οὐ γὰρ ἡδονὴ πᾶν ἀγαθὸν ἦν] In his πᾶν ἀγαθόν est summum bonum, bonum omni numero absolutum et consummatum; et πᾶν κακόν summum malum, nihil nisi malum. Im. Bekkerus praestare putat παναγαθόν et πάγκακον. In quo viro eximio non assentior. Nam πᾶν ἀγαθὸν est quod bonum est ita, ut nihil ad eius integritatem desideretur, bonum absolutum. Aliud quid foret παναγαθόν. Similia contulit Matthiae Gr. §. 437. 3. Vult autem Protarchus voluptatem ob id ipsum, quod ea sit πᾶν ἀγαθόν, natura sua et numero et gradu esse infinitam; nam alioquin eam non posse omnes perfecti et consummati boni numeros explere. In quo nemo erit quin protenus videat, vocabulo ἄπειρον nunc ab eo

γὰρ ἂν ἡδονὴ πᾶν ἀγαθὸν ἦν, εἰ μὴ ἄπειρον ἐτύγχανε πεφυκὸς καὶ πλήθει καὶ τῷ μᾶλλον.

ΣΩ. Οὐδέ γ' ἄν, ὦ Φίληβε, λύπη πᾶν κακόν· 28
ὥςτ' ἄλλο τι νῷν σκεπτέον ἢ τὴν τοῦ ἀπείρου φύσιν, ὃ παρέχεταί τι μέρος ταῖς ἡδοναῖς ἀγαθοῦ. τοῦτο δή σοι τῶν ἀπεράντων γεγονὸς ἔστω. φρόνησιν δὲ καὶ ἐπιστήμην καὶ νοῦν εἰς τί ποτε τῶν προειρημένων, ὦ Πρώταρχέ τε καὶ Φίληβε, νῦν θέντες οὐκ ἂν ἀσεβοῖμεν; οὐ γάρ μοι δοκεῖ σμικρὸς ἡμῖν

ὅ, quod Par. H. superscriptum habet. Ven. *H.* pr. ὦ, quod receptam scripturam firmat.

τοῦτο δή σοι τῶν ἀπ.] Sic olim scripsi de coniectura mea. Confirmavit eam corr. Ven. *Σ*. Ceteri libri τούτων, quod tenuit Bekker.

ὦ Πρώταρχέ τε καὶ Φίληβε] τε om. Coisl. Ven. *AΣ*. Par. BCEFH. Ang. Flor. a. b. c. i. sed v. Lachet. in. Ibid. p. 198. D. Reip. I. p. 336. E. Legg. I. p. 629. C. infra p. 64. B. al.

aliam atque antea vim et significationem subiici. Recte igitur Socrates respondet: *Οὐδέ γε ἄν — λύπη πᾶν κακόν*. De *πεφυκός* pro *πεφυκέναι* posito v. ad Gorg. p. 463. E. Protag. p. 351. C. Men. p. 79. E.

P. 28. *ὃ παρέχεταί τι μέρος* —] Infinitum, inquit, per se solum nihil momenti facit ad summi boni perfectionem, quandoquidem idem illud etiam ad summum malum valet; itaque aliud quid circumspiciendum est praeter infiniti naturam, quod voluptatibus aliquam boni partem afferat. Haec vero quum loci sententia sit, dubitari non potest, quin pro *ὡς παρέχεται*, quae vulgata scriptura fuit, recte olim de coniectura Stephani dederimus *ὃ παρέχεται*. Atque hanc lectionem nunc tanto lubentius amplectimur, quod eam tandem accepimus in corr. Par. H. annotatam esse. Etiam Ficinus: *quod* voluptatibus partem boni aliquam praebeat. Quemadmodum vero ex loci interpretatione modo proposita perspicuum esse debet, unice verum esse *ὃ παρέχεται*, ita indidem intellectum iri arbitramur, nauci non esse, quod Schützius Opuscul. p. 141. revocandum statuit *ὥςτ' οὐκ ἄλλο τι νῷν σκεπτέον κ. τ. λ.* Nam negandi particula verborum sententiam plane pervertit.

τοῦτο δή σοι τῶν ἀπ. γ. ἔστω.] Sic olim legendum conieci pro *τούτων δή σοι κ. τ. λ.* Firmavit nunc coniecturam nostram Venet. *Σ*, corr.; quo confidentius eam Platoni restituere ausi sumus. Nempe correctus est codex ille; sed correctus ab critico, qui Platonem non legit sine iudicio mentis acriori. Refertur autem *τοῦτο* ad *ἡδονήν*, usu haudquaquam raro. Menon. p. 73. C. *ἐπειδὴ τοίνυν ἡ αὐτὴ ἀρετὴ πάντων ἐστί, πειρῶ εἰ-*

εἶναι ὁ κίνδυνος κατορθώσασι καὶ μὴ περὶ τὸ νῦν ἐρωτώμενον.

B *ΦΙ. Σεμνύνεις γάρ, ὦ Σώκρατες, τὸν σεαυτοῦ θεόν.*

ΣΩ. Καὶ γὰρ σύ, ὦ ἑταῖρε, τὴν σεαυτοῦ· τὸ δ' ἐρωτώμενον ὅμως ἡμῖν λεκτέον.

ΠΡΩ. Ὀρθῶς τοι λέγει Σωκράτης, ὦ Φίληβε, καὶ αὐτῷ πειστέον.

ΦΙ. Οὐκοῦν ὑπὲρ ἐμοῦ σύ, Πρώταρχε, προήρησαι λέγειν;

εἶναι ὁ κίνδυνος κατ.] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ὁ κίνδυνος εἶναι καὶ κατ.*

B. *τὸν σεαυτοῦ θ.*] V. *σαυτοῦ*, quod e Bodl. Vat. Ven. *Π.* mutavi. Idem tamen statim post *σαυτοῦ*.

Σωκράτης, ὦ Φίληβε,] *ὦ Φίληβε* om. Bodl. et pr. *Π.* in marg. habet Vat. v. interpretat.

πεῖν καὶ ἀνάμνησθῆναι, τί αὐτό φησι Γοργίας εἶναι. Phaedon. p. 88. A. *οὕτω γὰρ αὐτὸ φύσει εἶναι ἰσχυρόν*; sc. *τὴν ψυχήν*. Ibid. p. 109. A. *πάμμεγα εἶναί τι αὐτό*, sc. *τὴν γῆν*. Theaet. p. 145. D. *σοφία δέ γε, οἶμαι, ὁσφοὶ οἱ σοφοί*; Th. *Ναί*. Socr. *Τοῦτο δὲ μῶν διαφέρει τι ἐπιστήμης*; Th. *Τὸ ποῖον*; Socr. *Ἡ σοφία· ἢ οὐχ ἅπερ ἐπιστήμονες, ταῦτα καὶ σοφοί*; Lachet. p. 185. E. *εἴ τις ἄρα ἡμῶν τεχνικὸς περὶ ψυχῆς θεραπείαν καὶ οἷός τε καλῶς τοῦτο* (*τὴν ψυχὴν*) *θεραπεῦσαι*. Alcibiad. I. p. 115. D. *πῶς οὖν λέγεις περὶ ἀνδρείας*; *ἐπὶ πόσῳ ἂν αὐτοῦ* (*τῆς ἀνδρείας*) *δέξαιο στέρεσθαι*; De Rep. VIII. p. 562. B. *λέγεις δὲ αὐτὴν* (*τὴν δημοκρατίαν*) *τί ὁρίζεσθαι*; *Τὴν ἐλευθερίαν, ἔπον· τοῦτο γάρ που κ. τ. λ.* Gorg. p. 465. D. *ὡς ἐκεῖνο* (*ἡ ὀψοποιία*) *ἐν σώματι*. Politic. p. 300. D. ubi *ταῦτα* ad *τοὺς νόμους* refertur. Protagor. p. 352. C. 357. C. De Rep. VIII. B. al.

κατορθώσασι καὶ μὴ π.] utrum recte faciamus necne in eo, quod nunc quaeritur.

B. *Σεμνύνεις γάρ — θεόν.*] H. e. graviterne superbe iactas et extollis! Mox p. 28. C. *ἑαυτοὺς ὄντως σεμνύνοντες*. Gorg. p. 512. B. C. Phaedr. p. 272. D. De Rep. VIII. p. 858. B. al. Eurip. Hippol. v. 490. ubi v. Valckenar. p. 176. Hinc Eurip. Androm. v. 383. *τί σέμνομυθεῖς*; In proximis ne quis corrigat *Καὶ γὰρ καὶ σύ*, v. ann. ad Symp. p. 176. B.

Ὀρθῶς τοι λέγει Σωκράτης, ὦ Φίληβε,] Male in tribus optimis codicibus istud *ὦ Φίληβε* omissum est. Nam Philebum compellari a Protarcho, luculenter docet quae sequitur eius responsio. Itaque prima allocutio extrusa videtur a criticis, qui moleste ferrent quod statim subsequitur *Πρώταρχε*. Quod si recte iudicavimus, etiam hic locus documento erit, verum esse, quod identidem monuimus, codices illos expertos esse manus criticorum saepenumero fastidiosiorum emendatrices. Eis-

ΠΡΩ. Πάνυ γε· νῦν μέντοι σχεδὸν ἀπορῶ, καὶ δέομαί γε, ὦ Σώκρατες, αὐτόν σε ἡμῖν γενέσθαι προφήτην, ἵνα μηδὲν ἡμεῖς σοι περὶ τὸν ἀγωνιστὴν ἐξαμαρτάνοντες παρὰ μέλος φθεγξώμεθά τι.

ΣΩ. Πειστέον, ὦ Πρώταρχε· οὐδὲ γὰρ χαλεπὸν οὐδὲν ἐπιτάττεις. ἀλλ' ὄντως σε ἐγώ, καθάπερ εἶπε Φίληβος, σεμνύνων ἐν τῷ παίζειν ἐθορύβησα, νοῦν καὶ ἐπιστήμην ἐρόμενος ὁποίου γένους εἶεν; C

ΠΡΩ. Παντάπασί γε, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν ῥᾴδιον. πάντες γὰρ συμφωνοῦ-

ὑπὲρ ἐμοῦ σύ, Πρώταρχε,] Unus Par. F. *ὦ Πρώταρχε*, quod dedit Bekker. v. ad p. 11. A.

αὐτόν σε ἡμῖν] Bodl. Vat. Ven. *Π. γε.* male.

C. *Πειστέον, ὦ Πρ.*] Verba *Πειστέον — ἐπιτάττεις* a Ficino et Bas. 2. tribuuntur Philebo, proxima autem, *ἀλλ' — εἶεν*, Socrati; male.

cerunt tamen illa verba Turicenses. Ad *σχεδὸν ἀπορῶ* conferas Parmenid. p. 128. B. Xenoph. De Rep. Lac. V, 1. *σχεδὸν εἰρῆται.* Demosth. De Corona p. 310. ed. Reisk. Olynth. II. p. 5. Olynth. III. extr. *σχεδὸν εἴρηκα.* al.

γενέσθαι προφήτην.] ut ipse nobis rem enunties atque interpreteris. Male vero Bodl. cum duobus assectatoribus *αὐτόν γε.* v. Matthiae Gr. §. 148. ann. 2. coll. ann. ad Plat. Lys. p. 208. C.

ἵνα μηδὲν ἡμεῖς σοι — φθεγξώμεθά τι.] ut ne quid in eum, qui certamen subiit, peccantes praeter numerum modumque faciamus. Ἀγωνιστὴς intelligitur ὁ νοῦς, quippe qui cum voluptate de *δευτερείοις* certamen iniit. Loquutio *παρὰ μέλος φθέγγεσθαι*, quae etiam Legg. III. p. 696. D. Critia p. 106. B. legitur, proprie est absonam vocem emittere, absurde canere, deinde vero metaphorice dicitur de iis, qui falso iudicant absurdeque dicunt et loquuntur. Horat. Epist. I, 18, 59. Quamvis nil extra numerum fecisse modumque curas.

C. *καθάπερ εἶπε Φίληβος, σεμνύνων ἐν τ. π.*] Verba haec: *καθάπερ εἶπε Φίληβος*, ad unum istud *σεμνύνων* referenda sunt. Nam pertinent haec ad superiorem illam Philebi responsionem: *Σεμνύνεις γάρ, ὦ Σ. τὸν σεαυτοῦ θεόν.* Sed quae deinceps adiiciuntur, *σὲ ἐγὼ ἐθορύβησα*, ea spectant ad verba Protarchi: *νῦν μέντοι σχεδὸν ἀπορῶ κ. τ. λ.* Ita igitur in his nihil inesse apparet, quod vitiosum aut ineptum videri queat.

πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοί] Mentem et sapientiam demonstrare instituit non tantum finito generi esse accensendam, sed ad causae genus referri oportere. Quod quidem ita facit, ut sententiae suae argumenta a tota rerum universitate repetat, ad cuius similitudinem natura humana comparata sit. Universum enim hoc regi atque gu-

σιν οἱ σοφοί, ἑαυτοὺς ὄντως σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς. καὶ ἴσως εὖ λέγουσι. διὰ μακροτέρων δ', εἰ βούλει, τὴν σκέψιν αὐτοῦ τοῦ γένους ποιησώμεθα.

D *ΠΡΩ. Λέγ' ὅπως βούλει, μηδὲν μῆκος ἡμῖν ὑπολογιζόμενος, ὦ Σώκρατες, ὡς οὐκ ἀπεχθησόμενος.*

Cap. XVI. *ΣΩ. Καλῶς εἶπες. ἀρξώμεθα δέ πως ὧδε ἐπανερωτῶντες.*

ἑαυτοὺς ὄντως σεμνύνοντες] V. *οὕτως*, quod correctum ex Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ*. Coisl. Par. BCH. Angel. Flor. a. b. c. i. Euseb. Praep. Ev. p. 628. Theodoret. Adv. Gentil. T. IV. p. 858. ed. Schulz.

οὐρανοῦ τε καὶ γῆς] *τε* additum e Bodl. Vat. Ven. *Π*. et Theodoret.

D. *Πότερον, ὦ Πρώταρχε,*] *πρότερον* Bodl.

bernari a mente longe praestantissima sive ab absoluta perfectaque ratione, id quum virorum sapientissimorum iudiciis confirmari ait, tum etiam ex naturae ordine et pulcritudine intelligi arbitratur, Quemadmodum vero corpus nostrum compositum sit ex elementis universi et per ea sustententur, ita etiam mentem nostram arbitratur ex illa mente, quae omnem rerum universitatem regat ac moderetur, tanquam decerptam ac delibatam esse. Ex quo consequi vult, ut mens humana item ad caussae genus pertineat. Quemadmodum enim mens divina in rerum universitate omnia sapienter ordinavit ac disposuit, ita etiam penes mentem humanam aliquod imperium est, quandoquidem ea potest lubidinum vim et voluptatum intemperantiam coërcere atque sapientiae legibus constringere.

ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν] Mentem omnia disponere ac regere primus docuit Anaxagoras. conf. Phaedr. p. 270. A. Cratyl. p. 400. A. 413. C. A cuius ratione profectus Plato etiam Philolai doctrina usus est, qui rerum universitati praefecit *τὸ αἴτιον*; de qua re copiose exposuimus in Prolegomenis. Itaque facile intelligitur, Platonis sententiam ab Anaxagorae ratione, quam ipse in Phaedone p. 98. B. seq. exposuit atque taxavit, aliquantum differre. Iovem pro summae rationis imagine philosophus, ludendo quasi nominis eius originationem investigans, in Cratylo p. 396. A. ob oculos ponit, ubi haec sunt: *οὐ γὰρ ἔστιν ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ὅστις αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν ἢ ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων.* Philebi locum respexerunt plurimi, Porphyr. in Vit. Plot. c. 14. ap. Euseb. Praep. Ev. III. 9. Plotin. Ennead. III. 5. V. 3. 3. IV. 4. 1. 8. ubi v. Creuzer. p. 67. T. III. et ad Porphyr. De Vita Plotini c. 3. Proclus in Tim. p. 77 et 124. in Polit. p. 425. in Alcibiad. I. p. 77. ed. Creuzer. in Cratyl. p. 98. ed. Boisson. Iamblich. De Myster. p. 12. alii, qui partim philosophi sententiam aliorsum detorserunt. Exscripserunt locum inde a verbis *πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν* Eusebius Praep.

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Πότερον, ὦ Πρώταρχε, τὰ ξύμπαντα καὶ τόδε τὸ καλούμενον ὅλον ἐπιτροπεύειν φῶμεν τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ εἰκῇ δύναμιν καὶ τὸ ὅπῃ ἔτυχεν, ἢ τἀναντία, καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν ἔλεγον, νοῦν καὶ φρόνησίν τινα θαυμαστὴν συντάττουσαν διακυβερνᾶν;

ΠΡΩ. Οὐδὲν τῶν αὐτῶν, ὦ θαυμάσιε Σώκρα- E

τόδε τὸ καλούμενον] τὸ om. Coisl. Ven. *A.* Par. BCE FH. Ang.

καὶ τὸ ὅπῃ ἔτυχεν] Recte sic Bodl. Ven. Ξ. Par. C. Angel. Flor. a. c. i. Euseb. et edit. Bas. 2. Idem firmat Vat., si qua fides Bastio est. Vulgo scribebatur *καὶ τὰ ὅπῃ ἔτ.* conf. Matthiae ad Eurip. Hippol. V, 926.

Evang. p. 628. ed. Colon. et Theodoret. adv. Gentil. Tom. IV. p. 858. ed. Schulz. — Ceterum non sine cavillatione quadam atque lepida irrisione philosophus addidit: *ἑαυτοὺς ὄντως σεμνύνοντες*, semet ipsas *revera* efferentes, dum mentem extollunt laudibus; nam quum *σοφοί* sint, etiam mente et intelligentia aliis videntur antecellere.

D. *μηδὲν μῆκος — ὑπολογιζόμενος*] nulla ratione subducta longitudinis, quam disputatio harum rerum habitura sit. Usum verbi *ὑπολογίζεσθαι* docte illustravit Hermannus ad Lucian. De conscr. histor. p. 253. *τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ εἰκῇ δύναμιν*] Tim. p. 34. C. *μετέχοντες τοῦ προσεικότος τε καὶ εἰκῇ.* Dein pro vulg. *τὰ ὅπῃ ἔτυχεν* ex Bodl. aliisque bonae notae libris et Euseb. Praep. Ev. p. 628. recepi *τὸ ὅπῃ ἔτυχε.* Locum imitatur Plutarchus De ser. num. vind. T. II. p. 550. D. *ὅπως — ἡ ψυχὴ φεύγῃ τὸ εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχεν*, h. e. *καὶ τὸ ὡς ἔτυχεν.* Ad *τὸ καλούμενον ὅλον* conferas Lysid. p. 214. B. *οἱ περὶ φύσεώς τε καὶ τοῦ ὅλου διαλεγόμενοι καὶ γράφοντες.*

καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν] Intelligit Anaxagoram Clazomenium, quem primum constat docuisse, rerum universitatem vi et ratione mentis infinitae (*τοῦ νοῦ*) regi et administrari. v. Phaedon. p. 97. B. Cratyl. p. 413. C. Xenoph. Mem. IV, 7. v. Schaubach. De Anaxagor. p. 150 sqq. et quae diximus ad Lysid. p. 214. B. Qua in re ille usus est verbis *διακοσμεῖν* et *κοσμεῖν*, quae Cicero interpretatur in ordinem adducere, conf. Valckenar. Diatrib. in Fragm. Eurip. p. 40. B. Inde apparet, cur statim post interatur, *τὸ δὲ νοῦν πάντα διακοσμεῖν αὐτὰ φάναι.*

E. *Οὐδὲν τῶν αὐτῶν*] Pertinent haec ad verba superiora: *πότερον, ὦ Πρώταρχε, τὰ ξύμπαντα — καὶ τὸ ὅπῃ ἔτυχεν*, non item ad ultima haec, *ἢ τοὐναντία — διακυβερνᾶν*; quae ratio non est infrequens.

τες. ὃ μὲν γὰρ σὺ νῦν δὴ λέγεις, οὐδ' ὅσιον εἶναί μοι φαίνεται· τὸ δὲ νοῦν πάντα διακοσμεῖν αὐτὰ φάναι καὶ τῆς ὄψεως τοῦ κόσμου καὶ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἀστέρων καὶ πάσης τῆς περιφορᾶς ἄξιον, καὶ οὐκ ἄλλως ἔγωγ' ἄν ποτε περὶ αὐτῶν εἴποιμι οὐδ' ἂν δοξάσαιμι.

ΣΩ. Βούλει δῆτά τι καὶ ἡμεῖς τοῖς ἔμπροσθεν ὁμολογούμενον ξυμφήσωμεν, ὡς ταῦθ' οὕτως ἔχει,
29 *καὶ μὴ μόνον οἰώμεθα δεῖν τἀλλότρια ἄνευ κινδύνου λέγειν, ἀλλὰ καὶ συγκινδυνεύωμεν καὶ μετέχωμεν τοῦ ψόγου, ὅταν ἀνὴρ δεινὸς φῇ ταῦτα μὴ οὕτως ἀλλ' ἀτάκτως ἔχειν;*

E. *σὺ νῦν δὴ λέγεις*] V. *λέγεις νῦν*. Coisl. Fior. a. b. c. i. Ven. *ΑΣ* Par. BCH. Ang. *νῦν λέγεις*. Bodl. Vat. Ven. *Π. σὺ νῦν δὴ λέγεις.*

καὶ ἀστέρων] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ἄστρων.*

Βούλει δῆτά τι — ὁμολογούμενον ξυμφήσωμεν]

καὶ τῆς ὄψεως τοῦ κόσμου —] mundi et solis et lunae ceterorumque siderum spectaculum. Nam recte Fragm. Lexic. ms. apud Creuzerum ad Plotin. De pulcritud. p. 377. *ὄψις καὶ ἡ πρόσοψις καὶ ἡ ὁρατικὴ δύναμις καὶ ὄψις τὸ Θεάθέν.* Postremae significationis exempla sunt De Rep. II. p. 376. B. V. p. 452. B. Legg. X. p. 887. D. 910. A. Phaedr. p. 250. B. De re ipsa conferas Legg. X. p. 886. A. sqq. et XII. p. 966. D. sqq. ubi inter alia: *ἆρα οὖν ἴσμεν, ὅτι δύ' ἐστὸν τὼ περὶ Θεῶν ἄγοντε εἰς πίστιν ὅσα διήλθομεν ἐν τοῖς πρόσθεν; ἓν μέν, ὃ περὶ τὴν ἀρχὴν ψυχὴν ἐλέγομεν, ὡς πρεσβύτατόν τε καὶ θειότατόν ἐστι πάντων, ὧν κίνησις γένεσιν παραλαβοῦσα ἀέναον οὐσίαν ἐπόρισεν, ἓν δὲ τὸ περὶ τὴν φοράν, ὡς ἔχει τάξεως, ἄστρων τε καὶ ὅσων ἄλλων ἐγκρατὴς νοῦς ἐστὶ τὸ πᾶν διακεκοσμηκώς.* Socratis de hoc loco sententiam prodidit Xenophon. Mem. I, 4, 13 sqq.

Βούλει δῆτά τε καὶ ἡμεῖς —] Vett. editt. omisso *τι* pronomine *ὁμολογουμένοις.* Theodoretus l. l. *ὡμολογημένοις.* Unde Schleiermacherus olim *ὁμολογούμενα* coniectabat. Nos nunc *τι* ex optimis libris restituto praeeunte Bekkero *ὁμολογούμενον* scripsimus, quae est codicum plurimorum lectio. Ficinus quoque: Visne igitur, quod a priscis assertum est, nos item confiteamur, haec videlicet ita se habere? Sententia haec est: Visne, nos quoque aliquid dicamus, quod sit superioribus consentaneum, videlicet haec sic se habere etc.

P. 29. *ὅταν ἀνὴρ δεινὸς φῇ* —] Intelliguntur Sophistae, qui deorum numen et vim atque una pietatem et virtutem tollebant. Insignis de iis locus est Legg. X. p. 885. B. sqq. 888. E. XII. p. 966. D. E. conf.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὐκ ἂν βουλοίμην;

ΣΩ. Ἴθι δή, τὸν ἐπιόντα περὶ τούτων νῦν ἡμῖν λόγον ἄθρει.

ΠΡΩ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Τὰ περὶ τὴν τῶν σωμάτων φύσιν ἁπάντων τῶν ζώων, πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ πνεῦμα καθορῶμέν που καὶ γῆν, καθάπερ οἱ χειμαζόμενοι, φασίν, ἐνόντα ἐν τῇ συστάσει. B

ΠΡΩ. Καὶ μάλα· χειμαζόμεθα γὰρ ὄντως ὑπ' ἀπορίας ἐν τοῖς νῦν λόγοις.

ΣΩ. Φέρε δή, περὶ ἑκάστου τῶν παρ' ἡμῖν λαβὲ τὸ τοιόνδε.

Vett. editt. *τι* omittunt, quod redhibuerunt Bodl. Vat. Ven. *Π*. Praeterea vulgo scribebatur *ὁμολογουμένοις*. Par. EF. Flor. i. *ὁμολογούμενοι*. Theodoret. *ὡμολογημένοις*. Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΑΠΣ*. Par. BCH. Angel. Flor. a, b, c. *ὁμολογούμενον*, quod unice verum.

etiam Sophist. p. 265. C. Eos autem constat eximie *δεινούς* a Platone appellari, veluti Theaet. p. 154. D. 173. B. al. Sydenhamus de uno Critia cogitari voluit, de quo laudat Sextum Empir. p. 562.

Τὰ περὶ τὴν τῶν σωμάτων —] Cernimus, opinor, quattuor illa, quae corporum omnium animantium naturam efficiunt, ignem et aquam et aërem, et, sicuti nautae tempestatibus iactati, quemadmodum in proverbio est, terram, etiam in rerum universo inesse. Ita haec intelligenda. Proverbium videtur fuisse *οἱ χειμαζόμενοι γῆν καθορῶσιν* (Land sehen); cuius nunc facete mentionem facit, dum reliquis verbis subiungit *καὶ γῆν*. Quo facto elegantissime Protarchus, ad disputationis susceptae difficultatem respiciens, *χειμαζόμεθα γὰρ ὄντως*, inquit, *ὑπ' ἀπορίας ἐν τοῖς νῦν λόγοις*. Enimvero vocabula nautica non raro ad disputationem transferuntur. Lachet. p. 104. B. *ἀνδράσι χειμαζομένοις ἐν λόγῳ καὶ ἀποροῦσι βοήθησον*. Euthydem. p. 292. E. *σῶσαι ἡμᾶς — ἐκ τῆς τρικυμίας τοῦ λόγου*. De Republ. V. p. 472. A. ubi v. ann. Conf. etiam Valcken. et Monk. ad Eurip. Hippol. v. 315. Illud *φασὶν* autem, quod Astio tantam creavit molestiam, ut id eiici voluerit, commate post *χειμαζόμενοι* illato, per parenthesin accipiendum pro *ὡς φασίν*, ut aiunt, qui usus nihil habet offensionis. Aristotel. Art. Poët. 7, 11. *εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίαις ἀγωνίζεσθαι, πρὸς κλεψύδραν ἂν ἠγωνίζοντο, ὥσπερ ποτὲ καὶ ἄλλοτε, φασίν.*

Φέρε δή, περὶ ἑκάστου —] *Τὰ παρ' ἡμῖν* sunt elementa, quae in hominum ceterorumque animantium corporibus cernuntur. Horum vero vim naturamque vilem atque debilem ait videri oportere, si comparetur

ΠΡΩ. Ποῖον;

ΣΩ. Ὅτι σμικρόν τε τούτων ἕκαστον παρ' ἡμῖν ἔνεστι καὶ φαῦλον καὶ οὐδαμῇ οὐδαμῶς εἰλικρινὲς ὂν καὶ τὴν δύναμιν οὐκ ἀξίαν τῆς φύσεως ἔχον. ἐν ἑνὶ δὲ λαβὼν περὶ πάντων νόει ταὐτόν. οἷον πῦρ ἔστι μέν που παρ' ἡμῖν, ἔστι δ' ἐν τῷ παντί.

ΠΡΩ. Τί μήν;

C *ΣΩ. Οὐκοῦν σμικρὸν μέν τι τὸ παρ' ἡμῖν καὶ ἀσθενὲς καὶ φαῦλον, τὸ δ' ἐν τῷ παντὶ πλήθει τε θαυμαστὸν καὶ κάλλει καὶ πάσῃ δυνάμει τῇ περὶ τὸ πῦρ οὔσῃ.*

P. 29. B. *Ὅτι σμικρόν τε τούτων*] Bodl. *μικρόν*. Euseb. *σμικρόν τι*. Dein Par. F. om. *παρ' ἡμῖν*. Par. CH. Aug. Flor. a. *ἔν ἐστι*. Voc. *καὶ* ante *φαῦλον* om. Ven. *Σ*. Angel.

πῦρ ἔστι μέν που π.] *μέν ἐστι* Bodl. Vat. Ven. *Π*. male, v. interpretat.

C. *Τί δέ; τρέφεται καὶ γ.*] *δαί;* Bodl. et Bastio teste Vat.

cum totius universi viribus atque elementis. Ex quo consequi arbitratur, ut corpus nostrum omnia ab universo mutuetur, indeque tanquam vitam ducat suam, neque vicissim. Inde autem consentaneum esse colligit, similem esse vel potius eandem mentis rationem. Nam sicuti mens nostra corpori tanquam regina quaedam praefecta est, ut hoc illius imperio subjectum sit, ita etiam mentem in universo mundo regnare atque omnia gubernare. Quocirca non dubitari licere ait, quin ea ad caussae genus referenda sit.

Ὅτι σμικρόν τε τούτων ἕκαστον παρ' ἡμῖν ἔνεστι] H. e. *ὅτι ἕκαστον τούτων ὡς σμικρόν τε καὶ φαῦλον ἔνεστι*. Quocirca non opus est, ut ex Eusebio *σμικρόν τι* restituatur. Nec vero offendere quemquam debet istud *παρ' ἡμῖν ἔνεστι*. Nam ad *ἔνεστι* ex superioribus intelligendum *τοῖς σώμασι τῶν ζώων*. Similiter Xenoph. Mem. I, 4, 17. *κατάμαθε, ὅτι καὶ ὁ σὸς νοῦς ἐνὼν τὸ σὸν σῶμα ὅπως βούλεται μετάχειρίζεται*. ubi ad *ἐνών* intell. *τῷ σώματι*. Ceterum quae hic docentur, ea consentiunt egregie cum loco Timaei p. 41. A. sqq. 69. A. sqq.

ἐν ἑνὶ δὲ λαβὼν περὶ π.] H. e. unius rei exemplo ubi perceperis et intellexeris. Usum loquendi ad p. 17. A. affatim illustravimus. Dein tres codd. primarii *οἷον πῦρ μέν ἐστίν που παρ' ἡμῖν*, quod ortum ex male sedula verae lectionis mutatione. Collocationem verborum vulgarem satis defendent haec. Infra p. 47. A. *παντοῖα μὲν χρώματα, παντοῖα δὲ σχήματα, παντοῖα δὲ πνεύματα ἀπεργαζόμενον*. Phaedr. p. 241. C. *βλαβερῷ μὲν πρὸς οὐσίαν, βλαβερῷ δὲ πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἕξιν, πολὺ δὲ*

ΠΡΩ. Καὶ μάλα ἀληθὲς ὃ λέγεις.

ΣΩ. Τί δέ; τρέφεται καὶ γίγνεται ἐκ τούτου καὶ ἄρχεται τὸ τοῦ παντὸς πῦρ ὑπὸ τοῦ παρ' ἡμῖν πυρός, ἢ τοὐναντίον ὑπ' ἐκείνου τό τ' ἐμὸν καὶ τὸ σὸν καὶ τὸ τῶν ἄλλων ζώων ἅπαντ' ἴσχει ταῦτα;

ΠΡΩ. Τοῦτο μὲν οὐδ' ἀποκρίσεως ἄξιον ἐρωτᾷς.

ΣΩ. Ὀρθῶς· ταὐτὰ γὰρ ἐρεῖς, οἶμαι, περί τε D τῆς ἐν τοῖς ζώοις γῆς τῆς ἐνθάδε καὶ τῆς ἐν τῷ παντί, καὶ τῶν ἄλλων δὴ πάντων ὅσων ἠρώτησα ὀλίγον ἔμπροσθεν, οὕτως ἀποκρινεῖ.

ΠΡΩ. Τίς γὰρ ἀποκρινόμενος ἄλλως ὑγιαίνων ἄν ποτε φανείη;

D. Ὀρθῶς· ταὐτὰ γὰρ ἐρεῖς] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* et Euseb. pro vulg. ταὐτά γ' ἂν ἐρεῖς.

τῶν ἄλλων δὴ πάντων] πάντων, quod olim deerat, restitutum est e Bodl. Vat. Ven. *Π.* Pro ἀποκρινῇ hic quoque Bodl. et Vat. ἀποκρινεῖ.

βλαβερωτάτῳ πρὸς τὴν παίδευσιν. Ibid. p. 246. D. ἔχον μὲν ψυχήν, ἔχον δὲ σῶμα. Xenoph. Mem. III, 8, 10. ἡδὺ μὲν γὰρ ἰδόντας προσεύξασθαι, ἡδὺ δὲ ἁγνῶς ἔχοντας προσιέναι. Ibid. IV, 2, 35. πολλοὶ μὲν γὰρ διὰ τὸ κάλλος — διαφθείρονται, πολλοὶ δὲ διὰ τὴν ἰσχύν. Anabas. II, 5, 9. σὺν γὰρ σοὶ πᾶσα μὲν ὁδὸς εὔπορος, πᾶς δὲ ποταμὸς διαβατός. Ibid. III, 1, 40. ὡς ἀθύμως μὲν ἦλθον ἐπὶ τὰ ὅπλα, ἀθύμως δὲ πρὸς τὰς φυλακάς. Ibid. III, 2, 4. ὁρᾶτε μὲν τὴν βασιλέως ἐπιορκίαν, ὁρᾶτε δὲ τὴν Τισσαφέρνους ἀπιστίαν. Ibid. III, 4, 45. ἐνταῦθα πολλὴ μὲν κραυγὴ ἦν — πολλὴ δὲ κ. τ. λ. Ibid. V, 6, 15. V, 8, 20. al. conf. Reiz. ad Viger. p. 841. not. 534.

τρέφεται καὶ γίγνεται ἐκ τούτου] H. e. ἐκ τοῦ παρ' ἡμῖν. Itaque verba ὑπὸ τοῦ παρ' ἡμῖν πυρός continent repetitionem eiusdem notionis. — ἅπαντ' ἴσχει ταῦτα, intell. τὸ τρέφεσθαι καὶ γίγνεσθαι καὶ ἄρχεσθαι. Pro ὑπ' ἐκείνου malim ἀπ' ἐκείνου.

D. ταὐτὰ γὰρ ἐρεῖς, οἶμαι,] Sic tres optimi libri cum Eusebio. Ceteri ταὐτὰ γ' ἂν ἐρεῖς. Quod quamquam usui loquendi non omnino adversatur, siquidem futuri cum ἄν iuncti non pauca reperiri exempla praeter alios docuit Matthiae Gr. p. 1411. ed. 3., tamen ab hoc quidem loco alienum videtur. Elegans est Astii coniectura ταὐτά γ' αὖ ἐρεῖς. Etiam Ficinus: Recte: eadem *quoque* de animalium ac mundi terra, opinor, diceres. — τῆς ἐνθάδε, h. e. τῆς παρ' ἡμῖν. — καὶ τῶν ἄλλων δὴ πάντων, et de reliquis etiam elementis, de quibus paullo ante interrogavi. Verba οὕτως ἀποκρινεῖ, quae omitti poterant post ταὐτὰ ἐρεῖς, ex ab-

ΣΩ. Σχεδὸν οὐδ' ὁρτιοῦν. ἀλλὰ τὸ μετὰ τοῦτο ἑξῆς ἦπου. πάντα γὰρ ἡμεῖς ταῦτα τὰ νῦν δὴ λεχθέντα ἆρ' οὐκ εἰς ἓν συγκείμενα ἰδόντες ἐπωνομάσαμεν σῶμα;

ΠΡΩ. Τί μήν;

E ΣΩ. Ταὐτὸν δὴ λαβὲ καὶ περὶ τοῦδε, ὃν κόσμον λέγομεν. διὰ τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον ἂν εἴη που σῶμα, σύνθετον ὂν ἐκ τῶν αὐτῶν.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα λέγεις.

ΣΩ. Πότερον οὖν ἐκ τούτου τοῦ σώματος ὅλως

undanti adiiciuntur. Cuius iterationis exempla non pauca suppetunt. Simile quid iam supra ad p. 13. B. Quocirca non est, cur cum Astio interpungamus: ἔμπροσθεν. οὕτως ἀποκρινεῖ; ἀλλὰ τὸ μετὰ τοῦτο ἑξῆς ἦπου.] Astius coniecit τῷ μετὰ τοῦτο. Vereor, ut recte. Nam τὸ μετὰ τοῦτο accusativus est absolute positus. Latine dixeris: sed quod deinde sequitur, de eo me deinceps sequere disputantem.

E. καὶ περὶ τοῦδε, ὃν κόσμον λέγομεν] Attractionem pronominis ὅν infra p. 40. A. habes eandem: λόγοι μήν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν. Phaedr. p. 255. C. ἡ τοῦ ῥεύματος ἐκείνου πηγή, ὃν ἵμερον — ὠνόμασε. ubi v. ann. Copiose de hoc usu loquendi exposuit Krügerus De Attractione Linguae Lat. p. 122 sqq. §. 53. qui quae habet rei exempla, ea augeri etiam possunt iis, quae collegit Buenemannus ad Lactantium p. 258. et 889. Usum nominis κόσμος attigimus ad Tim. p. 27. A.

εἴληφέ τε καὶ ἴσχει;] Sic paullo ante: ἢ τοὐναντίον ὑπ' ἐκείνου τό τ' ἐμὸν, καὶ τὸ σὸν, καὶ τὸ τῶν ἄλλων ζώων ἅπαντ' ἴσχει ταῦτα; ubi codd. omnes ἴσχει.

P. 30. Τὸ παρ' ἡμῖν σῶμα ἆρ' οὐ ψ. φ.] Argumentatur hunc in modum: Ab universi tanquam corpore omnia mutuatur nostrum corpus. Hoc autem animum habet. At unde nam illum accepisse censendum est? Nimirum corpus universi nisi animatum esset, ne homo quidem esset animum habiturus. Sunt enim animi hominum tanquam particulae quaedam decerptae ex universa mente divina. Quae est sententia plane Pythagorica. Cicero Tusc. V, 13. Humanus autem animus, decerptus ex mente divina, cum nullo alio nisi cum ipso deo — comparari potest. ubi v. Davisius. De Divin. I, 49. a qua (natura deorum) ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos et libatos animos habemus. De Senect. c. 21. Audiebam Py-

τὸ παρ' ἡμῖν σῶμα ἢ ἐκ τοῦ παρ' ἡμῖν τοῦτο τρέφεταί τε καὶ ὅσα νῦν δὴ περὶ αὐτῶν εἴπομεν, εἴληφέ τε καὶ ἴσχει;

ΠΡΩ. Καὶ τοῦθ' ἕτερον, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἄξιον ἐρωτήσεώς.

ΣΩ. Τί δέ; τόδε ἆρα ἄξιον; ἢ πῶς ἐρεῖς; 30

ΠΡΩ. Λέγε τὸ ποῖον.

ΣΩ. Τὸ παρ' ἡμῖν σῶμα ἆρ' οὐ ψυχὴν φήσομεν ἔχειν;

ΠΡΩ. Δῆλον, ὅτι φήσομεν.

καὶ ἴσχει] V. ἴχει, quod e Bodl. Vat. Ven. *Π.* mutatum. v. interpretat. Mox Vat. rursus *Τί δαί;*

thagoram Pythagoreosque — nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. V. Iust. Lipsium Phys. Stoic. libr. III. diss. 8. Sed eodem prorsus modo Socrates apud Xenophontem Mem. I, 4, 8. *σὺ δὲ σεαυτὸν φρόνιμόν τι δοκεῖς ἔχειν, ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ οἰδὲν οἴει φρόνιμον εἶναι; καὶ ταῦτα εἰδώς, ὅτι γῆς τε μικρὸν μέρος ἐν τῷ σώματι πολλῆς οὔσης ἔχεις, καὶ ὑγροῦ βραχὺ πολλοῦ ὄντος, καὶ τῶν ἄλλων δήπου μεγάλων ὄντων ἑκάστου μικρὸν, μέρος λαβόντι τὸ σῶμα συνήρμοσταί σοι· νοῦν δ' ἆρα μόνον οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς πως δοκεῖς συναρπάσαι, καὶ τάδε τὰ ὑπερμεγέθη καὶ πλῆθος ἄπειρα δι' ἀφροσύνην τινὰ οὕτως οἴει εὐτάκτως ἔχειν;* Ibid. IV, 3, 14. *ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπου γε ψυχή, ἤ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων, τοῦ θείου μετέχει, ὅτι μὲν βασιλεύει ἐν ἡμῖν, φανερόν, ὁρᾶται δὲ οὐδ' αὐτή.* Cicero De N. D. III, 11. At quaerit apud Xenophontem Socrates, unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo. Ibid. II, 6. §. 6. Et tamen ex ipsâ hominum sollertia esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem et divinam, existimare debemus. Unde enim hanc homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin et humorem et calorem, qui est fusus in corpore, et terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quaerat, unde habeamus apparet; quod aliud a terra sumsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aëre eo, quem spiritu ducimus: illud autem, quod vincit haec omnia, rationem dico, et si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus? an cetera mundus habebit, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Conf. Sext. Empir. adv. Matth. IX, 61. ibique Fabricium.

ΣΩ. Πόθεν, ὦ φίλε Πρώταρχε, λαβόν, εἴπερ μὴ τό γε τοῦ παντὸς σῶμα ἔμψυχον ὂν ἐτύγχανε, ταὐτά γε ἔχον τούτῳ καὶ ἔτι πάντῃ καλλίονα;

ΠΡΩ. Δῆλον ὡς οὐδαμόθεν ἄλλοθεν, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Οὐ γάρ που δοκοῦμέν γε, ὦ Πρώταρχε, τὰ τέτταρα ἐκεῖνα, πέρας καὶ ἄπειρον καὶ κοινὸν
B *καὶ τὸ τῆς αἰτίας γένος, ἐν ἅπασι τέταρτον ἑνόν,*

P. 30. *ἔμψυχον ὂν ἐτ.*] *ἐὸν* Bodl. Vat. Ven. *Π.*
πάντῃ καλλίονα;] *πάντῃ*, quod vett. editt. cum plurimis codd. mss. ignorant, obtulerunt Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. cum Eusebio.
πέρας καὶ ἄπειρον καὶ κοινον] *πέρας* om. Bodl. Ven. *Π.* in marg. habet Vat.

Πόθεν, ὦ φ. Πρ., λαβόν,] Int. *αὐτὸ φήσομεν ψυχὴν ἔχειν.* Phaedon. p. 74. B. *ἢ καὶ ἐπισταμεθα αὐτὸ ὅ ἐστιν; Πάνυ γε, ἦ δ' ὅς. Πόθεν λαβόντες αὐτοῦ τὴν ἐπιστήμην;* Ibid. 76. C. Alcibiad. I. p. 110. C. *Ἔγωγε, καὶ ἠπιστάμην γε.* Socr. *Ἐν ὑποίῳ χρόνῳ ἐξευρών;*
Οὐ γάρ που δοκοῦμέν γε —] Anacoluthia huius loci prorsus singularis est, nec tamen eiusmodi, ut explicari nequeat. Nam illud quidem nunc nullo pacto concedimus, locum nisi quatenus ex codicibus mutandus fuit, indigere emendatione. Sententia verborum haec est: Nunquam enim dabimus ex quattuor illis generibus, infinito, finito, mixto atque *τῷ αἰτίῳ*, quartum hoc, quatenus in nobis inest atque mentem et animum pariter atque corporis vires nobis largitur, omnem omnis generis sapientiam dici; quum vero eadem et multo meliora in universo et magnis partibus insint, in his illud caussae genus pulcherrimorum ac praestantissimorum non effecisse naturam. Ex qua interpretatione liquet de uno maxime caussae genere agi, ita tamen, ut reliquorum trium generum mentio item fieri debuerit. Hinc igitur sermonis initium eiusmodi est, ut de quattuor generibus dictum iri expectemus; deinde vero, repentina facta orationis conversione, de quarto tantum genere agitur. Res nihil aut parum molestiae habitura esset, si hunc in modum scriptum legeretur: *οὐ γάρ που δοκοῦμέν γε — τῶν τεττάρων ἐκείνων, πέρατος καὶ ἀπείρου καὶ κοινοῦ καὶ τοῦ τῆς αἰτίας γένους, τοῦτο μὲν ἐν ἅπασι τέταρτον ἑνόν καὶ ἐν μὲν τοῖς παρ' ἡμῖν — σοφίαν ἐπικαλεῖσθαι, κ. τ. λ.* Nunc vero praemissis istis: *τὰ τέτταρ' ἐκεῖνα — τέταρτον ἑνόν*, inchoata verborum constructio protenus deseritur atque de quarto tantum genere perinde dicitur, ac si reliquorum generum non iniecta mentio esset. Dicitur vero quartum illud caussae genus primum quidem *τοῖς παρ' ἡμῖν ψυχὴν παρέχειν.* Recte vero. Nam ipsa anima ex finito et infinito temperata est; id temperamentum autem indiget

τοῦτο ἐν μὲν τοῖς παρ' ἡμῖν ψυχήν τε παρέχον καὶ σωμασκίαν ἐμποιοῦν καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικὴν καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλα ξυντιθὲν καὶ ἀκούμενον πᾶσαν καὶ παντοίαν σοφίαν ἐπικαλεῖσθαι, τῶν δ' αὐτῶν τούτων ὄντων ἐν ὅλῳ τε οὐρανῷ καὶ κατὰ μεγάλα μέρη, καὶ προσέτι καλῶν καὶ εἰλικρινῶν, ἐν τούτοις δ' οἰκ ἄρα μεμηχανῆσθαι τὴν τῶν καλλίστων καὶ τιμιωτάτων φύσιν.

ΠΡΩ. Ἀλλ' οὐδαμῶς τοῦτό γ' ἂν λόγον ἔχοι. C

B. *καὶ σωμασκίαν*] V. *καὶ σῶμα σκίαν.* Flor. b. *καὶ σῶμα καὶ σκιάν.*

τὴν τῶν καλλίστων] Pro *τὴν* Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π.* habent *διὰ*, quod unde natum sit, docet lectio Ven. *Π.* rec. *διὰ τὴν τ.*

certo quodam moderamine, quod non potest nisi a sapienti aliqua caussa et principio proficisci. Hinc igitur in Timaeo deus narratur ipsam mundi animam ad geometricas proportiones composuisse, p. 34. C. sqq. ubi v. quae copiosius de hac re exposuimus. Porro quarto illi caussae generi etiam accepta referri dicitur *σωμασκία* et *ἰατρική*, h. e. corporis valetudo. Nam *σωμασκία* pertinet ad sani corporis exercitationem, *ἰατρική* autem ad affectae valetudinis restitutionem et conservationem. Ex quo apparet, perquam inepte vulgo scribi *σῶμα σκίαν.* Legg. I. p. 646. D. ubi *σωμασκία* item legitur. Enimvero solent Graeci *γυμναστικήν* et *ἰατρικήν*, ubi de corporis valetudine mentionem iniiciunt, creberrime conjungere. Plat. Sophist. p. 228. E. *περὶ μὲν αἰσχος γυμναστική, περὶ δὲ νόσον ἰατρική.* Politic. p. 267. E. *γυμνασταὶ καὶ τὸ τῶν ἰατρῶν γένος.* Legg. III. p. 684. C. Gorg. p. 464. A. Protag. p. 313. D. Criton. p. 47. B. al. Quod autem prosperae valetudinis beneficium ad quartum illud caussae genus revocatur, id neminem morabitur. Nam quum ex mixto genere praeclara quaevis originem suam habeant, hoc ipsum autem sine caussa effectrice omnino nullum sit, facile intelligitur, quatenus ista omnia *τῷ αἰτίῳ* tribui potuerint. Quocirca illud etiam in aliis alia dicitur *συντιθέναι καὶ ἀκεῖσθαι*, h. e. resarcire, restituere, reparare; de quo usu verbi v. Hemsterhus. ad Thom. M. p. 26. Wesseling. ad Herodot. V, 94. Ast. ad Plat. Legg. p. 537. Krabinger. ad Synes. De Regno p. 144. Iam vero in altera periodi parte sermo oritur a genitivis absolutis, *τῶν δὲ αὐτῶν τούτων ὄντων* (quattuor intelligit rerum genera); ac deinde ad infinitivum *μεμηχανῆσθαι* subiecti loco intelligendum relinquitur *τὸ τῆς αἰτίας γένος.* Istud *ἐκ τούτων* autem cave ad *τῶν αὐτῶν τούτοις* retuleris; spectat enim manifesto ad *ἐν ὅλῳ τε οὐρανῷ καὶ κατὰ μεγάλα μέρη* (*τοῦ οὐρανοῦ*). Quae omnia ita comparata sunt, ut nihil habeant molestiae vel of-

ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ μὴ τοῦτο, μετ' ἐκείνου τοῦ λόγου ἂν ἑπόμενοι βέλτιον λέγοιμεν, ὡς ἔστιν, ἃ πολλάκις εἰρήκαμεν, ἄπειρόν τε ἐν τῷ παντὶ πολὺ καὶ πέρας ἱκανόν, καί τις ἐπ' αὐτοῖς αἰτία οὐ φαύλη, κοσμοῦσά τε καὶ συντάττουσα ἐνιαυτούς τε καὶ ὥρας καὶ μῆνας, σοφία καὶ νοῦς λεγομένη δικαιότατ' ἄν.

ΠΡΩ. Δικαιότατα δῆτα.

ΣΩ. Σοφία μὴν καὶ νοῦς ἄνευ ψυχῆς οὐκ ἄν ποτε γενοίσθην.

ΠΡΩ. Οὐ γὰρ οὖν.

D. *καθότι φίλον*] *καθὸ* Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π.*

fensionis. Repetitur vero praegressum *δέ* post *ἐν τούτοις* iam cum vi per *δὲ ἄρα*, quod in eiusmodi conclusionibus tanquam propriam sedem habere ad Apolog. Socr. p. 34. C. ostendimus. Denique *τὴν τῶν καλλίστων καὶ τ. φύσιν* nota periphrasi dictum, pro *τὰ φύσει κάλλιστα καὶ τιμιώτατα*, de quo loquendi genere v. ad Sympos. p. 191. A.

C. *μετ' ἐκείνου τοῦ λόγου ἂν ἑπόμενοι*] alteram sequentes ac tenentes rationem. De constructione v. Matthiae Gr. §. 403.

καὶ πέρας ἱκανόν, καί τις ἐπ' αὐτοῖς —] Winckelmannus Praefat. ad edit. min. p. XI. miratur neminem interpretum vidisse, non esse integram sententiam; excidisse enim post *ἱκανόν* haud dubie *καὶ κοινόν*. Nos vero vicissim miramur, non pervidisse Winckelmannum, vel omissis istis verbis sententiae integritatem optime sibi constare. Nam mixti genus quia ex finito et infinito constat, certe nulla caussa fuit, cur nunc diserte commemoraretur, quandoquidem caussae principium illis duobus praeesse dicitur: quod ipsum iis recte demum temperatis et in unum coniunctis locum habere potest. Quanquam si quid desideres, pro *ἱκανόν* reposuerim *καὶ κοινόν*, illo vocabulo in id, quod desideratur, mutato. Mox *ὧραι* sunt anni tempestates; de qua vocabuli significatione v. Valcken. ad Eurip. Phoeniss. p. 292.

σοφία καὶ νοῦς λεγομένη δικαιότατ' ἄν.] H. e. *ἡ σοφία καὶ νοῦς δικαιότατ' ἂν λέγοιτο.* De Rep. VIII. p. 562. A. *δημοκρατικὸς ὀρθῶς ἂν προσαγορευόμενος.* Ibid. V. p. 479. E. *καὶ οὐδέτερον — ὀρθῶς ἂν προσαγορευόμενον.* Sophist. p. 224. A. *τὸν ἄγοντα καὶ πωλοῦντα ἔμπορον ὀρθῶς ἂν λεγόμενον παρέχειν.* Infra p. 52. C. *τὰς σχεδὸν ἀκαθαρίους ὀρθῶς ἂν λεχθείσας.*

Σοφία μὴν καὶ νοῦς ἄνευ ψυχῆς] Tim. p. 30. B. *νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ. διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐν σώματι συνιστὰς τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο.*

ΣΩ. Οὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἑρεῖς φύσει D
βασιλικὴν μὲν ψυχήν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλά, καθότι φίλον ἑκάστοις λέγεσθαι.

ΠΡΩ. Μάλα γε.

ΣΩ. Τοῦτον δὴ τὸν λόγον ἡμᾶς μή τι μάτην δόξῃς, ὦ Πρώταρχε, εἰρηκέναι, ἀλλ' ἔστι τοῖς μὲν πάλαι ἀποφηναμένοις ὡς ἀεὶ τοῦ παντὸς νοῦς ἄρχει ξύμμαχος ἐκείνοις.

ΠΡΩ. Ἔστι γὰρ οὖν.

ΣΩ. Τῇ δέ γε ἐμῇ ζητήσει πεπορικὼς ἀπόκρι-

D. *ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἑρεῖς φύσει*] Nam Iupiter summae rationis imago est. Praeivit iam Homerus Iliad. XIII. v 355. *ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γέγονε καὶ πλείονα ᾔδη.* Phaedr. p. 247. A. 252. C ubi v. ann. conf. Plotin. Enn. III, 5. p. 298. C. IV, 4. p. 403. A. Plutarch. De Is. et Osir. T. II. p. 351. D.

ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλά,] Ad *ἄλλοις* ex praecedenti *τοῦ Διός* intelligendum *θεοῖς*, sicuti docet formula *φίλον ἑκάστοις ἐστίν*, de diis non infrequens. Criton. p. 43. E. *εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ ἔστω.* Phaedr. p. 246. D. *ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον.* Apol. p. 19. A. *ὅμως δὲ τοῦτο μὲν ἴσως, ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον.* Legg. X. p. 886. D. *ὅπῃ θεοῖσι φίλον.* Supra p. 12. C. *ὅπῃ ἐκείνῃ (τῇ Ἀφροδίτῃ) φίλον.* Formulam illustrarunt etiam Muretus Varr. Lect. II, 12. Gataker. ad Antonin. IV, 31. Synesin ne mireris, audaciora etiam sunt illa Legg. I. p. 627. C. *πολλοὶ ἀδελφοί που γένοιντ' ἂν ἑνὸς ἀνδρός τε καὶ μιᾶς νίεες.* ubi int. *μητρός.* Ceterum conf. Sophocl. Oed. Col. v. 43. OI. *τίνων τὸ σεμνὸν ὄνομ' ἂν εὐξαίμην κλύων;* ΑΘ. *τὰς πάνθ' ὁρώσας Εὐμενίδας ὅ γ' ἐνθάδ' ἂν εἴποι λεώς νιν· ἄλλα δ' ἀλλαχοῦ καλά.* ubi v. Reisig. Nimirum fuit haec formula verecundae in deos reverentiae.

ἔστι τοῖς μὲν πάλαι ἀποφηναμένοις —] opitulatur iis, qui dudum mentem regere omnem rerum universitatem docuerunt. Intelligi Anaxagoram eiusque assectatores, satis apparet. Abunde vero *ἐκείνοις* post subiectum *τοῖς ἀποφηναμένοις* infertur: quod ne quis moleste ferat, similem usum pronominis *αὐτός* attigimus ad Phaedon. p. 111. C. Sympos. p. 195. A. Xenoph. Cyrop. I, 3, 15. *πειράσομαι τῷ πάππῳ, ἀγαθῶν ἱππέων κράτιστος ὢν ἱππεύς, συμμαχεῖν αὐτῷ.* ubi v. intpp. conf. Matthiae Gr. §. 467. 2. Bernhardy Syntax. p. 290.

πεπορικὼς ἀπόκριαιν] Repetendum ex superioribus *ἐστίν.* Quaestionem dicit p. 28. A. motam.

E σιν, ὅτι νοῦς ἐστὶ γενούστης τοῦ πάντων αἰτίου λεχθέντος τῶν τεττάρων, ὧν ἦν ἡμῖν ἓν τοῦτο. ἔχεις γὰρ δήπου νῦν ἡμῶν ἤδη τὴν ἀπόκρισιν.

E. *νοῦς ἐστὶ γενούστης τοῦ π.*] *γένους τῆς* Bodl. Vat. Inde Bekkerus correxit *νοῦς ἐστὶ γένους τοῦ πάντων κ. τ. λ.* sed nulla opus esse correctione docebunt, quae infra in interpret. ex-

E. *ὅτι νοῦς ἐστὶ γενούστης τοῦ π. αἰτίου*] Frustra sunt qui locum mutandum putarunt propterea, quod *γενούστης* vocabulum sit plane inauditum. I. Bekkerus scripsit *ἐστὶ γένους τοῦ πάντων κ. τ. λ.*, nisi fallor, mera de coniectura. Nostri quidem libri vulgatam lectionem tuentur unanimi consensione; et suspicamur nec codd. Bekkeri aliud quid suppeditasse, nisi quod Bodl. et Vat. *γένους τῆς* habent, id quod etiam a Bastio et Gaisfordo didicimus. Accedit auctoritas grammaticorum, qui hoc vocabulum tanquam Platonicum certatim memorarunt. Hesychius T. I. p. 817. *γενούστης· ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ἐννοίας, ὁ γεννητικός.* Suidas T. I. p. 474. *γεννούστης* (sic enim apud eum scribitur) *οἷον γενιήτης ἢ συγγενὴς ἢ ἔγγονος. τὸ τελευταῖον ἐκδέχεσθαι ἄμεινον.* Etymol. M. *γενούστης· παρὰ Πλάτωνι ἐν Φιλήβῳ ἐπὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐννοίας, οἷον ὁ γεννητικός.* Gramm. in Bekkeri Anecd. I. p. 231. qui habet eadem. Sch. ad h. l. *γενούστης· ὁ οἷον γεννήτης, ἢ συγγενὴς ἢ ἔγγονος, ὧν τὸ τελευταῖον ἐκδέχεσθαι ἄμεινον· ἢ οἷον ὁ γεννητικός.* Etiam Olympiodorus *γενούστης* legit, qui in eo agnoscit *λέξιν καινοτέραν.* Quid igitur? tanta quum sit testium multitudo, qui vulgatae lectionis veritatem confirmant, num eam nihilominus deserendam vel potius abiiciendam censebimus? Enimvero critici hoc foret sane audacioris, ne dicam prope temerarii, praesertim si qua suppetat inusitati vocabuli defensio. Eam vero in promtu habemus. Putamus enim Socratem Platonicum, quum proprie dicendum esset *γεννήτης* vel *γενήτης*, quo nomine appellatos esse constat, qui eiusdem generis et familiae essent, faceto lusu novum finxisse vocabulum *γενούστης*, quippe quod ipso sono suo prope ad *τὸν νοῦν* accederet. Tales originationum lusus complures alibi notavimus, inprimis in Cratylo et Politico. Ac simile quiddam habemus infra p. 64. A. ubi *νοῦς* dicitur *ἐμφρόνως καὶ ἐχόντως ἑαυτὸν ἀποκρίνασθαι τὰ νῦν ῥηθέντα.* Addimus praeterea p. 17. D. E. Quod si ita est, etiam in posterum, opinor, hic *γενούστης*, per ludibrium fictus, locum suum tuebitur. Similiter Germanice ludere liceat sic: Dass der Verstand ein Standesgenosse des Ursächlichen ist.

αἰτίου λεχθέντος τῶν τεττάρων ὧν ἦν ἡμῖν] Locus manifesto corruptus ac depravatus, quem etiam nunc sic refingendum censemus: *λεχθέντος· τῶν τεττάρων δ' ἦν ἡμῖν ἓν τοῦτο.* h. e. erat autem hoc nobis unum de quattuor illis, quae saepe diximus, generibus. Conjecturam firmarunt tres codices primarii, qui *ὧν* omittunt. In aliis libris *ἦν* omissum est, quod

ΠΡΩ. Ἔχω καὶ μάλα ἱκανῶς· καίτοι με ἀποκρινάμενος ἔλαθες.

posuimus.

τῶν τεττάρων, ὧν ἦν ἡμῖν] ὧν om. Bodl. Vat. et pr. Ven. *II.* In Ven. *ΑΞ.* Aug. Flor. a. i. deest *ἦν*. Locus corruptus. v. infra interpret.

ipsum quoque verae lectionis vestigium ostendit.

Ἔχεις γὰρ δήπου — ἀποκρισιν] tenes enim iam tandem, opinor, nostram responsionem. conf. Phaedon. p. 71. A. *ἱκανῶς οὖν, ἔφη, ἔχομεν τοῦτο, ὅτι πάντα οὕτω γίγνεται, ἐξ ἐναντίων τὰ ἐναντία πράγματα; Πάνυ γε.* Ibid. p. 100. D. *τοῦτο ἔχω — παρ' ἐμαυτῷ.* Legg. IV. in. *ἔχετε γὰρ ὃ λέγω που.* De Rep. V. p. 477. A. *ἱκανῶς οὖν τοῦτο ἔχομεν ὅτι κ. τ. λ.* Alia id genus dabit Wunderus. ad Sophocl. Antigon. v. 9.

καίτοι με ἀποκρινάμενος ἔλαθες] H. e. *ἔλαθές με ὅτι ἀπεκρίνω*, latuit mihi te iam respondisse (h. e. fugit me, quod iam respondisses s. responderas) sed *ἀποκρινόμενος* foret *ὅτι ἀπεκρίνου*, fugit me responsum abs te dari, sive, ut licentius dicam perspicuitatis gratia: latuit me, quod respondebas s. responderes. Ex quo apparet, quo discrimine utrumque dicatur et utrum huic loco conveniat; apparet item falsum esse, quod olim Fr. Aug. Wolfii auctoritatem secutus scripsi, aoristum talium verborum, quale est *λανθάνειν, φθάνειν, τυγχάνειν*, fere etiam participia aoristi adsciscere; quam sententiam ipsi paullo post repudiandam esse intelleximus. Quanquam quod tunc iudicavimus, Graecos in usu participiorum hanc sibi legem sanxisse, ut ea ponerent illorum tempora, quibus re per verbum finitum expressa opus futurum videretur, id etiam nunc tenemus, si modo recte intelligatur neque malis calumniis in alienum sensum detorqueatur. Nam ubi durans aliqua res verbo finito significatur, participium durantis actionis usurpari solet; pariterque, ubi quid tanquam absolutum iam aut peractum cogitandum est, ibi id tempus adhibetur, quod rem absolutam esse significat. In quo tamen diligenter tenendum, quod profecto nulla indiget admonitione, participia quatenus ad verbum finitum referuntur, sic semper declaranda esse, uti horum notioni vel rei ipsi consentaneum sit. Quod ipsum significavimus dicentes, ea tempora, i. e. eiusmodi tempora, participiorum poni solere, quibus re per verbum finitum expressa opus videatur. Itaque hoc loco, ubi agitur de re praeterita, inepte feceris, si quod scriptum legitur in codicibus nonnullis, *ἔλαθες με ἀποκρινόμενος*, velis sic interpretari: *ἀποκρίνει καὶ ἔλαθές με*; neque enim de re praesenti agitur; imo imperfecto res explicanda est, quippe quo tempore durans actio temporis praeteriti designari soleat, ut sententia sit haec: *ἔλαθές με, ὅτι ἀπεκρίνου.* Neque minus insaniat, si quis verba, *ἀπέθανε μαχόμενος*, sic explicanda statuat: *μάχεται καὶ ἀπέθανε*, id quod ne furioso quidem in mentem venire poterit.

ΣΩ. Ἀνάπαυλα γάρ, ὦ Πρώταρχε, τῆς σπουδῆς γίγνεται ἐνίοτε ἡ παιδιά.

ΠΡΩ. Καλῶς εἶπες.

31 ΣΩ. Νοῦς δήπου, ὦ ἑταῖρε, οὗ μὲν γένους ἐστὶ καὶ τίνα ποτὲ δύναμιν κέκτηται, σχεδὸν ἐπιεικῶς ἡμῖν τὰ νῦν δεδήλωται.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Καὶ μὴν ἡδονῆς γε ὡσαύτως πάλαι τὸ γένος ἐφάνη.

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ὦ Πρώταρχε, τῆς σπουδῆς] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ.* Coisl. Par. BCH. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. τῆς σπουδῆς, ὦ Πρ. καλῶς εἶπες] καὶ καλῶς εἶπες Bodl. Vat. Ven. *Π.*

P. 31. Νοῦς δήπου, ὦ ἑταῖρε,] Vett. editt. Νῦν δήπου, ὦ ἑτ. Sed pro νῦν Coisl. habet νοῦν, unde Bekkerus νοῦς fecit. In Bodl. Vat. et fortasse etiam pr. Ven. *Π.* scriptum νῦν δὴ νοῦς, ὦ ἑτ., quod minus placet.

καὶ τούτου σχεδὸν τοῦ γένους] τοῦ om. Ven. *Λ.* Par. CH. Angel. Flor. a. b. c. i. Dein pro αὐτὴ Bodl. αὖτη.

Patet enim re per verbum finitum expressa opus esse tempore durantis actionis temporis praeteriti, h. e. imperfecto, ideoque sententiam esse hanc: ἀπέθανε, ὅτε ἐμάχετο. Sed haec paucis significasse satis erit; intelligentur enim ab omnibus facillime, qui eam, quam hac quidem in caussa unice probamus, temporum distributionem iam a veteribus grammaticis traditam illam, cognitam exploratamque habeant. Nunc addere quaedam aoristi cum praesenti tempore iuncti exempla liceat; nam alterius rationis documentis nullis sane opus erit. Plat. Criton. p. 49. B. ἐλάθομεν ἡμᾶς αὐτοὺς παίδων οὐδὲν διαφέροντες. Theaet. p. 169. C. μή που παιδικόν τι λάθωμεν εἶδος τῶν λόγων ποιούμενοι. De Rep. V. p. 457. E. ἀλλ' οὐκ ἐλαθες ἀποδιδράσκων. Ibid. VI. p. 486. A. μὴ σε λάθῃ μετέχουσα ἀνελευθερίας. Phaedon. p. 77. E. Legg. VII. p. 801. A. Verum haec ad praesentem disputationem sufficient. Quamquam animi caussa plura etiam addere licuerit, siquidem ἀνάπαυλα, ut ait Socrates, τῆς σπουδῆς γίγνεται ἐνίοτε ἡ παιδιά. Quo dicto usus est etiam Aristaenetus Epist. XXVI. p. 117. ed. Boiss. ubi v. intpp.

P. 31. Νοῦς δήπου — τὰ νῦν δεδήλωται] Scribebatur vulgo: Νῦν δήπου, ὦ ἑταῖρε, κ. τ. λ. Quod in Bodl. ceterisque eiusdem familiae codicibus mutatum est sic: Νῦν δὴ νοῦς, ὦ ἑταῖρε, κ. τ. λ. Ea vero lectio, etsi nuperis editoribus unice probata est, tamen nobis quidem displicet vehementissime. Nam quod post Νῦν δή deinde τὰ νῦν infertur, id adeo accidit molestum, ut prope intolerabile videatur. Praeterea illud ipsum Νῦν δή nunc parum commode initio commatis ponitur, sicuti facile sentient, qui universi loci rationem diligentius excusserint, inprimisque sequentium verbo-

ΣΩ. Μεμνώμεθα δὴ καὶ ταῦτα περὶ ἀμφοῖν, ὅτι νοῦς μὲν αἰτίας ἦν ξυγγενὴς καὶ τούτου σχεδὸν τοῦ γένους, ἡδονὴ δὲ ἄπειρός τε αὐτὴ καὶ τοῦ μήτε ἀρχὴν μήτε μέσα μήτε τέλος ἐν ἑαυτῷ ἀφ' ἑαυτοῦ ἔχοντος μηδὲ ἕξοντός ποτε γένους.

ΠΡΩ. Μεμνησόμεθα· πῶς γὰρ οὔ; B

Cap. XVII. Λεῖ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο, ἐν ᾧ τέ ἐστιν ἑκάτερον αὐτοῖν καὶ διὰ τί πάθος γίγνεσθον, ὁπόταν γίγνησθον, ἰδεῖν ἡμᾶς· πρῶτον τὴν ἡδονήν· ὥσπερ τὸ γένος αὐτῆς πρότερον ἐβασανίσαμεν, οὕτω καὶ

ἐν ἑαυτῷ ἀφ' ἑαυτοῦ] V. ἀφ' ἑαυτοῦ ἐν ἑαυτῷ. Plerique cum Bodl. et Coisl. ἐν αὐτῷ ἀφ' ἑαυτοῦ. Sed ἐν ἑαυτῷ ἀφ' ἑαυτοῦ Vat. Ven. *II.* Angel.

B. διὰ τί πάθος γ.] Vitiose Bodl. Vat. Ven. *II.* πλῆθος. Sed Vat. marg. πάθος. Idem Vat. ὁπότ' ἂν γίγνοισθον.

ἰδεῖν ἡμᾶς· πρῶτον τὴν ἡδονήν· ὥσπερ τὸ γ.] Sic haec distinguere placuit. Vulgo ἰδεῖν ἡμᾶς τὴν ἡδονήν, ὥσπερ κ. τ. λ. v. interpretat.

rum, καὶ μὴν ἡδονῆς γε ὡσαύτως κ. τ. λ. non negligentes fuerint. Itaque hanc scripturam rursus habemus pro correctione parum felici eorum, quibus codicum illorum recensionem acceptam referimus. Verum autem prodit sine dubio, quod in reliquis libris omnibus scriptum legitur Νῦν δήπου, quam lectionem Bekkerus prudentissimo consilio emendavit.

Μεμνώμεθα δὴ καὶ ταῦτα] itaque iam praeter ea, quae antea de iis exposita sunt, etiam haec recordemur etc. Neque enim καί ante ταῦτα temere est inculcatum. — καὶ τοῦ μήτε ἀρχήν, h. e. generis natura sua perpetuo fluctuantis, nec ullum habentis terminum atque finem.

B. Λεῖ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο —] Quaerere iam instituit de sede quasi ac domicilio voluptatis et sapientiae, siquidem utrum ea in corpore, an in animo, an in utroque simul insit, copiosius disputatur; disquirit item de affectione et animi et corporis, qua ita fiat, ut eius participes reddamur. Ex quo apparet, quid nunc πάθος intelligatur. Est enim id, quo quis afficitur; status et conditio vel animi vel corporis, qua quis aliquo modo affectus utitur. Quod non eram moniturus, nisi olim Hülsemannum, interpretem libri mira perversitate insignem, hic quoque delirasse atque alios quosdam in eiusdem erroris traxisse communionem vidissem. De ὁπόταν γίγνηται v. ad Phaedon. p. 68. D. Euthyphron. p. 7. D. Gorg. p. 468. B. Cratyl. p. 423. B.

πρῶτον τὴν ἡδονήν· ὥσπερ τὸ γένος αὐτῆς — πρότερα] Ita hunc locum dudum interpungendum censuimus; qua interpunctione restituta nemo iam de eius integritate dubitabit. Nam ad πρῶτον τὴν ἡδονήν ex superioribus iterandum δεῖ ἡμᾶς ἰδεῖν. Deinde vero per epexegesin accedunt haec: ὥσπερ τὸ

ταῦτα πρότερα. λύπης δ' ἂν χωρὶς τὴν ἡδονὴν οὐκ ἄν ποτε δυναίμεθα ἱκανῶς βασανίσαι.

ΠΡΩ. Ἀλλ' εἰ ταύτῃ χρὴ πορεύεσθαι, ταύτῃ πορευώμεθα.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν σοὶ καθάπερ ἐμοὶ φαίνεται τῆς γενέσεως αὐτῶν πέρι;

C ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ἐν τῷ κοινῷ μοι γένει ἅμα φαίνεσθον λύπη τε καὶ ἡδονὴ γίγνεσθαι κατὰ φύσιν.

ΠΡΩ. Κοινὸν δέ γε, ὦ φίλε Σώκρατες, ὑπομίμνησκε ἡμᾶς τί ποτε τῶν προειρημένων βούλει δηλοῦν.

ΣΩ. Ἔσται ταῦτ' εἰς δύναμιν, ὦ θαυμάσιε.

ΠΡΩ. Καλῶς εἶπες.

ΣΩ. Κοινὸν τοίνυν ὑπακούωμεν ὃ δὴ τῶν τεττάρων τρίτον ἐλέγομεν.

Ἀλλ' εἰ ταύτῃ χρὴ π.] Aldin. et Steph. hic nomen Protarchi et ante Ἆρ' οὖν nomen Socratis omittunt, quod factum item in codd. mss. non paucis.

C. ἅμα φαίνεσθον] Vett. editt. cum Par. E. φαίνεσθον ἅμα. Ὃ μετὰ τὸ ἄπειρον —] Ald. et Steph. hic rursus omittunt nomen Protarchi, quod praefixum habent verbis: Κάλλιστ' εἶπες· tum vero proxima τὸν νοῦν δὲ — πρόσεχε Socrati tribuunt. Veram

γένος — ταῦτα πρότερα, ad quae item repetenda sunt verba ad primarii membri pleniorem intelligentiam necessaria. Itaque verba sic interpretamur: primum voluptatem considerare nos oportet; nam sicuti antea genus ipsius prius exploravimus, ita etiam haec prius considerare oportet, quibus ostendendum est, ἐν ᾧ τέ ἐστιν καὶ διὰ τί πάθος γίγνεται. Post ὥσπερ ne quis γάρ addendum putet, satis cavebunt, quae de hoc genere structurae exposuimus ad Phaedon. p. 61. D. Gorg. p. 448. E. Theaet. p. 172. D. Sophist. p. 238. C. Quae quum ita sint, bona cum venia Stephani, Cornarii, Fischeri, aliorum, coniecturas silentio transire licebit.

C. Ἐν τῷ κοινῷ μοι γένει ἅμα φ.] Sedem voluptatis atque doloris in mixto genere quaerendam esse censet. Id quod fortasse alicui primo certe aspectu mirum videatur. Nam voluptas antea ad τὸ ἄπειρον referebatur. Enimvero probe discernenda est quaestio antea instituta, de genere voluptatis in se spectatae, ab ea quae nunc suscipitur de sede et origine doloris ac voluptatis. Dicitur igitur nunc voluptas ac dolor in τῷ κοινῷ sive ξυμμεμιγμένῳ inesse,

ΠΡΩ. Ὃ μετὰ τὸ ἄπειρον καὶ πέρας ἔλεγες; ἐν ᾧ καὶ ὑγίειαν, οἶμαι δὲ καὶ ἁρμονίαν, ἐτίθεσο;

ΣΩ. Κάλλιστ' εἶπες. τὸν νοῦν δὲ ὅ τι μάλιστ' ἤδη πρόσεχε. D

ΠΡΩ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Λέγω τοίνυν τῆς ἁρμονίας μὲν λυομένης ἡμῖν ἐν τοῖς ζώοις ἅμα λύσιν τῆς φύσεως καὶ γένεσιν ἀλγηδόνων ἐν τῷ τότε γίγνεσθαι χρόνῳ.

ΠΡΩ. Πάνυ λέγεις εἰκός.

ΣΩ. Πάλιν δὲ ἁρμοττομένης τε καὶ εἰς τὴν αὐτῆς φύσιν ἀπιούσης ἡδονὴν γίγνεσθαι λεκτέον, εἰ δεῖ δι' ὀλίγων περὶ μεγίστων ὅ τι τάχιστα ῥηθῆναι.

ΠΡΩ. Οἶμαι μέν σε ὀρθῶς λέγειν, ὦ Σώκρατες, ἐμφανέστερον δὲ ἔτι ταὐτὰ ταῦτα πειρώμεθα λέγειν. E

ΣΩ. Οὐκοῦν τὰ δημόσιά που καὶ περιφανῆ ῥᾷστον συννοεῖν;

personarum notationem ex edit. Bas. 1. et 2. primus restituit Fischerus, consentientibus aliquot codicibus, inter quos est Coislin. In Vat. et Bodl. sic scriptum: *ἐτίθεις. ὃ κάλλιστ' εἶπες: τὸν νοῦν δὴ δὲ. —*

ὅ τι μάλιστ' ἤδη] *κάλλιστα* Vat.

E. *ἔτι ταὐτὰ ταῦτα*] V. *τὰ αὐτά*, quod mutatum est e Bodl. et Vat.

propterea, nisi fallor, quod omnia animalia ipsique homines, in quos voluptatis ac doloris sensus cadit, ad *τὴν γεγενημένην οὐσίαν* referri debent; quidquid vero aut infinitum tantum est aut finitum, id voluptatis aut doloris capax esse non potest: neque enim in eo harmoniae vel dissolutio vel restitutio locum habet, in qua una voluptatis et doloris caussam atque originem positam esse docetur.

κοινὸν τοίνυν ὑπακούωμεν] H. e. commune id intelligamus. Sophist. p. 261. D. *τὸ ποῖον οὖν δὴ περὶ τῶν ὀνομάτων ὑπακουστέον;* Mox de *οἶμαι δὲ καὶ* accusativo *ἁρμονίαν* absolute praemisso conf. Reip. V. p. 465. A. *οἶμαι δὲ, οὐδὲ ἄλλως ἀτιμάσει.* Gorg. p. 218. E. *οἶμαι δὲ, καὶ ἐγὼ μᾶλλον εἴσομαι.* v. praeterea ad Lachet. p. 184. B. Gorg. p. 460. A. De Rep. X. p. 608. D.

D. *Λέγω τοίνυν τῆς ἁρμονίας μὲν λυομ.*] Retulit hunc locum in Eclogas Phys. suas Stobaeus p. 90, = 772. ed. Heeren. in compendium redegit totam disputationem Nemesius De Nat. Hom. p. 220 sqq. ed. Matthaei. De re ipsa conf. Tim. p. 64. B. sqq. ubi de voluptatis origine similiter explicatur.

ΠΡΩ. Ποῖα.

ΣΩ. Πείνη μέν που λύσις καὶ λύπη.

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Ἔδωδὴ δέ, πλήρωσις γιγνομένη πάλιν, ἡδονή.

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Λίψος δ' αὖ φθορὰ καὶ λύπη [καὶ λύσις],
32 ἡ δὲ τοῦ ὑγροῦ πάλιν τὸ ξηρανθὲν πληροῦσα δύναμις ἡδονή. διάκρισις δέ γ' αὖ καὶ διάλυσις ἡ παρὰ

Ἔδωδὴ δέ, πλήρωσις γ.] Ven. A, Par. BC, Angel. ἐδωδῇ, quod dedit Bekkerus.

E. *Πείνη μέν που λύσις καὶ λύπη.*] In his *καὶ λύπη* indicat id, quod ex *λύσει* consequitur atque explicari potest, ideoque tristitia; *που* autem est assensionem alterius expectantis. Monui, ne quis hic haereret. Dein Schleiermacherus correxit: *Ἔδωδῇ δὲ πλήρωσις κ. τ. λ.* expletio per cibum. Quod non debebat Bekkerus recipere. Nam primum quidem *ἐδωδή* non tantum est cibus qui comeditur, sed etiam esus, quo fames expletur. De Rep. I. p. 350. A. *ἐν τῇ ἐδωδῇ ἢ πόσει ἐθέλειν ἄν τι ἰατρικοῦ πλεονεκτεῖν ἢ ἀνδρὸς ἢ πράγματος*; quod recte interpretantur in cibo aut potu *sumendo*. Ita vero apparet, *ἐδωδή* rectissime opponi *τῇ πείνῃ*. Deinde oppositionis ratio impedit, quominus *ἐδωδῇ δὲ* praemittatur; debuit enim sic esse hic ordo verborum: *πλήρωσις δὲ ἐδωδῇ γιγνομένη*. Itaque librorum scripturam servandam censemus, interpretamurque locum sic: Esus autem, quum rursus fit expletio, voluptas.

Λίψος δ' αὖ φθορὰ καὶ λύπη (καὶ λύσις)] Manifestum est, *καὶ λύσις* ortum esse ex glossemate fortasse ad *φθορά* adscripto, sed deinde alieno loco verbis Platonis inserto. Nam quemadmodum scribitur: *Πείνη μέν που λύσις καὶ λύπη*, h. e. Fames, opinor, dissolutio est *ideoque* dolor; sic etiam hic dicendum fuit: Sitis autem corruptio est *eoque dolor*, nec potuit iam subiungi *καὶ λύσις*, in cuius locum *φθορά* successit antea. Quod igitur Cousinus Interpr. Gallic. p. 495. vulgatae lectionis patrocinium suscepit, non possum equidem viro eximio hac in re assentiri. Errorem etiam Schleiermacherus notavit.

P. 32. *διάκρισις δέ γ' αὖ — ἡ παρὰ φύσιν, τοῦ πνίγους πάθη, λύπη.*] Sic haec nunc distinximus cum I. G. Schneidero, Saxone, Indic. ad Theophrast. in v. *Πνίγος*. Vulgo enim post *διάλυσις* interpungebatur verbis, *ἡ παρὰ φύσιν τοῦ πνίγους πάθη*, in unum coniunctis. Sententia verborum haec est: Discretio autem ac dissolutio (humidorum) naturae contraria, qui sunt caloris effectus, sive affectiones a calore pro-

φύσιν, τοῦ πνίγους πάθη, λύπη· κατὰ φύσιν δ' ἡ πάλιν ἀπόδοσίς τε καὶ ψύξις ἡδονή.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Καὶ ῥίγους ἡ μὲν παρὰ φύσιν τοῦ ζώου τῆς ὑγρότητος πῆξις λύπη· πάλιν δ' εἰς ταὐτὸν ἀπιόντων καὶ διακρινομένων ἡ κατὰ φύσιν ὁδὸς ἡδονή. καὶ ἐνὶ λόγῳ σκόπει, εἴ σοι μέτριος ὁ λόγος, ὃς ἂν φῇ τὸ ἐκ τοῦ ἀπείρου καὶ πέρατος κατὰ φύσιν ἔμψυχον γεγονὸς εἶδος, ὅπερ ἔλεγον ἐν τῷ πρόσθεν, B ὅταν μὲν τοῦτο φθείρηται, τὴν μὲν φθορὰν λύπην

P. 32. *κατὰ φύσιν δ' ἡ πάλιν*] Vett. editt. *κατὰ φύσιν δὴ πάλιν.* Emendavit Heusdius. Ven. *Σ.* corr. *δὲ* pro *δή.*] *τὸ ἐκ τοῦ ἀπείρου*] Libri *ἐκ τῆς ἀπείρου*, v. interpretat.

fectae, dolorem affert. Nam ad *διάκρισις καὶ διάλυσις* ex antecedentibus repetendum est *τοῦ ὑγροῦ*; sicuti docent proxima, quibus de frigore exponitur. De caloris et frigoris origine atque caussis Plato exposuit Tim. p. 61. E. sqq. unde haec lucem suam accipiunt. Deinde *κατὰ φύσιν* primo loco collocatum est oppositionis gratia per quoddam genus chiasmi; de quo verbo monuisse satis erit.

Καὶ ῥίγους ἡ μὲν παρὰ φύσιν — πῆξις] Duplex genitivus uni nomini adiunctus, ita ut alter active, alter passive significet. Multa id genus exempla larga manu suppeditabit Matthiae Gr. §. 380. Eodem modo Latini. Cicer. De Nat. Deor. II. 63, 158. *canum* tam fida custodia tamque amans *dominorum* adulatio. Sed de his consulas Wopkens. Lectt. Tull. p. 89. Goerenz. ad Academ. Fin. III. 15, 51. Beier. ad Offic. I. 14, 43. p. 107 sq. Intelligitur ergo rigor humidorum a frigore profectus, s. frigore effectus. Dein *ἀπιόντων καὶ διακρινομένων* per synesin positum, siquidem ex *τῆς ὑγρότητος* repetendum est *τῶν ὑγρῶν*, quod etiam Bernhardio Syntax. p. 430. placuit. — *εἰς ταὐτόν* est: in eundem statum, in quo fuerant antea. Quocirca non est, cur cum Schleiermachero corrigamus *εἰς τὴν ἑαυτῶν φύσιν*, quod ille eruit e lectione Stobaei *εἰς τὴν αὐτὴν φύσιν*, quae fluxit ex interpretatione.

εἴ σοι μέτριος ὁ λόγος] H. e. *καλός, ὀρθός*, num tibi satisfaciat; v. ad Criton. p. 46. C. Phaedon. p. 87. D. p. 96. D. al.

B. *ἔμψυχον γεγονὸς εἶδος*] Schleiermacherus *ἐμψύχων* scribendum putabat. Atqui ita *τῶν ἐμψύχων* requiritur. Quocirca in altera Operum Platonicorum editione, mente mutata, *ἔμψυχον* retineri maluit. In praegressis autem iam olim correximus *τὸ ἐκ τοῦ ἀπείρου*, pro eo, quod codd. magno errore tuentur, *τὸ ἐκ τῆς ἀπείρου*, Bas. 2. auctoritatem sequuti. Nisi forte praestat scribere *τὸ ἐξ ἀπείρου καὶ πέρατος.*

B. *ὅταν μὲν τοῦτο φθείρηται, τὴν μὲν φθ.*] Constructio rursus *ἀνακόλουθος* est. Nam accusativus *τὸ ἐκ τοῦ ἀπ.*

εἶναι, τὴν δ' εἰς τὴν αὐτῶν οὐσίαν ὁδόν, ταύτην δ' αὖ πάλιν τὴν ἀναχώρησιν πάντων ἡδονήν.

ΠΡΩ. Ἔστω· δοκεῖ γάρ μοι τύπον γέ τινα ἔχειν.

ΣΩ. Τοῦτο μὲν τοίνυν ἓν εἶδος τιθώμεθα λύπης τε καὶ ἡδονῆς ἐν τούτοις τοῖς πάθεσιν ἑκατέροις;

ΠΡΩ. Κείσθω.

Cap. XVIII. *ΣΩ. Τίθει τοίνυν αὐτῆς τῆς ψυχῆς*
C *κατὰ τὸ τούτων τῶν παθημάτων προσδόκημα τὸ μὲν πρὸ τῶν ἡδέων ἐλπιζόμενον ἡδὺ καὶ θαῤῥαλέον, τὸ δὲ πρὸ τῶν λυπηρῶν φοβερὸν καὶ ἀλγεινόν.*

ΠΡΩ. Ἔστι γὰρ οὖν τοῦθ' ἡδονῆς καὶ λύπης

C. *καὶ θαῤῥαλέον*] *θαῤῥαλαῖον* Ven. *A.* et pr. *Ξ.* Par. FH. Dein pro *λυπηρῶν* Bodl. Vat. Ven. *II.* Aug. *λυπῶν*. *διὰ προσδοκίας γιγνόμενον*] Sic Bodl. Vat. Coislin. Ven. *ΠΣ*, Par. BCH. Angel. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. *προσδοκίαν*.

— *γεγονὸς εἶδος* dehinc negligitur, ita quidem, ut iam pro eo accusativi *τὴν μὲν φθοράν*, et *ταύτην δ' αὖ τὴν ἀναχώρησιν* inferantur. v. ad p. 30. A. B. Dein *αὐτῶν* per synesin ad *ἔμψυχον εἶδος* referendum.

τύπον γέ τινα ἔχειν] H. e. verisimilitudinis speciem referre. Loquutionem illustrabimus infra ad p. 61. A.

ἐν τούτοις τοῖς πάθεσιν ἑκατέροις] Post *πάθεσιν* vide an excideriit *ἐνόν*.

Τίθει τοίνυν αὐτῆς τῆς ψυχῆς -] In his *τοίνυν* est iam vero, porro, neque habet vim *συλλογιστικήν*, sed potius *μεταβατικήν*: de quo voculae usu v. ad. Apol. Socr. p. 33. E Remp. VIII. p. 565. X. p. 603. B. Protag. p. 319. B. conf. Schaefer. ad Demosth. Apparat. Vol. I. p. 222. 637. 795. 844. al. Enimvero consideratur dehinc alterum genus voluptatum soli animo proprium, quod ex eo habere originem dicitur, quod ex bonarum rerum expectatione voluptas, ex malarum metu dolor nascatur. Sed de argumento loci satis dictum est in Prolegomenis. — *αὐτῆς τῆς ψυχῆς*, solius animi et a corpore separati ac seiuncti, ut mox *χωρὶς τοῦ σώματος αὐτῆς τῆς ψυχῆς*. v. ad Phaedon. p. 63. C. Consecutio verborum haec est: *τίθει τοίνυν κατὰ τὸ τούτων τῶν παθημάτων αὐτῆς τῆς ψυχῆς προσδόκημα τὸ μὲν πρὸ τῶν ἡδέων ἐλπιζόμενον ἡδὺ κ. τ. λ.* iam vero ipsius animi de harum affectionum expectatione statue ac pone, eam qua ante iucundas res tenetur, esse iucundam ac fiduciae plenam, illam vero, qua ante acerba repletur, esse cum metu coniunctum atque tristem. Lachet. p. 198. B. *ἡγούμεθα δ' ἡμεῖς δεινὰ μὲν εἶναι ἃ καὶ δέος παρέχει, θαῤῥαλέα δὲ ἃ μὴ δέος παρέχει. δέος δὲ παρέχει οὐ τὰ γεγονότα οὐδὲ τὰ παρόντα τῶν κακῶν, ἀλλὰ τὰ προσδοκώμενα· δέος γὰρ εἶναι προσδοκίαν μέλλοντος κακοῦ*.

ἕτερον εἶδος, τὸ χωρὶς τοῦ σώματος αὐτῆς τῆς ψυχῆς διὰ προσδοκίας γιγνόμενον.

ΣΩ. Ὀρθῶς ὑπέλαβες. ἐν γὰρ τούτοις οἶμαι, κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν, εἰλικρινέσι τε ἑκατέροις γιγνομένοις, ὡς δοκεῖ, καὶ ἀμίκτοις λύπης τε καὶ ἡδονῆς, ἐμφανὲς ἔσεσθαι τὸ περὶ τὴν ἡδονήν, πότερον ὅλον ἐστὶ τὸ γένος ἀσπαστόν, ἢ τοῦτο μὲν D
ἑτέρῳ τινὶ τῶν προειρημένων δοτέον ἡμῖν γενῶν, ἡδονῇ δὲ καὶ λύπῃ, καθάπερ θερμῷ καὶ ψυχρῷ καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις, τοτὲ μὲν ἀσπαστέον αὐτά, τοτὲ δὲ οὐκ ἀσπαστέον, ὡς ἀγαθὰ μὲν οὐκ ὄντα, ἐνίοτε δὲ καὶ ἔνια δεχόμενα τὴν τῶν ἀγαθῶν ἔστιν ὅτε φύσιν.

D. *ἑτέρῳ τινὶ τῶν προειρ.*] *τινὶ* om. Bodl. et pr. Ven. *II.* in marg. habet Vat. Sed tenendum *τινὶ* sine dubio est.
ἡδονῇ δὲ καὶ λύπῃ] Prave vulgo *ἡδονῇ τε καὶ λύπῃ*, quod e Bodl. Vat. Ven. *ΞΠΣ.* emendatum.

ἐν γὰρ τούτοις οἶμαι κατά γε τὴν ἐμ. δ.] Locus paullo difficilior sic intelligendus videtur: In his enim, hoc est, *ἐν τῷ πρὸ τῶν ἡδέων καὶ ἐν τῷ πρὸ τῶν λυπηρῶν ἐλπιζομένῳ προσδοκήματι*, quum utraque sint sincera nec tristitiam pariter atque dolorem admixtum habeant, puto perspicuum fore, utrum universum voluptatis genus expetendum sit necne. Etenim et metum rerum iucundarum a voluptate, et iucundarum rerum expectationem a dolore, omnino vult seiunctum ac separatum esse. Quod quo iure ita statuatur, exponere conatus est Schleiermacherus p. 491. ed. sec. Itaque *ἀμίκτοις λύπης τε καὶ ἡδονῆς* i. q. *ἄνευ συμμίξεως οὖσι λύπης τε καὶ ἡδονῆς*, atque inserviunt haec verba illustrandis praecedentibus illis *εἰλικρινέσι ἑκατέροις γιγνομένοις*. De *ἄμικτος* cum genitivo iuncto v. Matthiae Gr. §. 317. Iam vero haec si recte explicavimus, sponte apparet supervacaneam esse Astii coniecturam, qui sic scribendum censuit: *εἰλικρινοῦς τε ἑκατέρου γιγνομένου, ὡς δοκεῖ, καὶ ἀμίκτου, λύπης τε καὶ ἡδονῆς*. Ceterum quod *οἶμαι κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν — ὡς δοκεῖ* per abundantiam quandam coniuncta leguntur, de eo v. annot. ad Phaedon. p. 60. C. Hipp. min. p. 369. E.

D. *ἡδονῇ δὲ καὶ λύπῃ*] Int. *δοτέον* s. *συγχωρητέον*. Pronomen *αὐτὰ* refer ad *ἡδονὴν καὶ λύπην*.

ἐνίοτε δὲ καὶ ἔνια δεχόμενα — ἔστιν ὅτε φύσιν] H. e. interdum tandummodo, sed rarius. Hinc iteratur *ἐνίοτε ἐστιν ὅτε* cum *ἔνια* iunctum, quae prima specie insignis videtur esse sermonis negligentia, revera autem elegantia est. Similiter Xenoph. Cyrop. I. 6, 9. *ἀλλά τοι, ἔφη, ὦ παῖ, ἔνια ἐστιν ἃ οὐ πρὸς ἀνθρώπους ἀγωνιατέον*. Plat. Phaedon. p. 74. B. *ἆρ' οὐ λίθοι μὲν ἴσοι καὶ ξύλα ἐνίοτε, τὰ αὐτὰ ὄντα, τοτὲ μὲν ἴσα φαίνεται, τοτὲ δ' οὔ*; ubi *ἐνίοτε* per *τοτὲ μέν*,

ΠΡΩ. Ὀρθότατα λέγεις ὅτι ταύτῃ πῃ δεῖ διαπορευθῆναι τὸ νῦν μεταδιωκόμενον.

ΣΩ. Πρῶτον μὲν τοίνυν τόδε ξυνίδωμεν· ὡς
E εἴπερ ὄντως ἔστι τὸ λεγόμενον, διαφθειρομένων μὲν αὐτῶν ἀλγηδών, ἀνασωζομένων δὲ ἡδονή, τῶν μήτε διαφθειρομένων μήτε ἀνασωζομένων ἐννοήσωμεν πέρι, τίνα ποτὲ ἕξιν δεῖ τότε ἐν ἑκάστοις εἶναι τοῖς ζώοις, ὅταν οὕτως ἔχῃ. σφόδρα δὲ προσέχων τὸν νοῦν εἰπέ· ἆρ' οὐ πᾶσα ἀνάγκη πᾶν ἐν τῷ τότε χρόνῳ ζῷον μήτε τι λυπεῖσθαι μήθ' ἥδεσθαι, μήτε μέγα μήτε σμικρόν;

ΠΡΩ. Ἀνάγκη μὲν οὖν.

δεῖ διαπορευθῆναι] Steph. cum Ald. et Bas. 1. διαθηρευθῆναι, invitis codd. mss. — v. interpretat.

E. ἀνασωζομένων δὲ ἡδονή,] ἂν διασωζομένων Bodl. Vat. Ven. H. quod natum ex διττογραφίᾳ. Dein πέρι, retracto accentu, pro vulg. περὶ ex Coisl. et Ven. Ξ. restitutum est.

τοτὲ δέ accuratius declaratur. Legg. X. p. 893. D E. τὰ δέ γε κινούμενα ἐν πολλοῖς φαίνει μοι λέγειν, ὅσα φορᾷ κινεῖται μεταβαίνοντα εἰς ἕτερον ἀεὶ τόπον, καὶ τοτὲ μὲν ἔστιν ὅτε βάσιν ἑνὸς κεκτημένα τινὸς κέντρου, τοτὲ δὲ πλείονα τῷ περικυλινδεῖσθαι, προστυγχάνοντε δὲ ἑκάστοτε ἑκάστοις. ubi item post τοτὲ μέν additum habes ἔστιν ὅτε. Quae etsi nonnihil ab huius loci ratione discrepant, tamen id certe valebunt, ut nihil in eo temere mutandum statuamus.

ὅτι ταύτῃ πῃ δεῖ διαπορευθῆναι] Rectissime censes, hac fere via *transire* id oportere, quod nunc quaerimus et persequimur. Sic codd. cum Bas. 2. Sed Stephanus cum Ald. διαθηρευθῆναι, quod per se quidem admodum elegans est, nec tamen librorum auctoritate satis commendatur. Ceterum imago a venatione repetita est, usu loquendi Platoni perquam familiari. v. ad Remp. IV. p. 434. B. Phaedon. p. 66. A. Tim. p. 64. B. Lachet. p. 194. B. Parmenid. p. 128. C. Politic. p. 258. E. p. 284. B. p. 301. E. al. Plura qui cupiunt, ii adeant Wyttenbach. Epistol. Crit. p. 41. et Creuzer. ad Proclum et Olympiodor. T. I. p. 177.

τόδε ξυνίδωμεν· ὡς εἴπερ ὄντως ἔστι —] Male vulgo post ξυνίδωμεν commate distinguitur, atque ὡς pro ὅτι dictum putatur. Quod cur improbandum sit, nolumus nunc docere. Satius erit loci sententiam statim breviter declaravisse, quae quidem haec est: Primum igitur hoc sit quod consideremus; *etenim* si verum est quod dicimus et statuimus, illis corruptis dolorem gigni, restitutis autem nasci voluptatem, iam de iis, quae nec corrumpuntur nec restituun-

ΣΩ. Οὐκοῦν ἔστι τις τρίτη ἡμῶν ἡ τοιαύτη διάθεσις παρά τε τὴν τοῦ χαίροντος καὶ παρὰ τὴν 33
τοῦ λυπουμένου;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Ἄγε δὴ τοίνυν, ταύτης προθυμοῦ μεμνῆσθαι. πρὸς γὰρ τὴν τῆς ἡδονῆς κρίσιν οὐ σμικρὸν μεμνῆσθαι ταύτης ἔσθ' ἡμῖν ἢ μή. βραχὺ δέ τι περὶ αὐτῆς, εἰ βούλει, διαπεράνωμεν.

ΠΡΩ. Λέγε ποῖον.

ΣΩ. Τῷ τὸν τοῦ φρονεῖν ἑλομένῳ βίον οἶσθ' ὡς τοῦτον τὸν τρόπον οὐδὲν ἀποκωλύει ζῆν.

ΠΡΩ. Τὸν τοῦ μὴ χαίρειν μηδὲ λυπεῖσθαι λέγεις; Β

τρίτη ἡμῶν ἡ τ.] Coisl. ἡμῖν, quod in Vat. supra versum adscriptum.

P. 33. ταύτης ἔσθ' ἡμῖν] Sic corr. Bekkerus ex corr. Coisl. pro vulg. ταύτην, quod unde ortum sit, facile apparet.

tur, videamus, quomodo quaeque animalia, quum in eo statu et condicione versentur, sese habere debeant. Diligenter autem attende animum atque dic, annon prorsus necesse sit, quodque animal tum nullo modo nec gaudio nec dolore affici? Vides sic omnia decurrere lenissime atque eam efficere sententiam, in qua nihil quidquam desideres. Restant tamen pauca, de quibus aliquid commonendum sit. Nam primum quidem illud animadversione dignum, quod αὐτῶν refertur ad illa omnia, quorum exemplo res in superioribus illustrata erat, ut idem fere sit quod ἐκείνων. conf. Matthiae Gr. §. 469. Sic etiam Parmenid. p. 130. C. ὃν ἄλλο αὐτῶν, ὧν ἡμεῖς μεταχειριζόμεθα. Dein ὅταν οὕτως ἔχῃ est: quando in eo versatur statu, ut nihil nec corrumpatur nec restituatur. Refertur enim οὕτως ad τῶν μήτε διαφθειρομένων μήτε ἀναπωζομένων, ratione utique insolentiore paullo atque difficiliore. Denique verbo attigisse iuvabit formulam μήτε μέγα μήτε σμικρόν, quam illustravimus iam ad Apol. Socr. p. 19. C.

τρίτη ἡμῶν ἡ τοιαύτη διάθεσις] De Rep. X. p. 583. C. Ibid. p. 583. E. ubi de vacuitate doloris et voluptatis eadem leguntur. In proximis ad ἢ μή repetas μεμνῆσθαι, h. e. utrum meminerimus necne. v. p. 28. A.

P. 33. Τῷ τὸν τοῦ φρ. — ἀποκωλύει ζῆν.] Dativum ne quis sollicitet, οὐδὲν ἀποκωλύει absolute dictum est, ut idem sit quod οὐδὲν ἀποκωλυμά ἐστιν. Similia collegit Matthiae Gr. §. 387. p. 875. ed. 3. ubi vir egregius nec huius loci immemor fuit.

ΣΩ. Ἐῤῥήθη γάρ που τότε ἐν τῇ παραβολῇ τῶν βίων μηδὲν δεῖν μήτε μέγα μήτε σμικρὸν χαίρειν τῷ τὸν τοῦ νοεῖν καὶ φρονεῖν βίον ἑλομένῳ.

ΠΡΩ. Καὶ μάλ' οὕτως ἐῤῥήθη.

ΣΩ. Οὐκοῦν οὕτως ἂν ἐκείνῳ γε ὑπάρχοι· καὶ ἴσως οὐδὲν ἄτοπον εἰ πάντων τῶν βίων ἐστὶ θειότατος.

ΠΡΩ. Οὔκουν εἰκός γε οὔτε χαίρειν θεοὺς οὔτε τὸ ἐναντίον.

ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν οὐκ εἰκός· ἄσχημον γοῦν αὐτῶν ἑκάτερον γιγνόμενόν ἐστιν. ἀλλὰ δὴ τοῦτο μὲν
C ἔτι καὶ εἰςαῦθις ἐπισκεψώμεθα, ἐὰν πρὸς λόγον τι ᾖ, καὶ τῷ νῷ πρὸς τὰ δευτερεῖα, ἐὰν μὴ πρὸς τὰ πρωτεῖα δυνώμεθα προσθεῖναι, προσθήσομεν.

B. *Οὐκοῦν οὕτως ἂν ἐκ.*] Ven. *Σ.* corr. *οὕτος*, quod Bastius Specim. in Symp. crit. p. 51. etiam ex Vindd. enotavit. Sed *οὕτως* satis tuebuntur, quae diximus in interpret.

οὔτε χαίρειν θεοὺς] Bodl. Vat. Ven. *Π. τοὺς θεούς.* Non probo; v. Schaefer. Melet p. 4.

B. *τότε ἐν τῇ παραβολῇ*] Supra inde a p. 21. A. conf. inprimis p. 22. E. De *τότε* v. ad Gorg. p. 488. B. Protag. p. 325. E.

Οὐκοῦν οὕτως ἂν ἐκείνῳ] Itaque id illi quidem *sic* obtingat, intell. *ὥστε μηδὲν μήτε μέγα μήτε σμικρὸν χαίρειν.* Pro *οὕτως* Bastius Specim. crit. in Sympos. p. 51. ex codd. Vindobb. *οὕτος* reponi iubebat, quod desideraverat etiam Stephanus. Sed *οὕτος* propter sententiae rationem non potest ad *τὸν τοῦ νοεῖν καὶ φρονεῖν βίον* commode referri. Quocirca *οὕτως* utique retinendum.

οὔτε χαίρειν θεοὺς οὔτε τὸ ἐναντίον.] H. e. neque contra; nam *τὸ ἐναντίον* hic quoque adverbii instar est. De sententia v. De Republ. VI. p. 505 sq. Phaedr. p. 247. A. Epinom. p. 983. A. *θεὸν μὲν γὰρ δὴ τὸν τέλος ἔχοντα ἔξω τούτων εἶναι, λύπης τε καὶ ἡδονῆς.*

εἰςαῦθις ἐπισκεψώμεθα] Quod I. Bekkerus restituendum coniecit *ἐπισκεψόμεθα*, id magnopere vellem codicum auctoritate confirmatum esset, quandoquidem futuro hic nihil aptius est. Ferri tamen potest, quod reliquimus. Voc. *εἰςαῦθις*, posthac. postea, Platoni frequens. v. Phaedon. p. 115. A. Apolog. p. 24. B. Protagor. p. 357. B. Gorg. p. 447. B. C. 449. C. D. al. Sed hoc pervulgatum; quamquam interdum etiam trita et vulgaria admonuisse iuvat: id quod hic ipse locus docet, quo fuit qui *εἰςαῦθις* redderet rursus. Loquutionem *πρὸς λόγον ἐστίν* habes etiam infra p. 42. E. *οὐδὲν πρὸς λόγον, ὦ Πρώταρχε, ὃ σὺ νῦν ἤρου τὸ ἐρώτημα.* Supra p. 18. D. *τί πρὸς ἔπος αὖ ταῦτ' ἐστι;* Sed v. ann. ad Protagor. p. 343. D.

ΠΡΩ. *Ὀρθότατα λέγεις.*

Cap. XIX. *ΣΩ.* *Καὶ μὴν τό γε ἕτερον εἶδος τῶν ἡδονῶν, ὃ τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἔφαμεν εἶναι, διὰ μνήμης πᾶν ἐστὶ γεγονός.*

ΠΡΩ. *Πῶς;*

ΣΩ. *Μνήμην, ὡς ἔοικεν, ὅ τί ποτ' ἔστι, πρότερον ἀναληπτέον. καὶ κινδυνεύει πάλιν ἔτι πρότερον αἴσθησιν μνήμης, εἰ μέλλει τὰ περὶ ταῦθ' ἡμῖν κατὰ τρόπον φανερά πη γενήσεσθαι.*

ΠΡΩ. *Πῶς φῄς;* D

ΣΩ. *Θὲς τῶν περὶ τὸ σῶμα ἡμῶν ἑκάστοτε παθημάτων τὰ μὲν ἐν τῷ σώματι κατασβεννύμενα πρὶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν διεξελθεῖν, ἀπαθῆ ἐκείνην ἐάσαντα,*

εἰσαῦθις ἐπισκεψώμεθα] Bekkerus coni. *ἐπισκεψόμεθα.*

C. *εἰ μέλλει τὰ περὶ ταῦθ' ἡμῖν*] *τὰ* additum ex Bodl. Vat. Ven. *ΠΣ.* olim desiderabatur.

D. *τῶν περὶ τὸ σῶμα*] *τὸν* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

C. *Μνήμην, ὡς ἔοικεν, ὅ τί ποτ' ἔστι, πρ. ἀναληπτέον.*] Revertitur nunc ad alterum genus voluptatum, cuius antea mentio facta est: quod quoniam recordatione contineri arbitratur, ante omnia *τῆς μνήμης* atque etiam *τῆς αἰσθήσεως* naturam exquirendam esse statuit. In his *ἀναληπτέον* criticis offensioni fuit, qui *ληπτέον* vel *παραληπτέον* scribendum censuerunt. Sed nihil mutandum. Nam *ἀναλαμβάνεσθαι* non tantum de iis usurpatur, quae quum iam antea explorata sint, rursus in disceptationem vocantur, sed omnino etiam dicuntur ea, quae quaerenda suscipiuntur. Politic. p. 261. C. *τὸ μὲν τοίνυν αὐτῶν παραλίπωμεν, τὸ δὲ ἀναλάβωμεν.* Apolog. Socr. p. 22. B. *ἀναλαμβάνων — αὐτῶν τὰ ποιήματα.* ubi v. ann. Men. p. 87. E. *σκεψώμεθα δὴ καθ' ἕκαστον· ἀναλαβόντες ποῖά ἐστιν, ἃ ἡμᾶς ὠφελεῖ.* Infra p. 34. D. al. Aliter Tim. p. 26. A. ubi *ἀναλαμβάνειν τι πρὸς ἑαυτόν* est secum aliquid denuo reputare, memoria repetere. Accedit hic facetus verborum lusus; nam *ἀναλαμβάνειν* etiam repetere memoria significat. Ad *καὶ κινδυνεύει — αἴσθησιν μνήμης* int. *ἀναληπτέον εἶναι. — κατὰ τρόπον*, rite, uti oportet, rei convenienter, recte, ut Cratyl. p. 425. B. Politic. p. 310. C. Tim. p. 42. E. De Rep. IX. p. 581. B. Legg. VI. 766. D. XI. 931. A. XII. 942. A. Epist. p. 330. D.

D. *Θὲς τῶν περὶ τὸ σῶμα ἡμῶν ἑκ.*] Definit iam *τὴν αἴσθησιν.* Quam quidem esse vult affectionem corporis cum animi sensu atque conscientia coniunctam. P. 34. A. *τὸ δὲ ἐν ἑνὶ πάθει τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα κοινῇ γιγνόμενον κοινῇ καὶ κινεῖσθαι, ταύτην δ' αὖ τὴν κίνησιν*

τὰ δὲ δι' ἀμφοῖν ἰόντα καί τινα ὥσπερ σεισμὸν ἐντιθέντα ἴδιόν τε καὶ κοινὸν ἑκατέρῳ.

ΠΡΩ. Κείσθω.

ΣΩ. Τὰ μὲν δὲ μὴ δι' ἀμφοῖν ἰόντα ἐὰν τὴν ψυχὴν ἡμῶν φῶμεν λανθάνειν, τὰ δὲ δι' ἀμφοῖν μὴ λανθάνειν, ἆρ' ὀρθότατα ἐροῦμεν;

E ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΣΩ. Τὸ τοίνυν λεληθέναι μηδαμῶς ὑπολάβῃς, ὡς λέγω λήθης ἐνταῦθά που γένεσιν. ἔστι γὰρ λήθη μνήμης ἔξοδος. ἡ δ' ἐν τῷ λεγομένῳ νῦν οὔπω γέγονε τοῦ δὲ μήτε ὄντος μήτε γεγονότος πω γίγνεσθαι· φάναι τινὰ ἀποβολὴν ἄτοπον. ἢ γάρ;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Τὰ τοίνυν ὀνόματα μετάβαλε μόνον.

ΠΡΩ. Πῶς;

δι' ἀμφοῖν ἰόντα] δι' perperam om. Bodl. Ven. *Π.* Flor. a. c. E. τοῦ δὲ μήτε ὄντος —] δὴ Bodl. Vat. δον Ven. *Π.* Verum est δέ. Dein legebatur γεγονότος πως γ. quod de coniectura nostra correximus.

ὀνομάζων αἴσθησιν οὐκ ἄπο τρόπου φθέγγοι' ἄν. Itaque ad eam requirit hoc, ut τὰ παθήματα, corporis affectiones s. sensa, non unum corpus, sed etiam animum moveant, in eoque rerum perceptarum scientiam quandam efficiant. Unde si αἴσθησιν efficiunt, σεισμόν τινα ἴδιόν τε καὶ κοινὸν ἑκατέρῳ ἐντιθέναι dicuntur, hoc est, motum quendam utrique et peculiarem et communem. Ex quo apparet, αἴσθησιν Platoni non esse meram sensuum perceptionem, sed potius eam illorum affectionem, quae cum animi affectione atque conscientia coniuncta sit. Prorsus eodem modo Tim. p. 43. C. καὶ ὑπὸ πάντων τούτων διὰ τοῦ σώματος αἱ κινήσεις ἐπὶ τὴν ψυχὴν φερόμεναι προσπίπτουσιν· αἳ δὴ καὶ ἔπειτα διὰ ταῦτα ἐκλήθησάν τε καὶ νῦν ἔτι αἰσθήσεις ξυνάπασαι κέκληνται. conf. ibid. p. 42. A. 43. D. E. 64. A sqq.

E. ὡς λέγω λήθης ἐνταῦθά που γένεσιν.] Illud λανθάνειν, quo usus est, non vult ea vi et significatione dictum putari, ut indicet oblivionem; sed de corporis affectionibus, quae animum praetereant nec ullo modo moveant: nam λήθην esse μνήμης ἔξοδον. Phaedon. p. 75. D. τὸ γὰρ εἰδέναι τοῦτ' ἔστι, λαβόντα τὸν ἐπιστήμην ἔχειν, καὶ μὴ ἀπολωλέναι· ἢ οὐ τοῦτο λήθην λέγομεν, ἐπιστήμης ἀποβολήν; Symp. p. 208. A. λήθη γὰρ ἐπιστήμης ἔξοδος. Nemesius De natura hom. p. 202. ed. Matth. λήθη δ' ἐστὶ μνήμης ἀποβολή.

ἣν νῦν λήθην καλεῖς,] Nondum usus est Protarchus no-

ΣΩ. Ἀντὶ μὲν τοῦ λεληθέναι τὴν ψυχήν, ὅταν ἀπαθὴς αὕτη γίγνηται τῶν σεισμῶν τῶν τοῦ σώματος, ἣν νῦν λήθην καλεῖς, ἀναισθησίαν ἐπονόμασον.

ΠΡΩ. Ἔμαθον.

ΣΩ. Τὸ δὲ ἐν ἑνὶ πάθει τὴν ψυχὴν καὶ τὸ 34
σῶμα κοινῇ γιγνόμενον κοινῇ καὶ κινεῖσθαι, ταύτην δ' αὖ τὴν κίνησιν ὀνομάζων αἴσθησιν οὐκ ἄπο τρόπου φθέγγοι' ἄν.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα λέγεις.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἤδη μανθάνομεν, ὃ βουλόμεθα καλεῖν τὴν αἴσθησιν;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Σωτηρίαν τοίνυν αἰσθήσεως τὴν μνήμην B
λέγων ὀρθῶς ἄν τις λέγοι κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν.

ΠΡΩ. Ὀρθῶς γὰρ οὖν.

P. 34. *Τὸ δὲ ἐν ἑνὶ πάθει*] V. *τῷ δὲ ἐν ἑν.* Veram lectionem plerique omnes cum Bodl. Vat. Ven. *II.* Coisl. tuentur. Coniectura verum assecutus erat Stephanus.

mine *λήθης*. Quocirca Schleiermacherus olim cum Heindorfio, ut videtur, *ἵνα μὴ λήθην καλῇς* refingi volebat. Nec tamen ea mutatione opus esse evincunt praegressa illa: *τὰ ὀνόματα μετάβαλε μόνον*. Quamobrem Socrates hic sumit atque ponit, Protarchum *λήθην* ea significatione intelligere, qua ipse dixerat vocabulum accipi posse.

P. 34. A. *Τὸ δὲ ἐν ἑνὶ π. — ταύτην δ' αὖ*] De *ταύτην δ'* v. ad Charmid. p. 163. C. Mox retracto accentu *ἄπο τρόπου* scripsimus pro vulg. *ἀπὸ τρ.* veterum grammaticorum praecepto obsecuti, de quo v. Schaefer. Melett. critt. p. 51 sq. Bast. ad Gregor. Corinth. p. 211. Nam etsi hic in codd. Platonis nullum extat eius orthographiae vestigium, tamen aliis locis in iisdem satis aperta illius indicia reperiuntur, ut Reip. v. p. 470. B. Theaet. p. 143. C. 179. C. Phaedr. p. 278. D. Tim. p. 25. E. ubi v. varr. lectt. Et video nunc Bastium hoc ipso loco ex cod. Vatic. *Δ. ἄπο τρόπου* enotavisse. Contrarium est *πρὸς τρόπου*.

Σωτηρίαν τοίνυν αἰσθήσεως —] Nemesius De Nat. Hom. p. 202. ed. Matth. *ὡς δὲ Πλάτων (φησὶ) σωτηρία αἰσθήσεως καὶ νοήσεως (ἐστὶ μνήμη,)*. Recte. Nam memoriam in eo cerni arbitratur philosophus, ut et sensa sive visa conservet, et animi per illa affectionem tanquam perpetuo eiusque conscientiam tueatur. Itaque *ἡ μνήμη* Platoni hic nihil est aliud, nisi quod nos dicimus das Bewusstsein von Empfindungen und Wahrnehmungen.

ΣΩ. Μνήμης δὲ ἀνάμνησιν ἆρ' οὐ διαφέρουσαν λέγομεν;

ΠΡΩ. Ἴσως.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν οὐ τόδε;

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ὅταν ἃ μετὰ τοῦ σώματος ἔπασχέ ποθ' ἡ ψυχή, ταῦτ' ἄνευ τοῦ σώματος αὐτὴ ἐν ἑαυτῇ ὅ τι μάλιστα ἀναλαμβάνῃ, τότε ἀναμιμνήσκεσθαί που λέγομεν. ἦ γάρ;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

B. διαφέρουσαν λέγομέν;] λέγωμεν Bodl. Vat. λέγοιμεν Ven. Ξ. et corr. Π. Unice vera est lectio vulgata.

ἔπασχέ ποθ' ἡ ψυχή] πάθη ψυχή Bodl. Vat. Ven. Π. unde Turicenses effinxerunt πάθη ἡ ψυχή. Nobis ποθ' per sensum videtur necessario requiri, ut unice veram ducamus scripturam vulgatam.

B. ἀνάμνησιν ἆρ' οὐ διαφέρουσαν] Ab eo, quod μνήμης appellat vocabulo, τὴν ἀνάμνησιν diversam esse statuit. Nam ad illam necessario requiritur αἴσθησις aliqua corporis; sed ἀνάμνησις fit solo animo. Huius enim est, vel quidquid animus corpore participe senserit, id iam sine ulla corporis communione tanquam repraesentare atque considerare, vel amissam rerum memoriam et scientiam renovare atque solius intelligentiae ope restituere. Ex quo apparet, secundum Platonem aliquanto latius patere vim τῆς ἀναμνήσεως, quam fert recentioris aetatis consuetudo, quae eam recordationem, vel, ut vulgo loquuntur, reminiscentiam interpretantur, quo vocabulo, non indignantibus Ciceronianis nostris, in tali certe causa uti licebit.

ταύτην ἀναπολήσῃ π.] Frequens est ἀναπολεῖν eo sensu, ut sit in mentem revocare, memoria repetere, secum reputare. Suidas: ἀναπολεῖ· ἀναμιμνήσκεται. Sed. v. Wyttenbach. ad Plut. De Ser. Num. Vind. p. 60. Dein Sydenhamus pro καὶ μνήμας requirebat καὶ μνήμης ἀνακτήσεις. Quae coniectura sicuti iusto audacior videtur, ita nec necessaria est. Nam etsi philosophus μνήμης vocabulo antea alia vi et significatione usus est, tamen nunc idem illud numero multitudinis ponere potuit sic, ut propius ad usum vulgarem accedens significaret, quod nos dicimus Erinnerungen; quod ipsum, si quid video, consulto fecit, ne communem loquendi consuetudinem omnino deseruisse videretur. Sic Legg. I. p. 645. E. μνήμας καὶ δόξας. XII. p. 964. E. παραδιδόναι τὰς αἰσθήσεις ταῖς μνήμαις, quae sensibus percepta sunt mandare memoriae. Ibid. X. p. 896. D. 908. C. al. Aliter Cic. Herenn. III. 16, 18. Sunt igitur duae memoriae, h. e. duo memoriae genera, sicuti verissime interpretatus est nuper vir egregius Car. Georg. Iacob, Prof. Portensis, in Commentat. De usu numeri pluralis apud Poëtas Latin. p. 7 sq.

C. Ἵνα πῃ τὴν ψυχῆς ἡδονὴν χωρὶς σώματος] Sic

ΣΩ. Καὶ μὴν καὶ ὅταν, ἀπολέσασα μνήμην εἴτε αἰσθήσεως εἴτ' αὖ μαθήματος, αὖθις ταύτην ἀναπολήσῃ πάλιν αὐτὴ ἐν ἑαυτῇ, καὶ ταῦτα ξύμπαντα ἀναμνήσεις καὶ μνήμας που λέγομεν. C

ΠΡΩ. Ὀρθῶς λέγεις.

ΣΩ. Οὗ δὴ χάριν ἅπαντ' εἰρηται ταῦτα, ἔστι τόδε.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ἵνα πῃ τὴν ψυχῆς ἡδονὴν χωρὶς σώματος ὅ τι μάλιστα καὶ ἐναργέστατα λάβοιμεν, καὶ ἅμα

gatam.

C. Ἵνα πῃ την ψυχῆς ἡδονὴν χ.] Scripsimus πῃ pro μή de coniectura Schützii, Heindorfii et Heusdii. Astius mavult ἵνα δή. Ante ψυχῆς Bodl. Vat. Ven. *II.* inserunt τῆς. sed v. interpretat., quae certe dubitationem iniiciet.

correximus cum Heindorfio ad Theaet. p. 411. ed. l. Heusdio Specim. Crit. p. 100. et Schützio Opuscul. p. 132. quod in libris circumfertur Ἵνα μὴ τὴν τ. ψ. Quod facile apparet ipsius Socratis sententiae vehementer adversari, qui in eo occupatus est, ut ostendat, quid in voluptatis sensu proprie ad animum pertineat, seiunctis quae hunc sensum comitantur corporis affectionibus. Dubitat quidem Schleiermacherus de huius emendationis veritate, quia πῃ parum conveniat cum superlativis ὅ τι μάλιστα καὶ ἐναργέσιατα; quod Turicenses videtur permovisse, ut Grouium sequuti Ἵνα δὴ τὴν τ. ψ. potius quam Ἵνα πῃ scribendum putarent. Sed num secum pugnare existimandus erit, si quis sic dixerit: Disputata haec sunt antea, ut *aliquo modo* animi voluptatem a corporis voluptate seiunctam *quam maxime et evidentissime* deprehenderemus et perciperemus? Nos quidem in tali sententia nihil videmus, quod absurdum videri possit. Quamquam nolumus refragari, si quis Ἵνα δή praestabilius putet, modo discrimen utriusque lectionis accurate teneatur. Ninirum ἵνα δή est ut scilicet; ἵνα πῃ ut aliquo modo. Deinde χωρὶς σώματος per breviloquentiam quandam dictum pro χωρὶς τῆς σώματος. Infra p. 41 C. οὐκοῦν τὸ μὲν ἐπιθυμοῦν ἦν ἡ ψυχὴ τῶν τοῦ σώματος ἐναντίων ἕξεων, i. e. τῶν ἐναντίων τῶν τοῦ σώματος ἕξεων. Sed copiose hanc loquendi rationem illustravimus ad Protagor. p. 358. D. ed. 2. et Gorg. p. 455. E. ed. 2. ut hic rem verbo attigisse satis sit. Quod tres codd. primarii scriptum exhibent τὴν τῆς ψυχῆς ἡδονήν, inserto articulo, id vereor ut recte probari queat. Nam ita concinnitatis gratia scribi oportebit etiam χωρὶς τοῦ σώματος. Itaque ab illorum codicum auctoribus τῆς ideo insertum videtur, quia in tali iunctura verborum articulum utrique nomini addendum esse sibi persuaserant. At enim vero tantum abest, ut per linguae leges articulus semper geminandus sit, ideoque dici debeat τὴν τῆς ψυ-

ἐπιθυμίαν· διὰ γὰρ τούτων πως ταῦτα ἀμφότερα ἔοικε δηλοῦσθαι.

Cap. XX. ΠΡΩ. Λέγωμεν τοίνυν, ὦ Σώκρατες, ἤδη τὸ μετὰ ταῦτα.

ΣΩ. Πολλά γε περὶ γένεσιν ἡδονῆς καὶ πᾶσαν
D τὴν μορφὴν αὐτῆς ἀναγκαῖον, ὡς ἔοικε, λέγοντας σκοπεῖν. καὶ γὰρ νῦν πρότερον ἔτι φαίνεται λεπτέον ἐπιθυμίαν εἶναι, τί ποτ' ἔστι καὶ ποῦ γίγνεται.

ΠΡΩ. Σκοπῶμεν τοίνυν· οὐδὲν γὰρ ἀπολοῦμεν.

ΣΩ. Ἀπολοῦμεν μὲν οὖν, καὶ ταῦτά γε, ὦ Πρῶταρχε, εὑρόντες ὃ νῦν ζητοῦμεν, τὴν περὶ αὐτὰ ταῦτα ἀπορίαν.

D. τὴν μορφὴν αὐτῆς] αὐτὴν Bodl. Ven. Π. Ἀπολοῦμεν μὲν οὖν] μὲν accessit e Bodl. Vat. Ven ΠΣ. ζητοῦμεν, τὴν περὶ αὐτὰ τ.] Ante τὴν Bodl. Vat. Ven. Π. inserunt ἀπολοῦμεν, quod est manifestum glossema grammaticorum. Placuit illud nuperis editoribus.

E. ἐκ τῶν αὐτῶν πάλιν] Sic Bodl. Vat. Ven. Π. pro vulg. πάλιν ἐκ τῶν αὐτῶν.

χῆς ἡδονήν, ut non rara sint contrariae constructionis exempla. Etenim habent certe ea nomina, quae quum generatim dicuntur, articulo recte carere possunt, qualia sunt etiam ψυχὴ atque σῶμα, hoc sibi proprium, quod vel in tali cum aliis nominibus consociatione articulo haudquaquam indigent. Recte igitur Phaedr. p. 248. B. ἡ προσήκουσα ψυχῆς τῷ ἀρίστῳ νομῇ. De Rep. II. p. 376. E. ἔστι δέ που ἡ μὲν ἐπὶ σώμασι (παιδεία) γυμναστική. Quamobrem hic recte sane per se potuit dici utrumque, et τὴν ψυχῆς ἡδονήν et τὴν τῆς ψυχῆς ἡδονήν. Sed quum addatur χωρὶς σώματος, nec χωρὶς τοῦ σώματος, veterem lectionem τὴν ψυχῆς ἡδονήν alteri τὴν τῆς ψυχῆς ἡδονήν praeferimus, atque hanc putamus ex correctione ortam.

D. λεπτέον ἐπιθυμίαν εἶναι] H. e. τὴν ἐπιθυμίαν δεῖν λαμβάνειν, cupiditatem esse sumendam atque explorandam. v. p. 23. C. λάβωμεν ἄττα τῶν νῦν δὴ λόγων. ibique annot.

Ἀπολοῦμεν μὲν οὖν,] *Imo vero* iacturam faciemus, et quidem consilii inopiae. Usum particularum μὲν οὖν attigimus ad Sympos. p. 201. C. Criton. p. 44. B. Gorg. p. 466. A E. Reip. I. p. 331. D. al. Male hic μέν vulgo omissum. Positum vero ἀπολοῦμεν absolute est sine casu obiecti, sicuti Germanicum verlieren usurpari solet. Sic Reip. X. p. 607. E. κερδανοῦμεν γάρ που. Eundem usum habet προστιθέναι, ut Germ. zusetzen, zulegen; De Rep. I. p. 339. B. IX. p. 591. E. Euthyphr. p. 3. D. al. κτᾶσθαι Men. p. 90. A. συμβάλ-

ΠΡΩ. Ὀρθῶς ἡμύνω· τὸ δ' ἐφεξῆς τούτοις πειρώμεθα λέγειν.

ΣΩ. Οὐκοῦν νῦν δὴ πείνην τε καὶ δίψος καὶ πόλλ' ἕτερα τοιαῦτα ἔφαμεν εἶναί τινας ἐπιθυμίας; E

ΠΡΩ. Σφόδρα γε.

ΣΩ. Πρὸς τί ποτε ἄρα ταὐτὸν βλέψαντες οὕτω πολὺ διαφέροντα ταῦθ' ἑνὶ προσαγορεύομεν ὀνόματι;

ΠΡΩ. Μὰ Δί' οὐ ῥᾴδιον ἴσως εἰπεῖν, ὦ Σώκρατες· ἀλλ' ὅμως λεκτέον.

ΣΩ. Ἐκεῖθεν δὴ ἐκ τῶν αὐτῶν πάλιν ἀναλάβωμεν.

ΠΡΩ. Πόθεν δή;

ΣΩ. Διψῇ που λέγομεν ἑκάστοτέ τι;

διψῇ που λέγομεν] V. διψῆν. Receptam lectionem tuentur Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΠΣ*. Coisl. Par. BCEH. Ang. Flor. a. b. c. i. Dein γέ που Bodl. Vat. Ven. *Π*. Fortasse igitur γε ex ultima littera v. διψῆν ortum. Quod si est, infinitivus retinendus erit. v. interpretat. Verumtamen deinde κενοῦται pro κενοῦσθαι omnes habent praeter Paris. F. Etiam Ald. Bas. 1. 2. διψῇ et κενοῦται. Ceterum ne γέ που cum Turicensibus comprobes, v. interpretat.

λέσθαι, Sympos. c. 11. ξυμπληροῦν Symp. 202. E.

τὸ δ' ἐφεξῆς τούτοις πειρ. λ.] De ἐφεξῆς cum dativo coniuncto v. Gorg. p. 420. D. 494. E. Legg. VII. p. 796. E. Cratyl. p. 399. A. Tim. p. 30. C. ubi similiter: τὰ τούτοις ἐφεξῆς ἡμῖν λεκτέον. Alibi etiam genitivum additum habet. Utramque constructionem illustravit Schaeferus ad Dionys. Hal. De Comp. Verbor. p. 142.

E. Πρὸς τί ποτε ἄρα ταὐτὸν βλέψαντες] Hic ταὐτόν est idem quod τὸ ἕν s. τὸ γένος, τὸ εἶδος. Nam hoc dicit Socrates: Quodnam igitur est genus illud, quo res adeo multiplices atque diversas ita complectimur, ut eas uno nomine insigniamus? Recte igitur Diog. Laert. III. 63. Suidas et Phavorinus in v. Πλάτων: καλεῖ καὶ τὴν ἰδέαν οὔτε κινούμενον οὔτε μένον, καὶ ταὐτό, καὶ ἕν, καὶ πολλά.

Ἐκεῖθεν δὴ — ἀναλάβωμεν.] Repetamus rem rursus ab iisdem rei exemplis, quibus antea usi sumus. Post ἐκεῖθεν infertur ἐκ τῶν αὐτῶν per epexegesin. Similiter Euthydem. p. 271. C. ἐντεῦθέν ποθέν εἶσιν ἐκ Χίου. Phaedr. p. 229. B. ἐνθένδε μέντοι ποθὲν ἀπὸ τοῦ Ἰλισσοῦ. ubi v. ann. Haec certe non disparia esse videbuntur.

Διψῇ που λέγομεν ἑκάστοτέ τι;] Sic codd. plerique omnes, et mox κενοῦται, cum edit. Bas. 2. Quod si verum est, subiectum tertiae personae intelligendum relinquitur. Quocirca in summa similitudine tamen rursus dissimillima sunt illa Theaet. p. 164. A. B. τὸ δέ γε οὐχ ὁρᾷ οὐκ ἐπίσταται ἐστιν·

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Τοῦτο δέ γ' ἐστὶ κενοῦται;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Ἆρ' οὖν τὸ δίψος ἐστὶν ἐπιθυμία;

ΠΡΩ. Ναί, πώματός γε.

35 ΣΩ. Πώματος, ἢ πληρώσεως πώματος;

ΠΡΩ. Οἶμαι μὲν πληρώσεως.

ΣΩ. Ὁ κενούμενος ἡμῶν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ἐπιθυμεῖ τῶν ἐναντίων ἢ πάσχει. κενούμενος γὰρ ἐρᾷ πληροῦσθαι.

ΠΡΩ. Σαφέστατά γε.

ΣΩ. Τί οὖν; ὁ τὸ πρῶτον κενούμενος ἔστιν ὁπόθεν εἶτ' αἰσθήσει πληρώσεως ἐφάπτοιτ' ἂν εἴτε

Ναί, πώματός γε.] Sic partes colloquentium distribuimus cum Bekkero, auctoritate codicum quorundam. Nam vulgo haec scribuntur sic: *Ναί. ΣΩ. Πώματός γε. ΠΡΩ. Πώματος. ΣΩ. Ἢ πληρώσεως πώματος; ΠΡΩ. Οἶμαι μὲν πληρώσεως.* Pro vulg. *πώματος* hic et mox e Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat Coisl. dedimus

nam ibi antea *ὁ ὀρῶν* memoratur. Accedit quod *τι* cum *διψῇ* insolentius coniungitur, quod alibi in his formulis aut ad nomen aliquod aut ad infinitivum refertur. Menon. p. 76. A. *ἐπίπεδον καλεῖς τι, καὶ ἕτερον αὖ στερεόν*; Ibid. p. 88. A. *σωφροσύνην τι καλεῖς καὶ δικαιοσύνην*; Ibid. p. 75. E. *ἀλλὰ σύ γέ που καλεῖς πεπεράνθαι τι καὶ τετελευτηκέναι*: Alia id genus adscripsimus ad Protagor. p. 358. D. Itaque ambigere profecto licebit, num infinitivus *πιεῖν* et *κενοῦσθαι* retinendus sit, quanquam ille a codicibus parum aut nihil firmamenti ac praesidii habet. Sed pariter Germanice dixeris: er dürstet, nennen wir doch etwas. Ceterum *που* non ad *Διψῇ* sed ad *λέγομεν* pertinet, cuius collocationis exempla alia sunt Phaedr. p. 258. A. *Ἰδοξέ πού φησι*. Politic. p. 306. E. ubi v. ann.

P. 35. *Οἶμαι μὲν πληρώσεως.*] Ita *μέν* non subsequente *δέ* in his formulis usurpatur saepissime. Sophist. p. 221. A. *δοκῶ μέν, ὅπερ ἄρτι προὐθέμεθα δεῖν ἐξευρεῖν, τοῦτ' αὐτὸ νῦν ἀποτετελέσθαι*. Ibid. p. 231. D. *δοκῶ μὲν γάρ, τὸ πρῶτον εὑρέθη*. Euthyphr. p. 7. B. Legg. III. in. *οἶμαι μὲν ἀπὸ χρόνου μήκους*. De Rep. IV. p. 423. B. *οἶμαι μέν, ἦν δ' ἐγώ, κ. τ. λ.* Adde quae exposuit Hartung. De Particul. linguae Graecae Vol. II. p. 412. cui tamen non assentimur *μέν* in talibus pro attenuato *μήν* habenti, atque interpretanti freilich, wohl. Verum pervidit nostra sententia Hermannus ad Viger. p. 841. qui ubi *μέν* dicitur, non sequente *δέ*, aut intelligi posse censet *δέ*, aut omitti illam partem orationis arbitratur, in qua *δέ* sequi debuerat.

ἐπιθυμεῖ τῶν ἐναντίων ἢ πάσχει.] Desiderabam olim *ἢ ἃ πάσχει*. Sic enim Gorg.

μνήμῃ τούτου, ὃ μήτ' ἐν τῷ νῦν χρόνῳ πάσχει μήτ' ἐν τῷ πρόσθεν πώποτ' ἔπαθε;

ΠΡΩ. Καὶ πῶς;

ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν ὅ γ' ἐπιθυμῶν τινὸς ἐπιθυμεῖ, B φαμέν;

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΣΩ. Οὐκ ἄρ' ὅ γε πάσχει, τούτου ἐπιθυμεῖ. διψῇ γάρ, τοῦτο δὲ κένωσις· ὁ δὲ ἐπιθυμεῖ πληρώσεως.

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Πληρώσεως γ' ἄρα πή τι τῶν τοῦ διψῶντος ἂν ἐφάπτοιτο.

πώματος, Porsono obtemperantes ad Eurip. Hecub. v. 396. et Adversar. p. 191. ed. Lips.

B. Πληρώσεως γ' ἄρα πή τι τ.] γ' ἄρα Bodl. Ven. Π. γὰρ pr. Vat. Vulgo γ' deerat.

p. 481. C. καὶ πάντα τὰ ἐναντία πράττομεν — ἢ ἃ δεῖ. Phaed. p. 115. D. ἐγγυήσασθε οὖν με — τὴν ἐναντίαν ἐγγύην, ἢ ἣν οὗτος — ἠγγυᾶτο. De Rep. I. p. 339. E. ποιεῖν τοὐναντίον ἢ ὃ σὺ λέγεις. Sed omisso pronomine Phaedr. p. 275. A. δι' εὔνοιαν τοὐναντίον εἶπες ἢ δύναται. Euthyphr. p. 12. A. λέγω γὰρ δὴ τὸ ἐναντίον, ἢ ὁ ποιητὴς ἐποίησεν. Reip. I. p. 334. E. καὶ οὕτως ἐροῦμεν αὐτὸ τοὐναντίον ἢ τὸν Σιμωνίδην ἔφαμεν λέγειν. Itaque nihil mutandum invitis codicibus. ὃ τὸ πρῶτον κενούμενος ἔστιν ὁπόθεν—] Iunge verba hunc in modum: ὃ τὸ πρ. κενούμενος ἔστιν ὁπόθεν ἀφάπτοιτ' ἂν εἴτε αἰσθήσει εἴτε μνήμῃ πληρώσεως τούτου, ὃ μήτ' ἐν τῷ νῦν χρ. κ. τ. λ. qui primum vacuus est, num fieri potest, ut is alicunde sive perceptione sive memoria assequatur expletionem per illud, quo neque in praesenti afficitur, neque antea unquam affectus est? Enimvero cupiditates nostrae, quarum vis et natura hoc loco exploratur, semper quodam vacuitatis sensu cum repletionis desiderio coniuncto oriri iudicantur. Ex quo colligitur, eas non in corpore, sed in uno animo inesse. Quod ut demonstretur, sic fere Socrates argumentatur. Cupiditas quaevis est appetitio quaedam alicuius rei, qua caremus et per quam repleri volumus. Appetimus igitur cupientes aliquid contraria atque illa, quibus affecti sumus. Quum vero nec sentire possimus ea, quibus non afficimur, nec recordari eorum, quae nunquam percepimus, consequens est, ut animus expletionem memoria assequatur, atque cupiditas ipsa non insit in corpore, sed in animo.

B. Πληρώσεως γ' ἄρα πή τι τῶν τοῦ διψῶντος ἂν ἐφ.] Τὶ τῶν τοῦ διψῶντος, ali-

ΠΡΩ. Ἀναγκαῖον.

ΣΩ. Τὸ μὲν δὴ σῶμα ἀδύνατον· κενοῦται γάρ που.

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Τὴν ψυχὴν ἄρα τῆς πληρώσεως ἐφάπτεσθαι
C *λοιπόν, τῇ μνήμῃ δῆλον ὅτι· τῷ γὰρ ἂν ἔτ' ἄλλῳ ἐφάψαιτο;*

ΠΡΩ. Σχεδὸν οὐδενί.

Cap. XXI. *ΣΩ. Μανθάνομεν οὖν, ὃ συμβέβηχ' ἡμῖν ἐκ τούτων τῶν λόγων;*

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Σώματος ἐπιθυμίαν οὔ φησιν ἡμῖν οὗτος ὁ λόγος γίγνεσθαι.

C. *τῷ γὰρ ἂν ἔτ' ἄλλῳ*] V. *τῶ τίνι γάρ κ. τ. λ.* Nimirum *τίνι* ortum ex glossemate, ut vidit Bastius Specim. Crit. in Symp. p. 45. Plerique codd. *τίνι* cum Bodl. Vat. Ven. *II.* Coisl. omittunt. Sed voc. *ἔτ'*, quod vulgo deerat, praebuere Bodl. Vat. Ven. *II.*

quid eorum, quae sitientis sunt, aliqua facultas sitientis, aliqua eius pars. De Republ. p. 490. B. *ἅψασθαι ᾧ προσήκει ψυχῆς ἐφάπτεσθαι τοῦ τοιούτου.* Ibid. p. 517. C. *τῷ οὖν — ἡμῶν αὐτῶν ὁρῶμεν τὰ ὁρώμενα*; ubi quemadmodum post pronomen relativum et interrogativum, ita hoc loco post indefinitum pronomen genitivus partitivus infertur. Hoc igitur dicit: Expletionem ergo certe aliqua via et ratione quaepiam eius, qui sitit, vis et facultas assequetur. Cogitat autem Socrates, uti ex proximis intelligitur, de ea mentis facultate, quam *μνήμης* nomine insignivit. Ceterum facere non possumus, quin nunc quoque adscribamus, quae Stobaeus Eclogg. Eth. p. 132, de Pythagoreis prodidit. *Περὶ δὲ ἐπιθυμίας τάδε ἔλεγεν* (Aristoxenus). *εἶναι τὸ πάθος τοῦτο ποικίλον καὶ πολύπονον καὶ πολυειδέστατον. εἶναι δὲ τῶν ἐπιθυμιῶν τὰς μὲν ἐπικτήτους τε καὶ παρασκευαστάς, τὰς δὲ συμφύτους· αὐτὴν μέντοι τὴν ἐπιθυμίαν ἐπιφορὰν τινα τῆς ψυχῆς καὶ ὁρμήν, καὶ ὄρεξιν εἶναι πληρώσεως ἢ παρουσίας αἰσθήσεως ἢ κενώσεως ἀπουσίας καὶ τοῦ μὴ αἰσθάνεσθαι.* Iamblichus De Vit. Pyth. §. 205. *περὶ δὲ τῆς ὀνομαζομένης ἐπιθυμίας τοιαῦτα λέγειν ἔφασκον τοὺς ἄνδρας ἐκείνους. αὐτὴν μὲν τὴν ἐπιθυμίαν ἐπιφοράν τινα εἶναι τῆς ψυχῆς καὶ ὁρμὴν καὶ ὄρεξιν ἤτοι πληρώσεως τινὸς ἢ παρουσίας τινῶν αἰσθήσεως ἢ διαθέσεως αἰσθητικῆς. γίγνεσθαι δὲ καὶ τῶν ἐναντίων ἐπιθυμίαν ἢ κενώσεώς τε καὶ ἀπουσίας καὶ τοῦ μὴ αἰσθάνεσθαι ἐνίων. ποικίλον δ' εἶναι τὸ πάθος τοῦτο καὶ σχεδὸν τῶν περὶ ἄνθρωπον πολυειδέστατον.* Cupiditatis cum voluptate ac dolore coniunctionem Plato demonstravit etiam Tim. p. 42. A sqq. ubi v. Commentar. nostros.

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Ὅτι τοῖς ἐκείνου παθήμασιν ἐναντίαν ἀεὶ παντὸς ζώου μηνύει τὴν ἐπιχείρησιν.

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ΣΩ. Ἡ δ' ὁρμή γε ἐπὶ τοὐναντίον ἄγουσα ἢ τὰ παθήματα δηλοῖ που μνήμην οὖσαν τῶν τοῖς παθήμασιν ἐναντίων.

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Τὴν ἄρ' ἐπάγουσαν ἐπὶ τὰ ἐπιθυμούμενα D ἀποδείξας μνήμην ὁ λόγος ψυχῆς ξύμπασαν τήν τε ὁρμὴν καὶ ἐπιθυμίαν καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζώου παντὸς ἀπέφηνεν.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα.

Μανθάνομεν οὖν ὃ συμβ.] V. pessime *γοῦν*, quod e Bodl. Vat. Ven. *Π.* emendatum.

D. *καὶ ἐπιθυμίαν*] *καὶ τὴν ἐπ.* Ven. *ΑΣ.* Par. CH. Angel. Flor. a. b. c. i.

Ἡ δὲ ὁρμὴ γε ἐπὶ τοὐναντίον ἄγουσα —] Appetitus autem perducens ad id, quod est affectionum (corporis) contrarium, manifestum reddit, opinor, memoriam adesse eorum, quae affectionibus sint contraria. De hoc loco Henr. Stephanus Schediasm. Var. libr. III. c. 29. p. 103. „Memoriam esse passionibus contrariam, inquit, quum quendam dicentem audirem, idque tanquam auctore Platone, miratus sum, quid illud sibi vellet. Tandem vero comperi, falsam loci Platonis interpretationem illi imposuisse. Nam Plato, probare volens, adminiculo memoriae fieri, ut is, qui sitit, cupiat potum, qui contrarius est siti quam patitur, dicit: Quod natura fertur animal ad ea, quae contraria sunt suis passionibus, sive iis quae patitur, id argumento est ipsum recordari eorum, quae suis passionibus sunt contraria, adeo ut nihil aliud sit *μνήμην οὖσαν τῶν ἐναντίων*, quam *μεμνῆσθαι τῶν ἐναντίων*. Recte quidem vir summus alteri adversatus est; ipse, quid rei sit, non plane perspexisse videtur. Ceterum ex his perspicuum est, quid in praegressis sit *ἐπιχείρησις*.

D. *Τὴν ἄρα ἐπάγουσαν ἐπὶ τὰ ἐπιθυμούμενα —*] Haec sic interpretanda censemus: Quum igitur disputatio evicerit, memoriam esse quae ad ea, quae concupiscuntur, perducat, animi esse omnem appetitum et cupiditatem, ideoque cuiusque animantis gubernationem atque imperium declaravit. In quibus ne quis *τῆς ψυχῆς — τήν τε ὁρμὴν καὶ ἐπιθυμίαν* desideret, satis cavebunt, opinor, quae scripsimus ad p. 34. C.

ΣΩ. *Λυπῆν ἄρα ἡμῶν τὸ σῶμα ἢ πεινῆν ἤ τι τῶν τοιούτων πάσχειν οὐδαμῇ ὁ λόγος αἱρεῖ.*

ΠΡΩ. *Ἀληθέστατα.*

ΣΩ. *Ἔτι δὴ καὶ τόδε περὶ ταὐτὰ ταῦτα κατανοήσωμεν. βίου γὰρ εἶδός τί μοι φαίνεται βούλεσθαι δηλοῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν τούτοις αὐτοῖς.*

E ΠΡΩ. *Ἐν τίσι καὶ ποίου πέρι βίου φράζεις;*

ΣΩ. *Ἐν τῷ πληροῦσθαι καὶ κενοῦσθαι καὶ πᾶσιν ὅσα περὶ σωτηρίαν τ' ἐστὶ τῶν ζώων καὶ τὴν φθοράν, καὶ εἴ τις τούτων ἐν ἑκατέρῳ γιγνόμενος ἡμῶν ἀλγεῖ, τοτὲ δὲ χαίρει κατὰ τὰς μεταβολάς.*

ΠΡΩ. *Ἔστι ταῦτα.*

Λυπῆν ἄρα ἡμῶν τὸ σῶμα] *δλιψην* et mox *πείνην* Bodl. Vat. A. pr. Ven. *Π.* lidem pro *το σῶμα ἡμῶν* dederunt quod recepimus.

περὶ ταὐτὰ ταῦτα] V. *περὶ τὰ αὐτὰ τ.*, quod mutatum e Bodl. Vat. Ven. *Π.*

φαίνεται βούλεσθαι] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΞΣ.* Coisl. Par. BCH. Angel. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. *βουλεύεσθαι.* Correxit Heusd. Specim. Crit. p. 100. Heindorf. ad Cratyl. p. 97. conf. De Rep. IV. p. 423. Ibid. 431. Legg. II. in. X. p. 892. C. Confusio utriusque verbi creberrima.

οὐδαμῇ ὁ λόγος αἱρεῖ] ratio haudquaquam evincit. v. Criton. p. 48. C. ibique ann.

E. *καὶ εἴ τις τούτων ἐν ἑκατέρῳ — μεταβολάς.*] Mutata paullulum constructio verborum est. Nam pergere Socrates debebat sic: *καὶ ἐν τῷ ἀλγεῖν, τοτὲ δὲ χαίρειν τούτων ἐν ἑκατέρῳ γιγνόμενον.* Ante *ἀλγεῖ* interponi potuerat *τοτὲ μέν*, de quo loquendi genere v. Hermann. ad Viger. p. 792. coll. ann. ad p. 36 E. Sic etiam Latini, de quibus conf. Gronov. ad Liv. III. 37. Quod quoniam neglectum olim fuit, perperam *τότε δὲ χαίρει* scribebatur. De re ipsa legendus est locus Reip. IX. p. 583. C sqq.

Διὰ μὲν τὸ πάθος ἀλγῇ —] Variis hic locus vexatus coniecturis est. Nunc difficultates omnes sublatae sunt optimorum codicum ope. Nam pro *ἀλγεῖ* et *μέμνηται* Bodl. Vat. et Ven. *Σ.* verissime *ἀλγῇ* et *μεμνῆται*, quod pendet ex *ὅταν* superiore. Iidem pro vulg. *πεπλήρωται* recte *πληρῶται*, quod ipsa sententia flagitat. Denique *ὧν* post *τῶν ἡδέων* ex Ven. *Σ.* insertum, qui liber aliquoties solus veram Platonis manum praestat. Ita igitur apparet sententiam emergere hanc: Quando affectione doloris quidem cruciatur, recordatur autem iucundorum, quae si ipsi acciderint, liberari a dolore *possit*, quum tamen nondum repleatur; quid tum? Vides, ita omnia ac singula se habere rectissime, atque etiam optativum *παύοιτ' ἄν* non carere idonea ratione; v. ad p. 39. D.

P. 36. *Μὴ ΔΗ, ἀλλὰ δι-*

ΣΩ. Τί δ' ὅταν ἐν μέσῳ τούτων γίγνηται;

ΠΡΩ. Πῶς ἐν μέσῳ;

ΣΩ. Διὰ μὲν τὸ πάθος ἀλγῇ, μεμνῆται δὲ τῶν ἡδέων γενομένων, ὧν παύοιτ' ἂν τῆς ἀλγηδόνος, πληρῶται δὲ μήπω· τί τότε; φῶμεν ἢ μὴ φῶμεν αὐτὸν ἐν μέσῳ τῶν παθημάτων εἶναι; 36

ΠΡΩ. Φῶμεν μὲν οὖν.

ΣΩ. Πότερον ἀλγοῦνθ' ὅλως ἢ χαίροντα;

ΠΡΩ. Μὰ Δί' ἀλλὰ διπλῇ τινὶ λύπῃ λυπούμενον, κατὰ μὲν τὸ σῶμα ἐν τῷ παθήματι, κατὰ δὲ τὴν ψυχὴν προσδοκίας τινὶ πόθῳ.

ΣΩ. Πῶς, ὦ Πρώταρχε, τὸ διπλοῦν τῆς λύπης

E. *ποίου πέρι βίου*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ποίου βίου πέρι.*

τοτὲ δὲ χαίρει] Sic pro *τότε* scripsi de coniectura mea. Ven. *Λ. τόδε.* Pro *δὲ* pr. Coisl. et Vat. *δή.*

τὸ πάθος ἀλγῇ] *ἀλγῇ* Bodl. Vat. Ven. *ΞΠ.* Par. H. pro vulg. *ἀλγεῖ, ἀλγεῖν* Florentini. Dein *ἡδέων ὧν* corr. Ven. *Σ. γιγνομένων* Coisl. et corr. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *ὧν* deerat. Praeterea *πληρῶται* Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *πεπλήρωται.* Tum *μὴ φῶμεν ἢ φῶμεν* Vat. Ven. *Π.*

πλῇ τινι λ. λ.] Heusdius ante *μὰ Δί'* excidisse putabat *μὴ χαίροντα*, quod expressit Ficinus: non gaudentem per Iovem, sed etc. Sed interpres sensum, non verba reddidit. Nam *μὰ Δία* nunc vi negandi pollere, ex sequenti *ἀλλά* intelligitur. conf. ad Gorg. p. 489. A. Euthydem. p. 293. C. Reisig. Coni. in Aristoph. p. 106. Xenoph. Cyrop. I. 4, 28. *ἀλλ' ἦ, φάναι, ἐπελάθου τι ὧν ἠβούλου εἰπεῖν; Μὰ Δία, φάναι, ἀλλ' ἥκω διὰ χρόνου.* Memor. III. 13, 3. *ἆρ' οὖν, ἔφη, καὶ οἱ οἰκέται σου ἀχθονται πίνοντές τε αὐτὸ καὶ λουόμενοι αὐτῷ. Μὰ τὸν Δία, ἔφη, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ἐθαύμακα, ὡς ἡδέως αὐτῷ πρὸς ἀμφότερα ταῦτα χρῶνται.* Platon. Alcib. I. p. 109. D. *σκώπτεις, ὦ Σώκρατες. ΣΩ. μὰ τὸν φίλιον τὸν ἐμὸν τε καὶ σόν· ἀλλ' εἴπερ ἔχεις, εἰπὲ τίς ἐστιν.* Ibid. p. 110. C. Aristoph. Plut. v. 100. Plut. *ἄφετόν με νῦν.* Chremyl. *μὰ Δί', ἀλλὰ μᾶλλον ἐξόμεσθα.* Ibid. Equitt. v. 85. Pac. v. 6. Rann. v. 502. Nubb. v. 328. et 1291. Lucian. Prometh. I. p. 141. ed. Bip. Diall. Deor. XVIII. p. 50. ed. Bip. Vitar. Auct. p. 111. al. Deinde quod olim suspicatus sum, *ἐν* ante *τῷ παθήματι* delendum esse, potest sane vulgata lectio defendi, siquidem *ἐν τῷ παθήματι* est inter affectionem, in eo statu, quo corpus afficitur. Itaque nihil sollicitandum. conf. p. 38. A. *ἐν τῷ τοιούτῳ.*

Πῶς, ὦ Πρώταρχε, τὸ διπλοῦν —] Refutat hic Socrates Protarchum, qui duplici semper dolore affici iudicavit eum, qui quum corpore affectio-

εἶπες; ἆρ' οὐκ ἔστι μὲν ὅτε τις ἡμῶν κενούμενος ἐν
B ἐλπίδι φανερᾷ τοῦ πληρωθήσεσθαι καθέστηκε, τοτὲ
δὲ τοὐναντίον ἀνελπίστως ἔχει;

ΠΡΩ. Καὶ μάλα γε.

ΣΩ. Μῶν οὖν οὐχὶ ἐλπίζων μὲν πληρωθήσεσθαι
τῷ μεμνῆσθαι δοκεῖ σοι χαίρειν, ἅμα δὲ κενούμενος
ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις ἀλγεῖν;

ΠΡΩ. Ἀνάγκη.

ΣΩ. Τότ' ἄρα ἄνθρωπος καὶ τἆλλα ζῶα λυ-
πεῖταί τε ἅμα καὶ χαίρει.

ΠΡΩ. Κινδυνεύει.

ΣΩ. Τί δ' ὅταν ἀνελπίστως ἔχῃ κενούμενος τεύ-
ξεσθαι πληρώσεως; ἆρ' οὐ τότε τὸ διπλοῦν γίγνοιτ'
ἂν περὶ τὰς λύπας πάθος, ὃ σὺ νῦν δὴ κατιδὼν
C ᾠήθης ἁπλῶς εἶναι διπλοῦν;

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα, ὦ Σώκρατες.

P. 36. B. ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις ἀλγεῖν;] V. ἀλγεῖ, sine codicum consensu.

ὃ σὺ νῦν δὴ κατιδὼν] δὴ accessit e Bodl. Vat. Ven. Π. et rec. Ξ.

nem sentiat, tum etiam animo expectationis quodam desiderio repletus sit. Etenim interdum accidere solere docet, ut desiderium illud cum certa spe futurae repletionis coniunctum sit: quod si ita fiat, cum dolore simul laetitiae sensum coniunctum esse arbitratur, quandoquidem qui speret desiderii sui expletionem, is recordatione laetetur, quum tamen eodem tempore, utpote exhaustus, crucietur. conf. De Rep. IX. p. 583. D sqq. De particulis ἔστιν ὅτε et τοτὲ δέ se excipientibus v. Hermann. ad Viger. p. 792. — τῷ μεμνῆσθαι, eo quod recordatur pristini status, quo non erat exhaustus et vacuefactus. Pro ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις olim dedi ἐν τοῖς αὐτοῖς χρόνοις; quod si codd. firmassent, nunc quoque amplecteremur. Nunc horum auctoritate acquiescendum putavimus.

B. ἁπλῶς εἶναι διπλοῦν] H. e. simpliciter ac sine ulla exceptione esse duplex. Sic ἁπλῶς et ἁπλοῦν non raro dici docebunt, quae scripsimus ad Sympos. p. 183. C.

C. τόδε χρησώμεθα] ad quaestionem de veris et falsis voluptatibus ac doloribus, quae deinceps instituitur. Tractavit hanc rem philosophus etiam De Rep. IX. p. 585. A sqq. sed paullo aliter atque hoc loco fecit. Quod non mirabuntur, qui utriusque disputationis caussas et opportunitates recte aestimaverint. Nemesius De Nat. Hom. p. 223. καὶ γὰρ κατὰ Πλάτωνα τῶν ἡδονῶν αἱ μέν εἰσι ψευδεῖς, αἱ δὲ ἀληθεῖς. ψευδεῖς μέν, ὅσαι μετ' αἰσθήσεως γίγνονται καὶ

ΣΩ. Ταύτῃ δὴ τῇ σκέψει τούτων τῶν παθημάτων τόδε χρησώμεθα.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Πότερον ἀληθεῖς ταύτας τὰς λύπας τε καὶ ἡδονὰς ἢ ψευδεῖς εἶναι λέξομεν; ἢ τὰς μέν τινας ἀληθεῖς, τὰς δ' οὔ;

ΠΡΩ. Πῶς δ', ὦ Σώκρατες, ἂν εἶεν ψευδεῖς ἡδοναὶ ἢ λῦπαι;

ΣΩ. Πῶς δέ, ὦ Πρώταρχε, φόβοι ἂν ἀληθεῖς ἢ ψευδεῖς, ἢ προσδοκίαι ἀληθεῖς ἢ μή, ἢ δόξαι ἀληθεῖς ἢ ψευδεῖς;

ΠΡΩ. Δόξας μὲν ἔγωγ' ἄν που συγχωροίην, τὰ δ' ἕτερα ταῦτ' οὐκ ἄν. D

ΣΩ. Πῶς φῄς; λόγον μέντοι τινὰ κινδυνεύομεν οὐ πάνυ σμικρὸν ἐπεγείρειν.

ΠΡΩ. Ἀληθῆ λέγεις.

C. ταύτας τὰς λύπας] τὰς om. Vat. Ven. *Π.*
Πῶς δ', ὦ Σώκρατες] δ' om. Bodl. Vat. Ven. *Π.* sed v. interpretat.
ἢ λῦπαι;] αἱ λ. Bodl. Vat. Ven. *Π.*

δόξης οὐκ ἀληθοῦς, καὶ λύπας ἔχουσι συμπεπλεγμένας· ἀληθεῖς δέ, ὅσαι τῆς ψυχῆς εἰσὶ μόνης αὐτῆς καθ' ἑαυτὴν μετ' ἐπιστήμης καὶ νοῦ καὶ φρονήσεως, καθαραὶ καὶ ἀνεπίμικτοι λύπης, αἷς οὐδεμία μετάνοια παρακολουθεῖ ποτέ.

Πῶς δέ, ὦ Πρώταρχε, φόβοι] Eleganter iterat Protarchi istud Πῶς δὲ ἂν εἶεν, eum simili interrogatione protenus refellens. Quod non sentientes critici, quibus codicis Bodl. aliorumque debemus recensionem, extruso δ' antea scripserunt: Πῶς, ὦ Σώκρατες, ἂν εἶεν ψ. ne scilicet molesta accideret earundem vocalium repetitio. Id vero nollem etiam nuperis editoribus unice placuisset. De numero plurali nominum φόβοι et προσδοκίαι v. Sympos. p. 207. E. De Rep. IX. p. 579. B. Legg. I. p. 632. A. 635. B. infra p. 50. C. al. Sic etiam Latini, timores, metus, spes, numero plurali dixerunt; ut vel varia genera et rationes horum animi affectuum significarent, vel crebriorem eorum repetitionem, pro variis locis, temporibus, personis variam et multiplicem, denotarent. v. C. Georg. Iacob. De usu numeri pluralis p. 9 sqq.

λόγον μέντοι — ἐπεγείρειν] Theaet. p. 184. A. ἄλλως τε καὶ ᾧ νῦν ἐγείρομεν, πλήθει ἀμήχανον. Cratyl. p. 411. A. ἐγείρεις μέν, ὦ ἑταῖρε, οὐ φαῦλον γένος ὀνομάτων. Reip. V. p. 450. A. οὐκ ἴσθε ὅσον ἑσμὸν λόγων ἐπεγείρετε. conf. Wyttenbach. ad Plutarch. De Ser. Num. Vind. p. 83.

ΣΩ. Ἀλλ' εἰ πρὸς τὰ παρειλημμένα, ὦ παῖ 'κείνου τἀνδρός, προσήκοντα, τοῦτο σκεπτέον.

ΠΡΩ. Ἴσως τοῦτό γε.

ΣΩ. Χαίρειν τοίνυν δεῖ λέγειν τοῖς ἄλλοις μήκεσιν ἢ καὶ ὁτιοῦν τῶν παρὰ τὸ προσῆκον λεγομένων.

ΠΡΩ. Ὀρθῶς.

E ΣΩ. Λέγε δή μοι· θαῦμα γὰρ ἐμέ γ' ἔχει διὰ τέλους ἀεὶ περὶ τὰ αὐτὰ ἃ νῦν δὴ προὐθέμεθα ἀπορήματα.

ΠΡΩ. Πῶς δὴ φῄς;

ΣΩ. Ψευδεῖς, αἱ δ' ἀληθεῖς οὐκ εἰσὶν ἡδοναί;

D. ὦ παῖ 'κείνου τἀνδρός,] V. τοῦ ἀνδρός. Crasin habent tres primarii.

E. θαῦμα γὰρ ἐμέ γ' ἔχει] γάρ μέ γε Bodl. Dein προὐθέμεθα pro vulg. προεθέμεθα Bodl. Vat. Ven. *II*.

Ἀλλ' εἰ πρὸς τὰ παρ., ὦ παῖ 'κείνου τἀνδρός,] Eadem compellatione utitur philosophus De Rep. II. p. 368. A. ὦ παῖδες ἐκείνου τοῦ ἄνδρος. Facete vero Protarchum his verbis salutat; partim quia Philebus familiares suos compellare solebat ὦ παῖδες, ut apparet ex p. 16. A. partim propterea, quod Protarchus illius rationem sequitur. Nam παῖδάς τινος constat appellari solere, qui alicuius artem, disciplinam, rationem sectantur. Sic Legg. p. 769. B. παῖδες ζωγράφων. v. Stephan. Thes. T. III. p. 1 et 7. Fischer. ad Weller. T. III. P. I. p. 281. Böttiger. in libro: Ideen zur Archaeologie der Malerei p. 136. Schaefer. ad Dionys. Hal. De Comp. Verb. p. 313. Wyttenbach. ad Eunap. p. 261. Quod si ita est, facile apparet urbane carpi Protarchum et Philebum, qui antea sedulo cavendum statuerant, ne disputatio extra oleas vagaretur. Etenim tanguntur hoc loco illa p. 17. E. sq. ubi Protarchus: κάλλιστα, ὦ Φίληβε, ἔμοιγε τὰ νῦν λεγόμενα εἰρηκέναι φαίνεται Σωκράτης. Ad quae Philebus: Καὶ ἐμοὶ ταὐτά γε αὐτά. ἀλλὰ τί δήποτε πρὸς ἡμᾶς ὁ λόγος οὗτος νῦν εἴρηται, καὶ τί ποτε βουλόμενος. Tum Socrates: Ὀρθῶς μέντοι ταῦθ' ἡμᾶς, ὦ Πρώταρχε, ἠρώτηκε Φίληβος. Cui assentiens Protarchus: Πάνυ μὲν οὖν, καὶ ἀποκρίνου γε αὐτῷ. Iam vero re a Socrate exposita Philebus iterum: τὸ αὐτό μοι τοῦ λόγου νῦν τε καὶ σμικρὸν ἔμπροσθεν ἐλλείπεται. Ad quae Socrates: Μῶν, ὦ Φίληβε, τὸ τί πρὸς ἕτερος αὖ ταῦτ' ἐστί; Cui hic denique: Ναί, τοῦτ' ἔστιν ὃ πάλαι ζητοῦμεν ἐγώ τε καὶ Πρώταρχος. Ad haec igitur respiciens Socrates urbana cum cavillatione Protarchum alloquitur, ὦ παῖ ἐκείνου τἀνδρός, eumque diligenter videre iubet, num haec ad rem praesentem pertineant: reliqua autem, quae per ambages ducant et praeter necessitatem adiectum iri videantur,

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

ΣΩ. Οὔτε δὴ ὄναρ οὐθ' ὕπαρ, ὡς φῄς, [ἔστιν] οὔτ' ἐν μανίαις οὔτ' ἐν παραφροσύναις οὐδεὶς ἔσθ' ὅστις ποτὲ δοκεῖ μὲν χαίρειν, χαίρει δὲ οὐδαμῶς, οὐδ' αὖ δοκεῖ μὲν λυπεῖσθαι, λυπεῖται δ' οὔ.

ΠΡΩ. Πάνθ' οὕτω ταῦτ', ὦ Σώκρατες, ἔχειν πάντες ὑπειλήφαμεν.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ὀρθῶς, ἢ σκεπτέον εἴτ' ὀρθῶς εἴτε μὴ ταῦτα λέγεται;

Cap. XXII. *ΠΡΩ. Σκεπτέον, ὡς γ' ἐγὼ φαίην ἄν.* 37

ΣΩ. Διορισώμεθα δὴ σαφέστερον ἔτι τὸ νῦν

E. *οὔτ' ἐν παραφροσύναις*] Sic Vat. et corr. Bodl. Vett. editt. *πάσαις ἀφροσύναις.*

ὡς γ' ἐγὼ φαίην ἄν] *γ'* insertum est nuper ex Ven. *Σ.* Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i.

mittenda esse arbitratur. Iam his ita expositis mutabit, opinor, mentem suam Car. Fr. Hermannus Disput. De Reipublicae Platon. temporibus p. 31. ubi negat iocum et cavillationem hic locum habere et formulam *ὦ παῖ κείνου τἀνδρός* censet esse proverbialem, quae ex poëta aliquo in vulgarem usum transierit, ut *φίλη κεφαλή*, etc. Enimvero ne hoc quidem ultro largientur, qui non modo *ὦ παῖδες* sed etiam *ὦ τέκνα* sic frequentari meminerint.

τοῖς ἄλλοις μήκεσιν] Loquendi genus attigimus ad Gorg. p. 473. C. Phaedon. p. 110. E. Alcib. I. p. 112. B. Symp. p. 191. B. Phaedr. p. 232. E. al. Verti potest: reliquis omnibus, quae ambages sunt. *Μῆκος* sc. *λόγων*, sic sine ullo additamento dicitur etiam Reipubl. IV. p. 437. A. Mox *διὰ τέλους ἀεὶ* dictum ut *διὰ βίου ἀεί*, de quo diximus ad p. 39. E.

E. *Ψευδεῖς, αἱ δ' ἀληθεῖς —*] H. e. *αἱ μὲν ψευδεῖς, αἱ δὲ ἀληθεῖς.* v. ad Protagor. p. 330. A. coll. Matthiae Gr. §. 288. ann. 4. — *πῶς γὰρ ἄν;* i. e. *οὐδαμῶς.*

Οὔτε δὴ ὄναρ οὐθ' ὕπαρ, ὡς φῄς, ἔστιν] Nondum mihi persuasi istud *ἔστιν*, quod uncis seclusimus, a Platonis manu esse profectum. Adeo enim illud inepte et absurde inculcatum est, ut nulla ei defensio ulla ex parte parata sit. Adscriptum videtur ab iis, qui formulam *οὔτε ὄναρ οὐθ' ὕπαρ* per se seorsum accipiendam putarent, neque omnem verborum constructionem satis perspectam haberent. Formula *οὔτ' ὄναρ οὐθ' ὕπαρ*, i. e. nullo prorsus modo, recurrit etiam infra p. 65. E. *οὐδεὶς πώποτε οὐθ' ὕπαρ οὔτ' ὄναρ αἰσχρὸν οὔτε εἶδεν οὔτε ἐπενόησεν οὐδαμῇ οὐδαμῶς.* Illustrarunt eam Valckenar. ad Ammon. III. 15. Dorvill. ad Charit. p. 291. — *ὡς φῄς* nunc ad totam sententiam pertinet, ut sit, quemadmodum censes.

δὴ λεγόμενον ἡδονῆς τε πέρι καὶ δόξης. ἔστι γάρ πού τι δοξάζειν ἡμῖν;

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Καὶ ἥδεσθαι;

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Καὶ μὴν καὶ τὸ δοξαζόμενόν ἐστί τι;

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Καὶ τό γε ᾧ τὸ ἡδόμενον ἥδεται;

ΠΡΩ. Καὶ πάνυ γε.

ΣΩ. Οὐκοῦν τὸ δοξάζον, ἄν τε ὀρθῶς ἄν τε μὴ ὀρθῶς δοξάζῃ, τό γε δοξάζειν ὄντως οὐδέποτ' ἀπόλλυσι.

B *ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;*

P. 37. ἔστι γάρ πού τι δοξάζειν;] τι om. Bodl. Vat. et in marg. ponit Bodl. Sed male omittitur.

τό γε, ᾧ τὸ ἡδόμενον] ὡς Bodl. Ven. *Π.* Mox ἄν τε — ἄν τε pro ἐάν τε — ἐάν τε dederunt Vat. Ven. *Π.*

B. καὶ τοῦθ' οὕτως ἔχει.] Sic Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. ταῦθ'.

Τῷ ποτὲ οὖν δὴ] ὅτῳ Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. Vocula δή, quae vulgo desiderabatur, ex Bodl. Vat. Ven. *Π.* restituta est.

P. 37. ἔστι γάρ πού τι δοξάζειν ἡμῖν;] Demonstrare instituit, doloris ac voluptatis sensum posse etiam vanum esse et inanem. Quod etsi prima specie mirum quiddam videatur, siquidem voluptates ac dolores semper revera esse iudicari oporteat: tamen rem idoneam habere explicationem. Falsas enim voluptates falsis gigni opinionibus, ut quum gaudeamus ob ea, quae nunquam eventum habitura sint, aut laetemur iis, quae iam evenisse temere nobis persuaserimus. De δόξῃ s. opinione ex visis oriunda conf. Theaetet. p. 190. A sqq. Sophist. p. 263 sqq. — τὸ δοξαζόμενον est, quod vulgo dicunt *obiectum* perceptionis atque opinionis, et τὸ δοξάζον *subiectum*, quod aliquid percipit et opinatur. Nam licebit, opinor, his nominibus uti, quae scholae consuetudo in usum nostrorum hominum perduxit. — τὸ ᾧ ἡδόμενον ἥδεται, id quo quis gaudet, das Object des sich freuenden Subiectes, das Object der Freude. De articulo ante relativum usurpato v. Matthiae Gr. §. 287. 1. et quos laudavit.

B. Τῷ ποτὲ οὖν δὴ τρόπῳ —] Quomodo igitur tandem fit, ut opinio et vera et falsa nobis existere soleat, voluptas autem tantummodo vera, quum tamen utrique pariter obtingat hoc, ut revera et opinemur et gaudeamus. Sic hunc locum et refinximus et intelligimus, nihil curantes ea, quae nuper vir quidam doctus nobis ea in re obloquutus est. Nimirum is εἴληφε

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ τὸ ἡδόμενον, ἄν τε ὀρθῶς ἄν τε μὴ ὀρθῶς ἥδηται, τό γε ὄντως ἥδεσθαι δῆλον ὡς οὐδέποτε ἀπολεῖ.

ΠΡΩ. Ναί, καὶ τοῦθ' οὕτως ἔχει.

ΣΩ. Τῷ ποτὲ οὖν δὴ τρόπῳ δόξα ψευδὴς τε καὶ ἀληθὴς ἡμῖν φιλεῖ γίγνεσθαι, τὸ δὲ τῆς ἡδονῆς μόνον ἀληθές, δοξάζειν δ' ὄντως καὶ χαίρειν ἀμφότερα ὁμοίως εἴληχε;

ΠΡΩ. Σκεπτέον.

ΣΩ. Ἆρα ὅτι δόξῃ μὲν ἐπιγίγνεσθον ψευδός τε καὶ ἀληθές, καὶ ἐγένετο οὐ μόνον δόξα διὰ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ποιά τις ἑκατέρα, σκεπτέον φῂς τοῦτ' εἶναι; C

ΠΡΩ. Ναί.

Mox εἴληχε pro εἴληφε de coniectura scripsi. In Ven. Σ. rec. ante δοξάζειν δ' interponitur τὸ articulus. v. interpretat. Particulam δ' om. Vat. Coisl.

ψευδός τε καὶ ἀληθὲς] τι pro τε Bodl. Vat. Ven. Π.

C. καὶ ποιά τις ἑκ.] V. καὶ ὁποία, quod de coniectura emendavi. Firmant rationem nostram Bodl. qui habet ποια sine accentu, et marg. Par. H. ubi ποῖα adscriptum legitur. Ceterum antea Bodl. Vat. Ven. Π. ἆρά τι δόξῃ κ. τ. λ.

interpretatus est arripuit, et τὸ articulum ante δοξάζειν desideravit. Quod vere est hallucinari et micare in tenebris. Quod pro εἴληφε reposuimus de coniectura nostra εἴληχε, id quam vim habeat, nemo dubitet. Infra p. 49. C. ἡ δ' ἀσθενὴς ἡμῖν τὴν τῶν γελοίων εἴληχε τάξιν τε καὶ φύσιν. Tim. p. 52. A. τοῦτο, ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν. conf. Valckenar. ad Eur. Hippol. p. 174. Neutrum ἀμφότερα refertur ad ἡδονὴ καὶ δόξα: cuius generis exempla iam in superioribus memoravimus. Atque id hoc loco tanto minus habere potest offensionis, quod τὸ τῆς ἡδονῆς nota periphrasi dictum est pro ἡ ἡδονή. De φιλεῖ, solet, v. ad Symp. c. 11. extr. Denique de iunctura hac membrorum, δοξάζειν δ' ὄντως εἴληχε, quum tamen nacta sint hoc etc. conf. Gorg. p. 464. A. τὸ τοιοῦτον λέγω καὶ ἐν σώματι εἶναι καὶ ἐν ψυχῇ, ὅ τι ποιεῖ δοκεῖν μὲν εὖ ἔχειν τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν, ἔχει δὲ οὐδὲν μᾶλλον. ubi Heindorfius comparavit Menon. p. 77. D. οὐκοῦν δῆλον, ὅτι οὗτοι μὲν οὐ τῶν κακῶν ἐπιθυμοῦσιν οἱ ἀγνοοῦντες αὐτά, ἀλλ' ἐκείνων, ἃ ᾤοντο ἀγαθὰ εἶναι, ἔστι δὲ ταῦτά γε κακά. De Rep. VII. p. 533. D. ἃς ἐπιστήμας μὲν πολλάκις προσείπομεν διὰ τὸ ἔθος, δέονται δὲ ὀνόματος ἄλλου. Nihil refert, haec syntaxis utrum locum habeat in interrogatione an extra interrogationem.

ψευδός τε καὶ ἀληθές,] Ne quis ψευδές τε malit, v. ad Apolog. Socr. p. 34. E. Gorg. p. 505. E. Theaet. p. 150. C.

C. ἀλλὰ καὶ ποιά τις ἑκατέρα,] Hunc quoque locum

ΣΩ. Πρὸς δέ γε τούτοις, εἰ καὶ τὸ παράπαν ἡμῖν τὰ μέν ἐστι ποῖ' ἄττα, ἡδονὴ δὲ καὶ λύπη μόνον ἅπερ ἐστί, ποιώ τινε δὲ οὐ γίγνεσθον, καὶ ταῦθ' ἡμῖν διομολογητέον.

ΠΡΩ. Δῆλον.

ΣΩ. Ἀλλ' οὐδὲν τοῦτό γε χαλεπὸν ἰδεῖν, ὅτι καὶ ποιώ τινε. πάλαι γὰρ εἴπομεν ὅτι μεγάλαι τε καὶ σμικραὶ καὶ σφόδρα ἑκάτεραι γίγνονται, λῦπαί
D τε καὶ ἡδοναί.

ΠΡΩ. Παντάπασι μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἄν δέ γε πονηρία τούτων, ὦ Πρώταρχε, προσγίγνηταί τινι, πονηρὰν μὲν φήσομεν οὕτω γίγνεσθαι δόξαν, πονηρὰν δὲ καὶ ἡδονήν;

ΠΡΩ. Ἀλλὰ τί μήν, ὦ Σώκρατες;

ἡδονὴ δὲ καὶ λύπη μόνον] Plurimi libri τε pro δέ.

ποιώ τινε] ποιῶν Bodl. Vat. Ven. *A Π.* al. vitiose.

de coniectura nostra refinximus. Ineptum est enim quod libri habent ὁποῖά τις vel ὁποία τις. Sententia verborum haec est: Non tantum fit δόξα, quia verum et falsum ei admisceri potest, sed etiam qualitatem s. ποιότητα aliquam accipit, quoniam existit vera et falsa. Prava lectio inde orta, quod neglecta interpunctione iunxerunt: ἀλλὰ καὶ σκεπτέον εἶναι, ὁποία τις ἑκατέρα.

Πρὸς δέγε τούτοις, εἰ καὶ τὸ παράπαν ἡμῖν] Praeterea autem etiam hoc inter nos conveniat necesse est, num omnino quaedam quidem qualitate praedita sint, voluptas autem atque tristitia tantummodo id, quod sint, nullamque accipiant qualitatem.

ὅτι μεγάλαι τε καὶ σμικραὶ καὶ σφόδρα ἑκ.] Ficinus: Iam pridem concessimus, voluptates atque molestias magnas et parvas, vehementes remissasque, fieri. Unde Cornarius legendum coniecit: καὶ σφοδραὶ καὶ ἡσυχαίτεραι ἑκάτεραι γίγνονται. quam lectionem Stephanus narrat a se ex quodam vet. libro annotatam esse, scilicet ex Cornarii Eclogis, quibus usus est sic, ut rem dissimulaverit. Placuit ea coniectura viris doctis, et nuper etiam Orellio. Vereor tamen, ut ulla mutatione opus sit. Nam σφόδρα adverbium indicat etiam, graduum varietatem tanquam qualitatem aliquam in dolores ac voluptates convenire. conf. annot. ad p. 24. C. ubi σφόδρα καὶ ἠρέμα cum τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον iungi meminimus. Ne vero adverbium ita cum γίγνονται iunctum moleste feras, conf. p. 41. E. τίς μείζων καὶ ἐλάττων καὶ τίς μᾶλλον καὶ τίς σφοδροτέρα λύπη τε πρὸς λύπην κ. τ. λ. ubi id genus alia in medium afferemus. conf. Phaedon. p. 93. B. Protag. p. 355 E. Hipp. mai. p. 299. D. Thucyd. III. 82. Ibique interpp.

ΣΩ. Τί δ', ἂν ὀρθότης ἢ ταὐναντίον ὀρθότητί τινι τούτων προσγίγνηται; μῶν οὐκ ὀρθὴν μὲν δόξαν ἐροῦμεν, ἂν ὀρθότητα ἴσχῃ; ταὐτὸν δὲ ἡδονήν;

ΠΡΩ. Ἀναγκαῖον.

ΣΩ. Ἂν δέ γε ἁμαρτανόμενον τὸ δοξαζόμενον ἦ, τὴν δόξαν τότε ἁμαρτάνουσάν γε οὐκ ὀρθὴν ὁμολογητέον οὐδ' ὀρθῶς δοξάζουσαν; E

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

ΣΩ. Τί δ', ἂν αὖ λύπην ἢ τινα ἡδονὴν περὶ τὸ ἐφ' ᾧ λυπεῖται ἢ τοὐναντίον ἁμαρτάνουσαν ἐφορῶμεν, ὀρθὴν ἢ χρηστὴν ἢ τί τῶν καλῶν ὀνομάτων αὐτῇ προσθήσομεν;

ΠΡΩ. Ἀλλ' οὐχ οἷόν τε, εἴπερ ἁμαρτήσεταί γε ἡδονή.

D. ἂν ὀρθότητα] V. ἐὰν ὀρθ. invitis Bodl. Vat. Ven. *II*. E. ἐφ' ᾧ λυπεῖται] ἐφ' ὃ Bodl. Vat. Ven. *II*. male. Iidem pro ἢ habent μή. Dein pro ἤ τι τῶν καλῶν correxi ἢ τί τῶν κ.

D. ταὐτὸν δὲ ἡδονήν;] *pariterque* voluptatem; nam ταὐτόν adverbii instar est. Cratyl. p. 404. E. ταὐτὸν δὲ καὶ περὶ τὸν Ἀπόλλω. Sophist. p. 249. B. καὶ τοῦτῳ τῷ λόγῳ ταὐτὸν τοῦτο (pariter, item) ἐκ τῶν λόγων ἐξαιρήσομεν (αὐτά). Plura id genus exempla attulimus ad Symp. p. 169. E. Reip. VII. p. 535. D. Protagor. p. 318. A. et 344. D. ubi etiam ταὐτὰ ταὐτα sic usurpari demonstravimus.

E. ὀρθὴν ἢ χρηστὴν ἢ τί τῶν καλῶν ὀν.] Habes hic rursus rariorem structurae enallagen. Nam dicere volebat Socrates: ὀρθὴν ἢ χρηστὴν ἢ πῶς αὐτὴν ὀνομάσομεν; Pro eo igitur liberiore sermonis conversione dixit: ἢ τί τῶν καλῶν ὀνομάτων αὐτῇ προσθήσομεν. Nimirum ne quis hoc plane temerarium esse existimet, ὀρθὴν ἢ χρηστήν idem est quod τὸ ὄνομα ὀρθῆς ἢ χρηστῆς: de quo usu loquendi v. ann. ad Cratyl. p. 392. B. Sophist. p. 225. B. 229. C. Quocirca recte profecto pergi poterat ἢ τί τῶν καλῶν ὀνομάτων κ. τ. λ. Sic enim nunc Aug. Matthiae auctoritate locum refinximus, quum editt. omnes vitiose scriptum exhibeant ἤ τι τῶν κ. ὀν. Sunt autem καλὰ ὀνόματα nomina, quibus pulcri quid significatur. Sic Theag. p. 122. D. τί καλὸν ὄνομα τῷ νεανίσκῳ; Cratyl. p. 411. A. ταῦτα τὰ καλὰ ὀνόματα — οἷον φρόνησίς τε καὶ σύνεσις καὶ δικαιοσύνη. Reip. I. p. 344. B. sunt αἰσχρὰ ὀνόματα rerum turpium nomina. Hipp. mai. p. 288. D. φαῦλα ὀνόματα, ubi vilium rerum mentio facta est. Sophist. p. 226. B. οἰκετικὰ ὀνόματα dicuntur, quibus servilia opera designantur. De Rep. V. p. 463. E. οἰκεῖα ὀνόματα intelligas ea, quae significant cognatos. Sed sufficient haec, opinor, ad vindicandam nostram loci interpretationem a docto quodam viro olim in dubitationem vocatam.

ΣΩ. Καὶ μὴν ἔοικέ γε ἡδονὴ πολλάκις οὐ μετὰ δόξης ὀρθῆς ἀλλὰ μετὰ ψεύδους ἡμῖν γίγνεσθαι.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ; καὶ τὴν μὲν δόξαν γε, ὦ
38 Σώκρατες, ἐν τῷ τοιούτῳ καὶ τότε λέγομεν ψευδῆ, τὴν δ' ἡδονὴν αὐτὴν οὐδεὶς ἄν ποτε προσείποι ψευδῆ.

ΣΩ. Ἀλλὰ προθύμως ἀμύνεις τῷ τῆς ἡδονῆς, ὦ Πρώταρχε, λόγῳ τὰ νῦν.

ΠΡΩ. Οὐδέν γε, ἀλλ' ἅπερ ἀκούω λέγω.

ΣΩ. Διαφέρει δ' ἡμῖν οὐδέν, ὦ ἑταῖρε, ἡ μετὰ δόξης τε ὀρθῆς καὶ μετ' ἐπιστήμης ἡδονὴ τῆς μετὰ τοῦ ψεύδους καὶ ἀγνοίας πολλάκις ἑκάστοις ἡμῶν ἐγγιγνομένης;

B ΠΡΩ. Εἰκὸς γοῦν μὴ σμικρὸν διαφέρειν.

Cap. XXIII. ΣΩ. Τῆς δὴ διαφορᾶς αὐτοῖν ἐπὶ θεωρίαν ἔλθωμεν.

ΠΡΩ. Ἄγε ὅπῃ σοι φαίνεται.

ΣΩ. Τῇδε δὴ ἄγω;

P. 38. ἡδονὴν αὐτὴν] ἡδομένην Bodl. Vat. et pr. Ven. Π. In Vat. τὴν ἡδονήν marg. adscriptum.

τῷ τῆς ἡδονῆς] τὸ Bodl.

καὶ ἀγνοίας π.] Sic Cornarius coniecit. Libri ἀνοίας.

P. 38. ἐν τῷ τοιούτῳ καὶ τότε λέγομεν φ.] opinionem quidem, inquit, in tali statu et condicione atque tum, quum id sic evenit, solemus falsam appellare; ipsam autem voluptatem nemo quisquam unquam falsam dixerit. Restitui de coniectura mea λέγομεν. Libri mss. omnes cum editt. prave ἐλέγομεν. Sed imperfecto nunc non esse locum, ipsa sententia evincit luculentissime. De ἐν τῷ τοιούτῳ v. ad Menex. p. 238. B. Theaet. p. 209. A.

ἀλλ' ἅπερ ἀκούω λέγων.] H. e. ἅπερ ἀκούσας ἐπίσταμαι. v. Gorg. p. 503. C. Theact. p. 198. C. Dorvill. ad Charit. p. 592. Boisson. ad Philostr. Her. p. 397. Ast. ad Legg. p. 9. Sic etiam κλύω intelligendum Sophocl. Philoctet. v. 261. ὅδ' εἰμ' ἐγὼ σοι κεῖνος, ὃν κλύεις ἴσως τῶν Ἡρακλείων ὄντα δεσπότην ὅπλων. Electr. v. 566. πατήρ ποθ' οὑμός, ὡς ἐγὼ κλύω, θεᾶς παίζων κατ' ἄλσος ἐξεκίνησεν κ. τ. λ.

τῆς μετὰ τοῦ ψεύδους καὶ ἀγνοίας] Libri omnes cum vett. editt. ἀνοίας: quod si ullam habet defensionem, petenda illa erit ex superioribus illis p. 36. E. Οὔτε δὴ ὄναρ κ. τ. λ. Sed amplector etiam nunc Cornarii coniecturam ἀγνοίας, quae

ΠΡΩ. Πῆ;

ΣΩ. Δόξα, φαμέν, ἡμῖν ἔστι μὲν ψευδής, ἔστι δὲ καὶ ἀληθής;

ΠΡΩ. Ἔστιν.

ΣΩ. Ἕπεται μὴν ταύταις, ὃ νῦν δὴ ἐλέγομεν, ἡδονὴ καὶ λύπη πολλάκις, ἀληθεῖ καὶ ψευδεῖ δόξῃ λέγω.

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἐκ μνήμης τε καὶ αἰσθήσεως δόξα ἡμῖν καὶ τὸ διαδοξάζειν ἐγχειρεῖν γίγνεθ' ἑκάστοτε; C

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἡμᾶς ὧδε περὶ ταῦτα ἀναγκαῖον ἡγούμεθα ἴσχειν;

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Πολλάκις ἰδόντι τινὶ πόῤῥωθεν μὴ πάνυ σαφῶς τὰ καθορώμενα ξυμβαίνειν βούλεσθαι κρίνειν φαίης ἂν ταῦθ' ἅπερ ὁρᾷς;

ΠΡΩ. Φαίην ἄν.

B. *Τῇδε δὴ ἄγως;*] V. *πῇ δὲ δὴ ἄγω*; Sed *τῇδε δὴ* cum Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣ.* plurimi. conf. Bast. Specim. Crit. p. 89. Heusd. Specim. p. 101.

διαδοξάζειν ἐγχειρεῖν] *δοξάζειν* Angel. et edit. Bas. 2. Pro vulg. *ἐγχωρεῖν* recte *ἐγχειρεῖν* Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl.

ipsi sententiae egregie convenit. Conf. ann. ad p. 48. C.

C. *καὶ τὸ διαδοξάζειν ἐγχειρεῖν γίγν.*] H. e. res sensibus perceptas dignoscere et coniectando discernere: de quo sequenti disputationis parte exponitur. Hic vero conatus verissime dicitur ex perceptione et *τῇ μνήμῃ* oriri: nam illa ubi feriit sensus ita, ut huius tanquam conscientia accesserit, fieri potest, ut visa secernantur atque mentis iudicio distinguantur. Diligenter autem hic tenenda sunt, quae supra p. 34. A. sq. de vi et natura *τῆς μνήμης* exposita leguntur, quam cave temere idem esse putes, quod nostri memoriae nomine appellare solent. Ceterum *διαδοξάζειν* hoc uno Platonis loco legitur. Quam apte tamen illud ad rem fictum sit, vix est quod moneamus. Quocirca lectio ed. Bas. 2. et cod. Angel. *δοξάζειν* nihili facienda. Prorsus eodem modo fictum est *διονομάζειν* Politic. p. 263. D. Nauci praeterea non faciendum, quod ante Bekkerum circumferebatur *ἐγχωρεῖν*.

Πολλάκις ἰδόντι τινὶ — ὁρᾷς;] Saepenumero cuipiam e longinquo non satis clare videnti ea, quae conspicatur accidere, di-

ΣΩ. Οὐκοῦν τὸ μετὰ τοῦτο αὐτὸς αὑτὸν οὕτος ἀνέροιτ' ἂν ὧδε;

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Τί ποτ' ἄρ' ἔστι τὸ παρὰ τὴν πέτραν
D τοῦθ' ἑστάναι φανταζόμενον ὑπό τινι δένδρῳ; Ταῦτ' εἰπεῖν ἄν τις πρὸς ἑαυτὸν δοκεῖ σοι, τοιαῦτ' ἄττα κατιδὼν φαντασθέντα ἑαυτῷ ποτέ;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Ἆρ' οὖν μετὰ ταῦτα ὁ τοιοῦτος ὡς ἀποκρινόμενος ἂν πρὸς αὑτὸν εἴποι τοῦτο, ὡς ἔστιν ἄνθρωπος, ἐπιτυχῶς εἰπών;

ΠΡΩ. Καὶ πάνυ γε.

ΣΩ. Καὶ παρενεχθείς γ' αὖ τάχ' ἂν ὡς ἔστι τινῶν ποιμένων ἔργον τὸ καθορώμενον ἄγαλμα προσείποι.

ΠΡΩ. Μάλα γε.

C. αὐτὸς αὑτὸν] αὐτὸ σαυτὸν Bodl. Idem οὕτως ἂν ἔροιτ' ἄν.

D. πρὸς ἑαυτὸν δοκεῖ σοι] V. δοκῇ σοι. Bodl. Vat. Ven. *Π. δοκήσοι.* Recte Coisl. *δοκεῖ σοι.* Vitium dudum notaverat A. Matthiae Gr. §. 516. 2. indicativum iure suo requirens.

φανταθέντα ἑαυτῷ] αὐτῷ Bodl. Unde αὑτῷ suspiceris scriptum fuisse. Idem ἐπιτυχ' ὡς.

πρὸς αὑτὸν εἴποι τοῦτο,] τοῦτο om. Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π.* Extruserunt nimirum pronomen, quibus visum est otiosum esse.

Μάλα γε] V. *Μάλιστά γε*, quod solus Par. E. tenet.

xeris, ut iudicare velit quae videat.

D. ἐπιτυχῶς εἰπών.] sic dicens, ut rem coniectura assequatur; *treffend.*

καὶ παρενεχθεὶς γ' αὖ — ἄγαλμα προσείποι.] H. e. fortasse rursus a vero abcrrans *praeterea s. insuper* dixerit, esse pastorum quorundam opus imaginem a se conspectam. Itaque παραφέρεσθαι praegresso ἐπιτυχῶς εἰπεῖν opponitur, nihilque aliud significat, quam a vero aberrare. Infra p. 60. D. εἰ δέ γε παρηνέχθομέν τι τότε, νῦν ὀρθότερον ἐπανάλαβὼν ὀρθότερον εἰπάτω. Ἄγαλμα nunc intelligitur imago s. effigies ex ligno, luto, aliave id genus materia ficta; cuiusmodi imagines pastores animi caussa in agris ponere solebant. Vim et usum vocabuli, hoc tamen loco neglecto, illustravit Ruhnken. ad Tim. p. 5 sqq.

E. Κἂν μέν τίς γ' αὐτῷ παρῇ —] Hoc μέν, quod Bodl. et qui cum eo faciunt libri omit-

ΣΩ. Κἂν μέν τίς γ' αὐτῷ παρῇ, τά τε πρὸς E
αὑτὸν ῥηθέντα ἐντείνας εἰς φωνὴν πρὸς τὸν παρόν-
τα αὐτὰ ταῦτ' ἂν πάλιν φθέγξαιτο, καὶ λόγος δὴ
γέγονεν οὕτως ὃ τότε δόξαν ἐκαλοῦμεν;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Ἂν δ' ἄρα μόνος ᾖ τοῦτο ταὐτὸν πρὸς
αὑτὸν διανοούμενος ἐνίοτε καὶ πλείω χρόνον ἔχων
ἐν αὑτῷ πορεύεται.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Τί οὖν; ἆρα σοὶ φαίνεται τὸ περὶ τού-
των γιγνόμενον ὅπερ ἐμοί;

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Δοκεῖ μοι τότε ἡμῶν ἡ ψυχὴ βιβλίῳ τινὶ
προεοικέναι.

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Ἡ μνήμη ταῖς αἰσθήσεσι ξυμπίπτουσα εἰς 39
ταὐτόν, κἀκεῖνα ἃ περὶ ταῦτά ἐστι τὰ παθήματα,

E. *κἂν μέν τίς γ' αὐτῷ π.*] *μὲν* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.* male; respondet enim sequenti *δέ* in verbis *Ἂν δ' ἄρα κ. τ. λ.*

πρὸς τὸν παρόντα αὐτὰ] *αὐτῷ* Vat. aut, Bastio teste, *αὐτῶν.*

πάλιν φθέγξαιτο] *πάλαι ἃ φθ.* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

Ἂν δ' ἄρα μόνος] Pro *ἂν δ' ἄρα* Bodl. et Ven. *Π. Ἀλλ' ἄρα*, manifesto errore.

πρὸς αὑτὸν διαν.] Bodl. *αὐτό.* Ven. *Π. αὐτό.*

γιγνόμενον ὅπερ ἐμοί;] *γιγνόμενον* additum ex Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vulgo deerat.

Δοκεῖ μοι τότε] *μοι* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.*

tunt, vix carere volent, qui secum reputaverint respondere his quae sequuntur: *Ἂν δ' ἄρα μόνος ᾖ κ. τ. λ.* Rursus igitur vocula deleta videtur crisi arbitraria. — *ἐντείνας εἰς φωνήν* dictum ut Phaedon. p. 60. D. *ἐντείνας τοὺς Αἰσώπου λόγους.* ubi v. ann. Dionys. Hal. De Isocr. p. 151. Vol. III. *εἰς περιόδους ἐναρμόττειν ἅπαντα τὰ νοήματα.* Nec multum abludit Aristoph. Nubb. v. 962. *ἐντεινάμενος τὴν ἁρμονίαν.* De perfecto *γέγονεν* v. Bernhardy Syntax. Gr. p. 379. — *τότε*, antea, quum mentis cogitata nondum voce inclusa essent. v. Politic. p. 263. E. *καὶ γὰρ οὖν καὶ τότε ἡμαρτάνειτο ταύτῃ.* ubi v. ann.

φαίνεται τὸ περὶ τούτων,] Expectabas *περὶ ταῦτα*; sed genitivus ponitur propter *φαίνεται*: de quo loquendi genere v. ad Phaedon. p. 58. A. Apol. Socr. p. 32. B. al. coll. Matthiae Gr. Gr. §. 595. 5. a. b.

P. 39. *κἀκεῖνα ἃ περὶ*

φαίνονταί μοι σχεδὸν οἷον γράφειν ἡμῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς τότε λόγους· καὶ ὅταν μὲν ἀληθῆ γράψῃ τοῦτο τὸ πάθημα, δόξα τε ἀληθὴς καὶ λόγοι ἀπ' αὐτοῦ ξυμβαίνουσιν ἀληθεῖς ἐν ἡμῖν γιγνόμενοι· ψευδῆ δ' ὅταν ὁ τοιοῦτος παρ' ἡμῖν γραμματεὺς γράψῃ, τἀναντία τοῖς ἀληθέσιν ἀπέβη.

B *ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν δοκεῖ μοι, καὶ ἀποδέχομαι τὰ ῥηθέντα οὕτως.*

ΣΩ. Ἀποδέχου δὴ καὶ ἕτερον δημιουργὸν ἡμῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐν τῷ τότε χρόνῳ γιγνόμενον.

P. 39. *γραμματεὺς γράψῃ*] V. *γράφῃ*, quod e Bodl. Vat. Ven. *Π.* correctum.

ταὐτά ἐστι τὰ παθήματα] H. e. *κἀκεῖνα τὰ παθήματα, ἃ περὶ ταὐτά ἐστιν*, sc. *περὶ τὴν μνήμην καὶ τὰς αἰσθήσεις εἰς ταὐτὸ ξυμπιπτούσας*, illae affectiones, quae in hac perceptionum et memoriae coniunctione usu venire solent. Sic haec interpretanda.

γράφειν ἡμῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς τότε λόγους] Prorsus eodem modo res exponitur etiam Sophist. p. 263. D. sqq. ubi inter alia: *οὐκοῦν διάνοια μὲν καὶ λόγος ταὐτόν, πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος τοῦτ' αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη διάνοια; ΘΕ. πάνυ μὲν οὖν. ΞΕ. τό δέ γ' ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου κέκληται λόγος.* ubi v. annot. Loquutio *γράφειν ἐν ψυχαῖς, ἐν φρεσί*, ab aliis quoque frequentata est, ut Pindar. Olymp. X, 3. Aeschyl. Prom. v. 795. Sophocl. Fragm. Triptol. n. 8. conf. Martin. Ver. Lectt. p. 205. In proximis vulgo post *ἀληθῆ γράψῃ* commate distinguunt: nos post *τοῦτο τὸ πάθημα* orationem incidimus, quod verbi *γράψῃ* subiectum esse plane nobis persuasimus. Etenim primum quidem, ubi post *γράψῃ* distinxeris, moleste inferetur deinceps *ἀπ' αὐτοῦ*. Deinde, hac interpunctione admissa, *γράψωσιν* potius quam *γράψῃ* dicendum fuit, propter antegressum *φαίνονται*. Denique, restituta hac interpunctione, omnes loci difficultates protenus evanescunt. Nam quamvis mirum alicui accidat, quod memoriae et perceptionis in unum coniunctae vis et facultas appellatur *πάθημα*, tamen res inde habet explicationem sanequam probabilem, quod postremo etiam *τὰ περὶ αὐτὰ παθήματα* memorata sunt. Itaque Socrates, iam omnia tanquam in unum comprehendens, ea singulari numero *τοῦτο τὸ πάθημα* appellat. Idque profecto eo rectius facere posse videtur, quod vi perceptionis et memoriae animus ipse aliquo modo afficitur, eaque demum affectione evenit, ut *δόξαι καὶ λόγοι* oriantur. Hac ipsa de caussa vero illa affectio etiam efficiendi quandam vim habet: est enim effectrix opinionum. Quocirca ne illud quidem mirum accidere debet, quod in proximis pro *τοῦτο τὸ πάθημα* dicitur potius *ὁ τοιοῦτος παρ' ἡμῖν γραμματεύς*. Nimi-

ΠΡΩ. Τίνα;

ΣΩ. Ζωγράφον, ὃς μετὰ τὸν γραμματιστὴν τῶν λεγομένων εἰκόνας ἐν τῇ ψυχῇ τούτων γράφει.

ΠΡΩ. Πῶς δὴ τοῦτον αὖ καὶ πότε λέγομεν;

ΣΩ. Ὅταν ἀπ' ὄψεως ἤ τινος ἄλλης αἰσθήσεως τὰ τότε δοξαζόμενα καὶ λεγόμενα ἀπαγαγών τις τὰς τῶν δοξασθέντων καὶ λεχθέντων εἰκόνας ἐν αὐτῷ ὁρᾷ πως. ἢ τοῦτο οὐκ ἔστι γιγνόμενον παρ' ἡμῖν; C

ΠΡΩ. Σφόδρα μὲν οὖν.

B. *καὶ πότε λέγομεν;*] V. *λέγωμεν*, invitis tribus codd. primariis, et editt. Bas. 1. 2.

rum fuit haec propria quaedam Graecorum virtus, ut pro ingenii sui vigore in formanda oratione non verborum vim semper scrupulose urgerent, sed animi sensa liberrime proloquerentur eaque sola respectarent. Accedit tamen ad molliendam duritiem, quam haec orationis conversio habere videri queat, quod nomina in *μα* exeuntia subinde etiam active significare videntur. v. ad Politic. p. 289. B. ubi *θρέμμα* est nutrimentum.

B. *Ἀποδέχου δὴ καὶ ἕτερον δημιουργὸν*] Aliam nunc animi facultatem descripturus est cum superioribus necessitudine quadam iunctam et consociatam. Etenim accedit hic ad *φαντασίαν*. Quam quidem vult imaginum animo conceptarum quasi quandam esse perfectricem. Rem philosophus illustravit etiam Sophist. p. 260. E. sqq. ubi inprimis legenda sunt, quae inde a p. 264. A. disputantur. Enimvero *δόξα* ibi vocatur oratio mente et animo tanquam inclusa. Quae si non relinquitur sola, sed cum sensuum perceptione coniungitur, dicitur visio sive *φαντασία*, quae est quasi sensus et opinionis permixtio quaedam atque coniunctio. Quocirca ad *φαντασίαν* requiritur hoc, ut quis *τὰς τῶν δοξασθέντων καὶ λεχθέντων εἰκόνας* in semet ipso tanquam videat et conspiciat, sicuti hoc loco claris verbis ostenditur. Nam in Sophista res declaratur paullo aliter.

ὃς μετὰ τὸν γραμματιστὴν τῶν λεγ.] Hic *γραμματιστής* vocatur, qui antea dicebatur *γραμματεύς*. Dein iunge *τῶν λεγομένων τούτων εἰκόνας*, h. e. eorum, quae a nobis memorabantur s. dicebantur, imagines. Nam ad *λεγομένων* intelligi licet *ὑφ' ἡμῶν*. Eodem modo accipienda sunt illa p. 46. D. *τὰς τῆς ψώρας λέγομένας νῦν δὴ ταύτας εἶναι*, ubi intellecto *ὑφ' ἡμῶν* magna pars difficultatis, qua locus premitur, protenus evanescit. Pag. 51. E. *ταῦτα εἴδη δύο λεγομένων* (*ὑφ' ἡμῶν*) *ἡδονῶν*. ubi item turbatum est. Theaetet. p. 188. D. *δυνατὸν δὲ ὁτῳοῦν ὃ λέγεται*. sc. *ὑφ' ἡμῶν*. Phaedon. p. 77. D. *ἀποδέδεικται μὲν οὖν, ὅπερ λέγεται, καὶ νῦν*. ubi ad *λέγεται* int. *ὑπ' ἐμοῦ*, quo non perspecto locus misere vexatus est. Phaedon. p. 67. C. plenius, *ὅπερ πάλαι ἐν τῷ λόγῳ*

ΣΩ. Οὐκοῦν αἱ μὲν τῶν ἀληθῶν δοξῶν καὶ λόγων εἰκόνες ἀληθεῖς, αἱ δὲ τῶν ψευδῶν ψευδεῖς;

ΠΡΩ. Παντάπασιν.

ΣΩ. Εἰ δὴ ταῦτ' ὀρθῶς εἰρήκαμεν, ἔτι καὶ τόδε ἐπὶ τούτοις σκεψώμεθα.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Εἰ περὶ μὲν τῶν ὄντων καὶ τῶν γεγονότων ταῦθ' ἡμῖν οὕτω πάσχειν ἀναγκαῖον, περὶ δὲ τῶν μελλόντων οὔ;

ΠΡΩ. Περὶ ἁπάντων μὲν οὖν τῶν χρόνων ὡσαύτως.

D ΣΩ. Οὐκοῦν αἵ γε διὰ τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἡδοναὶ καὶ λῦπαι ἐλέχθησαν ἐν τοῖς πρόσθεν ὡς πρὸ τῶν διὰ τοῦ σώματος ἡδονῶν καὶ λυπῶν προγίγνοιντ' ἄν, ὥσθ' ἡμῖν ξυμβαίνει τὸ προχαίρειν τε καὶ τὸ προλυπεῖσθαι περὶ τὸν μέλλοντα χρόνον εἶναι γιγνόμενον;

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα.

ΣΩ. Πότερον οὖν τὰ γράμματά τε καὶ ζωγραφήματα, ἃ σμικρῷ πρότερον ἐτίθεμεν ἐν ἡμῖν γίγνεσθαι, περὶ μὲν τὸν γεγονότα καὶ τὸν παρόντα χρόνον ἐστί, περὶ δὲ τὸν μέλλοντα οὐκ ἔστιν;

D. *διὰ τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἡδ.*] *αὐτῆς*, quod Ald, Bas. 1, Steph. omittunt, libri praeter Par. EF. tuentur omnes. Tum Bodl. *πρόσθεν ἢ πρόσθεν.*

λυπῶν προγίγνοιντ' ἄν,] *προγίγνοιτ'* Vat, Ven. *ΑΞ*. Par. F. Angel. *πρὸς γίγνοιτ'* Ven. *Π*, et pr. Coisl.

λέγεται. Iam his ita expositis non refutabo falsas loci explicationes, quae sane multiplices sunt atque variae. Hyperbaton nemo, opinor, moleste feret.

E. *Εἰ περὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν γεγ.*] Interrogatio haec obliqua est, quae, licet *Τὸ ποῖον*; interpositum sit, tamen ex praecedenti *τόδε σκεψώμεθα* suspenditur: neque enim usquam *εἰ* in interrogatione recta usurpatur. Prorsus eodem modo Sophist. p. 233. A. ubi v. annot.

D. *Οὐκοῦν αἵ γε διὰ τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἡδοναὶ*] Respicitur ad illa p. 33. C. sqq. p. 34. B. — *ὡς προγίγνοιντ' ἄν*, corporis voluptates ac dolores antecedere *posse*. Phaedon. p. 103. A. *νῦν δέ μοι δοκεῖ, ὅτι τοῦτο οὐκ ἂν ποτε γένοιτο.* Politic. p. 267. E. *ὅτι — διαμάχοιντ' ἄν.* Sed hoc tralaticium. Dein *εἶναι γιγνόμενον* dicitur ut paullo ante:

ΠΡΩ. Σφόδρα γε.

ΣΩ. Ἆρα σφόδρα λέγεις, ὅτι πάντ' ἐστὶ ταῦτ' ἐλπίδες εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον οὖσαι, ἡμεῖς δ' αὖ διὰ παντὸς τοῦ βίου ἀεὶ γέμομεν ἐλπίδων;

ΠΡΩ. Παντάπασι μὲν οὖν.

Cap. XXIV. *ΣΩ.* Ἄγε δή, πρὸς τοῖς νῦν εἰρημένοις καὶ τόδε ἀπόκριναι.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Δίκαιος ἀνὴρ καὶ εὐσεβὴς καὶ ἀγαθὸς πάντως ἆρ' οὐ θεοφιλής ἐστι;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Τί δέ; ἄδικός τε καὶ παντάπασι κακὸς ἆρ' οὐ τοὐναντίον ἐκείνῳ; 40

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Πολλῶν μὴν ἐλπίδων, ὡς ἐλέγομεν ἄρτι, πᾶς ἄνθρωπος γέμει;

ΠΡΩ. Τί δ' οὔ;

ΣΩ. Λόγοι μήν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν;

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Καὶ δὴ καὶ τὰ φαντάσματα ἐζωγραφημέ-

καὶ τὸ προλυπεῖσθαι] τὸ ex Bodl. Vat. Ven. *Π.* additum.

E. *Τί δέ; ἄδικός τις*] δαὶ Vat., ut solet.

P. 40. *ἄνθρωπος γέμει;*] *γέμοι* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

ἢ τοῦτο οὐκ ἔστι γιγνόμενον παρ' ἡμῖν. P. 33. B. ἄσχημον αὐτῶν ἑκάτερον γιγνόμενόν ἐστιν. P. 42. A. ἐν λυπαῖς δ' ἄρα καὶ ἡδοναῖς οὐκ ἔστι ταὐτὸν τοῦτο γιγνόμενον; De Rep. I. p. 374. E. πλείστης ἂν εἴη — ἐπιμελείας — δεόμενον. Gorg. p. 500. C. ἐστὶ διαφέρων.

E. *διὰ παντὸς τοῦ βίου ἀεὶ γεμ. ἐλπ.*] Sic *ἀεὶ διὰ βίου* et *ἀεὶ διὰ βίου παντός* Politic. p. 295. A. Phaedon. p. 75. D. Leg. II. p. 664. A. et supra p. 21. B. p. 22. B.

P. 40. *λόγοι μὴν εἰσιν — ἃς ἐλπίδας ὀνομ.*] De hac attractione pronominis relativi v. ad Phaedr. p. 255. C. Theaet. p. 157. C. et quae supra p. 29. E. scripsimus.

καὶ δὴ καὶ τὰ φαντάσματα ἐζωγρ.] H. e. *τὰ φαντάσματα, ἃ σμικρῷ πρότερον εἰλθεμεν ἐν ἡμῖν γίγνεσθαι*, ut erat supra p. 39. D. Quo modo ubi articulum acceperis, ferri ille uti-

να· καί τις ὁρᾷ πολλάκις ἑαυτῷ χρυσὸν γιγνόμενον ἄφθονον καὶ ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἡδονάς· καὶ δὴ καὶ ἐζωγραφημένον αὐτὸν ἐφ' ἑαυτῷ χαίροντα σφόδρα καθορᾷ.

B *ΠΡΩ. Τί δ' οὔ;*

*ΣΩ. Τούτων οὖν πότερα φῶμεν τοῖς μὲν ἀγαθοῖς ὡς τὸ πολὺ τὰ γεγραμμένα παρατίθεσθαι ἀληθῆ διὰ τὸ θεοφιλεῖς εἶναι, τοῖς δὲ κακοῖς ὡς αὖ * τὸ * πολὺ τοὐναντίον, ἢ μὴ φῶμεν;*

ΠΡΩ. Καὶ μάλα φατέον.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ τοῖς κακοῖς ἡδοναί γε οὐδὲν ἧττον πάρεισιν ἐζωγραφημέναι, ψευδεῖς δὲ αὖταί που.

ΠΡΩ. Τί μήν;

C *ΣΩ. Ψευδέσιν ἄρ' ἡδοναῖς τὰ πολλὰ οἱ πονηροὶ χαίρουσιν, οἱ δ' ἀγαθοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀληθέσιν.*

ΠΡΩ. Ἀναγκαιότατα λέγεις.

ΣΩ. Εἰσὶ δὴ κατὰ τοὺς νῦν λόγους ψευδεῖς ἐν

καὶ δὴ καὶ ἐζωγραφημένον] *ἐνεζωγραφημένον* Bodl. Vat. Ven. *II.* Vereor ut recte: non enim apparet, quae nunc vis et significatio sit verbi compositi; nisi forte in eo latet *ἐπεζωγραφημένον*. Dein Beckius scribi iubebat *αὐτὸν ἐφ' ἑαυτῷ*. recte fortasse. Bodl. *αὐτῷ χαίροντας*.

B. *ὡς αὖ τὸ πολὺ τ.*] *τὸ*, quod libri non habent, inserui de coniectura, quam etiam Turicenses probarunt. Bodl. *ὡς οὐ*

que poterit. Iungenda autem verba sic sunt: *καὶ δὴ καὶ τὰ φαντάσματά εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν* (*ὡς*) *ἐζωγραφημένα*: quod monere placuit, ne quis in verborum collocatione haereat, aut *τὰ* post *φαντάσματα* excidisse opinetur. Dein tres optimi libri habent *καὶ δὴ καὶ ἐνεζωγραφημένον*, quod, etsi per se displicet, tamen fortasse originem duxit ex vera lectione *ἐπεζωγραφημένον*, h. e. et vero etiam *praeterea* pictum semet ipsum conspicatur etc.

B. *ὡς αὖ τὸ πολὺ τοὐν.*] Restitui *τὸ* de coniectura. Nam qui dixerit *ὡς πολύ*, novimus sane neminem. Habent quidem Cratyl. p. 427. A. aliquot libri *ὡς πολύ*, sed plurimi optimique codd. *ὡς τὸ πολύ*. Similis ratio est Legg. X. p. 904. ubi aliquot codd. *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*. Demosthen. Olynth. p. 23. ed. Reisk. *ὡς πολὺ* sic ponitur, ut *πολὺ* ad *ἀσελγεστέρους* comparativum referri oporteat. Sed recte dicitur apud Thucyd. I, 1, 12. *ὡς ἐπὶ πολύ*, ubi improbamus librorum quorundam scripturam *ὡς ἐπὶ το πολύ*.

C. *μεμιμημέναι μέντοι*

ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς ἡδοναί, μεμιμημέναι μέντοι τὰς ἀληθεῖς ἐπὶ τὰ γελοιότερα· καὶ λῦπαι δὲ ὡσαύτως.

ΠΡΩ. Εἰσίν.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἦν δοξάζειν μὲν ὄντως ἀεὶ τῷ τὸ παράπαν δοξάζοντι, μὴ ἐπ' οὖσι δὲ μηδὲ ἐπὶ γεγονόσι μηδ' ἐπ' ἐσομένοις ἐνίοτε.

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Καὶ ταῦτά γε ἦν, οἶμαι, τὰ ἀπεργαζόμενα δόξαν ψευδῆ τότε καὶ τὸ ψευδῶς δοξάζειν. ἦ γάρ; D

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Τί οὖν; οὐκ ἀνταποδοτέον ταῖς λύπαις τε καὶ ἡδοναῖς τὴν τούτων ἀντίστροφον ἕξιν ἐν ἐκείνοις;

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Ὡς ἦν μὲν χαίρειν ὄντως ἀεὶ τῷ τὸ παράπαν ὀρωσοῦν καὶ εἰκῇ χαίροντι, μὴ μέντοι ἐπὶ τοῖς οὖσι μηδ' ἐπὶ τοῖς γεγονόσιν ἐνίοτε, πολλάκις δὲ καὶ

πολύ.

C. *δοξάζειν μὲν ὄντως*] V. *οὕτως*, quod e Bodl. Vat. Ven. *II.* emendatum.

μὴ ἐπ' οὖσι δὲ μ.] Sic Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΣ.* Par. BCFH. Angel. Flor. a. b. c. i. Vitiose vulgo *ἐποῦσι*. Pari vitio dein etiam *ἐπιγεγονόσι* et *ἐπεσομένοις* scribebatur, quod codd. auctoritate emendatum.

τ. ἀλ. ἐπὶ τὰ γελοιότερα] Legg. VII. p. 814. D. E. *τὴν μὲν τῶν καλλιόνων σωμάτων ἐπὶ τὸ σεμνὸν μιμουμένην, τὴν δὲ ἐπὶ τὸ φαῦλον.* Symp. p. 214. E. *ἐπὶ τὰ γελοιότερά με ἐπαινέσεις.* Politic. p. 293. E. *ἐπὶ τὰ αἰσχίονα μεμιμῆσθαι.* Ibid. p. 297. C. *ἐπὶ τὰ αἰσχίω μιμουμένας.* conf. Bastium ad Longin. p. 642. ed. Weisk. Dein *δοξάζειν ὄντως* pro vulg. *δοξάζειν οὕτως* ipsa requirebat sententia; v. p. 37. A. sq. ubi legitur: *τό γε δοξάζειν ὄντως οὐδέποτ' ἀπόλλυται.* quorsum hic respicitur.

D. *τὴν τούτων ἀντίστροφον ἕξιν ἐν ἐκείνοις*] *Ἀντίστροφος ἕξις* est quae alteri tanquam ex altera parte respondet, ut infra p. 51. E. 57. A. Gorg. p. 464. B. p. 465. D. Tim. p. 87. C. ubi etiam *ἀνταποδοῦναι* dicitur, ut hoc loco. Enimvero voluptates eatenus dicuntur opinionibus similes esse et ex altera parte respondere, quod ipsis quoque hoc tribuendum sit, ut quum quis revera (*ὄντως*) gaudeat, tamen gaudeat rebus, quae nullae sint vel fuerint. — *ἐν ἐκείνοις*, sc. *ἐν τῷ δοξάζειν μὲν ὄντως, μὴ ἐπ' οὖσι δέ.*

ἴσως πλειστάκις ἐπὶ τοῖς μηδὲ μέλλουσί ποτε γενήσεσθαι.

E ΠΡΩ. Καὶ ταῦθ' οὕτως ἀναγκαῖον, ὦ Σώκρατες, ἔχειν.

ΣΩ. Οὐκοῦν ὁ αὐτὸς λόγος ἂν εἴη περὶ φόβων τε καὶ θυμῶν καὶ πάντων τῶν τοιούτων, ὡς ἔστι καὶ ψευδῆ πάντα τὰ τοιαῦτα ἐνίοτε;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Τί δέ; πονηρὰς δόξας καὶ χρηστὰς ἄλλως ἢ ψευδεῖς γιγνομένας ἔχομεν εἰπεῖν;

ΠΡΩ. Οὐκ ἄλλως.

ΣΩ. Οὐδ' ἡδονάς γ', οἶμαι, κατανοοῦμεν ὡς

E. ἀναγκαῖον, ὦ Σώκρατες,] Sic Bodl. Vat. Coisl. Ven. Π. pro ὦ Σ. ἀναγκαῖον.

ἄλλως ἢ ψευδεῖς] Marg. Par. F. ἄλλως ἢ ὅτι ἀληθεῖς ἢ ψευδεῖς. v. interpretat.

Οὐδ' ἡδονάς γ', οἶμαι,] γ' debetur Vat. Ven. Π. et corr. Coisl. Legebatur olim δ'.

P. 41. πλὴν τῷ ψευδεῖς εἶναι.] Sic Bodl. Vat. Ven. Π. pro vulg. πλ. τῷ ψευδεῖς γ' εἶναι.

E. Τί δέ; πονηρὰς δόξας καὶ χρηστὰς ἄλλως —] Quid vero? licetne nobis dicere, pravas opiniones atque probas aliter oriri nisi eo, quod falsae exi-stant? Nam constructio verborum haec est: ἔχομεν εἰπεῖν δόξας πονηρὰς καὶ χρηστὰς ἄλλως γιγνομένας ἢ ψευδεῖς (γιγνομένας); In altero membro oppositionis ratio proprie flagitabat, ut adderetur καὶ ἀληθεῖς, quae verba Cornarius atque Stephanus inserenda censuerunt. Desiderarunt etiam alii aliquid ad sententiae veritatem vel integritatem. Ita nos olim verba καὶ χρηστάς eiicienda censuimus. Schleiermacherus vero ex vestigiis scripturae cod. Par. F. ἢ ὅτι ἀληθεῖς ἢ ψευδεῖς extudit hanc lectionem: ἄλλως ἢ ἀληθεῖς καὶ ψευδεῖς γ. Vereor tamen nunc ut locus mutatione indigeat. Nam Socrates de pravis tantum voluptatibus verba facturus, ut res fert, etiam πονηρὰς δόξας inprimis respicit, τὰς χρηστὰς δόξας tanquam in transitu memorat, veluti per transennam significans earum quoque rationem haberi posse. Quocirca in altero membro orationis quod addi poterat καὶ ἀληθεῖς, id silentio transmittit, et tantummodo ad πονηρὰς δόξας refert istud ἢ ψευδεῖς. Veram esse hanc loci expediendi rationem ipsa haec verborum collocatio testatur: πονηρὰς δόξας καὶ χρηστάς. Aliter res se habitura esset hoc ordine verborum: πονηρὰς καὶ χρηστὰς δόξας κ. τ. λ. Contulisse non poenitebit quae

ἄλλον τινὰ τρόπον εἰσὶ πονηραὶ πλὴν τῷ ψευδεῖς 41
εἶναι.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν τοὐναντίον, ὦ Σώκρατες, εἴρηκας. σχεδὸν γὰρ τῷ ψεύδει μὲν οὐ πάνυ πονηρὰς ἄν τις λύπας τε καὶ ἡδονὰς θείη, μεγάλῃ δὲ ἄλλῃ καὶ πολλῇ συμπιπτούσας πονηρίᾳ.

ΣΩ. Τὰς μὲν τοίνυν πονηρὰς ἡδονὰς καὶ διὰ πονηρίαν οὔσας τοιαύτας ὀλίγον ὕστερον ἐροῦμεν, ἂν ἔτι δοκῇ νῷν· τὰς δὲ ψευδεῖς ἔτι κατ' ἄλλον τρόπον ἐν ἡμῖν πολλὰς καὶ πολλάκις ἐνούσας τε καὶ ἐγγιγνομένας λεκτέον. τοῦτῳ γὰρ ἴσως χρησόμεθα Β
πρὸς τὰς κρίσεις.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔκ; εἴπερ γε εἰσίν.

λύπας τε καὶ ἡδονὰς θείη] τε om. Bodl. Vat. Ven. *Π.* Dein Bodl. *μεγάλῃ δὲ καὶ π.*

ὕστερον ἐροῦμεν] *ὑστεροῦμεν* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. Iidem dein *ἔτι* om.

Β. ἴσως χρησόμεθα] *χρησώμεθα* pr. Vat. cum Ven. *Ξ.* Par. F.

Β. εἴπερ γε εἰσίν.] *γε* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.*

in simili caussa ad p. 17. A. commentati sumus.

P. 41. *Πάνυ μὲν οὖν τοὐναντίον — εἴρηκας.*] Imo vero contrarium omnino dixisti, nimirum eius, quod dicendum erat. Nam ita haec intelligenda esse, proxima Protarchi verba evincunt, in quibus haec inest sententia: nam falsitate haud sane quisquam pravos dolores et gaudia esse posuerit, sed quia cum alia magna et multiplici pravitate coniuncti sunt. Negat igitur Protarchus pravas voluptates existere falsitate, quippe quae ex aliis potius vitiis et erroribus nascantur, in eaque re ad commune hominum iudicium provocat. Quo facto Socrates: De pravis igitur voluptatibus etiam per pravitatem nec τῷ ψεύδει nascentibus paullo post dicemus, siquidem ita nobis adhuc videatur. In quibus quod *ἐροῦμεν τὰς ἡδονὰς* dictum est pro *ἐροῦμεν περὶ τῶν ἡδονῶν*, multa id genus exempla attulimus ad Apol. Socr. p. 23. A.

τὰς δὲ ψευδεῖς ἔτι κατ' ἄλλον τρόπον] Alio argumento docere instituit, voluptates ac dolores etiam falsos reperiri. Recipiunt utrique hi affectus, inquit, sicuti antea demonstratum est, *τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον*. Iam vero, quum illi nos eodem saepe tempore afficiant atque moveant, fieri non potest, quin nostro de iis iudicio fallamur saepissime. Quemadmodum enim aliter iudicamus de rebus e longinquo conspectis,

ΣΩ. Ἀλλ', ὦ Πρώταρχε, εἰσὶ κατά γε τὴν ἐμήν. τοῦτο δὲ τὸ δόγμα ἕως ἂν κέηται παρ' ἡμῖν, ἀδύνατον ἀνέλεγκτον δήπου γίγνεσθαι.

ΠΡΩ. Καλῶς.

Cap. XXV. *ΣΩ. Προϊστώμεθα δὴ καθάπερ ἀθληταὶ πρὸς τοῦτον αὖ τὸν λόγον.*

ΠΡΩ. Ἴωμεν.

ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν εἴπομεν, εἴπερ μεμνήμεθα, ὀλίγον ἐν τοῖς ἔμπροσθεν, ὡς, ὅταν αἱ λεγόμεναι ἐπιθυμίαι ἐν ἡμῖν ὦσι, δίχα ἄρα τότε τὸ σῶμα καὶ χωρὶς τῆς ψυχῆς τοῖς παθήμασι διείληπται.

ΠΡΩ. Μεμνήμεθα, καὶ προερρήθη ταῦτα.

ΣΩ. Οὐκοῦν τὸ μὲν ἐπιθυμοῦν ἦν ἡ ψυχὴ τῶν τοῦ σώματος ἐναντίων ἕξεων, τὸ δὲ τὴν ἀλγηδόνα ἤ τινα διὰ πάθος ἡδονὴν τὸ σῶμα ἦν τὸ παρεχόμενον;

τοῦτο δὲ τὸ δόγμα] Ven. *Σ.* corr. *δεῖ ψῆφον τίθεσθαι τοῦτο τὸ δόγμα.* Idem deinde: *ἀνέλεγκτον ἀδύνατον δήπου τὰς κρίσεις ἡμῖν εὖ γίγνεσθαι.*

Προϊστώμεθα δή] *περιστώμεθα* Bodl. Vat. *περιστάμεθα* Ven. *Π.* interpretat.

ἐν τοῖς ἔμπροσθεν] *πρόσθεν* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

C. *ὡς ὅταν αἱ λεγόμεναι ἐπ.*] V. *ἕως αἱ λ.* Recte iam

aliter de iis, quae cominus conspiciuntur: ita etiam voluptates ac dolores, prouti vel longius vel propius inter se distant, modo maiores modo minores videbuntur. Accedit huc, quod voluptas omnis oritur ex corporis quibusdam mutationibus. Hae vero interdum adeo sunt exiles atque parvae, ut omnino non sentiantur. Unde fieri non potest, quin falsae oriantur voluptates. Saepenumero etiam iucundam putamus doloris absentiam. Qui est error gravissimus. Nam ad voluptatem non una sufficit vacuitas doloris; debet ad eam etiam hoc accedere, ut iucundi quid percipiamus. De postrema sententia v. Reip. IX. p. 582. A. sqq. Tim. p. 64 sqq.

B. *εἰσὶ κατά γε τὴν ἐμήν.*] Int. *γνώμην*, ut Reipubl. III. p. 397. D. Politic. p. 277. A. Ibid. p. 291. C. Legg. II. p. 653. C. IX. p. 862. A. Ellipsin illustrarunt intpp. Gregor. Corinth. p. 11 sq. et Heusdius Specim. Crit. p. 102.

τοῦτο δὲ τὸ δόγμα — γίγνεσθαι.] Haec sententia, qua voluptates iudicantur non posse falsae existere, quamdiu nobis adhuc perstat, fieri non potest quin exploranda et redarguenda sit.

Προϊστώμεθα δὴ καθάπερ ἀθληταὶ πρ.] Accedamus igitur tanquam athletae quidam rursus ad hanc disputationem, no-

ΠΡΩ. Ἦν γὰρ οὖν.

ΣΩ. Συλλογίζου δὴ τὸ γιγνόμενον ἐν τούτοις.

ΠΡΩ. Λέγε.

ΣΩ. Γίγνεται τοίνυν, ὁπόταν ᾖ ταῦθ', ἅμα D παρακεῖσθαι λύπας τε καὶ ἡδονάς, καὶ τούτων αἰσθήσεις ἅμα παρ' ἀλλήλας ἐναντίων οὐσῶν γίγνεσθαι, ὃ καὶ νῦν δὴ ἐφάνη.

ΠΡΩ. Φαίνεται γοῦν.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ τόδε εἴρηται καὶ συνωμολογημένον ἡμῖν ἔμπροσθεν κεῖται;

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ὡς τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἅμφω τούτω δέχεσθον, λύπη τε καὶ ἡδονή, καὶ ὅτι τῶν ἀπείρων εἴτην.

ΠΡΩ. Εἴρηται· τί μήν;

Bas. 2. *ὡς ὅταν αἱ λ.* quod plurimi codd. cum Bodl. Vat. Venetis confirmant, etiamsi quidam eorum *ἕως ὅταν αἱ λ.* scriptum exhibent. *τῶν τοῦ σώματος*] *τὴν τοῦ σ.* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. *τὸ δὲ τὴν ἀλγηδόνα*] Pro *τὸ δὲ* Bodl. et pr. Vat. Ven. *Π. τοὺς τὴν.* Iidem pro *πάθος* habent *πλῆθος.* Sed pro vulg. *παραδεχόμενον* verissimam obtulerunt lectionem *παρεχόμενον.*

D. *τῶν ἀπείρων εἴτην*] V. *ἦτην*, libris mss. omnibus refragantibus. Paullo ante *οὐκοῦν* Bodl. ante *καὶ τόδε εἴρηται* om.

vum certamen ingressuri. Sic enim nunc haec intelligenda censemus, quae olim secus accepimus. Nam *προσίστασθαι* est aggredi, ordiri, suscipere. Suscipitur autem haec disputatio, ut adversus alteram sententiam pugnetur.

ὀλίγον ἐν τοῖς ἔμπροσθεν] P. 34. B. sqq.

C. *Οὐκοῦν τὸ μὲν ἐπιθυμοῦν — ἕξεων*] Sic De Rep. II. p. 608. E. *τὸ μὲν ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον πᾶν τὸ κακὸν εἶναι, τὸ δὲ σῶζον καὶ ὠφελοῦν τὸ ἀγαθόν.* Sed hic quidem articuli usus nihil habet, quod quis miretur. Magis haereas in verbis: *τὸ δὲ τὴν ἀλγηδόνα — τὸ σῶμα ἦν τὸ παρεχόμενον*, ubi eundem habes ter positum, quum bis esset ponendus. Est enim iunctura verborum haec: *τὸ δὲ παρεχόμενον — τὸ σῶμα ἦν.* Quocirca facile aliquis in eam deveniat opinionem, ut *τὸ* ante *παρεχόμενον* eliminandum statuat. Excusavit tamen eius repetitionem prudentissime Aug. Matthiae Gr. Gr. §. 279. ann. 3. p. 729. ed. 3. verborum collocationem ostendens eam esse, quae repetitionem istam facillime potuerit efficere. Hanc enim viri praestantissimi sententiam fuisse arbitramur. Praeterea *τῶν τοῦ σώματος ἐναντίων ἕξεων* dictum pro *τῶν ἐναντίων ἕξεων τῶν τοῦ σώματος*, quod ex illa breviloquentia explicandum, de qua diximus ad p. 34. C. *Ἵνα πῃ*

ΣΩ. Τις οὖν μηχανὴ ταῦτ' ὀρθῶς κρίνεσθαι;
E ΠΡΩ. Πῇ δὴ καὶ πῶς;
ΣΩ. Εἰ τὸ βούλημα ἡμῖν τῆς κρίσεως τούτων ἐν τοιούτοις τισὶ διαγνῶναι βούλεται ἑκάστοτε, τίς τούτων πρὸς ἀλλήλας μείζων καὶ τίς ἐλάττων καὶ τίς μᾶλλον καὶ τίς σφοδροτέρα, λύπη τε πρὸς ἡδονὴν καὶ λύπη πρὸς λύπην καὶ ἡδονὴ πρὸς ἡδονήν.
ΠΡΩ. Ἀλλ' ἔστι ταῦτά τε τοιαῦτα καὶ ἡ βούλησις τῆς κρίσεως αὕτη.
ΣΩ. Τί οὖν; ἐν μὲν ὄψει τὸ πόρρωθεν καὶ
42 ἐγγύθεν ὁρᾶν τὰ μεγέθη τὴν ἀλήθειαν ἀφανίζει καὶ

E. *Πῇ καὶ πῶς;*] Heindorfius coni. *Ποῖα*, probante Bekkero. Sed mutatione non opus. v. interpretat. Vat., teste Bastio, habet *πῇ δὴ: καὶ πῶς:*

τίς μᾶλλον] *τί* Angel. Dein *σφοδρότερα* Coisl.

ἐν μὲν ὄψει] Sic cum editt. vett. corr. Vat. Ven. *Π.* In Bodl. est *ἐσμέν.*

P. 42. *ψευδῆ ποιεῖ*] *ποιεῖν* Bodl. Mox *τοῦτο τὸ γιγν.* Coisl.

τὴν ψυχῆς ἡδονὴν χωρὶς σώματος λάβοιμεν.

D. *Τὶς οὖν μηχανὴ — κρίνεσθαι;*] Scripsi *Τὶς* pro vulg. *Τίς.* Nam hoc quaerit: Ecquae igitur suppetit haec recte diiudicandi ratio? non illud sciscitatur, quaenam ista iudicandi ratio sit. v. Hermann. ad Viger. p. 730. Dein pro *Πῇ δὴ καὶ πῶς;* Bekkerus de coniectura Heindorfii et Schleiermacheri scripsit *Ποῖα δὴ καὶ πῶς;* quod nos quoque olim amplexi sumus. Nunc re diligentius perpensa librorum scripturam servari posse censemus. Nam pertinet istud *Πῇ καὶ πῶς;* ad praegressum *τὶς οὖν μηχανή*, ut ad hanc ipsam interrogationem intelligi liceat: *μηχανή τίς ἐστι ταῦτα κρίνεσθαι.* Ne autem in hac formula tanquam pleonastica haereas, v. ad Phaedon. p. 78. D. Germanice dixeris: auf welche *Art* und *Weise*? Iam vero nemo quisquam de interpretatione proximorum verborum: *Εἰ τὸ βούλημα βούλεται ἑκάστοτε*, dubitabit. Nam *εἰ* in his non interrogative accipiendum, sed condicionem significat, quae ex *ἐστί τις μηχανή* supensa est, quod apud animum ex superioribus repetas. Suppetit vero haec iudicandi ratio aliqua, inquit, si consilium haec iudicandi eo refertur, ut semper in talibus discernere velimus, quaenam ex iis inter se collatis maior sit, quae minor etc. Verum in his ipsis rursus inesse visa est ingens difficultas. Offendit enim Schleiermacherum adverbium *μᾶλλον* sic compluribus adiectivis interpositum; a quo inducti olim post *μᾶλλον* adiectivum aliquod excidisse suspicati sumus. Sed mentem nos postea mutasse dudum ad Phaedon. p. 93. B. significavimus,

ψευδῆ ποιεῖ δοξάζειν, ἐν λύπαις δ' ἄρα καὶ ἡδοναῖς οὐκ ἔστι ταὐτὸν τοῦτο γιγνόμενον;

ΠΡΩ. Πολὺ μὲν οὖν μᾶλλον, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Ἐναντίον δὴ τὸ νῦν τῷ σμικρὸν ἔμπροσθεν γέγονεν.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον λέγεις;

ΣΩ. Τότε μὲν αἱ δόξαι ψευδεῖς τε καὶ ἀληθεῖς αὗται γιγνόμεναι τὰς λύπας τε ἅμα καὶ ἡδονὰς τοῦ παρ' αὐταῖς παθήματος ἀνεπίμπλασαν.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα. B

ΣΩ. Νῦν δέ γε αὐταὶ διὰ τὸ πόῤῥωθέν τε καὶ

Ἐναντίον δὴ τὸ νῦν —] Haec in Ald. et Steph. sic descripta leguntur: — *ὦ Σώκρατες, ἐναντίον δὴ* —. *ΣΩ. Το ποῖον; ΠΡΩ. Τότε μὲν κ. τ. λ.* Recte iam Ficinus et editt. Bas. 1. 2., quibuscum plurimi codd. mss. consentiunt. Pro *ἔμπροσθεν* Coisl., ut fere semper, *ἔμπροσθε*; hic cum eo, quod raro faciunt, etiam Vat. et Ven. *Π.* consentiunt.

αὗται γιγνόμεναι] Coisl. *αὖτε.*

ubi hoc *μᾶλλον* docuimus interpretandum esse „in höherem Grade" atque exempla huius consociationis adverbiorum cum adiectivis complura attulimus. Pertinet huc, quod supra p. 93. B. legimus *σφόδρα γίγνονται*, et p. 61. D. *ἦν ἡμῖν ἡδονή τε ἀληθῶς — μᾶλλον ἑτέρας ἄλλη.* Phaedon. p. 93. B. *μᾶλλόν τε ἂν ἁρμονία εἴη καὶ πλείων — ἧττόν τε καὶ ἐλάττων.* Protagor. p. 356. A. *γιγνόμενα πλείω καὶ ἐλάττω καὶ μᾶλλον καὶ ἧττον.* Ibid. p. 357. A. *τοῦ — σμικροτέρου καὶ ποῤῥωτέρω καὶ ἐγγυτέρω.* Ibid. p. 355. E. Politic. p. 276. B. *ἐπιμέλεια δέ γε ἀνθρωπίνης ἐνμπάσης κοινωνίας οὐδεμία ἂν ἐθελήσειεν ἑτέρα μᾶλλον καὶ πρωτέρα τῆς βασιλικῆς φάναι — εἶναι τέχνη.* ubi item frustra turbatum est. Hipp. mai. p. 299. D. *εἰ μεῖζον τις ἡδονὴ ἢ ἐλάττων ἢ μᾶλλον ἢ ἧττόν ἐστιν.* Sic De Rep. IX. p. 585. C. *τὸ τοῦ ἀεὶ ὁμοίου ἐχόμενον — μᾶλλον εἶναί σοι δοκεῖ* recte videmur explicasse *πλέον οὐσίας ἔχειν.* Nimirum iunguntur haec adverbia cum *εἶναι* et *γίγνεσθαι*, eadem lege, qua alias quoque fieri solere exploratum habetur. conf. Bernhardy Syntax. p. 337. qui tamen hoc loco perperam ad *μᾶλλον* intelligi vult *οὖσα.* et Matthiae Gr. §. 309. n. 10. quamquam nec hi, quae inter se diversa sunt, accurate in genera sua distribuerunt.

P. 42. *ἐν μὲν ὄψει τὸ πόῤῥωθεν καὶ ἐγγύθεν*] Rem eodem modo illustrat philosophus in Sophist. p. 235. A. sqq. Protag. p. 355. E. sqq. ubi etiam eadem utitur comparatione, quam Phaedon. p. 102. A. in alia caussa adhibuit; conf. De Rep. X. p. 602. B. sqq.

Τότε μὲν αἱ δόξαι — ἀληθεῖς αὗται γιγν.] Recte hic *αὗται*, quod nec codicum mss. testimonis adversatur. De eius

ἐγγύθεν ἑκάστοτε μεταβαλλόμεναι θεωρεῖσθαι, καὶ ἅμα τιθέμεναι παρ' ἀλλήλας, αἱ μὲν ἡδοναὶ παρὰ τὸ λυπηρὸν μείζους φαίνονται καὶ σφοδρότεραι, λῦπαι δ' αὖ διὰ τὸ παρ' ἡδονὰς τοὐναντίον ἐκείναις.

ΠΡΩ. Ἀνάγκη γίγνεσθαι τὰ τοιαῦτα διὰ ταῦτα.

ΣΩ. Οὐκοῦν, ὅσῳ μείζους τῶν οὐσῶν ἑκάτεραι καὶ ἐλάττους φαίνονται, τοῦτο ἀποτεμόμενος ἑκατέρων, τὸ φαινόμενον, ἀλλ' οὐκ ὄν, οὔτε αὐτὸ ὀρθῶς φαινόμενον ἐρεῖς, οὐδ' αὖ ποτὲ τὸ ἐπὶ τούτῳ μέρος τῆς ἡδονῆς καὶ λύπης γιγνόμενον ὀρθόν τε καὶ ἀληθὲς τολμήσεις λέγειν.

ΠΡΩ. Οὐ γὰρ οὖν.

ΣΩ. Τούτων τοίνυν ἑξῆς ὀψόμεθα, ἐὰν τῇδε ἁπαντῶμεν ἡδονὰς καὶ λύπας ψευδεῖς ἔτι μᾶλλον ἢ ταύτας φαινομένας τε καὶ οὔσας ἐν τοῖς ζώοις.

ΠΡΩ. Ποίας δὴ καὶ πῶς λέγεις;

λύπας τε ἅμα καὶ ἡδονὰς] Bodl. Vat. Ven. *Π.* λύπας τε καὶ ἡδονὰς ἅμα. Supra c. 21. λυπεῖταί τε ἅμα καὶ χαίρει. Legg. I. p. 626. E. αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον. Ibid. 634. B. Soph. Philoct. v. 773.

ἀποτεμόμενος ἑκατέρων] Libri ἑκάτερον. Emendavit Schleiermacher.

C. τὸ ἐπὶ τούτῳ μέρος] V. τοῦτο, quod e Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΠΣ*. Coisl. Par. BCFH. Angel. emendatum.

τολμήσεις λέγειν] τολμήσειε Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat.

ἑξῆς ὀψόμεθα] V. ὀψώμεθα, praeter fidem codd. longe

usu v. ad Charm. p. 163. C. Sed mox αὐταί est in se seorsum, per se ipsae; — τοῦ παρ' αὐταῖς παθήματος, nam falsitate aut veritate etiam voluptates replere videbantur.

Οὐκοῦν, ὅσῳ μείζους τῶν οὐσῶν —] Quocirca, quanto maiores utraeque et minores videntur, quam revera sunt, tantumdem ab utrisque resecans, videlicet illud, quod videtur, non est, neque ipsum hoc (sc. τὸ φαινόμενον, quo efficitur, ut voluptates maiores aut minores videantur) recte videri dices, neque eam, quae in eo inest, voluptatis ac doloris partem rectam et veram appellare unquam audebis. In his τῶν οὐσῶν est ἢ ὄντως εἰσίν. Pro vulg. ἑκάτερον, quod codd. omnes tuentur, recte Schleiermacherus ἑκατέρων restituendum vidit, idque Bekkerus quoque revocavit, tacens ille tamen de codicibus suis. Nostri quidem cum Bodl. et Vat., quem a Bastio collatum habemus, ἑκάτερον tenent pertinaciter. De οὐδ' αὖ post οὔτε illato v. ad p. 22. E.

C. Τούτων τοίνυν ἑξῆς ὀψόμεθα —] De ἑξῆς cum

Cap. XXVI. ΣΩ. *Εἰρηταί που πολλάκις, ὅτι τῆς φύσεως ἑκάστων διαφθειρομένης μὲν συγκρίσεσι καὶ διακρίσεσι καὶ πληρώσεσι καὶ κενώσεσι καί τισιν* D *αὔξαις καὶ φθίσεσι λῦπαί τε καὶ ἀλγηδόνες καὶ ὀδύναι καὶ πάνθ', ὁπόσα τοιαῦτ' ὀνόματ' ἔχει, ξυμβαίνει γιγνόμενα.*

ΠΡΩ. *Ναί, ταῦτ' εἴρηται πολλάκις.*

ΣΩ. *Εἰς δέ γε τὴν αὐτῶν φύσιν ὅταν καθιστῆται, ταύτην αὖ τὴν κατάστασιν ἡδονὴν ἀπεδεξάμεθα παρ' ἡμῶν αὐτῶν.*

ΠΡΩ. *Ὀρθῶς.*

ΣΩ. *Τί δ', ὅταν περὶ τὸ σῶμα μηδὲν τούτων γιγνόμενον ἡμῶν ᾖ;*

ΠΡΩ. *Πότε δὲ τοῦτ' ἂν γένοιτ', ὦ Σώκρατες;*

ΣΩ. *Οὐδὲν πρὸς λόγον ἐστίν, ὦ Πρώταρχε, ὃ* E *σὺ νῦν ἤρου τὸ ἐρώτημα.*

---

plurimorum eorundemque praestantissimorum. Post *ἀπαντῶμεν* sustuli interpunctionem omnibus editt. communem. v. interpretat.

καὶ διακρίσεσι] Desunt haec in Bodl. Vat. Ven. *II.* errore.

D. *καί τισιν αὔξαις*] V. *αὔξεσι*, quod soli Par. EF. tuentur. At debebat esse *αὐξήσεσιν*. Nam utraque haec forma Platoni usitata est, v. Legg. X. p. 897. A. Reip. VIII. p. 546. B. 521. E. 528. B. Legg. VI. 783. A. 788. D. 815. E. 894. A. 947 E. Tim. 44. B.

E. *Οὐδὲν πρὸς λόγον ἐστίν.*] *ἐστίν* addunt Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ*. Coisl. Par. BCH. Ang. Vulgo aberat.

genitivo constructo conf. annot. ad p. 34. E. Dein post *ἀπαντῶμεν* editt. omnes, etiam Turicensis, commate distinguunt. Prave; nam accusativus *ἡδονὰς καὶ λύπας* ex *ἀπαντῶμεν* pendet, quod cum eo casu iungitur ideo, quia repericndi notionem adiunctam habet. Disputavit de hoc constructionis genere Lobeckius ad Sophocl. Aiac. v. 802. p. 351. ubi *ἀντιᾶν*, *ἀντιάζειν*, *ὑπαντιάζειν* sic ab Herodoto, Plutarcho, Philone, aliis, usurpatum esse demonstravit; ipsum autem hoc *ἀπαντᾶν* cum accusativo constructum reperiri ostendit apud Plutarch. Lucull. T. I. p. 501. Menand. Eclog. Legg. p. 88. et Appian. Civ. V, 45. *ἄσπονδόν σε κατιόντα ἀπήντησα τῶν ἐρυμάτων ἔτι ἐκτὸς ὄντα.* ubi rem sinistre administravit Schweighäuser. His igitur exemplis vir eximius nunc Platonis locum adiiciet, cuius non immemor fuit A. Matthiae Gramm. Gr. §. 411. 5. ann. 1. p. 918. ed. 3.

Εἰρηταί που πολλάκις,] V. p. 31. C. sqq. Tim. p. 64. A. sq. De Rep. IX. p. 583. C. sqq.

E. *Οὐδὲν πρὸς λόγον — ἐρώτημα*] V. ad p. 18. D. ubi Socrates: *τί πρὸς ἔπος αὖ ταῦτ'*

ΠΡΩ. Τί δή;

ΣΩ. Διότι τὴν ἐμὴν ἐρώτησιν οὐ κωλύει ἐμὲ διερέσθαι σε πάλιν.

ΠΡΩ. Ποίαν;

ΣΩ. Εἰ δ' οὖν μὴ γίγνοιτ', ὦ Πρώταρχε, φήσω, τὸ τοιοῦτον, τί ποτε ἀναγκαῖον ἐξ αὐτοῦ συμβαίνειν ἡμῖν;

ΠΡΩ. Μὴ κινουμένου τοῦ σώματος ἐφ' ἑκάτερα φῄς;

ΣΩ. Οὕτως.

ΠΡΩ. Δῆλον δὴ τοῦτό γε, ὦ Σώκρατες, ὡς οὔτε ἡδονὴ γίγνοιτ' ἂν ἐν τῷ τοιούτῳ ποτὲ οὔτ' ἄν τις λύπη.

43 *ΣΩ.* Κάλλιστ' εἶπες. ἀλλὰ γάρ, οἶμαι, τόδε λέγεις, ὡς ἀεί τι τούτων ἀναγκαῖον ἡμῖν ξυμβαίνειν, ὡς οἱ σοφοί φασιν· ἀεὶ γὰρ ἅπαντα ἄνω τε καὶ κάτω ῥεῖ.

οὐ κωλύει ἐμὲ διερέσθαι] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vett. editt. οὐ κωλύσεις με δ.

P. 43. ἡμῖν ξυμβαίνειν] V. ξυμβαίνει, praeter auctoritatem codicum mss.

φῶμεν πρὸς τούτους] τούτοις Vat. Ven. *Π.*

B. πάντα ὁπόσα π.] πάνθ' Coisl., ut solet fere ubique apo-

ἐστίν — τί δή;] i. q. διὰ τί δή; — Dein pro vulgato οὐ κωλύσεις με ex codd. optimis οὐ κωλύει με dedimus, ut intelligatur τὸ σὸν ἐρώτημα.

Εἰ δ' οὖν μὴ γίγνοιτ',] Hoc δ' οὖν ne mireris, frequens illud est in epanalepsi. v. Gorg. p. 513. D. Cratyl. p. 415. C. Tim. p. 28. B. ibique annot. — ἐφ' ἑκάτερα, in alterutram partem. Tum ἐν τῷ τοιούτῳ rursus est in tali statu et condicione. De ἄν in οὔτε — οὔτε repetito v. ad Gorg. p. 475. E.

P. 43. ἀεὶ γὰρ ἅπαντα — ῥεῖ.] Tangit Heracliteos, de quibus v. Phaedon. p. 89. et 90. Theaet. p. 179. E. sqq. Sophist. p. 249. C. sqq. Cratyl. p. 402. A. ibique ann.

ἀλλὰ γὰρ ὑπεκστῆναι τὸν λόγον.] Nolle sese ait de hac eorum ratione disceptare, sed rem brevi praecidendam arbitratur, dum iis respondeatur: ταῦτα μὲν τοίνυν οὕτως ἔστω, quae fuit formula, qua disputationi finis imponebatur atque sermo paucis concludebatur. Verbum ὑπεκστῆναι cum accusativo iunctum illustravit Lobeckius ad Soph. Aiac. v. 82. φρονοῦντα γάρ νιν οὐκ ἄν

ΠΡΩ. Λέγουσι γὰρ οὖν, καὶ δοκοῦσί γε οὐ φαύλως λέγειν.

ΣΩ. Πῶς γὰρ ἂν μὴ φαῦλοί γε ὄντες; ἀλλὰ γὰρ ὑπεκστῆναι τὸν λόγον ἐπιφερόμενον τοῦτον βούλομαι. τῇδ' οὖν διανοοῦμαι φεύγειν, καὶ σύ μοι ξύμφευγε.

ΠΡΩ. Λέγε ὅπῃ.

ΣΩ. Ταῦτα μὲν τοίνυν οὕτως ἔστω, φῶμεν πρὸς τούτους. σὺ δ' ἀπόκριναι· πότερον ἀεὶ πάντα B *ὁπόσα πάσχει τι τῶν ἐμψύχων, ταῦτ' αἰσθάνεται τὸ πάσχον, καὶ οὔτ' αὐξανόμενοι λανθάνομεν ἡμᾶς αὐτοὺς οὔτε τι τῶν τοιούτων οὐδὲν πάσχοντες, ἢ πᾶν τοὐναντίον; ὀλίγου γὰρ τά γε τοιαῦτα λέληθε πάνθ' ἡμᾶς;*

ΠΡΩ. Ἅπαν δήπου τοὐναντίον.

ΣΩ. Οὐ τοίνυν καλῶς ἡμῖν εἴρηται τὸ νῦν δὴ ῥηθέν, ὡς αἱ μεταβολαὶ κάτω τε καὶ ἄνω γιγνόμεναι λύπας τε καὶ ἡδονὰς ἀπεργάζονται.

stropho uti, ubi reliqui libri aliter. Sed hoc semel attigisse satis erit. Pro *ὁπόσα*, quod debetur Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΠ.* Coisl. Par. BCFH. Angel. Flor. a. b. c. i., vulgo scribebatur *ὅσα*.

Ἅπαν δήπου τοὐναντίον.] Desunt haec in Bodl. Vat. Ven. *Π.* Pro *δήπου*, quod Coisl. Ven. *ΑΞΣ.* Paris. BCFH. Ang. Flor. a. b. c. i. tuentur, olim scribebatur perperam *δή μου*.

ἐξέστην ὄκνῳ. et A. Matthiae Gr. §. 393. p. 886. ed. 3. Eodem modo Phaedon. p. 108. B. *ὑπεκτρέπεσθαί τινα* dictum. Apparet vero *ἐπιφερόμενον* sic intelligi oportere, ut *ὁ λόγος* dicatur adversus ipsum irruere. Nam ita demum, quorsum et *ὑπεκστῆναι* et *φεύγειν* istud pertineat, intelligi potest. v. Fischer. ad Phaedon. p. 430. et locum De Rep. IV. p. 422. B. Ceterum verba sic iungenda sunt: *ἀλλὰ γὰρ βούλομαι τὸν λόγον τοῦτον ὑπεκστῆναι ἐπιφερόμενον*, h. e. *ὅτε ἐπιφέρεται*. De Rep. p. 452. B. *ὅσα καὶ οἷα ἂν εἰποιεν εἰς τὴν τοιαύτην μεταβολὴν γενομένην.* Sic etiam mox C. *αἱ μεταβολαὶ κάτω τε καὶ ἄνω γιγνόμεναι λύπας τε καὶ ἡδονὰς ἀπεργάζονται.* Sed conf. ann. ad p. 20. B.

B. *ὀλίγου γὰρ τά γε τοιαῦτα — ἡμᾶς;*] Referenda haec sunt ad id, quod postremo dixit, *ἢ πᾶν τοὐναντίον*, quippe quod vult ab altero affirmari. Hoc non perspecto critici, qui tres codd. primarios recensuerunt, festinato iudicio Protarchi responsionem, *Ἅπαν δήπου τοὐναντίον*, protenus extruserunt. Mox *Τί μήν*; sic dicitur, ut intelligendum sit: *οὐ καλῶς ἡμῖν εἴρηται.* Affirmatur igitur sententia negans.

ΠΡΩ. Τί μήν;

C *ΣΩ. Ὧδ' ἔσται κάλλιον καὶ ἀνεπιληπτότερον τὸ λεγόμενον.*

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Αἱ μὲν μεγάλαι μεταβολαὶ λύπας τε καὶ ἡδονὰς ποιοῦσιν ἡμῖν, αἱ δ' αὖ μέτριαί τε καὶ σμικραὶ τὸ παράπαν οὐδέτερα τούτων.

ΠΡΩ. Ὀρθότερον οὕτως ἢ ἐκείνως, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ ταῦτα οὕτω, πάλιν ὁ νῦν δὴ ῥηθεὶς βίος ἂν ἥκοι.

ΠΡΩ. Ποῖος;

ΣΩ. Ὃν ἄλυπόν τε καὶ ἄνευ χαρμονῶν ἔφαμεν εἶναι.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα λέγεις.

C. *Αἱ μὲν μεγάλαι μεταβολαὶ*] Bodl. Vat. Ven. *Π.* ante *αἱ* addunt *ὡς*, quod Bekker. aliique receperunt; non probo. Mox Bodl. *ἀνήκοι.*

D. *Οὐκ ἄλλως —*] *οὐ καλῶς* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. Dein *ἢ* om. Ven. *Π.* et pr. Vat. cum Bodl.

C. *καὶ ἀνεπιληπτότερον*] ita, ut minus possit reprehendi. Nam *ἐπιλαμβάνεσθαί τινος* eo sensu frequens. Sed hoc in vulgus notum. Dein Bekkerus aliique ex Bodl. et duobus libris cum eo fere consp irantibus scripserunt *Ὡς αἱ μὲν μεγάλαι μεταβολαί.* Sed istud *ὡς* unde pendeat, nihil videmus, siquidem ex *τὸ λεγόμενον* suspensum esse non potest. Itaque illud praepostera crisi ab iis additum esse suspicamur, qui orationem rectam *Αἱ μὲν μέγαλαι κ. τ. λ.* aegre ferrent. De *οὐδέτερα* v. ad Protag. p. 334. A. Eodem modo statim post *μηδέτερα* dicitur absolute.

Ἐκ δὴ τούτων τιθῶμεν —] *Secundum haec* igitur ponamus tria vitae genera.

D. *Οὐκοῦν οὐκ ἂν εἴη τὸ μὴ λυπεῖσθαι —*] Itaque nunquam vacuitas doloris idem erit quod gaudere. Observatione dignum est *οὐκοῦν* subiuncto *οὐκ* usurpatum. Similiter Phaedon. p. 68. C. *οὐκοῦν καὶ ἡ σωφροσύνη, ἣν καὶ οἱ πολλοὶ ὀνομάζουσι σωφροσύνην, τὸ περὶ τὰς ἐπιθυμίας μὴ ἐπτοῆσθαι, ἀλλ' ὀλιγόρως ἔχειν καὶ κοσμίως, ἆρα οὐ τούτοις μόνοις προσήκει κ. τ. λ.* ubi, ut Menon. p. 89. B. particula *ἆρα* fit, interrogatio per *οὐκοῦν* inchoata deinde per *ἆρα* tanquam instauratur.

Ὁπόταν οὖν ἀκούσῃς — τὸν τοιοῦτον;] Adversus eos, qui vitae felicitatem in doloris vacuitate ponebant, etiam De Republ. IX. p. 582 sqq. disputatur gravissime. Quinam illi nunc intelligantur, difficile dictu est. Verumtamen quum Platonis aetate de his rebus noverimus inter Aristippi et Antisthe-

ΣΩ. Ἐκ δὴ τούτων τιθῶμεν τριττοὺς ἡμῖν βίους, ἕνα μὲν ἡδύν, τὸν δ' αὖ λυπηρόν, τὸν δ' ἕνα μη- D
δέτερα. ἢ πῶς ἂν φαίης σὺ περὶ τούτων;

ΠΡΩ. Οὐκ ἄλλως ἔγωγε ἢ ταύτῃ, τρεῖς εἶναι τοὺς βίους.

ΣΩ. Οὐκοῦν οὐκ ἂν εἴη τὸ μὴ λυπεῖσθαί ποτε ταὐτὸν τῷ χαίρειν;

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

ΣΩ. Ὁπόταν οὖν ἀκούσῃς, ὡς ἥδιστον πάντων ἐστὶν ἀλύπως διατελεῖν τὸν βίον ἅπαντα, τί τόθ' ὑπολαμβάνεις λέγειν τὸν τοιοῦτον;

ΠΡΩ. Ἡδὺ λέγειν φαίνεται ἔμοιγε οὗτος τὸ μὴ λυπεῖσθαι.

τὸ μὴ λυπεῖσθαι] *λυπῆσαι* Bodl. Vat. Ven. *Π.* male.
Ὁπόταν οὖν ἀκούσῃς] *ἀκούσῃ* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. male. lidem dein pro *ὡς* habent *ὅως*, manifesto errore.
ἀλύπως διατελεῖν] V. *διατελεῖν ἀλύπως*, invitis Bodl. Vat. Ven. *Π.*

nis amicos studiose esse pugnatum, coniectura Schleiermacheri non est veridissimilis, Antisthenem eiusque assectatores intelligi oportere. Etenim Antisthenes quum voluptatem adeo non pro bono duceret, ut eam etiam in malis numeraret, siquidem teste Laërtio VI, 3. identidem dictitasse fertur, *μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην*, id videtur egisse, ut subtilibus rationibus et argumentis evinceret, voluptatem per se esse nullam, sed in eo tantum consistere, ut dolori modus poneretur, *τὸ μὴ λυπεῖσθαι ἡδὺ εἶναι*. Quod fortasse fecit in libro *περὶ ἡδονῆς* (Diog. Laërt. VI, 15 — 18.), in quo si rem tractavit curatius, facile est ad intelligendum, cur p. 44. B. homines *δεινοὶ τὰ περὶ φύσιν* voluptatem omnino sustulisse dicantur. Fieri enim non potuit, quin *τὰ περὶ φύσιν* magnam certe partem in disceptationem vocarentur. Quod vero hanc opinionem reddit etiam probabiliorem, quae p. 44. C. de ingenio eorum proferuntur, qui hanc sententiam defendant, ea plane in Antisthenem conveniunt. Nam illa *δυσχέρεια τῆς φύσεως οὐκ ἀγεννοῦς*, quae voluptatem odio habere dicitur, ea vero vix ulli alii rectius tribui potuit. v. Diog. Laërt. VI, 8. coll. II, 87. VII, 4, 18. Xenoph. Symp. IV. §. 34 sqq. Cicer. De Fin. II, 6 sqq. Exposuit de his rebus etiam Henr. Ritterus Histor. Philosoph. Vol. II. p. 115 sqq. ed. 1. Ceterum *τὸν τοιοῦτον* referas ad *τινός*, quod ad *ἀκούσῃς* intelligendum relinquitur. Sic etiam alia pronomina demonstrativa ad notionem omissi *τις* referuntur, ut ostendimus ad Gorgiam p. 469. C. conf. De Rep. VI. p. 503. D. X, 619. A.

ΣΩ. Τριῶν οὖν ὄντων ἡμῖν, ὧν τινῶν βούλει,
E τίθει, καλλίοσιν ἵνα ὀνόμασι χρώμεθα, τὸ μὲν χρυσόν, τὸ δ' ἄργυρον, τρίτον δὲ μηδέτερα τούτων.

ΠΡΩ. Κεῖται.

ΣΩ. Τὸ δὲ μηδέτερα τούτων ἔσθ' ἡμῖν ὅπως θάτερα γένοιτ' ἄν, χρυσὸς ἢ ἄργυρος;

ΠΡΩ. Καὶ πῶς ἄν;

ΣΩ. Οὐδ' ἄρα ὁ μέσος βίος ἡδὺς ἢ λυπηρὸς λεγόμενος ὀρθῶς ἂν ποτε οὔτ' εἰ δοξάζοι τις, δοξάζοιτο, οὔτ' εἰ λέγοι, λεχθείη, κατά γε τὸν ὀρθὸν λόγον.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

ΣΩ. Ἀλλὰ μήν, ὦ ἑταῖρε, λεγόντων γε ταῦτα
44 καὶ δοξαζόντων αἰσθανόμεθα.

Τριῶν οὖν ὄντων ἡμῖν] ὄντων οὖν Bodl. Vat. Ven. *Π.* E. *τρίτον δὲ μηδέτερα τ.*] V. ante *μηδέτερα* insertum legebatur *τό.* Omittunt articulum Bodl. Vat. Ven. *Π.*

Τὸ δὲ μηδέτερα] *δὲ* om. Vat. *δὴ* Coisl. Ven *Π.*

οὔτ' εἰ δοξάζοι τις] V. *δοξάζει*, quod soli tenent Par. EF.

Τριῶν οὖν ὄντων ἡμῖν —] De tribus igitur rebus quibuslibet, quae nobis suppetunt, pone, ut utamur nominibus pulcrius quiddam indicantibus, unam aurum, alteram argentum, tertiam, quae neutrum istorum sit. De *ὧν τινῶν βούλει* v. Matthiae Gr. §. 474. ann. 3. p. 1058. ed. 3. et de *καλλίοσιν ὀνόμασι* compares quaeso, quae supra ad p. 37. E. exposuimus.

Οὐδ' ἄρα ὁ μέσος βίος —] Recte videmur iam olim huius loci demonstravisse anacoluthiam. Dicturus erat Socrates hoc: *οὐδ' ἄρα ὁ μέσος βίος, ἡδὺς ἢ λυπηρὸς λεγόμενος, ὀρθῶς ἂν ποτε λεχθείη*, h. e. *εἰ ἡδὺς ἢ λυπηρὸς λέγοιτο.* Sed memor necessitudinis inter *δόξαν* et *λόγον* antea explicatae, mutata constructione verborum, infert haec: *οὔτε — δοξάζοιτο — οὔτε λεχθείη*, iam etiam duplicans hypothesin, quae in *λεγόμενος* inest, ideoque addens, *εἰ δοξάζοι τις* et *εἰ λέγοι τις*, sc. *αὐτὸν ἡδὺν ἢ λυπηρόν.*

P. 44. *Πότερον οὖν καὶ χαίρειν οἴονται* —] In his *πότερον* non sequente *ἤ* positum; quod qua lege fiat, ostendimus ad Menon. p. 98. D. Alcib. I. p. 107. A. Sophist. p. 265. D. Enimvero alterum interrogationis membrum aut sponte intelligitur, ut h. l. ubi *ἢ οὔ*; facile cogitando suppleveris, aut ex reliqua oratione assumendum est. conf. Kühner. ad Xenoph. Mem. IV, 4, 7. Pro *οἴονται* Schützius Opusc. p. 133. rescribendum putabat *λέγουσι*; huic enim respondere *φασί* et *ἔλεγον.* In quo desideramus viri acumen. Nam ad *φασὶ γοῦν* patet repetendum esse *οἴεσθαι χαίρειν.* Quo accepto Socrates verissime:

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ΣΩ. Πότερον οὖν καὶ χαίρειν οἴονται τότε, ὅταν μὴ λυπῶνται;

ΠΡΩ. Φασὶ γοῦν.

ΣΩ. Οὐκοῦν οἴονται τότε χαίρειν· οὐ γὰρ ἂν ἔλεγόν που.

ΠΡΩ. Κινδυνεύει.

ΣΩ. Ψευδῆ γε μὴν δοξάζουσι περὶ τοῦ χαίρειν, εἴπερ χωρὶς τοῦ μὴ λυπεῖσθαι καὶ τοῦ χαίρειν ἡ φύσις ἑκατέρου.

ΠΡΩ. Καὶ μὴν χωρίς γε ἦν.

ΣΩ. Πότερον οὖν αἱρώμεθα παρ' ἡμῖν ταῦτ' εἶναι, καθάπερ ἄρτι, τρία, ἢ δύο μόνα, λύπην μὲν B

P. 44. *Πότερον οὖν καὶ χαίρειν*] καὶ additum e Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. olim deerat.

Ψευδῆ γε μὴν δόξαζ.] γε additum e Bodl. Vat. Ven. *Π.*

καὶ μὴν χωρίς γε ἦν.] V. γοῦν, quod in nullo codd. ms. repertum.

ergo *putant* sese tunc gaudio affici; neque enim, opinor, affirmarent, nisi ita esse existimarent. Nam ad postrema apparet cogitatione adiiciendum esse, *εἰ μὴ ᾠοντο χαίρειν.*

εἴπερ χωρὶς τοῦ μὴ λ. — ἑκατέρου] H. e. *εἴπερ ἡ φύσις τοῦ μὴ λυπεῖσθαι καὶ τοῦ χαίρειν χωρίς ἐστιν*, sive diversa est planeque seiuncta. Dictionem ex parte iam ad p. 17. A. illustravimus. Nunc accedant haec. Protagor. p. 336. B. *χωρὶς γὰρ ἔγωγ' ἕμην εἶναι τὸ συνεῖναί τε ἀλλήλοις διαλεγομένους καὶ τὸ δημηγορεῖν.* Euthydem. p. 289. D. *δῆλον οὖν, ὅτι καὶ περὶ λόγους χωρὶς ἡ τοῦ ποιεῖν τέχνη καὶ ἡ τοῦ χρῆσθαι.* Lachet. p. 195. A. *χωρὶς δήπου σοφία ἐστὶν ἀνδρείας.* ubi v. ann. Sic etiam *δίχα.* Aeschyl. Prom. v. 963. *μαθήσεται, ὅσον τό τ' ἄρχειν καὶ τὸ δουλεύειν δίχα.* Ex abundanti additur dein *ἑκατέρου*, ut utriusque rei discrimen fortius significetur. Similiter Aristoph. Thesmoph. v. 10. *χωρὶς γὰρ αὐτοῖν ἑκατέρου 'στὶν ἡ φύσις, τοῦ μήτ' ἀκούειν μήθ' ὁρᾶν.*

Πότερον οὖν αἱρώμεθα παρ' ἡμῖν —] *Αἱρεῖσθαι* nunc est idem quod *αἱρούμενον νομίζειν;* nam sententia verborum haec est: utrum igitur statuamus haec nobis esse numero *tria*, an tantum *duo*. Adiectivum *μόνα* pro adverbio *μόνον* positum ex illa Graecorum loquendi consuetudine, qua adiectivis adverbiorum vices attribuuntur; v. Kühner Gr. Gr. T. II. §. 685. Bremi ad Aeschin. Oratt. Excurs. 2. Pronomen *αὐτὸ τοῦτο* refer ad *τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν ἡδονῶν.*

κακὸν τοῖς ἀνθρώποις, τὴν δ' ἀπαλλαγὴν τῶν λυπῶν, αὐτὸ τοῦτ' ἀγαθὸν ὄν, ἡδὺ προσαγορεύεσθαι;

Cap. XXVII. *ΠΡΩ. Πῶς δὴ νῦν τοῦτο, ὦ Σώκρατες, ἐρωτώμεθα ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν; οὐ γὰρ μανθάνω.*

ΣΩ. Ὄντως γὰρ τοὺς πολεμίους Φιλήβου τοῦδε, ὦ Πρώταρχε, οὐ μανθάνεις.

ΠΡΩ. Λέγεις δὲ αὐτοὺς τίνας;

ΣΩ. Καὶ μάλα δεινοὺς λεγομένους τὰ περὶ φύσιν, οἳ τὸ παράπαν ἡδονὰς οὔ φασιν εἶναι.

ΠΡΩ. Τί μήν;

B. *οἳ τὸ παράπαν —*] *ὅναρ ἅπαν* Bodl. Ven. *Π.* quod in Vat. emendatum.

C. *ἀλλ' οὐχ ἡδονὴν εἶναι*] Bodl. Vat. Ven. *Π. ἀλλ'*

B. *Πῶς δὴ νῦν ἐρωτώμεθα —*] Mirabundus interrogat sic: Qui tandem fit, ut haec a nobismet ipsis interrogemur? Enimvero conveniebat antea inter ipsos, doloris vacuitatem atque voluptatem plurimum differre, ut nunc talis dubitatio ne locum quidem habere videri deberet. Non intellexit haec Cornarius, qui pro *ἐρωτώμεθα* legi iubet *αἱρώμεθα*, quoniam idem verbum praecedat. Ab hoc in fraudem inductus Stephanus utroque loco scribendum statuit sive *ἐρωτώμεθα* sive *αἱρώμεθα*. Quae posuisse satis est. De *πῶς ἐρωτώμεθα*, qui fit ut interrogemur, v. ad Criton. init. Dein quia Protarchus addit *οὐ μανθάνω*, facete Socrates: *Ὄντως γὰρ τοὺς πολεμίους Φιλήβου οὐ μανθάνεις*; recte vero videris dicere *οὐ μανθάνω*; revera enim adversarios Philebi ignoras, quandoquidem qui censent, voluptatem positam esse in una doloris vacuitate, ii vim naturamque voluptatis omnino e medio tollunt. Antisthenem eiusque assectatores significari videri, iam antea diximus.

Τί μήν;] H. e. *τί μὴν ἄλλο φασὶν εἶναι τὰς ἡδονάς*, ut Politic. p. 263. B. Quocirca noli quidquam loco movere, quanquam rarus est hic usus formulae *τί μήν*. v. ad p. 17. B.

C. *οἱ περὶ Φίληβον*] ipse Philebus et qui eius sententiam sequuntur. Non satis recte Heindorf. ad Cratyl. p. 58. Philebus eiusque similes, Leute von Philebus Art.

ὥςπερ μάντεσι προσχρῆσθαί τισι] H. e. tanquam veri coniectoribus, qui etiamsi rectam rei rationem non plane perspectam habeant, tamen mentis quadam divinatione ducti illam assequantur. Nam *μαντεύεσθαι* a Platone saepenumero dicuntur, qui quid non tam clare cognoscunt et intelligunt, quam animi quadam coniectura assequuntur. Infra p. 64. A. *τίνα ἰδέαν αὐτὴν εἶναί ποτε μαντευτέον*; Lysid. p. 215. D. *λέγω τοίνυν ἀπομαντευόμενος τοῦ κα-*

ΣΩ. Λυπῶν ταύτας εἶναι πάσας ἀποφυγὰς ἃς C
νῦν οἱ περὶ Φίληβον ἡδονὰς ἐπονομάζουσι.

ΠΡΩ. Τούτοις οὖν ἡμᾶς πότερα πείθεσθαι
ξυμβουλεύεις, ἢ πῶς, ὦ Σώκρατες;

ΣΩ. Οὔκ, ἀλλ' ὥσπερ μάντεσι προσχρῆσθαί
τισι, μαντευομένοις οὐ τέχνῃ ἀλλά τινι δυσχερείᾳ φύ-
σεως οὐκ ἀγεννοῦς, λίαν μεμισηκότων τὴν τῆς ἡδο-
νῆς δύναμιν καὶ νενομικότων οὐδὲν ὑγιές, ὥστε καὶ
αὐτὸ τοῦτο αὐτῆς τὸ ἐπαγωγὸν γοήτευμα ἀλλ' οὐχ
ἡδονὴν εἶναι. τούτοις μὲν οὖν ταῦτα ἂν προσχρή- D

omittunt; recte fortasse; nam solet ita *ἀλλά* omitti in oppositis. v. ad Protagor. p. 337. B. Nisi forte critici *ἀλλ'* extruserunt, quia iunxerunt *τὸ ἐπαγωγὸν γοήτευμα*. Dein plurimi vitiose *ἡδονὴ* pro *ἡδονήν*.

λοῦ τε καὶ ἀγαθοῦ φίλον εἶναι τὸ μήτε ἀγαθὸν μήτε κακόν πρὸς ἃ δὲ λέγων μαντεύομαι, ἄκουσον. De Rep. p. 349. A. *ἀληθέστατα, ἔφη, μαντεύει*. ubi multa id genus exempla ex libris De Republica attulimus. — — *δυσχερείᾳ φύσεως οὐκ ἀγεννοῦς*; tristitia quadam indolis non ingenerosae, h. e. quia severius atque tristius de voluptate eiusque fructu statuunt; in quo profecto inest quiddam generosi et magnanimi. — *οὐ τέχνῃ*, non quia habent veri perspicientiam.

λίαν μεμισηκότων τὴν τῆς ἡδ. δυν.] Genitivus absolutus post dativum infertur, ut locis permultis. v. ad Remp. VII. p. 518. A. VIII. p. 547. C. Sympos. p. 183. B. al. Alia dabunt Schaefer. ad Aesop. Heusing. p. 137 et 149. ad Demosth. Appar. T. II. p. 202. Lamb. Bos. p. 50. Dorvill. ad Chariton. p. 354. Poppo ad Xenoph. Cyrop. p. 47. Matthiae Gr. §. 561. Habet vero ea constructio ibi locum, ubi quod genitivis absolutis effertur, id tanquam liberum a subiecti vinculo ideoque fortius enuntiatur. Ita hoc loco caussa rei tanquam per se seorsum significatur; quo fit, ut haec sententiae pars plus ponderis accipiat, quam si superioribus per appositionem adiuncta esset. — *τὴν τῆς ἡδονῆς δύναμιν*, vim naturamque voluptatis. Gorg. p. 447. C. *βούλομαι γὰρ πυθέσθαι, τίς ἡ δύναμις τῆς τέχνης τοῦ ἀνδρὸς καὶ τί ἔστιν ὃ ἀπαγγέλλεται*. Tim. p. 28. A. *τὴν ἰδέαν καὶ δύναμιν αὐτοῦ*. ubi v. quae adscripsimus alia rei exempla. — *οὐδὲν ὑγιές* sc. *αὐτῆς*, Phaedon. p. 90. C. *ὅτι οὔτε τῶν πραγμάτων οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδὲ βέβαιον οὔτε τῶν λόγων*. Cratyl. p. 440. C. *ὡς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδενός*. Legg. VI. p. 776. E. *ὡς ὑγιὲς οὐδὲν ψυχῆς δούλης*. De Rep. IX. p. 584. A. ubi item de voluptate: *καὶ οὐδὲν ὑγιὲς τούτων τῶν φαντασμάτων πρὸς ἡδονῆς ἀλήθειαν, ἀλλὰ γοητεία τις*. Gorg. p. 524. E. al. — Proxima sic intelligas: ita ut illae ipsae, quas proprias habeat, il-

σαιο, σκεψάμενος ἔτι καὶ τἄλλ' αὐτῶν δυσχεράσματα· μετὰ δὲ ταῦτα αἴ γέ μοι δοκοῦσιν ἡδοναὶ ἀληθεῖς εἶναι, πεύσει, ἵνα ἐξ ἀμφοῖν τοῖν λόγοιν σκεψάμενοι τὴν δύναμιν αὐτῆς παραθώμεθα πρὸς τὴν κρίσιν.

ΠΡΩ. Ὀρθῶς λέγεις.

ΣΩ. Μεταδιώκωμεν δὴ τούτους, ὥσπερ ξυμμάχους, κατὰ τὸ τῆς δυσχερείας αὐτῶν ἴχνος. οἶμαι γὰρ τοιόνδε τι λέγειν αὐτούς, ἀρχομένους ποθὲν ἄνωθεν,
E ὡς εἰ βουληθεῖμεν ὁτουοῦν εἴδους τὴν φύσιν ἰδεῖν, οἷον τὴν τοῦ σκληροῦ, πότερον εἰς τὰ σκληρότατα ἀποβλέποντες οὕτως ἂν μᾶλλον συννοήσαιμεν ἢ πρὸς τὰ πολλοστὰ σκληρότητι; δεῖ δή σε, ὦ Πρώταρχε,

D. *αἴ γέ μοι δοκοῦσιν*] Sic codd. Noli *αἴ γ' ἐμοὶ δ.* tentare. Steph. errore *ἄν γέ μοι δοκῶσιν*. Paullo ante Bodl. *τὰ ἄλλα*.

εἰ βουληθεῖμεν] V. *βούλῃ, θείημεν*, quod ex codd. ferme omnibus emendatum.

E. *τοῖς δυσχερέσιν ἀποκρίνεσθαι*] *δυσχεραίνουσιν* Bodl. Vat. Ven. *II.*, quod glossemati simile est. Nam *οἱ δυσχερεῖς* certe dicitur elegantius, quam *οἱ δυσχεραίνοντες*.

ὅτι πρὸς τὰ πρῶτα] *ὅτι* om. Vat. Ven. *II.* Dein pro

lecebrae sint praestigiae, non voluptas. Usum vocabulorum *ἐπαγωγόν* et *γοήτευμα* illustravit Ruhnkenius ad Tim. p. 73 et 114 sqq.

D. *τἄλλ' αὐτῶν δυσχεράσματα*] Pollux. Onom. III, 133. *πονηρὰ δὲ τὰ Πλάτωνος δυσχεράσματα*. Lobeckius Paralip. II. p. 416. „Platonicum *δυσχέρασμα*, inquit, improbat Pollux haud immerito, quandoquidem a verbis parasynthetis, ut *ἀμαυραίνω, ἀνοηταίνω, δυθυμαίνω*, al. substantiva non ducuntur; *ἀκολάσταμα* sive *ἀκολάστασμα* Epicuro dignius quam Aristophane."

ἀρχομένους ποθὲν ἄνωθεν] tanquam a principio quodam repetentes; quod quale sit, declaratur verbis proximis. Tum vulgo scribebatur *ὡς εἰ βούλῃ θείημεν*, quod nunc ex codd. emendatum. Animadvertenda tamen est insignis verborum anacoluthia. Orditur enim sermo ab *ὡς*, sed mox exit in interrogationem, *πότερον εἰς τὰ σκληρ. κ. τ. λ.* Neque tamen inaudita haec ratio. Eodem enim modo Sophocles Antigon. v. 2 sqq. *ἆρ' οἶσθ', ὅτι* (sic enim cum Hermanno legendum) *Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ*; ubi sermo ab *ὅτι* exorsus deinde ad interrogationem transit, quum pergi potuisset sic: *ἆρ' οἶσθ' ὅτι*

καθάπερ ἐμοί, καὶ τούτοις τοῖς δυσχερέσιν ἀποκρίνεσθαι.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν, καὶ λέγω γε αὐτοῖς, ὅτι πρὸς τὰ πρῶτα μεγέθει.

ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ καὶ τὸ τῆς ἡδονῆς γένος ἰδεῖν, ἥντινα ποτὲ ἔχει φύσιν, βουληθεῖμεν, οὐκ εἰς τὰς πολλοστὰς ἡδονὰς ἀποβλεπτέον, ἀλλ' εἰς τὰς ἀκροτάτας 45
καὶ σφοδροτάτας λεγομένας.

ΠΡΩ. Πᾶς ἄν σοι ταύτῃ συγχωροίη τὰ νῦν.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν αἱ πρόχειροι, αἵπερ καὶ μέγισται τῶν ἡδονῶν, ὃ λέγομεν πολλάκις, αἱ περὶ τὸ σῶμά εἰσιν αὗται;

ΠΡΩ. Πῶς γαρ οὔ;

ΣΩ. Πότερον οὖν μείζους εἰσὶ καὶ γίγνονται πε-

vulg. *μεγέθη* recte Bodl. Ven. *Π Σ.* Coisl. Par. E. Flor. a. b. c. i. et pr. Vat. *μεγέθει.* Tum rursus *βουληθεῖμεν* ex codd. restitutum est pro vulg. *βουληθείημεν*, quod unus Par. E. tuetur.

P. 45. *Ἆρ' οὖν αἱ πρόχειροι*] *γε* vulgo post *πρόχειροι* insertum; om. Bodl. Vat. Ven. *Π.*

Πότερον οὖν μείζους] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vulgo post *οὖν* inserebatur *καί.*

Ζεὺς οὐδὲν ὅ τι οὐ τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν τελεῖ. Nec absimilis est locus Oed. Reg. v. 1401. *ἆρά μου μέμνησθ', ὅτι οἵ' ἔρχ' ἀράσας ὑμὶν εἶτα δεῦρ' ἰὼν ὁποῖ' ἔπρασσον αὖθις.* Particulum *οὕτως* post *ἀποβλέποντες* illatam ad Phaedon. p. 61. C. et alibi illustravimus; nec res hodie ignota.

P. 45. *εἰς τὰς ἀκροτάτας καὶ σφοδροτάτας*] ad summas atque vehementissimas. Cur sic dixerit, ex p. 45. C. apparet.

Ἆρ' οὖν αἱ πρόχειροι, αἵπερ καὶ μ.] Quae igitur in promptu sunt, quasque frequentissime explere solemus, quae quidem etiam, id quod saepe dicimus, maximae sunt voluptatum, nonne corporis sunt *illae?* Videtur respicere ad communem quandam sententiam vulgi ore celebratam, *αἱ πρόχειροι ἡδοναὶ καὶ μέγισται.* Nam *ὃ λέγομεν πολλάκις* nunc non est: id quod nos antea saepe diximus. Quae interpretatio duplici de caussa reiicienda est. Nam primum quidem haec sententia in superioribus nusquam memorata est; deinde quod antecedit *λεγομένας*, id ad commune hominum iudicium provocari non obscure indicat. Ita vero haec ubi intellexeris, locus ne minimam quidem habebit difficultatem.

ρὶ τοὺς κάμνοντας ἐν ταῖς νόσοις ἢ περὶ ὑγιαίνοντας; εὐλαβηθῶμεν δέ, μὴ προπετῶς ἀποκρινόμενοι παίσωμεν.

ΠΡΩ. Πῇ;

B *ΣΩ. Τάχα γὰρ ἴσως φαῖμεν ἂν περὶ ὑγιαίνοντας.*

ἢ περὶ ὑγιαίνοντας] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ἢ περὶ τοὺς ὑγιαν.*

εὐλαβηθῶμεν δέ, μὴ πρ.] V. *δὴ* pro *δὲ*, quod ex Bodl. Vat. Ven. *ΠΑΣ.* Parisinis, Florentinis, Angel. emendatum. In Par. E. legitur *δὲ δή*.

B. *Τάχα γὰρ ἴσως φαῖμεν* —] Forsitan protenus dixerimus apud aegrotos. Rem igitur facile affirmari posse ait. Quocirca hoc quidem loco liquide apparet, cur *τάχα ἴσως* dicatur. Alia utriusque vocis coniunctae exempla sunt p. 13. D. infra p. 53. E. Sophist. p. 243. C. Euthydem. p. 272. C. Tim. p. 38. E. Quibus addas, sis, quae congessit Heindorfii sedulitas ad Euthydem. p. 304. Ceterum Bodl. et Vat. scriptum habent: *παίσωμέν πῃ τάχα γὰρ* (Bodl. *τὰ γὰρ*) — *ὑγιαίνοντας*. Quae omnia possunt utique Socrati continuari, id quod placuit Turicensibus. Nec tamen video, quid vulgari rationi officiat.

ὧν ἂν καὶ ἐπιθυμίαι μέγισται προσγίγνωνται;] Sic libri omnes, nisi quod aliquot mss. *προσγίγνονται*, modo indicativo. Stephanus tamen edidit *προγίγνωνται*, eamque lectionem omnes, qui deinceps secuti sunt, editores ad hunc usque diem assensione sua comprobaverunt. Stephanum quid impulerit, ut librorum lectionem mutaret, ipse exposuit copiosius Schediasmat. Varr. libro II. p. 26. Adscribam ipsa eius verba, ut omnes viri mentem cognoscant quam accuratissime. „Unius litterulae in verbo *προσγίγνωνται* adiectione, inquit, locum hunc ita depravari dico, ut philosophicae isti disputationi tenebrae offundantur: ausim etiam dicere, ut non solum menti Socratis sed ipsi etiam rationi repugnetur. Agitur enim ibi de voluptatibus, et quaeritur, quaenam sint maximae. Et quum probare velit Socrates, omnium maximas aegrotis potius quam sanis contingere, interrogat, annon maximae sint voluptates, quarum etiam cupiditates sunt maximae. Hoc autem concedente Protarcho quaerit, annon ii, qui febri aliisque huiusmodi morbis tenentur, magis sitiant et algeant, magisque cetera patiantur, quae per corpus pati solent, annon etiam maiori in indigentia versentur (dicit enim *ἐνδείᾳ ξυγγίγνονται*), et quum replentur, maiores voluptates percipiant. Atqui, ut haec vera sint, necesse est ut dicamus (quod et rationi consentaneum est, atque adeo ipsa experientia docet), cupiditates earum rerum, quarum fruitio nobis voluptatem affert, non accedere, sed *προγίγνεσθαι*, sed praecedere, id est *προϋπάρχειν*. Unde enim oritur cupiditas? ex evacuatione. Cupiditas igitur cuiusnam rei est cupiditas? repletionis. Exempli gratia, qui sitit, evacuatus est ideoque repleri potu cupit. Nec vero dubium est, quin Socrates hoc loco *ἔνδειαν* appellet, quam quum aliis locis tum p.

ΠΡΩ. Εἰκός γε.

ΣΩ. Τί δ'; οὐχ αὗται τῶν ἡδονῶν ὑπερβάλλουσιν, ὧν ἂν καὶ ἐπιθυμίαι μέγισται προσγίγνωνται;

ΠΡΩ. Τοῦτο μὲν ἀληθές.

B. *Τάχα γὰρ ἴσως*] τὰ γὰρ Bodl. Ven. *Π.* vitiose. Vat. φῶμεν ἄν.

μέγισται προσγίγνωνται] Steph. desiderabat *προσγίγνωνται*, quod ne unus quidem codex ms. habet. Non pauci cum Bodl. et Vat. *προσγίγνονται*, modo indicativo.

35. *κένωσιν* nominat, sicut *κενοῦσθαι* ibidem dicit, et pag. quae illam praecedit. Quin etiam p. 47. faciens mentionem eorum, quae antea dixit, ita loquitur: *ταῦτα ἔμπροσθεν μὲν διήλθομεν, ὡς ὁπόταν αὖ κενῶται, πληρώσεως ἐπιθυμεῖ, καὶ ἐλπίζων μὲν χαίρει, κενούμενος δὲ ἀλγεῖ.* Ex his autem hac luce clarius esse puto scribi debere *προσγίγνωνται*. Quo verbo utitur hic etiam scriptor p. 39.; quin etiam duo, quae multo minus sunt usitata, ibidem habes, *προχαίρειν* et *προλυπεῖσθαι*." Haec igitur Stephanus, ut quod de coniectura sua restituendum putaverat, *προγίγνωνται*, tanquam unice verum commendaret. Et fatemur speciosam esse viri argumentationem; fatemur item, grammaticam quoque eam lectionem videri requirere, quandoquidem *προσγίγνωνται* dativum *αἷς* potius postulare videatur. Nihilominus nunc in ea sententia sumus, ut librorum omnium scripturam pro vera probandam censeamus. Nam primum quidem *προσγίγνωνται* aptissime ad rem ipsam dicitur, quo servato sententia verborum haec est: nonne eae voluptates magnitudine sua eminent, ad quas etiam maximae cupiditates accedunt, s. cum quibus maximae cupiditates coniunguntur, sive hae antecedunt illas, sive eas comitentur aut sequantur; nam hoc quidem nunc nihil refert. Qua sententia vides nihil esse verius, nihil ad rem praesentem accommodatius. Deinde quum *ὧν* praecedat, mireris sane quod non potius *προγίγνωνται* quam *προσγίγνωνται* scriptum sit, quum tamen libri omnes lectionem posteriorem tueantur. Enimvero hoc ipsum vulgatae lectionis veritatem testatur. Nam *ὧν* dictum est sic, ut genitivus proximo nomini substantivo sit accommodatus, quum proprie et ex communi loquendi consuetudine ad verbum esset referendum ideoque dicendum *αἷς*. Cuius generis exempla quaedam attulisse iuvabit, quo magis intelligatur, quo iure hoc quoque nomine *προσγίγνωνται* pro vero habeamus. Sic igitur Sophist. p. 266. B. *τούτων δέ γε ἑκάστων εἴδωλα, ἀλλ' οὐκ αὐτά, παρέπεται*, ubi quum scribendum esset *τούτοις δέ γε ἑκάστοις εἴδωλα παρέπεται*, genitivus *τούτων ἑκάστων* cum *εἴδωλα* coaptatus est, ac deinde verbum *παρέπεται* sine casu nominis subiunctum; Tim. p. 43. D. *πάσας κλάσεις καὶ διαφορὰς τῶν κύκλων ἐμποιεῖν* legimus. Recte; quamquam legitima structura dicendum fuit *τοῖς κύκλοις ἐμποιεῖν*: nimirum genitivus praecedentibus nominibus adhaesit. Sympos. p. 182. C. *οὐ γάρ, οἱ-*

ΣΩ. Ἀλλ' οὐχ οἱ πυρέττοντες καὶ ἐν τοιούτοις νοσήμασιν ἐχόμενοι μᾶλλον διψῶσι καὶ ῥιγοῦσι, καὶ πάντα ὁπόσα διὰ τοῦ σώματος εἰώθασι πάσχειν, μᾶλλόν τ' ἐνδείᾳ ξυγγίγνονται καὶ ἀποπληρουμένων μείζους ἡδονὰς ἴσχουσιν; ἢ τοῦτο οὐ φήσομεν ἀληθὲς εἶναι;

C ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν νῦν ῥηθὲν φαίνεται.

ΣΩ. Τί οὖν; ὀρθῶς ἂν φαινοίμεθα λέγοντες ὡς εἴ τις τὰς μεγίστας ἡδονὰς ἰδεῖν βούλοιτο, οὐκ εἰς ὑγίειαν ἀλλ' εἰς νόσον ἰόντας δεῖ σκοπεῖν; ὅρα

Ἀλλ' οὐχ οἱ πυρέττοντες] V. Ἆρ' οὖν οὐχὶ οἱ π. invitis codd. mss. et ed. Ald. Bas. 1. 2. Pro οἱ permulti codd. cum Coislin. ὅτι; sed tres optimi servant οἱ. μᾶλλόν τ' ἐνδείᾳ ξυγγ..] Ven. Σ. corr. μᾶλλον πάσχουσιν. εἰ δ' αὐτοῖς αἱ ἐπιθυμίαι μείζονι ἐνδείᾳ κ. τ. λ. sed v. interpretat. Pro τ', quod Bodl. Vat. Ven. Π. et corr. Coisl. servarunt, vulgo

μαι, συμφέρει τοῖς ἄρχουσι φρονήματα μεγάλα ἐγγίγνεσθαι τῶν ἀρχομένων, quo loco dativum τοῖς ἀρχομένοις rectum fuisse futurum, adnotatione nostra ad eum locum demonstravimus. De Rep. V. p. 464. D. ἡδονάς τε καὶ ἀλγηδόνας ἐμποιοῦντας ἰδίων ὄντων ἰδίας dictum pro ἰδίοις οὖσιν. Sed haec satis valebunt, opinor, ad vindicandam lectionem inde a Stephano communi iudiciorum consensione iniuria damnatam atque abiectam.

Ἀλλ' οὐχ οἱ πυρέττοντες —] At nonne qui febri laborant aliisque id genus morbis constricti tenentur, magis sitiunt et frigent et omnia, quae pati corpore solent, magis perpetiuntur, eoque magis indigentia laborant, ac si explentur, maiores percipiunt voluptates? Pro Ἀλλ' οὐχ οἱ π., quod nunc novimus codicum omnium firmari auctoritate, Steph. Ἆρ' οὖν οὐχὶ οἱ π. Sed unice vera est librorum manuscriptorum lectio. Nam Ἀλλά referendum est ad ea, quae Socrates modo dixerat: Τάχα γὰρ ἴσως φαῖμεν ἂν περὶ ὑγιαίνοντας, quae etiam Protarcho tanquam verisimilia placuerant. Nunc igitur, praemissa alia quadam sententia, Socrates illi ipsi iudicio adversatur; at vero, inquit, nonne aegroti vehementissimas habere solent cupiditates? Quae nemo est quin videat cum argumentationis ratione atque ordine egregie concordare. Deinde ad καὶ πάντα ex proximis item referendum εἰώθασι πάσχειν s. πάσχουσι, perinde ac si scriptum legeretur: καὶ πάντα εἰώθασι πάσχειν ὁπόσα διὰ τοῦ σώματος εἰώθασι πάσχειν. Etenim fert ita breviloquentiae studium, ut interdum, quae semel tantum verbis expressa leguntur, ea bis cogitanda sint. Cuius generis locos quosdam attulit Matthiae Gr. Gr. §. 634. conf. ad Gorg. p. 494. C. ed. 2. ibique Astium. Dein ἐνδείᾳ ξυγγίγνεσθαι dictum ut κακοῖς συνεῖναι et similia, de quibus v. annot. ad Theaet. p. 177. A. Pro ἀποπληρουμένων

δέ, μή με ἡγῇ διανοούμενον ἐρωτᾶν σε, εἰ πλείω χαίρουσιν οἱ σφόδρα νοσοῦντες τῶν ὑγιαινόντων, ἀλλ' οἵου μέγεθός με ζητεῖν ἡδονῆς, καὶ τὸ σφόδρα περὶ τοῦ τοιούτου ποῦ ποτὲ γίγνεται ἑκάστοτε. νοῆσαι γὰρ δεῖ, φαμέν, ἥντινα φύσιν ἔχει καὶ τίνα λέγουσιν οἱ φάσκοντες μηδ' εἶναι τὸ παράπαν αὐτήν. D

ΠΡΩ. Ἀλλὰ σχεδὸν ἕπομαι τῷ λόγῳ σου.

Cap. XXVIII. ΣΩ. Τάχα, ὦ Πρώταρχε, οὐχ ἧττον δείξεις. ἀποκρινεῖ γάρ· ἐν ὕβρει μείζους ἡδονάς, οὐ πλείους λέγω, τῷ σφόδρα δὲ καὶ τῷ μᾶλ-

legebatur δέ.

νῦν ῥηθὲν φαίνεται] νῦν unus servavit Vat., unde restituit primus Bekkerus.

C. ἰόντας δεῖ σκοπεῖν] ἰόντα corr. Coisl. Pro νοῆσαι γὰρ δεῖ Bodl. Vat. Ven. Π. et corr. Coisl. δεῖν.

D. οὐχ ἧττον δείξεις.] δόξεις Ven. Σ. corr. δείξης Par. E.

Stephanus in Schediasm. l. c. p. 28. legendum coniecit ἀποπληρούμενοι vel ἀποπληρουμένης, sc. ἐνδείας. Neutro indigemus. Nam ad ἀποπληρουμένων sponte cogitatione supplevеris αὐτῶν, quod pertineat per synesin quandam ad notionem, quae subest verbis διψῶσι καὶ ῥιγοῦσι καὶ εἰώθασι πάσχειν. conf. Phaedr. p. 354. D. ibique ann. Loquutionem denique ἐν νοσήμασιν ἔχεσθαι abunde illustrabunt, quae dedimus ad Criton. p. 43. C. Phaedon. p. 108. B. De Rep. III. p. 395. D.

C. εἰς νόσον ἰόντας δεῖ σκοπεῖν] Pluralis post εἴ τις et ὅστις illatus nihil habet insolentiae. conf. De Rep. VII. p. 536. A. Menex. p. 242. D. Protagor. p. 345. E. Xenoph. Memor. I, 2, 62. III, 10, 1. Cyrop. I, 2, 2. VII, 4, 5. VIII, 8, 4. Eurip. Alcest. v. 760. et Matthiae Gr. §. 434.

ποῦ ποτὲ γίγνεται —] in quibusnam tandem semper existat, utrum in aegrotis an in sanis. Politic. p. 307. C. ἔτι δὲ τοὺς ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτὰς ἴσχοντας διαφερομένους ἀλλήλοις ὀψόμεθα, ἐὰν μεταδιώκωμεν. ΣΩ. Ποῦ δὴ λέγεις; ΞΕ. Ἐν πᾶσί τε δὴ τούτοις οἷς νῦν εἴπομεν καὶ ἐν ἑτέροις πολλοῖς. — περὶ τοῦ τοιούτου sc. οἷόν ἐστι τὸ χαίρειν s. τὸ ἥδεσθαι.

νοῆσαι γὰρ δεῖ, φαμέν, ἥντινα φύσιν —] nam considerare nos oportet nostra sententia, quaenam sit voluptatis natura, et quamnam ipsam (voluptatem) esse velint, qui eam dictitant omnino nullam esse; censent enim illi τὸ μὴ λυπεῖσθαι esse voluptatem, quo ipso fit, ut vis et natura ipsius omnino tolli videatur.

D. Ἀλλὰ σχεδὸν ἕπομαι τῷ λόγῳ σου —] Hoc loco interpretes atque critici nodum, ut aiunt, in scirpo quaesiverunt, quandoquidem ea pro corruptis habuerunt, quae nostro iudicio sunt sanissima. Etenim omnes illi haeserunt in istis: Τάχα, ὦ Πρώταρχε, οὐχ ἧττον δείξεις, quae vario modo tentata sunt. Nam Heindorfius ac Schleiermacherus legendum censue-

λον ὑπερεχούσας ὁρᾷς ἢ ἐν τῷ σώφρονι βίῳ; λέγε δὲ προσέχων τὸν νοῦν.

ΠΡΩ. Ἀλλ' ἔμαθον ὃ λέγεις, καὶ πολὺ τὸ διαφέρον ὁρῶ. τοὺς μὲν γὰρ σώφρονάς που καὶ ὁ παροιμιαζόμενος ἐπίσχει λόγος ἑκάστοτε, ὁ τὸ μηδὲν
E ἄγαν παρακελευόμενος, ᾧ πείθονται· τὸ δὲ τῶν ἀφρόνων τε καὶ ὑβριστῶν μέχρι μανίας ἡ σφοδρὰ ἡδονὴ κατέχουσα περιβοήτους ἀπεργάζεται.

ΣΩ. Καλῶς· καὶ εἴ γε ταῦθ' οὕτως ἔχει, δῆλον ὡς ἔν τινι πονηρίᾳ ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐκ ἐν ἀρετῇ μέγισται μὲν ἡδοναί, μέγισται δὲ καὶ λῦπαι γίγνονται.

ἀποκρινεῖ γάρ· ἐν ὕβρει] V. ἀποκρινῇ, quod e Bodl. Vat, Ven. *II.* mutatum. Ven. *II.* ἀποκρίνει. Futurum non licet ex p. 29. D. ἐρεῖς γάρ defendere; nam hoc loco sequitur interrogatio, quod illic secus est. v. interpret.

πολὺ τὸ διαφέρον] Sic Bodl. Vat. Ven. *II.* pro vulg. διάφορον.

ὃ τὸ μηδὲν ἄγαν π.] ὅ, quod olim deerat, restitutum est ex Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ.* Coisl. Par. BC. Angel. Flor. a. b. c. i. et Ven. rec. Ξ. In Bas. 2. legitur: ἑκάστοτε, ὅτι μηδὲν ἄγαν.

runt δείξει, quod dictum esset ut p. 20. C. σαφέστερον δείξει. Sed ea ratio sententiae parum congruit. Quid enim nunc ad rem istud: Fortasse res non minus declarabit? Alius coniecit δόξεις, ut est in Ven. Σ. corr. Nimirum hoc suscepto infinitivum ἕπεσθαι voluit cogitatione ex antegressis repeti. At enim vero id sic demum aptum foret, si Protarchus antea dixisset: Ἀλλὰ δοκῶ μοι σχεδὸν ἕπεσθαι τῷ λόγῳ σου. Simile quid de Winckelmanni ratione dicendum est, qui legi voluit οὐχ ἧττον ἕξῃς. Nam hoc ubi probaveris, a Protarcho potius sic dictum esse statueris: Ἀλλὰ νῦν γε σχεδὸν ἕπομαι τῷ λόγῳ σου; idque iure ac merito. Fuit etiam, qui pro δείξεις reponi posse iudicaret δράσεις, de quo verbo v. ad Sophist. p. 233. C. et 253. A. idque sane lubens amplecterer, siquidem ulla mutatione opus esset. Sed veram esse censeo librorum lectionem. Nimirum οὐχ ἧττον δείξεις est: non minus (quam nunc) ostendes assequi te vim disputationis meae. Sophocl. Antigon. v. 37. οὕτως ἔχει σοι ταῦτα, καὶ δείξεις τάχα, εἴτ' εὐγενὴς πέφυκας εἴτ' ἐσθλῶν κακή. De τάχα etiam a Platone sic usurpato, ut sit mox, statim, protenus, v. ad Gorgiam p. 450. C. et p. 466. A. Iam vero his expeditis restat futurum ἀποκρινεῖ, quod sane corruptum est. Mutandum enim illud in ἀπόκριναι imperativum, id quod etiam Schleiermacherus suasit. Id vero non plane praeter librorum auctoritatem faciemus, quandoquidem in Ven. *II.* ἀποκρίνει,

ΠΡΩ. *Πάνυ μὲν οὖν.*

ΣΩ. *Οὐκοῦν τούτων τινὰς προελόμενον δεῖ σκοπεῖσθαι, τίνα ποτὲ τρόπον ἐχούσας ἐλέγομεν αὐτὰς εἶναι μεγίστας.*

ΠΡΩ. *Ἀνάγκη.* 46

ΣΩ. *Σκόπει δὴ τὰς τῶν τοιῶνδε νοσημάτων ἡδονάς, τίνα ποτὲ ἔχουσι τρόπον.*

ΠΡΩ. *Ποίων;*

ΣΩ. *Τὰς τῶν ἀσχημόνων. ἃς οὓς εἴπομεν δυσχερεῖς μισοῦσι παντελῶς.*

ΠΡΩ. *Ποίας;*

E. *ἡ σφοδρὰ ἡδονὴ*] *εἰ σφόδρα* Bodl. Vat. pr. et Ven. *Π.* *εἴ γε ταῦθ' οὕτως ἔχει*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro *τοῦθ' οὕτως ἔχει.*

ἐν ἀρετῇ μέγισται] *ἐν* additum e Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΑΞΠΣ.* Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. et edit. Bas. 2.

ἐλέγομεν αὐτὰς] V. *λέγομεν*, quod e Bodl. Vat. Ven. *Π.* emendatum. Dein Ven. *Π.* *τινὰς εἶναι αὐτάς.*

P. 46. *ἃς οὓς εἴπομεν*] *οὓς* om. Bodl. Ven. *Π.* in marg. habet Vat.

mutato accentu, scriptum legitur. Futurum posuerunt critici ob praecedens istud *δείξεις*, quo facile potuerunt in fraudem induci.

ὃ τὸ μηδὲν ἄγαν παρακελ.] h. e. illud *ne quid nimis* cum cohortatione proferens. Proverbium hoc memoratur etiam Protagor. p. 343. B. Charmid. p. 165. A. Menex. p. 247. E. Hipparch. p. 228. E.

E. *τὸ δὲ τῶν ἀφρόνων — περιβρήτους ἀπεργάζεται*] *Τὸ τῶν ἀφρόνων* nota periphrasi dictum pro *τοὺς ἄφρονας*. Quamobrem liberiore constructionis ratione subiunctum est *περιβρήτους ἀπεργάζεται*. Exempla rei congessit A. Matthiae Gr. Gr. §. 285. p. 736. ed. 3. — *περιβρήτος* hic est, infamis, malis rumoribus celebratus; dicitur enim plerumque in malam partem, ut nostrum verschrien. v. Hemsterhus. ad Lucian. I. p. 179. ed. Reitz. Dorvill. ad Chariton. p. 273. Activo sensu propter illa p. 47. A. vocabulum intelligi nunc nolim.

Οὐκοῦν τούτων τινὰς προελόμενον δεῖ —] Ex his igitur quasdam eligere et videre oportet, quomodo sese habeant, ut eas dicamus esse maximas, i. e. quaenam caussa nostri de iis iudicii in ipsarum vi et natura posita videatur. Docetur vero deinceps, eas omnes non esse puras, sed mixtas, h. e. ex molestiae et laetitiae sensu conflatas.

P. 46. *Τὰς τῶν ἀσχημόνων* —] Quinam sint *οἱ ἀσχήμονες*, facile ex iis, quae subiiciuntur, perspicias. Sunt enim

ΣΩ. Οἷον τὰς τῆς ψώρας ἰάσεις τῷ τρίβειν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, οὐκ ἄλλης δεόμενα φαρμάξεως. τοῦτο γὰρ δὴ τὸ πάθος ἡμῖν, ὦ πρὸς Θεῶν, τί ποτε φῶμεν ἐγγίγνεσθαι; πότερον ἡδονὴν ἢ λύπην;

ΠΡΩ. Σύμμικτον τοῦτό γ' ἄρ', ὦ Σώκρατες, ἔοικε γίγνεσθαί τι κακόν.

B *ΣΩ. Οὐ μὲν δὴ Φιλήβου γε ἕνεκα παρεθέμην τὸν λόγον· ἀλλ' ἄνευ τούτων, ὦ Πρώταρχε, τῶν ἡδονῶν καὶ τῶν ταύταις ἑπομένων, ἂν μὴ κατοφθῶσι, σχεδὸν οὐκ ἄν ποτε δυναίμεθα διακρίνασθαι τὸ νῦν ζητούμενον.*

Σύμμικτον τοῦτό γ' ἄρ' —] V. *Ἔμμικτον*, quod mutatum e Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΞΣΠ*. Par. BC. Angel. Flor. a. et edit. Bas. 2. In Par. EF. *σύμμικτον* super versu adscriptum. Praeterea *ἄρ'*, quod vulgo deerat, e Bodl. et Ven. *Π*. restitutum. In Vat. est *γάρ*, quod eodem perducit.

B. *τῶν ταύταις ἑπομένων*] *ταύτης* Bodl. Vat.

indecori ac turpes. Quocirca eorum voluptates imprimis iis odio esse dicuntur, qui antea vocati sunt *οἱ δυσχερεῖς*, hoc est, severis illis morosisque omnis voluptatis adversariis, qui eius vim naturamque penitus tollere conantur. Mox *τῷ τρίβειν* cum nomine *ἰάσεις* iungendum, de qua syntaxi v. ad Cratyl. p. 423. A. 433. B. Sophist. p. 262. B. Lysid. p. 205. C. — *σύμμικτον κακόν*, argute Protarchus vocat, quod Socrates scire vult, sitne voluptas an molestia.

A. *ἀλλ' ἄνευ τούτων, ὦ Πρ.*, *τῶν ἡδονῶν* —] Non quidem Philebi caussa scilicet, inquit, hanc quaestionem movi, quasi eum putem talium voluptatum defensorem ac patronum esse; sed sine harum ac similium voluptatum consideratione fieri nunquam poterit, ut id, quod quaerimus, recte diiudicemus. In his quod dicitur, *ἄνευ τούτων τῶν ἡδονῶν*, sine his voluptatibus, h. e. si ab his voluptatibus discesserimus, id clarius illustratur deinde additis hisce, *ἂν μὴ κατοφθῶσι*; de quo satis erit verbo monuisse. Eadem ratio est p. 60. D. Gorg. 513. E. — *τῶν ταύταις ἑπομένων*, quae iis similes atque cognatae sunt, i. q. *ξυγγενῶν*. Infra p. 54. E. *πάντα τὰ ἑπόμενα τοῖς τοιούτοις παθήμασι*. Ibid. p. 56. C. *τὰς μὲν μουσικῇ ξυνεπομένας, τὰς δὲ τεκτονικῇ*. Ibid. p. 57. E. *καὶ ταύταις ἄλλαι τοιαῦται ξυνεπόμεναι συγγεναί*. De Rep, III. p. 406. D. *τὰ τούτοις ἑπόμενα*. Legg. VII. p. 815. C. *καὶ τῶν ταύταις ἑπομένων*. Ibid. VIII. p. 828. C. *τῶν τούτοις ἑπομένων*. Ibid. p. 834. E. *τῶν ῥαψῳδῶν καὶ τῶν τούτοις ἑπομένων*. Ibid. IX. p. 853. A. X. p. 887. D. 897. A. al.

αἱ δ' αὐτῆς τῆς ψυχῆς ἐν τῇ ψυχῇ.] *solius* animi et a corporis communione seiuncti. Nihili est quod Bodl. habet *αὖ τῆς ψυχῆς*, quamquam id placuit Winckelmanno. Antea pronomine alteri membro adiecto dixit *καὶα*

ΠΡΩ. Οὐκοῦν ἰτέον ἐπὶ τὰς τούτων ξυγγενεῖς.

ΣΩ. Τὰς ἐν τῇ μίξει κοινωνούσας λέγεις;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Εἰσὶ τοίνυν μίξεις αἱ μὲν κατὰ τὸ σῶμα ἐν αὐτοῖς τοῖς σώμασιν, αἱ δ' αὐτῆς τῆς ψυχῆς ἐν τῇ ψυχῇ. τὰς δ' αὖ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος C *ἀνευρήσομεν λύπας ἡδοναῖς μιχθείσας τοτὲ μὲν ἡδονὰς τὰ ξυναμφότερα, τοτὲ δὲ λύπας ἐπικαλουμένας.*

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Ὁπόταν ἐν τῇ καταστάσει τις ἢ τῇ διαφθορᾷ τἀναντία ἅμα πάθη πάσχῃ, ῥιγῶν ποτὲ θέ-

αὐτῆς τῆς ψυχῆς] *αὖ τῆς ψυχῆς* Bodl. In Vat. *τῆς* om. C. *τὰς δ' αὖ τῆς ψυχῆς*] Sic Coisl. pro *αὐτῆς*, et Bastio teste Vatic.

ῥιγῶν ποτὲ θ.] *πότε ῥιγῶν πόττε* Bodl. Vat. Ven. *Π. ποτὲ ῥιγῶν* Coisl.

τὸ σῶμα ἐν αὐτοῖς τοῖς σώμασιν, in *solis* corporibus. Tria igitur hic ponit mixtarum voluptatum genera: unum, quod solius corporis sit; alterum, quod in solo animo cernatur; tertium, quod sit corpori et animo commune. De singulis ordine deinceps agitur. Nam primum statim inde a proximis verbis *Ὁπόταν ἐν τῇ καταστάσει κ. τ. λ.* aut potius inde a verbis *Λέγε δὴ τὰς μέν κ. τ. λ.* illustrantur solius corporis voluptates, etsi id ab initio non indicatur; nam p. 47. C. in. demum eius rei indicium fit. Deinde paucis ostenditur, de voluptatibus corpori et animo communibus iam in superioribus satis explicatum esse p. 47. C. quamquam nunc illi disputationi tanquam supplementum quoddam adiicitur; p. 47. D. Denique inde a p. 47. D. transitur ad explorandas mixtas voluptates, quae solius animi propriae esse iudicantur. Haec quantum reterat accurate tenuisse, loci qui sequitur difficillimi interpretatio unumquemque satis edocere poterit.

ἐν τῇ καταστάσει τις ἢ τῇ διαφθορᾷ] in (naturae suae) restitutione aut corruptione. Recordandum est enim eorum, quae supra p. 31. C. sqq. de origine voluptatis et doloris explicata sunt. Verba: *ποτὲ ῥιγῶν — ψύχηται*, praegressis, *τἀναντία πάθη πάσχῃ*, per epexegesin adduntur, ut neutiquam *καὶ* post *πάσχῃ* inserendum videatur. Dein *ζητῶν* est cupiens, ut p. 57. A. Apol. Socr. p. 37. C. Menon. p. 90. E. Euthydem. p. 306. C. Charm. p. 172. C. De Rep. II. p. 375. E, VI. p. 486, D. IX. p. 571. C. al. v. Heusdii Specim. Crit. p. 104. Videntur autem contrariae illae corporis affectiones vulgo designatae esse verbis: *πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον*, h. e. acerbo mixtum iucundum, quod cave cum *γλυκυπίκρῳ* confundas. Etenim hoc quidem loco agitur non de saporibus, sed de iucundis et iniucundis sensibus et affectionibus inter se com-

ρηται καὶ θορυβαινόμενος ἐνίοτε ψύχηται, ζητῶν, οἶμαι, τὸ μὲν ἔχειν, τοῦ δ' ἀπαλλάττεσθαι, τὸ δὴ λεγόμενον πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον, μετὰ δυσαπαλ-
D *λακτίας παρόν, ἀγανάκτησιν καὶ ὕστερον ξύστασιν ἀγρίαν ποιεῖ.*

ΠΡΩ. Καὶ μάλ' ἀληθὲς τὸ νῦν δὴ λεγόμενον.

πικρῷ γλυκὺ μεμ.] *πικρῷ γλυκεῖ* Par. F.

D. *ξύστασιν ἀγρίαν*] Bodl. Vat. et pr. Ven. *Π. σύντασιν.* at v. interpretat. Coisl. pr. *ξύνστασιν.*

mixtis. Atque ad hanc vulgarem rei appellationem sine dubio referenda sunt verba *τὸ δὴ λεγόμενον.* Quocirca non accedimus Im. Bekkeri sententiae praestare fortasse dicentis *πικρογλυκύ.* Nam ita si scribatur, *μεμιγμένον* utique molestissime redundabit. Nec profecto credibile est, si *πικρογλυκύ* fuisset communis rei appellatio, futurum fuisse, ut nemo quisquam huius nominis usquam mentionem faceret. De voc. *δυσαπαλλακτίας* v. Lobeck. ad Phrynich. p. 509. Denique dubitatur, utrum in proximis *ξύστασιν* an *ξύντασιν* scribendum sit. Rem si ex unis codicum testimoniis aestimes, caussa anceps est. Nam qui pro praestantissimis habentur libri tres, ii habent *ξύντασιν*; ceteri omnes *ξύστασιν* vel *σύστασιν.* Itaque facile apparet, rem ad unum mentis iudicium maxime redire; praesertim quum meliores illi codices plurima habeant eaque clarissima festinatae correctionis vestigia. Iam vero videamus ante omnia, quidnam sit, quod eo vocabulo hic designetur. Ac nos quidem si quid iudicare possumus, molestiae ac doloris cuiusdam sensus significatur. Dicitur enim dulce illud acerbo permixtum, si quis ab eo aegre possit liberari, primum *ἀγανάκτησιν* sive indignationem afferre, ac deinde etiam, diutius durante molestia, efficere *ἀγρίαν* sive *ξύστασιν* sive *ξύντασιν.* Quid igitur? nonne de acriore dolore hic cogitandum, qui tandem ex eo oriatur, quod natura sua et dulce et acerbum sit? At enim, inquit aliquis, quid tandem impedit, quominus de contentione s. *ξυντάσει* eaque *ἀγρίᾳ* cogitemus? Certe hanc rationem commendat magnopere, quod post paullo p. 47. A. legitur *συντείνει τε καὶ ἐνίοτε πηδᾶν ποιεῖ.* Sed primum quidem haec Platonis verba huc nihil pertinent; nam hoc quidem loco agitur de aegritudine ac dolore, illic autem de effectu maioris voluptatis, hoc est, de contrario, exponitur. Deinde quaenam tandem aut qualis est ista contentio, quam etiam Winckelmannus ad Euthydem. p. 71. hic significari arbitratur? Nimicum adeo ea non est accurate definita ac significata, ut notio rei prorsus incerta et obscura maneat. Quocirca videamus de altera lectione, quam aperte fatemur nobis unice probari. Vidimus igitur, aegritudinis et doloris acrioris significationem hic per ipsam requiri sententiam. Iam vero constat veteres Graecos et Romanos in ea fuisse sententia, ut animum dolore contrahi et adstringi, laetitia diffundi existimarent. In quam sententiam sine dubio eo deducti sunt, quod vultum et

ΣΩ. Οὐκοῦν αἱ τοιαῦται μίξεις αἱ μὲν ἐξ ἴσων εἰσὶ λυπῶν τε καὶ ἡδονῶν, αἱ δ' ἐκ τῶν ἑτέρων πλειόνων;

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΣΩ. Λέγε δὴ τὰς μέν, ὅταν πλείους λῦπαι τῶν ἡδονῶν γίγνωνται, τὰς τῆς ψώρας λεγομένας νῦν δὴ

τὸ νῦν δὴ λεγόμενον.] Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. om. *δή*. Sed habet Vat. corr. Eiecerunt critici, qui *νῦν δὴ* tantum praeteritis iungi sibi persuasissent.

Λέγε δὴ τὰς μέν,] *λέγω* Ven. *Π.*

frontem videbant in rebus ingratis vel iniucundis contrahi sive caperari, ut est apud Plautum Epid. V. 1, 3., in iucundis contra atque gratis aequabiliter diffundi. Seneca Epist. 106. Vide, an vultum nobis mutent, an frontem adstringant, an faciem diffundant. Ovid. Metam. XIV. v. 272. Hanc ubi nos vidit, dicta acceptaque salute, *diffudit vultus*. Id. Epist. ex Pont. IV. 4, 9. v. Burmann. ad Petron. c. 71. Hinc igitur ortum putamus vulgarem loquendi usum, nec tantum philosophorum scholis proprium, quo animus hilaris dicebatur *διαχεῖσθαι*, *διαστέλλεσθαι*, *διαλύεσθαι*, s. diffundi, tristis autem *συστέλλεσθαι*, *συνίστασθαι*, contrahi, nec vero unquam *συντείνεσθαι*. De Graecis vide locum insignem Sympos. p. 206. D. ubi *διαχεῖσθαι* ac *διαλύεσθαι* et *συσπειρᾶσθαι* s. *ἀνειλεῖσθαι* inter se opponuntur, et quae Wyttenbachius ad Plutarch. De Ser. Num. Vind. p. 103. et Heusingerus in Indice ad Iuliani Caesares exposuerunt. De Latinis autem satis erit contulisse Ovid. Met. III. v. 318. IV. v. 764. munere Bacchi diffundere animos. Cicer. Lael. c. 13. Tuscul. IV. 31. ubi effusioni animi in laetitia contrariam esse ait in dolore contractionem. Iam vero de hac animi corporisque molestia ubi *σύστασις* dici solere docuerimus, hunc locum a praepostera correctione *σύστασιν* utique videbimur liberasse ac defendisse, usque dum aliquis docuerit, *συντείνεσθαι* atque *σύστασιν* de eadem re usurpatum esse. Accipe igitur huius loquendi rationis exempla, quibus sententia nostra communiatur. Eurip. Hippolyt. v. 994. *πάτερ, μένος μὲν ξύστασίς τε σῶν φρενῶν δεινή*. Alcest. v. 809. *τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ ξυνεστῶτος φρενῶν*. Heraclid. v. 416. *καὶ νῦν πικρὰς ἂν ξυστάσεις ἂν εἰςίδοις*. Atque his ita expositis videmur non modo Platoni veram lectionem vindicasse, sed novo etiam exemplo demonstrasse, quod saepe diximus, tres illos codices, qui alias merito suo habentur pro praestantissimis, tamen ita esse usurpandos, ut ne temere iis ubique fidem habeamus, sed caute et circumspecte singulis locis varias lectiones suis momentis ponderemus. Quod nisi ita fiat, critica sane erit res omnium facillima, siquidem una oculorum acie et sollerti manuum exercitatione continebitur.

D. *Λέγε δὴ τὰς μέν,* —] Illustraturus est quod postremo dixerat, mixtiones illas posse sic comparatas esse, ut aut voluptates maiores sint aut contra

ταύτας εἶναι καὶ τὰς τῶν γαργαλισμῶν. ὁπόταν ἐντὸς τὸ ζέον ἢ καὶ τὸ φλεγμαῖνον, τῇ τρίψει δὲ καὶ τῇ

καὶ τῇ κνήσει] V. *κνήσει*, quod cum Heusdio aliisque correximus. v. interpretat.

μὴ ἐφικνῆταί τις] *ἐφικνεῖται* Bodl.

dolores. Ac primum quidem exemplo voluptatum ac dolorum uni corpori propriorum docet dolores posse maiores existere, id quod fit usque ad verba *ἡδοναῖς παρατιθέναι*. Deinde vero inde ab *Οὐκοῦν ὁπόταν αὖ πλείων ἡδονὴ κ. τ. λ.* ostendit vicissim etiam voluptatis plus admixtum esse posse. Sed totus hic locus multis magnisque obnoxius est difficultatibus; quamobrem copiosiorem requirit interpretationem. Exploremus igitur ante omnia sententiam; quo facto de verbis dispiciemus. Dicuntur igitur, si quid video, mixtiones illae, quae plus doloris quam voluptatis habeant, cerni in affectionibus scabiei ac titillationum paullo ante memoratis. Accidere enim in his solere, ut intus sub cute lateat quod ferveat et inflammatum sit, fricando autem et scabendo superficies tantum cutis exagitetur. Tum vero eos, qui ita affecti sint, prae consilii inopia cutem fricando incendere et inflammare, eoque modo in contrarium atque antea statum adducere; ita autem fieri, ut modo sibi pariant immensas voluptates fricando excitatas illas, modo etiam ex contrario orta inflammatione partibus interioribus ad dolores exteriorum partium mixtas doloribus voluptates afferant, prouti res in hanc aut alteram partem vergat et inclinet. Hanc igitur putamus universi loci sententiam esse. Videamus nunc de verbis. Et hic quidem ante omnia id agendum est, ut singula cola enuntiati recte discernantur sermonisque interpunctio emendetur. Dici enim non potest, quanta in hac re editorum librorum sit discrepantia. Ita vulgo post *λεγομένας* commate distinguitur et *νῦν δή* refertur ad *ταύτας εἶναι*; tum rursus post *εἶναι* et *γαργαλισμῶν* ponitur comma; post *διαχέῃ* autem colo inciditur itemque post *ἀμηχάνους ἡδονάς*, omissa post *μεταβάλλοντες* distinctione. Alii etiam aliter; nec temere videor pronuntiare, nullum dum esse librum, qui vel mediocriter hac in re probandus sit. Quocirca dicere licebit, quae nostrae distinctionis caussa et ratio sit. Interpunximus igitur plene post *γαργαλισμῶν*. Nam ita et primum membrum in se absolutum est, et quae sequuntur inde ab *ὁπόταν* facili negotio expediri possunt. Accedunt quippe haec superioribus explicationis gratia, ideoque recte sine coniunctione *γάρ* adduntur; de quo genere loquendi alibi exposuimus. Habemus autem hic enuntiatum ex protasi et apodosi compositum, quod mirum est ab omnibus editoribus et interpretibus negligi potuisse. Etenim protasis inde ab *ὁπόταν ἐντὸς τὸ ζέον κ. τ. λ.* usque ad *διαχέῃ* pertinet; inde autem oritur apodosis, cuius initio tamen ex Ald. Bas. 1. 2. *τότε* pro *τοτὲ* restituimus, quoniam alioquin sibi non constat verborum constructio. Praeterea post *μεταβάλλοντες* commate distinximus, propterea quod *ἐνίοτε ἀμηχάνους ἡδονάς* non ex *μεταβάλλοντες* pendet, sed cohaeret cum sequenti *παρέσχοντο*. Haec igitur de membrorum distinctione, qua una maxime nititur recta verborum

κνήσει μὴ ἐφικνῆταί τις, τὰ δ' ἐπιπολῆς μόνον διαχέῃ, τότε φέροντες εἰς πῦρ αὐτὰ καὶ εἰς τοὐναντίον E

τὰ δ' ἐπιπολῆς] Libri τὸ δ'. Emendavit Schützius.
E. τότε φέροντες εἰς πῦρ] V. τατὲ φερ. quod in τότε mutavi ex Vat. Ven. Π. et editt. Ald. Bas. 1. 2.

ac sententiarum interpretatio, ad quam nunc ita progrediamur, ut examinentur singula. Primum igitur membrum hoc est: Dic igitur, h. e. statue atque pone, istas quidem, quum plures dolores quam voluptates existunt (h. e. quae plus doloris quam voluptatis habent), esse quas modo dicebamus scabiei et titillationum. In quibus recte videmur ante νῦν δή sustulisse ὑποστιγμήν, quandoquidem haec vocabula cum λεγομένας connectenda sunt. Ad λεγομένας autem intelligendum ὑφ' ἡμῶν, sicuti prjdem ad p. 39. B. monuimus. Respicitur enim ad ea, quae paullo ante p. 46. A. disserebantur. Subiunguntur deinde reliqua, quae rem accuratius illustrant. Dicitur autem hoc: quando intus (sub cute) est id quod fervet et inflammatum est, fricando autem atque scabendo aliquis illuc non pervenit, sed superficiem tantum (scabendo) diffundit; tum illi (qui sic affecti sunt) partes laborantes inflammantes, eoque ipso prae remediorum inopia in contrarium mutantes, modo sibi immensas voluptates parant, modo ex contrario partibus internis, ad externarum partium dolores, voluptates doloribus mixtas afferunt, prouti res aut huc aut illuc vergit, eo quod concreta violenter disiungunt, aut discreta coniungunt atque simul dolores voluptatibus apponunt. Vides iam integritatem quidem sententiae sibi constare, sed singula quaedam etiamnunc indigere luce interpretationis. Et primum quidem οὐκ ἐφικνεῖσθαι dicitur, qui ad partes interiores corporis morbo laborantes fricando et scabendo non penetrat. In quibus verbis codd. mss. cum vett. editt. habent κινήσει, quod Heusdius et Wyttenbachius ad Plutarch. p. 1013. in κνήσει mutandum viderunt. Defendit tamen nuper librorum scripturam Wiwckelmannus ad Plutarchi Amator. p. 224. quo loco docet, κινεῖν et κίνησις dici de exagitatione et, quam vulgo dicunt, irritatione. Photius p. 166, 20. κινεῖ· οἷον ἐρεθίζει. Recte vero: nec tamen inde consequitur, ut hoc loco librorum scripturam pro vera probari oporteat. Nimirum scabiosi non omnino irritant corporis superficiem, sed faciunt id ipsum, unde nomen acceperunt, hoc est, scabunt eam et fricant. Itaque eo vocabulo profecto opus est, quo res significatur accuratius. Id autem fuisse κνῆσις, non dubitabunt, qui talia comparaverint: Plat. Gorg. p. 494. D. καὶ πρῶτον μὲν εἰπέ, εἰ καὶ ψωριῶντα καὶ κνησιῶντα, ἀφθόνως ἔχοντα τοῦ κνᾶσθαι, κνώμενον διατελοῦντα τὸν βίον εὐδαιμόνως ἐστὶ ζῆν. Plutarch. De Sanit. tuenda p. 126. B. ὥςπερ τὰ ψωριῶντα κνησμῶν ἀεὶ δεῖσθαι καὶ γαργαλισμῶν. Id. De Discr. Am. et Adul. p. 61. D. p. 233. Wytt. κνᾷ καὶ γαργαλίζει. Quocirca hoc quidem loco κνήσει unice verum puta-

ἀπορίαις μεταβάλλοντες, ἐνίοτε ἀμηχάνους ἡδονάς, τοτὲ δὲ τοὐναντίον τοῖς ἐντὸς πρὸς τὰς τῶν ἔξω λύπας ἡδονὰς ξυγκερασθείσας, εἰς ὁπότερ' ἂν ῥέψῃ, παρέσχοντο τῷ τὰ συγκεκριμένα βίᾳ διαχεῖν ἢ τὰ

πρὸς τὰς τῶν ἔξω] *προστάττων* Bodl. Ven. *II.* Dein libri omnes *ἡδοναῖς*, quod de coniectura Schützii in *ἡδονὰς* mutavimus. P. 47. *κατὰ τὰ τοιαῦτα πάντα*] Art. *τὰ* unus Par. C. prae-

mus. Alia discessio a librorum auctoritate in proximis facienda fuit, ubi Schützium sequuti *τὰ δὲ ἐπιπολῆς* pro *τὸ δὲ ἐπιπολῆς* restituimus. Nam plurali numero opus esse, arguunt quae sequuntur. Quod enim scabiosi dicuntur *αὐτὰ εἰς πῦρ φέρειν*, id non potest nisi de externis corporis partibus, sive de *τοῖς ἐπιπολῆς*, intelligi. Sin autem *τὸ ἐπιπολῆς* scribitur, profecto *αὐτά* non habet, quorsum commode referatur. Ita igitur hoc quoque extra dubitationem positum videtur. Pergimus ad proxima. Hic vero interpretes male habuit numerus pluralis *φέροντες* etc. Nos tamen illum facilem habere excusationem arbitramur. Quum enim praecedat *ὁπόταν μὴ ἀφικνῆται τις — διαχέῃ*, non aliter sane ille subiungitur, quam post *εἴ τις* et *ἐάν τις*, de quo ad p. 45. C. explicavimus. Et sic post *ὅταν τις* et *ἐπειδάν τις* etiam alibi factum esse, ad Remp. VII. p. 536. A. et libr. I. p. 344. B. ostendimus. Dissentiunt autem viri docti de vi et significatione formulae *φέρειν εἰς πῦρ*. Pleriique omnes tamen de ignis usu cogitant, atque deinde *τοὐναντίον* de aqua atque frigore intellectum volunt. Quod perquam mirum est. Quis enim vel fando audivit, scabiosos externas corporis partes igni admovere solere, aut aqua et frigidis liquoribus perfundere? Nimirum *εἰς πῦρ φέρειν* nihil aliud est quam *ἐμπυροῦν*, inflammare, quod illi faciunt nimium fricando atque scabendo. Cuius loquutionis aliud exemplum etsi non in promptu habemus, tamen *φέρειν τι εἴς τι* rectissime dici, *πῦρ* autem, sicuti pro *πυρετός* interdum dicitur, ita etiam de inflammatione poni potuisse, per se intelligitur. Ex his autem facile perspicietur, quomodo intelligenda sint proxima, *καὶ εἰς τοὐναντίον μεταβάλλοντες*. Significant enim haec effectum, quem habeat inflammatio, ideoque sic interpretanda sunt: *ac proinde s. et quidem* ea in contrarium mutantes, quandoquidem iam etiam hae partes corporis, quum antea *τὸ φλεγμαῖνον* intus tantum fuisset, inflammatione corripiuntur. Sic per *καί* non ita raro superioribus annectuntur, quae eorum effectum vel eventum significant. Cuius rei exemplum attulimus ad p. 31. E. quo loco *καὶ λύσις* subditicium esse demonstravimus. Alia id genus a Schaefero ad Demosthenem notata esse meminimus. Facere autem id illi dicuntur *ἀπορίαις*, h. e. prae consilii inopia et quia nesciunt quid sibi faciendum sit, quo vim pruritus ardorisque depellant. Qui quidem numerus multitudinis si quem offendat, quamquam utique suam habet excusationem, ei auctor sum ut *ἀπορίᾳ* reponat. Nam vetusta scriptura *ἀπορίαι* quam facile in

διακεκριμένα συγχεῖν καὶ ὁμοῦ λύπας ἡδοναῖς παρα- 47
τιθέναι.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα.

ΣΩ. Οὐκοῦν ὁπόταν αὖ πλείων ἡδονὴ κατὰ τὰ τοιαῦτα πάντα ξυμμιχθῇ, τὸ μὲν ὑπομεμιγμένον τῆς

buit. Habet eundem etiam edit. Bas. 2. unde iam revocavit Fischerus.

ἀπορίαις abire potuerit, sponte intelligitur. Iam vero in proximis apparet, ex nostra ratione ἐνίοτε et τοτὲ δὲ ad se invicem referri, accusativos autem ἀμηχάνους ἡδονάς et ἡδονὰς ξυγκεραθείσας suspensos esse ex παρέχοντο, id quod perspexit etiam Schützius, qui praeterea etiam ἡδονάς pro librorum lectione ἡδοναῖς reponendum vidit. Duplici autem significatione istud παρέχοντο positum est; nam cum ἀμηχάνους ἡδονάς iunctum significat sibi comparant; ut De Republ. IV. p. 421. D. ὄργανα μὴ ἔχων παρέχεσθαι ὑπὸ πενίας. al., cum ἡδονὰς ξυγκεραθείσας autem consociatum est afferunt; in quo non est cur quis temere haereat. Nimirum quod illi cutem ad inflammationem usque perfricant, id duplicem eventum habere posse iudicatur, prouti res huc aut illuc vergat. Nam εἰς ὁπότερ' ἂν ῥέψῃ, i. e. nachdem die Sache ausschlägt, arcte cum παρέχοντο connectendum est pertinetque ad duplicis eventus, qui memoratur, facultatem. Ne vero mireris ῥέψῃ, tertiam personam, sine subiecti mentione positum, scrupulum eximent, opinor, quae id genus alia exempla consignavimus in commentariis ad Theaetet. p. 171. A. et p. 187. C. Significatur autem: eventum illius vehementioris perfrictionis, quae adeo inflammationem ac dolorem efficiat, aut hunc esse posse, ut ingentes sentiantur voluptates, quandoquidem insolentior quaedam titillatio supernarum partium eam sequi possit: aut illum, ut partes corporis exteriores dolore corripiantur, internae autem aestu leventur, unde πρὸς τῶν ἔξω λύπας ἡδονὰς (αὐταῖς) ξυγκεραθείσας παρέχονται. Verum sive hoc sive illud accidit, illud tamen apparet, dolorem semper esse maiorem quam voluptatem. Nam vel maxima illa atque ingentes titillatio partium supernarum neutiquam aequat dolorem, qui intus saevit, praesertim quum ipsa ex morbo proficiscatur; lenimen autem dolorum internorum, quod habet aliquid iucunditatis, certe non tantum est, ut non molestiae vim, quam partes internae pariter atque externae sentiunt, multo maiorem esse affirmare liceat. Denique indicatur etiam via et ratio, qua duplex ille effectus oriatur. Nam τῷ cum infinitivis iunctum rursus est eo quod; v. ad Phaedon. p. 60. B. Efficiunt igitur scabiosi haec aut eo, quod concreta violenter diffundunt, quod pertinet ad violentiorem cutis fricationem; aut ita, ut discreta coniungere studeant, quae verba ad levamen interiorum dolorum retulerim; atque ita illi dolores iuxta voluptates tanquam collocant, quo fit, ut quae sunt inter se opposita, eo facilius sentiantur, atque illa ipsa titillatio per

λύπης γαργαλίζει τε καὶ ῥέμα ἀγανακτεῖν ποιεῖ, τὸ δ' αὖ τῆς ἡδονῆς πολὺ πλέον ἐγκεχυμένον συντείνει τε καὶ ἐνίοτε πηδᾶν ποιεῖ, καὶ παντοῖα μὲν χρώματα, παντοῖα δὲ σχήματα, παντοῖα δὲ πνεύματα ἀπεργαζόμενον πᾶσαν ἔκπληξιν καὶ βοὰς μετ' ἀφροσύνης ἐνεργάζεται.

B ΠΡΩ. Μάλα γε.

ΣΩ. Καὶ λέγειν τε, ὦ ἑταῖρε, αὐτόν τε περὶ ἑαυτοῦ ποιεῖ καὶ ἄλλον, ὡς ταύταις ταῖς ἡδοναῖς τερπόμενος οἷον ἀποθνήσκει· καὶ ταύτας γε δὴ παν-

τὸ δ' αὖ τῆς ἡδονῆς] V. αὐτῆς, invitis codd. omnibus. Dein pro vulg. ἐκκεχυμένον recte Bodl. Vat. Coisl. Ven. ΑΞΠΣ. Par. BC. Angel. Flor. a. b. c. i. cum edit. Bas. 2. verissime ἐγκεχυμένον.

ἀπεργαζόμενον πᾶσαν ἔκπλ.] Libri omnes ἀπεργαζόμενα. Correxit Buttmannus.

μετ' ἀφροσύνης ἐνεργάζεται] Bodl. Vat. Ven. Π. ἀπεργάζεται, unde Winckelm. coni. ἐναπεργάζεται. Vatic. teste Bastio in marg. μετ' εὐφροσύνης.

se molestissima, utpote doloribus contraria, iucundissima esse videatur. Sed haec satis sunto; veremur enim, ne vel nunc harum rerum disceptatio iusto longior evaserit.

P. 47. γαργαλίζει τε καὶ ῥέμα ἀγανακτεῖν ποιεῖ] Hesychius: γαργαλίζει· ἐρεθίζει. Etym. Magn. γαργαλίζει· κινεῖ, προτρέπει, ἐρεθίζει. Grammat. Bekkeri Anecdot. I. p. 31. γάργαλος· ὁ ἐρεθισμός. καὶ γαργαλισμός. τὸ δὲ γαργαλίζεσθαι οὐκ Ἀττικόν. Dicitur hoc loco de leni doloris stimulo et tanquam tormento. Plato Phaedr. p. 251. C. κνῆσίς τε καὶ ἀγανάκτησις — ζεῖ τε καὶ ἀγανακτεῖ καὶ γαργαλίζεται φύουσα τὰ πτερά. Ibid. p. 253. E. de animae auriga: ὅταν γαργαλισμοῦ τε καὶ πόθου κέντρων ὑποπλησθῇ.

συντείνει τε καὶ ἐνίοτε πηδᾶν ποιεῖ] Hic συντείνειν de voluptate dictum est intendere, spannen, in Aufregung setzen. Legg. VII. p. 800. D. ῥήμασί τε καὶ ῥυθμοῖς — συντείνοντες τὰς τῶν ἀκροωμένων ψυχάς. Unde apparet, non petendum hinc sententiae suae fuisse argumentum iis, qui supra σύντασιν pro vera lectione commendarunt. Mox ἀπεργαζόμενον de Buttmanni coniectura dedimus pro scriptura librorum ἀπεργαζόμενα, quam nemo quisquam defenderit vel explicaverit. Pro ἐνεργάζεται tres optimi, qui putantur, libri ἀπεργάζεται, quod placet Winckelmanno. Nimirum ἐνεργάζεται parum recte de βοαῖς μετ' ἀφροσύνης dici visum est; hinc orta criticorum correctio.

B. Καὶ λέγειν τε, ὦ ἑταῖρε, αὐτόν τε] Quae olim ad hunc locum de usu particularum καί — τε disputavimus, ea retractavimus ad Protagar. p. 317. D. consentiente nobiscum Kühnero ad Xenoph. Mem. IV. 2, 28. atque aliis multis. Hoc loco τε

τάπασιν ἀεὶ μεταδιώκει τοσούτῳ μᾶλλον, ὅσῳ ἂν ἀκολαστότερός τε καὶ ἀφρονέστερος ὢν τυγχάνῃ. καὶ καλεῖ δὴ μεγίστας ταύτας, καὶ τὸν ἐν ταύταις ὅ τι μάλιστ' ἀεὶ ζῶντα εὐδαιμονέστατον καταριθμεῖται.

ΠΡΩ. Πάντα, ὦ Σώκρατες, τὰ συμβαίνοντα πρὸς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων εἰς δόξαν διεπέρανας. C

ΣΩ. Περί γε τῶν ἡδονῶν, ὦ Πρώταρχε, τῶν ἐν τοῖς κοινοῖς παθήμασιν αὐτοῦ τοῦ σώματος τῶν ἐπιπολῆς τε καὶ ἐντὸς κερασθέντων· περὶ δὲ τῶν ἐν ψυχῇ, σώματι τἀναντία ξυμβάλλεται, λύπην τε ἅμα

B. *Καὶ λέγειν τε, ὦ ἑταῖρε* —] *γε* Bodl. Vat. Ven. *Π Σ.* Mox *καὶ περὶ ἄλλου* Bodl. Vat. Ven. *Π. καὶ περὶ ἄλλον* marg. Ven. *Σ.* Par. BC. Angel. Flor. a. c. *καὶ περὶ ἄλλων* marg. Ven. *Ξ.* sed v. interpretat.

ὅσῳ ἂν ἀκολαστ.] *ἂν* om. Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat.

τὸν ἐν ταύταις,] *ταύταις* Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *αὐταῖς.*

referendum est ad alterum illud *καί* verbis *ταύταις γε δὴ παντάπασιν κ. τ. λ.* praemissum, hoc sensu: Non modo efficit, ut et ipse de se et alius *dicat*, hisce voluptatibus indulgentem tanquam mori (h. e. prae voluptatis magnitudine tanquam mori), sed eas etiam omni modo semper sectatur, et quidem tanto magis, quanto quis intemperantior atque dementior est. Correctioni igitur criticorum deberi videtur, quod Bodl. cum suis offert *καὶ λέγειν γε.* Verba *τοσούτῳ μᾶλλον κ. τ. λ.* praecedenti *παντάπασιν ἀεὶ μεταδιώκει* epexegesis gratia adduntur. Simile quid monuimus de loco Gorg. p. 487. B. ubi v. ann. Ceterum quod nuperi editores scripserunt *αὐτόν τε περὶ ἑαυτοῦ ποιεῖ καὶ περὶ ἄλλου*, id ferendum nullo modo censemus, siquidem ita verborum ordo hic esse debuit: *αὐτὸν περί τε ἑαυτοῦ ποιεῖ καὶ περὶ ἄλλου.*

Πάντα — *τὰ συμβαίνοντα* — *εἰς δόξαν*] Ficinus: omnia, quae apud magnam hominum multitudinem veniunt in existimationem. *Πρὸς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων* proprie est: von Seiten der grossen Menge. De *οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι*, pro quo usitatius fuit *οἱ πολλοί*, conf. Phaedon. p. 65. A. *καὶ δοκεῖ γέ που, ὦ Σιμμία, τοῖς πολλοῖς ἀνθρώποις.* Euthyphr. p. 4. E. *οὐδέ τῳ ἂν διαφέροι Εὐθύφρων τῶν πολλῶν ἀνθρώπων.*

C. *περὶ δὲ τῶν ἐν ψυχῇ, σώματι τἀναντ.*] Deest aliquid ad loci integritatem. Quamobrem Buttmannus coniectabat: *ἐν ψυχῇ καὶ σώματι, ὅταν ψυχὴ σώματι τἀναντία ξυμβάλληται*, quod certe ad sententiam est accommodatissimum. Nam ex universae disputationis tenore clarissime intelligitur, agi nunc de voluptatibus mixtis corpori et animo communibus. Fatemur tamen desiderare nos in illa ra-

πρὸς ἡδονὴν καὶ ἡδονὴν πρὸς λύπην, ὥστ' εἰς μίαν ἀμφότερα κρᾶσιν ἰέναι, ταῦτα ἔμπροσθεν μὲν διήλθομεν, ὡς ὁπόταν αὖ κενῶται πληρώσεως ἐπιθυμεῖ, καὶ ἐλπίζων μὲν χαίρει, κενούμενος δὲ ἀλγεῖ, ταῦτα δὲ
D *τότε μὲν οὐκ ἐμαρτυράμεθα, νῦν δὲ λέγομεν, ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα διαφερομένης ἐν πᾶσι τούτοις πλήθει ἀμηχάνοις οὖσι μίξις μία λύπης τε καὶ ἡδονῆς ξυμπίπτει γενομένη.*

ΠΡΩ. Κινδυνεύεις ὀρθότατα λέγειν.

Cap. XXIX. *ΣΩ. Ἔτι τοίνυν ἡμῖν τῶν μίξεων λύπης τε καὶ ἡδονῆς λοιπὴ μία.*

C. *ταῦτα δὲ τότε μὲν*] δὴ Bodl. Vat. Ven. *Π.*

D. *σύγκρασιν ἔφαμεν*] V. *σύγκρισιν*, quod nec codd. mss. nec edit. Bas. 2. agnoscunt. Pro *Ποία, φής*; Steph. coni.

tione facilitatis commendationem. Itaque facile quis cum Astio post *ψυχῇ* inserendum putet *ἥ*, ut communes utrique hominis parti voluptates periphrasi designari existimandae sint. Nam tum hoc dicet Socrates: De voluptatibus autem, quae insunt in animo, qui corpori impertitur contraria, ita ut utraque in unam mixtionem coeant etc. Verum ita tamen sententia nimia laborat obscuritate, adeoque nunc animus dicitur efficere, ut mixtae oriantur voluptates, quod a Platonis mente et sententia mirum quantum abhorret. Non magis ferri potest, quod coniecit Winckelmannus, *περὶ δὲ τῶν ἃ ψυχὴ σώματι — ξυμβάλλεται* vel *περὶ δὲ τῶν ἂν — ξυμβάλληται*. Nam *περὶ δὲ τῶν* propter oppositi rationem non potest pro neutro accipi, sed est sine dubio femininum, ad quod intelligendum est *ἡδονῶν*. Quocirca pronomini *ἃ* nullus omnino locus est. Vide igitur an vera lectio fuerit haec: *περὶ δὲ τῶν ἐν ψυχῇ καὶ σώματι, ὅτε ταὐναντία ξ.* de voluptatibus autem, quae in animo pariter atque corpore insunt, quando (*utraque haec nostri pars*) contraria confert, dolorem cum voluptate et voluptatem cum dolore etc. Verum satis erit, saltem sententiam loci demonstravisse; certam verborum medelam alii nobis felicius reperient.

ὡς ὁπόταν αὖ κενῶται, πληρώσεως ἐπιθ.] Nec hic omnia satis sunt expedita. Etsi enim sententia scriptoris clara est et perspicua ex iis, quae inde a p. 31. B. sqq. de his rebus disputata leguntur, ad quam sermonis partem hic respicitur: tamen verba manca sunt ac depravata, sicuti partim *αὖ* particula arguit, partim etiam ex eo perspicitur, quod verbo *κενῶται* atque reliquis suum deest subiectum. Hoc enim e longinquo arcessere, veluti ex *μεταδιώκει* p. 47. B., ideo vix licet, quia inde a sect. C. de novo voluptatum genere disputari coeptum est. Accedit, quod hic eorum tantummodo iniicitur mentio, quae p. 34. E sqq. disputata leguntur, reliqua

ΠΡΩ. Ποία, φῄς;

ΣΩ. Ἣν αὐτὴν τὴν ψυχὴν αὐτῇ πολλάκις λαμβάνειν σύγκρασιν ἔφαμεν.

ΠΡΩ. Πῶς οὖν δὴ τοῦτ' αὐτὸ λέγομεν;

ΣΩ. Ὀργὴν καὶ φόβον καὶ πόθον καὶ θρῆνον E *καὶ ἔρωτα καὶ ζῆλον καὶ φθόνον καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἆρ' οὐκ αὐτῆς τῆς ψυχῆς τίθεσαι ταύτας λύπας τινάς;*

ΠΡΩ. Ἔγωγε.

ΣΩ. Οὐκοῦν αὐτὰς ἡδονῶν μεστὰς εὑρήσομεν

Ποίαν φῄς;
Πῶς οὖν δὴ τοῦτ' αὐτὸ λ.] *δὴ* accessit e Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ*. Coisl. Par. BCF. Angel. Flor. a. b. c. i. et edit. Bas. 2.

ne verbo quidem attinguntur. Itaque locum lacunosum sic explendum arbitror: *ὡς ὅταν μέν τις πληρῶται, χαίρει, ὁπόταν δ' αὖ κενῶται, πληρώσεως ἐπιθυμεῖ κ. τ. λ.* Depravationi quid ansam praebuerit, nisi forte fuerit simile utriusque membri initium, nos nescire fatemur; nec scire omnia fas est.

D. *ξυμπίπτει γενομένη*] H. e. *ὅταν γένηται* s. *ὅτε ἐγένετο*. Nam haec est, opinor, vis aoristi, quem olim male sollicitavi, *γιγνομένη* scribendum ratus. Vera sunt ex parte, quae contra disputavit Graserus Advers. p. 73 sq. Nam quae contendi de verbi *ξυμπίπτειν* cum participiis coniunctione, ea non minus falsa sunt, quam quae olim ad p. 30. de verbi *λανθάνειν* constructione pronuntiavi. Verum illud neutiquam concesserim, verba sic esse explicanda: mixtio *facta* una utriusque rei *coalescit*, ut ille p. 74. interpretatur.

Ποία, φῄς;] Stephanus in marg. „Fortasse, inquit, *ποίαν φῄς;*" Nempe offendit virum Graece doctissimum sine dubio *φῄς* istud sic in interrogatione per se positum. Et iure profecto; nam alius generis sunt, de quibus dicemus ad p. 49. A. Codices tamen omnes receptam lectionem tuentur. Mox Astius voc. *σύγκρασιν* eiecto legendum suspicatur *λαμβάνειν ἔφαμεν*. Nec tamen ea mutatione opus esse censemus. Nam post *ἦν*, quod ad *μίξιν* refertur, deinde *σύγκρασιν* interponitur, perspicuitatis, opinor, gratia. Certe talis eiusdem notionis repetitio non est insolens. Olim legebatur *σύγκρισιν*, pro quo Buttmannus malebat *συγκεράσασαν*. Nunc vir egregius ipse recepta lectione acquiesceret, opinor. Speciosius est, quod Astius deinceps legendum proposuit: *Πῶς οὖν δὴ τοῦτ' αὖ λέγομεν.*

E. *Οὐκοῦν αὐτὰς ἡδονῶν μεστὰς* —] Locus Homeri, ad quem respicitur, est Iliad. XVIII. v. 107 sqq., ubi Achilles ad Thetidem matrem: *ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο, καὶ χόλος, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι. ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος κα-*

ἀμηχάνων; ἢ δεόμεθα ὑπομιμνήσκεσθαι τὸ ὅς τ' ἐφέηκε [τοῖς θυμοῖς καὶ ταῖς ὀργαῖς τὸ]
πολύφρονά περ χαλεπῆναι,
48 ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο —
καὶ τὰς ἐν τοῖς θρήνοις καὶ πόθοις ἡδονὰς ἐν λύπαις οὔσας ἀναμεμιγμένας;

ΠΡΩ. Οὔκ, ἀλλ' οὕτω ταῦτά γε καὶ οὐκ ἄλλως ἂν ξυμβαίνοι γιγνόμενα.

ΣΩ. Καὶ μὴν καὶ τάς γε τραγικὰς θεωρήσεις, ὅταν ἅμα χαίροντες κλάωσι, μέμνησαι;

E. ὅς τ' ἐφέηκε] ὥστε vitiose plurimi om. Bodl. Vat. Coisl. Ven. *Π*. Iidem fere mox ὥστε πάνυ γλυκίων. De verbis τοῖς θυμοῖς — ὀργαῖς τὸ v. infra annot.

καταλειβομένοιο ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται ἤὔτε καπνός. Quem Socrates non integrum recitat utpote praesentibus iam satis notum, sicuti par erat. Quocirca post καταλειβομένοιο addidimus signum abruptae orationis. Sed dubitatur de universi loci integritate. Cornarius enim in Eclogis putabat rectam lectionem hanc esse: ἢ δεόμεθα ὑπομ. τό, Καὶ χόλος, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλ. ὅς τε π. γλ. μ. κατ., eiectis verbis τοῖς θυμοῖς καὶ ταῖς ὀργαῖς τό. Stephanus autem Platonem scripsisse censebat: ὑπομιμνήσκεσθαι τοῖς θυμοῖς καὶ ταῖς ὀργαῖς τὸ Ὅς τ' ἐφέηκε κ. τ. λ. Quos sequutus Fischerus reliquis omnibus intactis τοῖς θυμοῖς καὶ ταῖς ὀργαῖς τὸ censuit eliminanda esse: non enim necessarium fuisse, ut Socrates verba καὶ χόλος praemitteret, quum versiculi Protarcho satis noti essent. Atque hanc rationem unice veram esse nobis plane persuasimus, laetamurque etiam Turicenses ita sensisse. Etsi enim bene novimus Socratem apud Platonem non raro versus poëtarum sic afferre, ut iis sua ipsius verba interseraf, tamen id nusquam facit inepte, absurde, insulse. Quod profecto hoc loco secus est. Nam servata librorum lectione quaenam tandem existet verborum sententia? Nimirum haec: ira (χόλος enim intelligendum, aut, si mavis, ante ὅς τ' ἐφέηκε addendum) quae per animi impetus et iras hoc immittit (nam sic ἐφέηκε interpretandum erit), ut etiam sapiens succenseat, quaeque multo dulcior melle stillante etc. Quod quis est quin protenus sentiat dictum esse longe perversissime? Quis enim sanae mentis homo dixerit iram per iracundiam et iram immittere sapienti indignationem? Quodsi igitur aliquis in posterum haec defendenda suscipiat, ei non ad codicum auctoritatem aut ad familiaris sermonis libertatem erit provocandum, sed id potius agendum, ut verba et recta esse et perspicua accurate demonstretur.

P. 48. Καὶ μὴν καὶ τάς γε τραγικὰς θεωρήσεις] Conf. Ion. p. 535. E. Hinc igitur docebunt rerum antiquarum scriptores, etiam Athenienses inter tragica spectacula lacrymari

ΠΡΩ. Τί δ' οὔ;

ΣΩ. Τὴν δ' ἐν ταῖς κωμῳδίαις διάθεσιν ἡμῶν τῆς ψυχῆς ἆρ' οἶσθ', ὡς ἔστι καὶ τούτοις μίξις λύπης τε καὶ ἡδονῆς;

ΠΡΩ. Οὐ πάνυ κατανοῶ.

ΣΩ. Παντάπασι γὰρ οὐ ῥᾴδιον, ὦ Πρῶταρχε, B ἐν τούτῳ ξυννοεῖν τὸ τοιοῦτον ἑκάστοτε πάθος.

ΠΡΩ. Οὔκουν ὥς γ' ἔοικεν ἐμοί.

ΣΩ. Λάβωμέν γε μὴν αὐτὸ τοσούτῳ μᾶλλον,

P. 48. καὶ πόθοις] Sic Steph. cum marg. Par. F. et Florentinis. Ceteri libri πότοις.

consuevisse. Tertiam personam κλάωσιν de generali subiecto οἱ ἄνθρωποι dictam ne mireris, v. ann. ad Cratyl. p. 387. C. Sophist. p. 228. D. Mox κἀν τούτοις per synesin ad τὴν ἐν ταῖς κωμῳδίαις διάθεσιν refertur, ut sit: in his affectibus qui ad fabulas comicas pertinent, qui spectandis comoediis cientur.

B. Λάβωμέν γε μὴν αὐτὸ τοσούτῳ μ.] Comoediam quoque docet gignere voluptates doloribus mixtas. Quam rem, utpote obscuriorem, accuratius illustrare instituit, effecturus simul hoc, ut de aliis quoque sensibus similiter mixtis et confusis facilius fieri possit iudicium. Orditur igitur ab invidiae et malevolentiae (h. e. der Schadenfreude) natura explicanda, quam quidem vult esse quendam animi dolorem atque aegritudinem, cuius vis cernatur in eo, ut alienis malis gaudeamus. Hinc vero naturam ridiculi, quod in fabulis comicis elucescit, cognosci posse arbitratur. Etenim ex humanae naturae vitiis non minimum esse ait illud, quod positum sit in sui ignorantia. Quam quidem triplicem esse statuit, prouti ad tria illa bona referatur, quibus homines vulgo maxime gaudere soleant, hoc est, vel ad divitias, vel ad corporis pulcritudinem, vel ad animi virtutem et sapientiam. Fieri enim posse, ut quis falsa occoecatus opinione sese vel opulentiorem, vel pulcriorem, vel denique sapientiorem et meliorem esse existimet, quam revera sit. Iam vero hoc quidem, inquit, si quidquam aliud, sine dubio in summis malis ducendum est. Verum in hac ipsa re duo rursus diligenter secernenda sunt, ut ridiculam illam et cum voluptate iunctam invidiam cognoscamus. Est enim duplex genus eorum hominum, qui pravis de se suisque bonis opinionibus ducuntur. Alii enim simul vi et potentia pollent; alii in summa superbia laborant imbecillitate atque impotentia. Hinc igitur alii sunt ridiculi, alii truculenti et propter ignorantiam cum potentia copulatam turpes. Nam ridiculi sunt, qui quum de bonis suis superbiant, tamen, si ridentur et exagitantur, propter imbecillitatem et ignaviam suam non possunt ab aliis sumere vindic-

ὅσῳ σκοτεινότερόν ἐστιν, ἵνα καὶ ἐν ἄλλοις ῥᾷον καταμαθεῖν τις οἷός τ' ᾖ μίξιν λύπης τε καὶ ἡδονῆς.

ΠΡΩ. Λέγοις ἄν.

ΣΩ. Τό τοι νῦν δὴ ῥηθὲν ὄνομα φθόνου πότερα λύπην τινὰ ψυχῆς θήσεις, ἢ πῶς;

ΠΡΩ. Οὕτως.

ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν ὁ φθονῶν γε ἐπὶ κακοῖς τοῖς τῶν πέλας ἡδόμενος ἀναφανήσεται.

B. *ῥᾷον καταμαθεῖν*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ῥᾴδιον.*

C. *Κακὸν μὴν ἄγνοια*] Sic Steph. de Cornarii coniectura

tam; qui autem, quum vana de se opinione inflati sint, etiam robore ac potentia valent, ut aliis vim inferre malitioseque nocere possint, hos pro truculentis, violentis atque turpibus habemus. Atque hinc perspicietur, qui fiat, ut in comoedia iucundorum et iniucundorum sensuum fiat tanquam permixtio quaedam et confusio. Est enim invidia iniusta laetitia de malis eorum, quibus bene cupere debemus. Invidentes igitur aliis etiam ridemus hominum ignorantiam, qua in iudicandis suis bonis ac virtutibus misere saepe occoecantur, ex eaque re, siquidem imbecillitas eorum accesserit, insignem capimus voluptatem. At enim vero, quum is, qui alteri invidet, animi quadam aegritudine laboret, fieri non potest, quin eodem tempore, quo ex ridiculo capimus laetitiam, etiam dolorem percipiamus. Ita igitur fit, ut in fabularum ludicrarum spectatione simul et voluptatis et doloris sensu perfundamur. Atque haec quidem totius huius loci summa est, quam paucis exponendam putavimus, quoniam, quae hic subtilissime explicantur, ea non usquequaque intellecta sunt. De singulis ordine deinceps suo loco dicetur. Hic tantummodo addere licebit Socraticam invidiae definitionem cum Platonica fere conspirantem. Xenophon enim Memor. III. 9, 8. *φθόνον δὲ σκοπῶν, ὅ τι εὖη, λύπην μέν τινα ἐξεύρισκεν αὐτὸν ὄντα, οὔτε μέντοι τὴν ἐπὶ φίλων ἀτυχίαις οὔτε τὴν ἐπ' ἐχθρῶν εὐτυχίαις γιγνομένην, ἀλλὰ μόνους ἔφη φθονεῖν τοὺς ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων εὐπραξίαις ἀνιωμένους.*

Ἀλλὰ μὴν ὁ φθονῶν γε—] Laudantur haec usque ad *σφόδρα γε* a Stobaeo Eclogg. Ethic. c. 38. p. 226. — *οἱ πέλας* sunt alii quivis, quibuscum rem habemus, vel habere possumus, ut p. 49. C. *βλαβερὰ γὰρ καὶ τοῖς πέλας.* Legg. II. p. 671. B. XI. p. 936. E. Crebro *οἱ πέλας* et *οἱ πλησίον* etiam poëtis scenicis memorantur. Ita Aeschyl. Prom. v. 3135. Eumenid. v. 416. 507. Suppl. v. 388. Sophocl. Aiac. v. 1151. Electr. v. 551. Antig. v. 479. Philoct. v. 340. Eurip. Heracl. v. 2. Helen. v. 739 921. Herc. v. 192. 591. 730. Med. v. 85. ubi haec fere attulit

ΠΡΩ. Σφόδρα γε. C

ΣΩ. Κακὸν μὴν ἄγνοια καὶ ἦν δὴ λέγομεν ἀβελτέραν ἕξιν.

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Ἐκ δὴ τούτων ἰδὲ τὸ γελοῖον ἥντινα φύσιν ἔχει.

ΠΡΩ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Ἔστι δὴ πονηρία μέν τις τὸ κεφάλαιον ἕξεώς τινος ἐπίκλην λεγομένη· τῆς δ' αὖ πάσης πο-

pro ἄνοια, quod ceteri libri omnes habent. Bas. ed. 1. tamen in marg. ἢ ἄγνοια. et Ald. ἄνια.

Ἐκ δὴ τούτων ἰδὲ τὸ γ.] V. ἴδε, quod e Vat. correctum.

Elmsleius. Aristoph. Eccles. v. 16. 561. Lys. v. 472.

C. Κακὸν μὴν ἄγνοια —] Qui se suasque res non recte aestimant, hi dicuntur ἑαυτοὺς ἀγνοεῖν; ut Lat. semet ignorare, non item ἀνοεῖν. Ex quo consequens est, ut hoc loco ἄγνοια unice verum iudicari debeat. Codd. tamen omnes cum Ald. Bas. 1. 2. ἄνοια, quod Fischerus frustra defendit, Winckelmannus item frustra calculo suo probat. Verum pervidit primus Cornarius, quem plerique omnes deinceps editores et interpretes ad hunc usque diem secuti sunt, sicuti par erat. Mutatio eo minus audax videri potest, quo saepius in codd. ἄνοια et ἄγνοια confundi inter se solent. v. Fischerus ad Phaedon. c. 29. extr. intpp. ad Thucyd. VI. 89. Perizon. ad Ael. Varr. Hist. V. 17. Intelligitur ergo non dementia, insania, sed inscitia. Atque id ipsum etiam proximo ἀβελτέρα ἕξις confirmatur. Nam ἀβέλτερος est Graecis, qui inscitus ineptusque est, quem nos vocamus albern, dumm. Hinc Hesychius, Suidas, Grammaticus in Bekkeri Anecd. I. p. 321. τὸν ἀβέλτερον non interpretantur ἄνουν, sed ἀνόητον, μωρόν, ἠλίθιον, τὸν τὸ βέλτιον μὴ γιγνώσκοντα; et ἀβελτερίαν volunt esse ἀνοησίαν, quanquam Hesychius generis vocabulum ἄνοιαν substituit, nimirum notionem rei non satis accurate definiens. Demosthenem autem constat ἀβελτερίαν saepe dixisse ignorantiam prudentiae contrariam et oppositam. Verum hoc tanquam in transitu, ne forte ἀβελτερία videatur τὴν ἄγνοιαν diutius defendere ac tueri velle.

ἕξεώς τινος ἐπίκλην λεγομένη] H. e. quae peculiare nomen accepit; ἐπονομαζομένη. Tim. p. 58. D. ἐπίκλην αἰθὴρ καλούμενος. Ibid. p. 66. B. ζύμωσιν ἐπίκλην λεχθῆναι. Ibid. p. 38. C. ἥλιος καὶ σελήνη καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπίκλην ἔχοντα πλανητά, ubi vulgo scribitur πλάνητες. Genitivus ἕξεώς τινος ex πονηρία pendet; quocirca male in editt. post τὸ κεφάλαιον commate distinguitur. De τὸ κεφάλαιον, si summam rei spectamus, v. Hipp. min. p. 366. C. Euthyphr. p. 8. E. Symp. p. 205. C. al.

νηρίας ἐστὶ τοὐναντίον πάθος ἔχον ἢ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς γραμμάτων.

ΠΡΩ. Τὸ γνῶθι σαυτόν λέγεις, ὦ Σώκρατες;

D *ΣΩ. Ἔγωγε. τοὐναντίον μὴν ἐκείνῳ δῆλον ὅτι τὸ μηδαμῇ γιγνώσκειν αὐτὸν λεγόμενον ὑπὸ τοῦ γράμματος ἂν εἴη.*

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Ὦ Πρώταρχε, πειρῶ δὲ αὐτὸ τοῦτο τριχῇ τέμνειν.

D. Ὦ *Πρώταρχε, πειρῶ δὲ αὐτὸ*] δὲ Bodl. Vat. Ven. *Π.* Vulgo *δή*.

Λέγω, καὶ δεομαί γε] *Λέγω*, quod vulgo omittebatur, ser-

ἢ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐν Δ. γραμμάτων] omnis autem pravitatis *τὸ γελοῖον* ea pars est, quae habet contrariam animi affectionem, atque Delphici templi inscriptione praecipitur. Itaque opus est, ut aut cum Astio corrigatur *τὸ τοὐναντίον πάθος ἔχον*, aut *τὸ ἐναντίον πάθος ἔχον* scribatur. Pertinet enim articulus *τὸ* ad *ἔχον*, atque constructio verborum haec esse videtur: *τὸ γελοῖόν ἐστι τῆς πάσης πονηρίας τὸ ἐναντίον* (s. *τὸ τοὐναντίον*) *πάθος ἔχον ἢ τὸ λεγόμενον κ. τ. λ.* Ceterum quod hic vocatur *τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς γραμμάτων*, id Charm. p. 164. D. *τὸ ἐν Δελφοῖς γράμμα* et Erast. p. 138. A. *τὸ τῆς Πυθίας γράμμα* appellari meminimus. conf. ad Protagor. p. 343. B. et Valcken. ad Eurip. Hippolyt. v. 265.

D. *τοὐναντίον μὴν ἐκείνῳ δῆλον*] locans haec videtur dicere, rem scilicet accommodans statim ad eorum animi habitum, quos deinceps in summa sui ignorantia versari docet. Quocirca haec dicit: verumtamen apertum est contrarium illi ab inscriptione dici *τὸ μηδαμῇ γιγνώσκειν ἑαυτόν*. Germanice verba sic reddideris: Offenbar dürfte aber doch das Gegentheil davon von der Inschrift *Das Sich-Nicht-Erkennen* genannt werden. Itaque *λεγόμενον ἂν εἴη* ob praegressum *λεγόμενον* positum pro *λέγοιτο ἄν*. Hoc modo ubi verba intellexeris, neque cum Beckio istud, *λεγόμενον ὑπὸ τοῦ γράμματος*, eiiciendum censebis, neque cum Schleiermachero corriges *γιγνώσκειν αὖ τὸν λεγόμενον ὑπὸ τοῦ γράμματος*, ut haec pronominis *ἑαυτόν* periphrasin quandam contineant. Nec vero quidquam habet dubitationis aut offensionis, quod nunc singulari numero *ὑπὸ τοῦ γράμματος* scriptum est, quum antea pluralis esset positus. Etenim nondum prolato dicto illo Socrates loquebatur indefinite; nunc ubi Protarchus assequutus est, quid esset quod significaretur, non potuit fieri quin *ὑπὸ τοῦ γράμματος* diceretur.

Ὦ *Πρώταρχε, πειρῶ δὲ αὐτὸ τ.*] Vocativus non sine affectus cuiusdam significatione sic praemissus reliquis verbis est; quem recte sequitur *δέ*, quod ex optimis codd. revocavimus.

ΠΡΩ. Πῇ φῄς; οὐ γὰρ μὴ δυνατὸς ὦ.

ΣΩ. Λέγεις δὴ δεῖν ἐμὲ τοῦτο διελέσθαι τὰ νῦν;

ΠΡΩ. Λέγω, καὶ δέομαί γε πρὸς τῷ λέγειν.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν οὐ τῶν ἀγνοούντων αὐτοὺς κατὰ τρία ἀνάγκη τοῦτο τὸ πάθος πάσχειν ἕκαστον;

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Πρῶτον μὲν κατὰ χρήματα, δοξάζειν εἶναι πλουσιώτερον ἢ κατὰ τὴν αὐτῶν οὐσίαν. E

varunt Bodl. Vat. Ven. *ΠΑΞΣ*. Coisl. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. Stobaeus Eclogg. Ethic. 21. p. 179. ed. Cant. et edit. Bas. 2. Dein *πρός τὸ* Ven. *Π*. et Vat. pr.

Nam solet particula haec non raro in respondendo vocativis cum vi quadam adversativa subiungi. Theag. p. 127. C. *Ὦ Σώκρατες, πρὸς σὲ δ' ἂν ἤδη εἴη ὃ μετὰ τοῦτο λόγος.* ubi v. ann. Idem visum est Winckelmanno ad Euthydem. p. 293. B.

Λέγω, καὶ δέομαί γε πρὸς τῷ λέγειν.] H. e. atque adeo rogo, praeterquam quod *dico*. De hoc usu praepositionis *πρός* v. ad Protagor. p. 333. A. ed. 2. Particulas *καὶ — γε* illustrabunt haec. Aristoph. Rann. v. 562. *κἄκμυκᾶτο γε*, atque adeo mugiebat, und brüllte gar. Ibid. 568. *καὶ ξίφος γ' ἐσπᾶτο*, und zog den Dolch gar; Ibid. v. 585. *κἂν εἴ γε τύπτοις με*, und wenn du gar mich schlügest; ubi temere *γε* expulerunt. Ibid. v. 799. *καὶ πλαίσια πλινθεύσομαί γε*; atque adeo lateres fingent. Supra p. 28. B. *καὶ δέομαί γε, ὦ Σώκρατες, αὐτόν σε κ. τ. λ.*

κατὰ τρία ἀνάγκη τοῦτο τὸ πάθος π.] Facile apparet vulgarem hic de bonis opinionem respici, *ὡς ἄριστον μὲν ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος, τρίτον δὲ ἰσχύς, τέταρτον δὲ πλοῦτος*, ut est De Legg. II. p. 661. A. conf. annot. ad Gorg. p. 451. E. ex quo loco de eius origine constat. Sed memorat Socrates pro suo consilio nunc tantummodo opes ac divitias itemque pulcritudinem; nam de sanitate ac robore infra demum mentio iniicienda fuit. Addidit vero virtutem ac sapientiam, quoniam qui vanam de se suisque rebus opinionem mente conceperunt, ii maxime etiam virtutis ac sapientiae laudem vindicare sibi student.

E. *ἢ κατὰ τὴν αὐτῶν οὐσίαν.*] quam pro opum, quas revera possident, magnitudine. Notissimum hoc genus loquendi, de quo v., si tanti est, Matthiae Gr. §. 449. Kühner. Gr. T. II. §. 751. i. Refertur autem *αὐτῶν* numero plurali ad notionem vocabulo *ἕκαστον* subiectam, quo offensus Stephanus *πλουσιωτέρους* scribendum censebat, quod tamen rectissime post *ἕκαστον* ponitur. conf. Matthiae Gr. §. 302. Legg. VI. p. 754. D. *πρῶτον μὲν φύλακες ἑστῶσαν τῶν νόμων, ἔπειτα τῶν γραμμάτων, δι' ὧν ἂν ἕκαστος ἀπογράψῃ τοῖς ἄρχουσι τὸ πλῆθος τῆς αὑτῶν οὐσίας.* Scripturam *αὐτῶν*, quam Baiterus, ut sexcenties, in *αὑτῶν* commutavit, hoc quidem

ΠΡΩ. Πολλοὶ γοῦν εἰσὶ τὸ τοιοῦτον πάθος ἔχοντες.

ΣΩ. Πλείους δέ γε, οἳ μείζους καὶ καλλίους αὑτοὺς δοξάζουσι καὶ πάντα ὅσα κατὰ τὸ σῶμα εἶναι διαφερόντως τῆς οὔσης αὐτοῖς ἀληθείας.

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Πολὺ δὲ πλεῖστοί γε, οἶμαι, περὶ τὸ τρίτον εἶδος τούτων ἐν ταῖς ψυχαῖς διημαρτήκασιν, ἀρετὴν δοξάζοντες βελτίους ἑαυτούς, οὐκ ὄντες.

ΠΡΩ. Σφόδρα μὲν οὖν.

E. *τῆς οὔσης αὐτοῖς ἀληθείας*] V. *αὐτῆς*; quod e Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΣ*. Coisl. Par. BCH. Angel. Flor. a. b. c. i. mutatum. Verum coniectura assequutus erat Stephanus.

τούτων ἐν ταῖς ψυχαῖς] V. *ἐν ταῖς ψυχαῖς τούτων* invitis Bodl. Vat. Ven. *Π*. Winckelmannus coni. *ἑαυτῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς*, coll. Reip. I. p. 334. D. Dein *ἀρετὴν* om. Ven. *Σ*. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. Ceteri *ἀρετήν*. Sed vulgo scribebatur *ἀρετῆς*.

loco satis tuetur, quod mox subiungitur, *τῆς οὔσης αὐτοῖς ἀληθείας*.

οἳ μείζους καὶ καλλίους αὑτοὺς δ.] Hoc *μείζους* in pulcritudinis commemoratione ne quem male habeat, Xenoph. Cyrop. IV. 4, 3. *δῆλοί τοι ἐστέ, ὡς ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένεσθε. καὶ γὰρ μείζους φαίνεσθε καὶ καλλίους, καὶ γοργότεροι ἢ πρόσθεν ἰδεῖν.* Platon. Menex. p. 235. A. *μείζων καὶ γενναιότερος καὶ καλλίων γεγονέναι.* Charmid. p. 158. A. *οὐδεὶς τῶν ἐν τῇ ἡτιέρῳ λέγεται καλλίων καὶ μείζων ἀνὴρ δόξαι εἶναι.* Alcibiad. I. p. 104. A. *οἶει γὰρ εἶναι πρῶτον μὲν κάλλιστός τε καὶ μέγιστος.* Nimirum ad pulcram corporis speciem requirebatur etiam iusta staturae proceritas. Quamobrem Parmenid. p. 127. B in Eleata laudatur, quod fuerit *εὐμήκης καὶ χαρίεις ἰδεῖν*. Auct. ad Herenn. IV. 33. extr. id vocat forma et specie et statura esse adposita ad dignitatem. Iam Homer. Odyss. I. v. 301. *καὶ οὐ φίλος, μάλα γάρ σ' ὀρόω καλόν τε μέγαν τε.* Ibid. VI. v. 152. *Ἀρτέμιδί σε ἔγωγε — εἶδός τε μέγεθός τε φυὴν τ' ἄγχιστα ἐΐσκω.* Iliad. II. v. 58. *μάλιστα δὲ Νέστορι δίῳ εἶδός τε μέγεθός τε φυήν τε ἀγχίστα ἐοίκει.* Praeterea conf. quae hanc in rem congessit Hermann. ad Lucian. De Conscr. Histor. p. 275. Deinde *διαφερόντως* magis, cum genitivo iunctum, ut Phaedon. p. 65. A. Criton. p. 52. B Protagor. p. 328. B al. De verbis *τῆς οὔσης αὐτοῖς ἀληθείας*, conferas Xenoph. Mem. II. 1, 22. *ὥστε λευκοτέραν τε καὶ ἐρυθροτέραν τοῦ ὄντος δοκεῖν φαίνεσθαι, τὸ δὲ σχῆμα ὥστε δοκεῖν ὀρθοτέραν τῆς φύσεως εἶναι.* Etenim *ἀλήθεια* non modo est die Wahrheit, sed etiam die Wirklichkeit, quo sensu etiam a Latinis veritas usurpari solet. v. Gro-

ΣΩ. Τῶν ἀρετῶν δ' ἆρ' οὐ σοφίας πέρι τὸ 49
πλῆθος πάντως ἀντεχόμενον μεστὸν ἐρίδων καὶ δοξοσοφίας ἐστὶ ψευδοῦς;

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Κακὸν μὲν δὴ πᾶν ἄν τις τὸ τοιοῦτον εἰπὼν ὀρθῶς ἂν εἴποι πάθος.

ΠΡΩ. Σφόδρα γε.

ΣΩ. Τοῦτο τοίνυν ἔτι διαιρετέον, ὦ Πρώταρχε, δίχα, εἰ μέλλομεν τὸν παιδικὸν ἰδόντες φθόνον ἄτοπον ἡδονῆς καὶ λύπης ὄψεσθαι μίξιν.

ΠΡΩ. Πῶς οὖν τέμνομεν δίχα, λέγεις;

P. 49. *καὶ δοξοσοφίας ἐστὶ ψευδοῦς;*] Sic Ven. *Π.* et qui *ψεύδους* habent, Bodl. Vat. Coisl. Ven. *Λ.* Par. CH. Ang. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. *δοξοσοφίας ἐστὶ καὶ ψεύδους.* Ven. *Σ.* *δοξοσοφίας ψευδοῦς*, omisso *ἐστί*.

Πῶς οὖν τέμνομεν δίχαι, λέγεις;] V. *τέμνωμεν.* Indicativum reposuimus cum Bodl. Vat. Ven. *ΠΛΞ.* Coisl. Par. BCEFH. Angel. Flor. a. b. c. i. et corr. Ven. *Σ.*

novii Observatt. IV. 7. Spalding. ad Quint. III. p. 593.

περὶ τὸ τρίτον εἶδος τούτων ἐν ταῖς ψυχαῖς δ.] Haec est lectio Stobaei et trium optimorum librorum, quam loco veteris scripturae *εἶδος ἐν ταῖς ψυχαῖς τούτων δ.* Bekkero praeeunte substituimus. Nec tamen locum putamus sincerum atque integrum. Nam quum tertium hoc genus bonorum discernatur a duobus reliquis, quae in divitiarum possessione et corporis pulcritudine cernebantur, ante *ἐν ταῖς ψυχαῖς* desideratur articulus *τό*, quem iam olim revocandum censuimus. Winckelmannus quid sequutus sit coniectando *ἑαυτῶν ἐν ψυχαῖς*, equidem non assequor. Abhorret enim ea coniectura a totius loci ratione.

P. 49. *Τῶν ἀρετῶν δ' ἆρ' οὐ σοφίας πέρι —*] Ex virtutibus autem, nonne, quod ad sapientiam attinet, multitudo omni studio eam expetens plena est contentionum et opinatae sapientiae, quae mera fraude continetur? Nam *σοφίας πέρι* absolute dicitur nulla habita verbi ratione; cuius generis exempla attulimus ad Reip. VII. p. 538. E. Phaedr. p. 231. D. et p. 250. C. Ad *ἀντεχόμενον* vero intelligendum relinquitur *αὐτῆς*, usu pervulgato. Itaque non est, cur *πέρι* suspectum habeatur.

Κακὸν μὲν δὴ πᾶς ἄν τις τὸ τοιοῦτον —] Nec hic quidquam loco suo movendum. Nam *πᾶν* non ad *κακόν* pertinet, sed referendum est ad *πάθος*, hoc sensu: Malum igitur si quis omnem huiuscemodi affectionem dicat, recte dicat. De repetito *ἄν* si quis edoceri cupiat, optime rem illustravit Rostius Gr. Gr. §. 120. annot. 4.

Πῶς οὖν τέμνομεν δίχα, λέγεις;] Reposui, quod libri omnes habent, *τέμνομεν*; dictum enim hoc est, ut *πῶς λέγομεν*,

B *ΣΩ. Πάντες, ὁπόσοι ταύτην τὴν ψευδῆ δόξαν περὶ ἑαυτῶν ἀνοήτως δοξάζουσι, καθάπερ ἁπάντων ἀνθρώπων, καὶ τούτων ἀναγκαιότατον ἕπεσθαι τοῖς μὲν ῥώμην αὐτῶν καὶ δύναμιν, τοῖς δέ, οἶμαι, τοὐναντίον.*

ΠΡΩ. Ἀνάγκη.

ΣΩ. Ταύτῃ τοίνυν δίελε, καὶ ὅσοι μὲν αὐτῶν εἰσὶ μετ' ἀσθενείας τοιοῦτοι καὶ ἀδύνατοι καταγελώμενοι τιμωρεῖσθαι, γελοίους τούτους φάσκων εἶναι τἀληθῆ φθέγξει· τοὺς δὲ δυνατοὺς τιμωρεῖσθαι φο-
C *βεροὺς καὶ ἰσχυροὺς [καὶ ἐχθροὺς] προσαγορεύων ὀρθότατον τούτων σαυτῷ λόγον ἀποδώσεις. ἄγνοια γὰρ*

B. *Πάντες, ὁπόσοι ταύτην —*] V. *Ναί, πάντες ὁπόσοι κ. τ. λ.* Sed recte *Ναὶ* om. Bodl Ven. *ΠΣ.* et pr. Vat.

καὶ ἐχθροὺς πρ.] Recte Ven. *Σ.* Flor. c. et Angel. verba *καὶ ἐχθροὺς* omittunt. v. interpretat. Dein pro vulg. *τοῦτο* Bodl. Vat. Ven. *Π.* *τούτων*, quod etiam ceteri confirmant vitiosa, quam habent, lectione *τοῦτον*. Iam ed. Bas. 2. *τούτων* habet.

C. *ἄγνοια γὰρ*] Libri *ἄνοια*. Correxit Cornarius.

πῶς ποιοῦμεν, et id genus alia, de quibus v. ann. ad Sympos. p. 214. A. et 176. B. Gorg. p. 479. E. Itaque hoc interrogat: Quomodo igitur bipartito distribuimus? quaeris. Legg. III. p. 687. D. *ΑΘ. καὶ μὴν ὧν γε ὁ παῖς εὔχεται ἑαυτῷ γίγνεσθαι, πολλὰ ὁ παιὴρ ἀπεύξαιτ' ἂν τοῖς θεοῖς μηδαμῶς κατὰ τὰς τοῦ υἱέως εὐχὰς γίγνεσθαι. ΜΑ. ὅταν ἀνόητος ὢν καὶ ἔτι νέος εὔχηται, λέγεις; ΑΘ. καὶ ὅταν κ. τ. λ.* Verum tota haec interrogatio nescio quid absurdi habet. Quocirca Schleiermacherus ex corr. Ven. *Σ.* restituendum censet *λέγοις ἄν*, i. e. *λέγε*. Astius autem coniectavit, *πῶς οὖν τέμνωμεν; λέγω*; Sed his virorum doctorum consiliis neutiquam acquiescere licet, quum libri alia omnia suadeant. Etenim delenda sunt ante *Πῶς οὖν* et ante *Πάντες ὁπόσοι* interlocutorum nomina, ut omnia inde a *Τοῦτο τοίνυν* usque ad *τοῖς δέ, οἶμαι, ταὐναντίον* uni Socrati attribuantur. Quod ipsum etiam Aldi auctoritate commendatur, qui ante *Πῶς οὖν* Protarchi nomen omisit. Ita Socrates ipse animandae orationis gratia ista interrogat, ac deinde statim pergit: *πάντες ὁπόσοι ταύτην τὴν ψ. δ. κ. τ. λ.* De interrogationibus sermoni ab ipsis loquentibus isto modo interpositis diximus ad Phaedon. p. 73. C. Symp. p. 178. D. ubi v. ann. Ita igitur vides, ne litterulam quidem praeter fidem et auctoritatem codicum mutandam esse.

B. *Πάντες, ὁπόσοι ταύτην τὴν ψ. δ.*] Oratio est *ἀνακόλουθος*. Nam post *πάντες* verbum aliquod sequi debebat, cum quo nominativus cohaereret. Nunc vero, relicta inchoata constructione, inde ab *καθάπερ ἁπάντων ἀνθρώπων* structura periodi plane mutatur. Absolvi inchoata

ἡ μὲν τῶν ἰσχυρῶν ἐχθρά τε καὶ αἰσχρά· βλαβερὰ γὰρ καὶ τοῖς πέλας αὐτή τε καὶ ὅσαι εἰκόνες αὐτῆς εἰσίν· ἡ δ' ἀσθενὴς ἡμῖν τὴν τῶν γελοίων εἴληχε τάξιν τε καὶ φύσιν.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα λέγεις. ἀλλὰ γὰρ ἡ τῶν ἡδονῶν καὶ λυπῶν μίξις ἐν τούτοις οὔπω μοι καταφανής.

ΣΩ. Τὴν τοίνυν τοῦ φθόνου λαβὲ δύναμιν πρῶτον.

ΠΡΩ. Λέγε μόνον.

ΣΩ. Λύπη τις ἄδικός ἐστί που καὶ ἡδονή; D

ΠΡΩ. Τοῦτο μὲν ἀνάγκη.

εἰκόνες αὐτῆς] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ταύτης*. Praeterea correxi cum Heusdio *αὐτή τε καὶ ὅσαι*. Vulgo *αὕτη τε καὶ ὅσαι*.

εἴληχε τάξιν τε καὶ φύσιν.] Verba *τάξιν τε καὶ* accesserunt nuper e Bodl. Vat. Ven. *Π.* in quibus tamen pro *τε* scriptum extat *γε*.

λαβὲ δύναμιν] V. *δύναμιν λάβε*, quod solus habet Par. E.

D. *ἄδικός ἐστί που*] *που* additum e Bodl. Vat. Ven. *Π.*

sententia sic poterat: *πάντες, ὁπόσοι ταύτην τὴν ψευδῆ δόξαν περὶ ἑαυτῶν ἀνοήτως δοξάζουσι, οἱ μὲν ῥώμην καὶ δύναμιν ἔχουσιν, οἱ δὲ τοὐναντίον.* Sed caussa variatae orationis neminem, opinor, fugiet.

φοβεροὺς καὶ ἰσχυροὺς καὶ ἐχθροὺς] In his aliquid vitiatum esse, verba proxima docent: *ἄγνοια γὰρ — ἐχθρά τε καὶ αἰσχρά*. Itaque Schützius Opusc. p. 143. pro *ἰσχυροὺς* legendum censuit *αἰσχροὺς*, adstipulante Schleiermachero. Sed mirum tamen ita accidit, quod *καὶ αἰσχροὺς* inter *φοβεροὺς* et *ἐχθροὺς* medio loco collocatur. Bonum factum igitur, quod in Ven. *Σ.* Cod. Ang.. et Flor. c. *καὶ ἐχθρούς* omissum est. Quamobrem scribe: *φοβεροὺς καὶ αἰσχροὺς προσαγορεύων*, ut in altero membro, qui hic dicuntur *φοβεροί*, nomine *τῶν ἰσχυρῶν* insigniantur, cum *αἰσχρά* autem rei accuratius declarandae gratia *ἐχθρά* consocietur. De sententia contulisse iuvabit Sophist. p. 228. E. *κομιδῇ συγχωρητέον — τὸ δύο εἶναι γένη κακίας ἐν ψυχῇ, καὶ δειλίαν μὲν καὶ ἀκολασίαν καὶ ἀδικίαν ξύμπαντα ταῦτα ἡγητέον νόσον ἐν ἡμῖν, τὸ δὲ τῆς πολλῆς καὶ παντοδαπῆς ἀγνοίας πάθος αἰσχος θετέον.* Lachet. p. 193. D. *οὐκοῦν αἰσχρὰ ἡ ἄφρων τόλμα τε καὶ πορτέρησις ἐν τῷ πρόσθεν ἐφάνη ἡμῖν οὖσα καὶ βλαβερά;* Unde lectioni *ἄγνοια* pro *ἄνοια* satis praesidii ac firmamenti accedit.

C. *καὶ ὅσαι εἰκόνες αὐτῆς εἰσίν.*] Memineris, quaeso, agi de sensibus animi fabularum scenicarum spectatione excitatis, et protenus videbis, cur haec adiecta sint. Deinde *ἡ ἀσθενὴς ἄγνοια* i. q. *ἡ τῶν ἀσθενῶν*, ut docet oppositi ratio.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἐπὶ μὲν τοῖς τῶν ἐχθρῶν κακοῖς οὔτ' ἄδικον οὔτε φθονερόν ἐστι τὸ χαίρειν;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Τὰ δέ γε τῶν φίλων ὁρῶντας ἔστιν ὅτε κακὰ μὴ λυπεῖσθαι, χαίρειν δὲ ἆρ' οὐκ ἄδικόν ἐστι;

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Οὐκοῦν τὴν ἄγνοιαν εἴπομεν ὅτι κακὸν πᾶσιν;

ΠΡΩ. Ὀρθῶς.

ΣΩ. Τὴν οὖν τῶν φίλων δοξοσοφίαν καὶ δοξο-
E *καλίαν καὶ ὅσα νῦν δὴ διήλθομεν, ἐν τρισὶ λέγοντες εἴδεσι γίγνεσθαι, γελοῖα μὲν ὁπόσα ἀσθενῆ, μισητὰ*

Τὰ δέ γε τῶν φίλων] δὲ cum Stephan. ignorat Par. F.

Οὐκοῦν τὴν ἄγνοιαν] Libri *ἄνοιαν*. Correxit Stephanus sequutus Cornarium.

Τὴν οὖν τῶν φίλων] V. *Τί οὖν*, invitis codd. omnibus. Veram lectionem habet iam ed. Bas. 2.

E. *ὅσα νῦν δὴ διήλθομεν*] *δὴ* additum ex Bodl. Vat. Ven. *II*. vulgo aberat.

D. *Οὐκοῦν ἐπὶ μὲν τοῖς — τὸ χαίρειν;*] Nam viri fortis esse putabatur inimicorum iniuriam ulcisci ac punire; quocirca ne iniustum quidem aut invidiae plenum videri poterat malis eorum gaudere. Solon in Brunckii Poet. Gnom. p. 73. *εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν· τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.* Archiloch. ap. Theoph. ad Autolyc. L. II. 37. *ἓν δ' ἐπίσταμαι μέγα, τὸ κακῶς τι δρῶντα ἀνταμείβεσθαι κακοῖς.* Fragm. Eurip. ap. Valcken. p. 157. *ἐχθρὸν κακῶς δρᾶν ἀνδρὸς ἡγοῦμαι μέρος.* Plat. Criton. p. 49. B. *ΣΩ. οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν. ΚΡ. οὐ δῆτα. ΣΩ. οὐδὲ ἀδικούμενον ἄρα ἀνταδικεῖν, ὡς οἱ πολλοὶ οἴονται, ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν; ΚΡ. οὐ φαίνεται.* De Rep. I. p. 332. D. *ἡ οὖν τίσι τί ἀποδιδοῦσα τέχνη δικαιοσύνη ἂν καλοῖτο; Εἰ μέν, ἔφη, δεῖ ἀκολουθεῖν, ὦ Σώκρατες, τοῖς ἔμπροσθεν εἰρημένοις, ἡ τοῖς φίλοις τε καὶ ἐχθροῖς ὠφελείας τε καὶ βλάβας ἀποδιδοῦσα. Τὸ τοὺς φίλους ἄρα εὖ ποιεῖν, καὶ τοὺς ἐχθροὺς κακῶς δικαιοσύνην λέγει* sc. *ὁ Σιμωνίδης.* Hinc etiam Sophista Menon. p. 71. E. docet *ἀρετὴν* esse *τὸ ἱκανὸν εἶναι τὰ τῆς πόλεως πράττειν καὶ πράττοντα τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς.* Et in Cyri laudibus apud Xenoph. Anab. I. 9, 17. numeratur, quod fuerit *φανερὸς καὶ εἴ τίς τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν ποιήσειεν αὐτόν, νικᾶν πειρώμενος.*

Τὰ δέ γε τῶν φίλων —] *Οἱ φίλοι* nunc omnino sunt, qui nobis cari sunt et quibus bene cupere debemus, quippe quum non in hostium aut inimicorum numero habendi sint.

δ' ὁπόσα ἐῤῥωμένα; ἢ μὴ φῶμεν ὅπερ εἶπον ἄρτι, τὴν τῶν φίλων ἕξιν ταύτην, ὅταν ἔχῃ τις τὴν ἀβλαβῆ τοῖς ἄλλοις, γελοίαν εἶναι;

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Κακὸν δ' οὐχ ὁμολογοῦμεν αὐτήν, ἄγνοιάν γε οὖσαν, εἶναι;

ΠΡΩ. Σφόδρα γε.

ΣΩ. Χαίρομεν δὲ ἢ λυπούμεθα, ὅταν ἐπ' αὐτῇ γελῶμεν;

ΠΡΩ. Δῆλον, ὅτι χαίρομεν. 50

ΣΩ. Ἡδονὴν δὲ ἐπὶ τοῖς τῶν φίλων κακοῖς, οὐ φθόνον φαμὲν εἶναι τὸν τοῦτ' ἀπεργαζόμενον;

ὁπόσα ἀσθενῆ] V. ὁπόσα μὴ ἐῤῥωμένα; sed recte μὴ om. Bodl. Vat. Coisl. Ven. Π.

ἢ μὴ φῶμεν] Ven. Σ. corr. φῶμεν ἢ μὴ φ.

ἄγνοιάν γε οὖσαν εἶναι] Libri omnes ἄνοιαν, quod correxit Stephanus cum Cornario. Dein εἶναι accessit e Bodl. Vat. Ven. ΠΣ. Coisl. Par. CF. Ang. Voculam γε ante οὖσαν om. Bodl. Ven. Π. et pr. Vat. sed tuetur eam Vat. teste Bastio.

P. 50. οὐ φθόνον φαμὲν] Sic sponte correxi quod libri habent, ἔφαμεν.

Cave igitur de amicis, qui vulgo dicuntur, hic cogitaveris.

τὴν οὖν τῶν φίλων δοξοσοφίαν —] Veram lectionem expressit Ficinus: Amicorum igitur praesumptionem sapientiae et pulcritudinis, et quaecunque paullo ante diximus tribus in speciebus fieri, ridicula quidem, quum imbecillia, odiosa vero, quum valida: hunc, inquam, amicorum habitum nonne fatemur, quum quis habet innoxium aliis, esse ridiculum? Quamquam ille in postremis aliquantum a Graecis discessit. Neque profecto caret locus difficultate. Nam primum quidem accusativi illi unde suspensi sint, vix quisquam dixerit, quandoquidem ex antegressis aegre licet εἴπομεν assumere. Deinde nec postrema cum prioribus apte satis cohaerent. Nam ante ἢ μὴ φῶμεν utique desideres verbum aliquod finitum. Haec igitur ut aliquo modo expediantur, rursus anacoluthon ad partes vocandum est. Etenim orditur Socrates sermonem ab accusativis, additurus deinde verbum aliquod, quod ei casui accommodatum sit. Sed inde ab ὅσα νῦν δὴ διήλθομεν, quod est quasi intermedium quoddam enuntiati membrum, ab inchoata constructione deflectit sic, ut denique subiungat haec: γελοῖα μὲν ὁπόσ' ἀσθενῆ, μισητὰ δ' ὁπόσα ἐῤῥωμένα, ad quae ἐστίν intelligendum relinqui manifestum putamus. Tum vero sermone abrupto pergit dicendo sic: ἢ μὴ φῶμεν κ. τ. λ. — ἐν τρισὶ λέγοντες εἴδεσι γίγνεσθαι, sc. αὐτά.

P. 50. Ἡδονὴν δὲ ἐπὶ τοῖς τῶν φ.] Pendet ἡδονήν

ΠΡΩ. *Ἀνάγκη.*

ΣΩ. *Γελῶντας ἄρα ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς τῶν φίλων γελοίοις φησὶν ὁ λόγος κεραννύντας ἡδονὴν φθόνῳ λύπῃ τὴν ἡδονὴν ξυγκεραννύναι· τὸν γὰρ φθόνον ὡμολογῆσθαι λύπην τῆς ψυχῆς ἡμῖν πάλαι, τὸ δὲ*

ἡδονὴν φθόνῳ] *ἡδονὴν αὖ φθ.* Bodl. Ven. *Π.*

λύπην τῆς ψυχῆς] *τῆς* additum e Bodl. Vat. Ven. *Π.* reliqui omittunt; et profecto omitti rectissime potuit.

ἅμα δὲ γίγνεσθαι] Bodl. Vat. Ven. *Π.* *δὲ* post *γίγνεσθαι* collocant. Dein *τοῖς* om. Ven. *Ξ.* pr.

ex *ἀπεργαζόμενον*, ita quidem ut vocabuli notio denuo pronomine *τοῦτο* inculcetur. Poterat enim hunc in modum scribi: *ἡδονὴν δὲ — οὗ φαμὲν τὸν φθόνον ἀπεργάζεσθαι*; Hoc vero amplificans Socrates sic loquitur: Laetitiam autem de amicorum malis, nonne invidiam esse censemus, quae illam efficiat? De *τοῦτο* post nomen feminini generis illato v. ad Symp. p. 219. C. coll. Matthiae Gr. §. 439. Pro *ἔφαμεν*, quod libri omnes habent, de coniectura nostra *φαμὲν* scripsimus, quod flagitat Protarchi responsio *Ἀνάγκη*.

Γελῶντας ἄρα ἡμᾶς —] Ridentes igitur nos de iis, quae sunt in amicis ridicula, argumentatio nostra evincit miscere voluptatem cum invidia, ideoque voluptatem cum aegritudine ac dolore, quandoquidem invidia nihil sit aliud, quam animi aegritudo. De *φησὶν ὁ λόγος* conf. infra p. 51. C. Sophist. p. 238. B. 259. C. Politic. p. 286. D. Phaedon. p. 87. A. al. Mox *ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις* sic intellige: his temporibus, quibus vel invideamus vel rideamus utrumque semper simul fieri (in comoedia); qua interpretatione probata non opus erit, ut *ἐν τοῖς αὐτοῖς χρόνοις* scribamus, quod nobis olim in mentem venit.

B. *ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις* —] Locum corruptum esse et olim iudicavimus, neque nunc sentimus aliter. Nam quum in superioribus tragoediae paucis tantum verbis mentio iniiciatur, p. 48. A.; deinde autem omnis oratio in illustrandis animi affectionibus per comoediam excitari solitis versata sit: ecquis est qui sibi persuadeat, hoc loco, ubi superioris disputationis conclusio fit, threnorum tantum atque tragoediae mentionem fieri potuisse, comoediae factam esse nullam? At vero, inquit Schleiermacherus, memoravit eam Plato in eo, quod sequitur, orationis membro, idque elegantissime ab eo factum. Verba ipsius haec sunt: „Unnütz ist es, die Stelle irgend anzufechten, als ob hier die Komödie fehle; denn *sehr platonisch* kommt sie ja sogleich nach.“ Quasi vero Platonicum esse possit, quod per se ineptum est. Nam ex eo ipso, quod in secundario orationis membro, in quo inest

γελᾶν ἡδονήν, ἅμα δὲ γίγνεσθαι τοῦτο ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις.

ΠΡΩ. Ἀληθῆ.

ΣΩ. Μηνύει δὴ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις, μὴ τοῖς δράμασι μόνον ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ, λύ- B

B. *Μηνύει δὴ νῦν*] Pro *δὲ* recte libri plerique omnes cum Bodl. Vat. Venet. *Π Σ.* Coisl. *δὴ* praebuerunt.

ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου] *καὶ* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.* Qua lege *καὶ* post *οὐ μόνον ἀλλὰ* omittatur, hodie satis notum. Inest enim tum in verbis gradatio. Ea vero magnopere vereor, ne ab hoc loco aliena sit. Itaque satius duximus *καὶ* servare, praesertim cum Bastius omissionem voculae e Vat. non enotaverit.

comparatio, non modo tragoedia sed etiam comoedia commemoratur, colligi certe consentaneum est, idem etiam in primario membro fieri oportuisse. Quod virum acutissimum fugisse sanequam mirari licet. Sed magis etiam miramur, quod nuper extitit, qui orationis integritatem eo defendere conaretur, quod Plato rem alio ordine, atque rei ratio ferret, enuntiaverit. Quasi vero ordo verborum aut sententiarum perversus esset, neque potius aliquid desideraretur, quod recta ratio postulat. Haec igitur evidentissimum reddunt, librorum lectionem corruptam esse ac depravatam. Sequitur ergo, ut circumspiciendum sit vulneris remedium. Et olim quidem legendum coniecimus *ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν κωμῳδίαις*. Quam coniecturam nunc ultro repudiamus; veremur enim ut *κωμῳδίαι* satis apte cum *τοῖς θρήνοις* solis consocientur. Quod ipsum etiam Orellii coniecturae officit, qui pro *τραγῳδίαις* restitui iussit *τρυγῳδίαις*; quanquam etiam istud *τρυγῳδίαις* per se improbandum censemus. Putabam aliquando vitium haerere in *θρήνοις*; sed genuinum esse id vocabulum ex p. 48. A. perspicuum est; ibi enim *θρῆνοι* ac deinde *τραγικαὶ θεωρήσεις* memorantur. Itaque plane mihi persuasit vir summus Godofredus Hermannus, aliquid excidisse ac totum locum sic refingi oportere: *μηνύει δὴ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις καὶ κωμῳδίαις, μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου συμπάσῃ τραγῳδίᾳ κ. τ. λ.* Qua lectione restituta omnes protenus difficultates sublatae erunt, consentientque haec cum superioribus egregie. Nam quemadmodum supra p. 48. A. primum *θρῆνοι καὶ πόθοι*, deinde *τραγικαὶ θεωρήσεις*, ac tum denique *κωμῳδίαι* commemoratae sunt: ita hoc loco, posteaquam copiosius de mixtis in comoediae spectatione voluptatibus expositum est, primum *θρῆνοι* denuo memorantur, deinde vero tragoediae et comoediae mentio ita subiicitur, ut in proximis huius potissimum ratio habeatur. Nec vero iam cuiquam mirum videbitur, quod post *τε καί* praepositio *ἐν* iterata est. Discernuntur enim threni a comoedia et tragoedia, idque rectissime, quandoquidem eo nomine omnino significantur cantica lugubria ad tibiam cantata; de quo carminum genere v. Boeckh. ad Pindar. Vol. II. P. II. p. 619.

πας ἡδοναῖς ἅμα κεράννυσθαι, καὶ ἐν ἄλλοις δὴ μυρίοις.

ΠΡΩ. Ἀδύνατον μὴ ὁμολογεῖν ταῦτ', ὦ Σώκρατες, εἰ καί τις φιλονεικοῖ πάνυ πρὸς τἀναντία.

Cap. XXX. ΣΩ. Ὀργὴν μὴν καὶ πόθον καὶ θρῆνον καὶ φόβον καὶ ἔρωτα καὶ ζῆλον καὶ φθόνον
C προυθέμεθα καὶ ὁπόσα τοιαῦτα, ἐν οἷς ἔφαμεν εὑρήσειν μιγνύμενα τὰ νῦν πολλάκις λεγόμενα. ἦ γάρ;

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Μανθάνομεν οὖν, ὅτι θρήνου πέρι καὶ φθόνου καὶ ὀργῆς πάντα ἐστὶ τὰ νῦν δὴ διαπιρανθέντα;

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὐ μανθάνομεν;

φιλονεικοῖ πάνυ] V. πάντη, quod soli Par. EF. tenent.
C. ἐν οἷς ἔφαμεν εὑρήσειν] φαμὲν Bodl. Ven. *II.* et pr. Vat. Recte Vat. rec. cum ceteris ἔφαμεν. Et ipse Bodl. φάμεν

Audias praeterea etiam Photium p. 274. F. μονῳδία· ἡ ἀπὸ σκηνῆς ᾠδὴ ἐν τοῖς δράμασι, καὶ μονῳδεῖν τὸ θρηνεῖν· ἐπιεικῶς γὰρ πᾶσαι αἱ ἀπὸ σκηνῆς ᾠδαὶ ἐν τῇ τραγῳδίᾳ θρῆνοί εἰσιν. Aptissime autem iam deinceps additur: μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ: ubi quod singularis numerus post pluralem infertur, id profecto nihil scrupuli iniicere potest; modo meminerimus, universam vitam humanam omnino cum tragoedia et comoedia componi. Ceterum de vita humana cum spectaculis scenicis comparata uberrime exposuit Io. Benedict. Carpzov De Paradoxo Stoico Aristonis Chii ὅμοιον εἶναι τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφόν. Lips. 1742. 8. p. 266 sqq. ubi ex Latinis pariter atque Graecis scriptoribus collecta reperies, quaecunque aliqua ex parte ad hoc argumentum illustrandum pertineant; exposuerunt etiam interpretes ad Petron. c. 80. p. 400. et ad Ciceron. Caton. mai. c. II, §. 5.

φιλονεικοῖ πάνυ πρὸς τἀναντία.] Et φιλονεικεῖν πρός τι dicitur et φιλονεικεῖν τι. De Rep. I. p. 338. C. προεσποιεῖτο δὲ φιλονεικεῖν πρὸς τὸ ἐμὲ εἶναι τὸν ἀποκρινόμενον. Sed Protagor. p. 360. E. φιλονεικεῖν μοι ἔτι δοκεῖς, ὦ Σώκρατες, τὸ ἐμὲ εἶναι τὸν ἀποκρινάμενον. Supra p. 14. B. νῦν γὰρ οὐ δῆπου πρός γε αὐτὸ τοῦτο φιλονεικοῦμεν.

Ὀργὴν μὴν καὶ πόθον — προυθέμεθα] Eadem refert, quae memoravit p. 47. E., sed ordine paullulum immutato.

C. ἆρ' οὐ πίστεως χάριν] nonne ideo ut probarem, etiam in timoribus et amoribus reliquisque omnibus futurum esse, ut facilius demonstrari posset permixtio; teque hoc percepto protenus me dimissurum, ita ut non ad illa rimanda accedenti sermo longius esset pro-

ΣΩ. Οὐκοῦν πολλὰ ἔτι τὰ λοιπά;

ΠΡΩ. Καὶ πάνυ γε.

ΣΩ. Διὰ δὴ τί μάλισθ' ὑπολαμβάνεις με δεῖξαί σοι τὴν ἐν τῇ κωμῳδίᾳ μίξιν; ἆρ' οὐ πίστεως χάριν, ὅτι τήν γε ἐν τοῖς φόβοις καὶ ἔρωσι καὶ τοῖς ἄλλοις D ῥᾴδιον κρᾶσιν ἐπιδεῖξαι, λαβόντα δὲ τοῦτο παρὰ σαυτῷ ἀφεῖναί με μηκέτι ἐπ' ἐκεῖνα ἰόντα δεῖν μηκύνειν τοὺς λόγους, ἀλλ' ἁπλῶς λαβεῖν τοῦτο, ὅτι καὶ σῶμα ἄνευ ψυχῆς καὶ ψυχὴ ἄνευ σώματος καὶ κοινῇ μετ' ἀλλήλων ἐν τοῖς παθήμασι μεστά ἐστι συγκεκραμένης ἡδονῆς λύπαις; νῦν οὖν λέγε, πότερα ἀφίης με ἢ μέσας ποιήσεις νύκτας; εἰπὼν δὲ σμικρὰ οἶμαί σου τεύξεσθαι μεθεῖναί με· τούτων γὰρ ἁπάν-

habet, retracto accentu.

D. *τοῦτο παρὰ σαυτῷ*] *ταὐτῷ* Bodl. Vat. *ταὐτὸ* Ven. *πότερα ἀφίης*] *ἀφεῖς* Bodl. Ven. *II.*

ducendus, sed simpliciter hoc esse acceptum atque probaturum: et corpus sine animo et animum sine corpore et utraque communiter, in illa sensuum copia et varietate plena esse voluptatis cum doloribus mixtae? Hoc loco primum quidem illud diligenter observandum est, mutari inde ab *λαβόντα δὲ τοῦτο* constructionis rationem. Nam ab initio post *οὐ πίστεως χάριν* ponitur *ὅτι* cum verbo finito, quandoquidem ad *ῥᾴδιον* intelligendum relinquitur *ἐστίν*; deinde autem transitur ad usum accusativi cum infinitivo. Enimvero illud *οὐ πίστεως χάριν* utrumque ferebat: unde ab una ratione ad alteram transiliri facillime potuit. Atque id alibi quoque ita factum esse ex hoc ipso opere probari potest. Nam p. 63. B. post *ὅτι* interiecta parenthesi item infertur infinitivus. Sed exempla rei bene multa suppeditabunt Matthiae Gr. Gr. §. 539. et Rost. Grammat. §. 122. ann. 3. ut hic eorum commemoratione iure quodam nostro supersedere posse videamur. Praeterea animadvertenda est loquutio *ἀφεῖναί τινα* sequente negatione et infinitivo. Legg. I. p. 635. A. *αὐτοὶ δ' ἕνεκα γήρως ἀφείμεθα ὑπὸ τοῦ νομοθέτου — μηδὲν ἂν πλημμελεῖν.* De Rep. V. p. 451. B. *ἀφείμεν ἂν ὥσπερ φύσιν καθαρὸν εἶναι καὶ μὴ ἀπατεῶνα.* Tum usus infinitivi aoristi post *πίστεως χάριν* notabilis est, qui qua caussa et ratione nitatur, ad Phaedon. p. 67. A. peruimus. Denique *πίστις* hic dictum eo sensu videtur, quo legitur Phaedon. p. 70. B. *τοῦτο — ἴσως οὐκ ὀλίγης παραμυθίας δεῖται καὶ πίστεως*, ut sit fides qua creditur, h. e. qua aliquid redditur probabile, probatio.

μέσας ποιήσεις νύκτας] H. e. ad mediam usque noctem disputationem protrahes. Lucillius in Antholog. Palatin. T. II. p. 346. n. 85. *νύκτα μέσην ἐποίησε τρέχων*

E *των αὔριον ἐθελήσω σοι λόγον δοῦναι, τὰ νῦν δὲ ἐπὶ τὰ λοιπὰ βούλομαι στέλλεσθαι πρὸς τὴν κρίσιν, ἣν Φίληβος ἐπιτάττει.*

ΠΡΩ. Καλῶς εἶπες, ὦ Σώκρατες. ἀλλ' ὅσα λοιπὰ ἡμῖν, διέξελθε ὅπῃ σοι φίλον.

Cap. XXXI. *ΣΩ. Κατὰ φύσιν τοίνυν μετὰ τὰς μιχθείσας ἡδονὰς ὑπὸ δή τινος ἀνάγκης ἐπὶ τὰς ἀμίκτους πορευοίμεθ' ἂν ἐν τῷ μέρει.*

51 *ΠΡΩ. Κάλλιστ' εἶπες.*

ΣΩ. Ἐγὼ δὴ πειράσομαι μεταβαλὼν σημαίνειν

E. *βούλομαι στέλλεσθαι*] V. *βουλεύομαι*, quod e Bodl. Vat. Coisl. Ven. *ΞΣ*. Par. CA. Angel. Flor. a. b. c. i. corr.

P. 51. *μεταβαλὼν σημαίνειν*] *μεταλαβὼν* Par. BCEFH. Ang. Flor. a. i. in quibus tamen fere altera lectio superscripta. Pro *ἡμῖν* solus Steph. *ὑμῖν*, invitis libris omnibus.

ποτὲ Μάρκος ὄπλιης. Falluntur igitur, sicuti Platonis locus docet, qui, ut Schaeferus ad Lamb. Bos. Ellips. p. 413. et Iacobs. Anthol. Palat. T. III. p. 710., tales loquutiones proprias putant citerioris Graecitatis. Demosth. p. 392. 18. *οὐκ ἀνέμειναν τὸν κήρυκα οὐδ' ἐποίησαν χρόνον οὐδένα*. Sic etiam Latini: Cicero ad Attic. v. 20. Apameae quinque dies morati. — Iconii *diem fecimus*. Disputarunt de loquutionibus *ποιεῖν* vel *ποιεῖσθαι νύκτα, ἡμέραν, χρόνον, ἐνιαυτόν* etc. Wetsten. ad Act. Apostol. XV. 28. Valckenar. Schol. in N. T. T. I. p. 530 sqq. Schleusner. Lex. N. T. s. v. *ποιεῖν*. De numero plurali *νύκτες* v. ad Protagor. p. 310. C.

E. *ἐπὶ τὰ λοιπὰ βούλομαι στέλλεσθαι* —] Disputationi saepe cursus, via, vel iter tribuitur; unde verba eundi ac proficiscendi vel in ipsam vel in disputantes transferuntur. Plane ut hoc loco Legg. X. p. 892. C. *οὐκοῦν τὰ μετὰ ταῦτα ἐπ' αὐτὸ δὴ τοῦτο στελλώμεθα*; Ibid. p. 893. B. *ἐχόμενοι δὲ ὥσπερ τινὸς ἀσφαλοῦς πείσματος ἐπιβαίνωμεν εἰς τὸν νῦν λόγον*. De verbo *στέλλεσθαι* v. Wesseling. ad Herod. I. 21. Grammaticus apud Creuzer. ad Plotin. De Pulcrit. p. 356. *τὸ πεζεύειν ἐπὶ ξηρᾶς λέγεται καὶ ἐπὶ θαλάττης· οἷον πεζεύοντι θάλατταν Ποσειδῶνι· τὸ στελλεσθαι δὲ ἐπὶ πλοίου, οἷον, ἐστείλατο τόνδε τὸν πλοῦν*. conf. Suidas T. III. p. 378. Hesych. T. II. p. 1261. Etym. M. p. 728. 13.

ὑπὸ δή τινος ἀνάγκης] De *δή τις* v. ad Politic. p. 306. B. Phaedon. p. 107. D. Symp. p. 179. C. coll. Hermanno ad Sophocl. Antigon. v. 158. et de *ἐν τῷ μέρει* ad Cratyl. p. 410. D.

P. 51. *μεταβαλὼν σημαίνειν*] De *μεταβαλών* v. ad Phaedr. p. 241. A. ubi quae exposuimus, ea hic praegresso *ὑπὸ δή τινος ἀνάγκης* confirmantur. Pro *ἡμῖν* Stephanus de suo dedit *ὑμῖν*, quod etiam nuperis editoribus placuit. Sed urbanius est *ἡμῖν*: nam eo significat Socrates, se etiam sua ipsius caussa rem esse explicaturum.

ἡμῖν αὐτάς. τοῖς γὰρ φάσκουσι λυπῶν εἶναι παῦλαν πάσας τὰς ἡδονὰς οὐ πάνυ πως πείθομαι, ἀλλ' ὅπερ εἶπον, μάρτυσι καταχρῶμαι πρὸς τὸ τινὰς ἡδονὰς εἶναι δοκούσας, οὔσας δ' οὐδαμῶς, καὶ μεγάλας ἑτέρας τινὰς ἅμα καὶ πολλὰς φανταθείσας, εἶναι δ' αὐτὰς συμπεφυρμένας ὁμοῦ λύπαις τε καὶ ἀναπαύσεσιν ὀδυνῶν τῶν μεγίστων περί τε σώματος καὶ ψυχῆς ἀπορίας.

ΠΡΩ. Ἀληθεῖς δ' αὖ τίνας, ὦ Σώκρατες, ὑπο- B
λαμβάνων ὀρθῶς τις διανοοῖτ' ἄν;

πρὸς τὸ τινὰς ἡδονὰς] τε pro τὸ Bodl. Vat. Ven. II.

B. ὀρθῶς τις διανοοῖτ' ἄν;] τις om. Bodl. Ven. II. Par. F. et pr. Vat. Pessime; nam subiecti significatione hic non possumus carere. Nimirum τις per praecedentem syllabam elisum est.

μάρτυσι καταχρῶμαι] Schützius μάντεσι reponendum censebat provocans ad illa p. 44. C. Speciosa sane coniectura, nec tamen necessaria. Nimirum illic Socrates loquitur figurate; hic in locum improprii vocabuli proprium substituit. De usu verbi καταχρῶμαι v. Phaedon. p. 110. B. Politic. p. 272. C. Gorg. p. 490. C. Phaedr. p. 273. B. Tim. p. 73. E. De Rep. VII. p. 520. A. Dicit vero Socrates hoc: illis tanquam testibus utor, quibus convincam, esse quasdam voluptates, quae videantur, quum tamen nullae sint; et alias quasdam magnas et multas videri, quum tamen commixtae sint cum doloribus et cessatione dolorum maximorum, qui ad corporis animique cruciatum pertineant.

B. Ἀληθεῖς δ' αὖ τίνας — ὀρθῶς τις διανοοῖτ' ἄν;] Accedit ad explorandas describendasque voluptates puras. Quarum duplex genus esse vult: alterum quod referatur ad res sensuum perceptioni subiectas; alterum, quod pertineat ad artium litterarumque studium atque sapientiam. Et illud quidem percipi iudicatur ex eo, quod pulcrum sit. Nec tamen philosophus hic ob oculos habuit illud pulcrum, quod in se absolutum et omnino ab sensibus abductum est, h. e. ideam pulcri: id enim non in corporibus conspicitur, caretque penitus colorum, formarum, denique adspectus sui, varietate, sicuti docetur Symp. p. 211. A. E. Phaedr. p. 247. C. Imo vero ob id ipsum, quod de voluptate agitur, id pulcrum exquiritur, quod, etsi sensibus est subiectum, tamen puras afferre voluptates possit. Itaque ostenditur, quaenam res et quatenus sincerae puraeque voluptatis sensu animum mentemque nostrum queant perfundere. Sunt autem sensilis voluptatis fontes inprimis figurae, colores, corpora, voces, studia, ut philosophus significat, Gorg. p. 474. D. al. Ex quibus nunc figurae cum corporibus, colores, soni, additis etiam odoribus, primo loco memorantur; studia autem, ut videtur, sive τὰ ἐπι-

ΣΩ. Τὰς περί τε τὰ καλὰ λεγόμενα χρώματά καὶ περὶ τὰ σχήματα, καὶ τῶν ὀσμῶν τὰς πλείστας, καὶ τὰς τῶν φθόγγων, καὶ ὅσα τὰς ἐνδείας ἀναισθήτους ἔχοντα καὶ ἀλύπους τὰς πληρώσεις αἰσθητὰς καὶ ἡδείας [καθαρὰς λυπῶν] παραδίδωσι.

ΠΡΩ. Πῶς δὴ ταῦτα, ὦ Σώκρατες, αὖ λέγομεν οὕτως;

C. *σχημάτων τε γαρ κάλλος*] V. *κάλλους*. Bodl. Venet. *Π. καλῶς*. Steph. recte coni. *κάλλος*, quod habet Flor. i. et Bastio teste Vat. a m. sec.

τηδεύματα eo loco respiciuntur, quo de disciplinarum voluptatibus exponitur, hoc est p. 52. A. sqq. Verum eas res omnes philosophus non omnino ac simpliciter censet purae voluptatis caussas continere: sed ita tantum ad eam valere, si quae sint in iis simplicia, constantia et aequabilia, ideoque a rerum varietate ac vicissitudine libera, mente et animo concipiantur conceptaque tacita mentis contemplatione considerentur. Nam bonum id demum est, quod in se habet aequabilitatem, constantiam atque veritatem; sicuti infra exponitur p. 64. E. Proxime autem a perfecto bono atque pulcro absunt, qui, quid in rebus singulis sit perpetuum atque constans, exquirunt, facillimeque illi deinde ad universalium rerum pulcritudinem convertuntur; quemadmodum ex praeclara illa Diotimae ad amorem institutione Sympos. p. 210. B. sqq. intelligere licet. conf. etiam Gorg. p. 474. D. Itaque purae voluptates percipi et hauriri tum iudicantur, quum primarias, simplices et constantes formas figurarum, colorum, sonorum, odorum, mente et animo complectamur, iisque considerandis atque intuendis moveamur iucunditatis sensu, qui nihil habeat cum vulgari illa corporis voluptate commercii. Atque haec quidem de loco universo; de singulis ordine deinceps explicabitur.

ὅσα τὰς ἐνδείας ἀναισθήτους —] Coecus sit necesse est qui haec corrupta esse non videat. Nimirum apertum esse debet omnibus, ipsam verborum constructionem prodere vitium. Nam iungenda verba sunt hunc in modum: *καὶ ὅσα ἔχοντα τὰς ἐνδείας ἀναισθήτους καὶ ἀλύπους παραδίδωσι τὰς πληρώσεις αἰσθητὰς καὶ ἡδείας*. Iam vero quid reliquis facies? Nimirum tria suppetunt ulceris remedia: ut aut *καὶ* ante *καθαρὰς* inseramus, aut *ἡδείας* exterminemus, aut *καθαρὰς λυπῶν* tanquam glossema eiiciamus. Ac primum quidem, quod nobis olim in mentem venit, nunc parum placet, quoniam ea ratione admissa perit membrorum concinnitas. Alterum, quod placuit quondam Schleiermachero, ideo parum probabile est, quia nec origo insiticii vocabuli patet, nec iusta efficitur notionum oppositio. Restat igitur tertium. Fluxit enim *καθαρὰς λυπῶν* ex interpretatione scioli alicuius, qui *αἰσθητοὺς καὶ ἡδείας* explicare vellet, nec tamen satis reputaret, ad *τὴν καθαρότητα τῶν λυπῶν* illud quoque requiri, quod in priore sententiae parte memoratur, ut *ἔνδειαι* sint *ἀναίσθητοι καὶ ἄλυποι*.

C. *οἷον ζώων ἢ τινων ζωγράφημάτων*] Duo de multis exempli loco afferuntur. Nam

ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν οὐκ εὐθὺς δῆλά ἐστιν ἃ λέγω, πειρατέον μὴν δηλοῦν. σχημάτων τε γὰρ κάλλος οὐχ ὅπερ ἂν ὑπολάβοιεν οἱ πολλοὶ πειρῶμαι νῦν λέγειν, οἷον ζώων ἢ τινων ζωγραφημάτων, ἀλλ' εὐθύ τι λέγω, φησὶν ὁ λόγος, καὶ περιφερὲς καὶ ἀπὸ τούτων δὴ τά τε τοῖς τόρνοις γιγνόμενα ἐπίπεδά τε καὶ C

οἷον ζώων ἢ τινων ζ.] Pro *οἷον* Bodl. Vat. Ven. *Π. ἢ.* Sed duplex *ἢ* a sententia hac alienum.

τὸ τῶν σχημάτων κάλλος, quale vulgo intelligitur, in plurimis rebus cerni potest. Itaque *οἷον* dicitur rectissime, quippe quod in exemplis afferendis solemne sit. Ingenti natum errore est, quod habent tres codd. primarii, *ἢ ζώων ἢ ζωγραφημάτων*. Nimirum huius lectionis auctores iunxisse videntur verba sic: *σχημάτων ἢ ζώων ἢ ζωγραφημάτων κάλλος*, non reputantes, non posse hic nisi de *σχήμασι* exponi, quae iuxta cum coloribus aliisque id genus rebus memorantur. Nihilo minus triumviri Turicenses *ἢ ζώων* receperunt. *ἀλλ' εὐθύ τι λέγω, φησὶν ὁ λόγος*, —] Ex figuris huc refert id quod rectum est, veluti rectam lineam et *εὐθύγραμμον σχῆμα*, et orbiculatum, ac praeterea planum ac solidum. Hae igitur Platoni visae sunt formae tanquam primariae atque in se constantes, quarum contemplatione menti pararetur sincerae et intemeratae voluptatis fructus. Etenim *τὸ εὐθύ* non potuit fieri, quin iudicaretur longe esse simplicissimum ideoque natura sua tanquam principale; *τὸ περιφερές* autem, sive figura rotunda et orbicularis, Pythagorae atque Platoni summae perfectionis praestantia eminere visum; conf. Diogen. Laert. Vit. Pythag. 19, 35. Plat. Tim. p. 33. B. Ex his autem quaecunque vel ope instrumentorum efficiantur aut *ἐπίπεδα*, veluti trianguli, quadrata, circuli, aut *στερεά*, ut cubi, sphaerae, coni, cylindri, ea omnia item huc referenda esse arbitratur. Quae quidem cur menti possint adeo multum gaudii praebere, etiam ex iis intelligitur, quae in Timaeo p. 52. D. sqq. de universo mundo a numine divino ad numerorum et figurarum rationes composito gravissime disputantur. *Τόρνος* interpretatur Hesychius *ἐργαλεῖον τεκτονικόν, ᾧ τὰ στρογγύλα σχήματα περιγράφεται*; quod nos vocamus ein Rundhobel. *Κανών* est omne id, ad quod aliquid dirigitur tanquam ad normam, ideoque inprimis significat funem, regulam, perpendiculum, quibus utuntur fabri. Infra p. 56. B. *ἡ τεκτονικὴ κανόνι χρῆται καὶ διαβήτῃ καὶ στάθμῃ*. Aeschin. adv. Ctesiph. p. 82. ed. R. *ἐν τῇ τεκτονικῇ, ὅταν εἰδέναι βουλώμεθα τὸ ὀρθὸν καὶ τὸ μή, τὸν κανόνα προσφέρομεν, ᾧ διαγιγνώσκεται.* v. intpp. ad Aristoph. Avv. v. 1001 sqq. et Valckenar. ad Eurip. Hippolyt. v. 468. *Γωνίαι* nunc videntur esse regulae, ad quas anguli exiguntur. Plutarch. Vit. Marcelli c. 19. *καὶ τρίτος ἐστὶ λόγος, ὡς κομίζοντί πρὸς Μάρκελλον* (Archimedi) *τῶν μαθηματικῶν ὀργάνων — σφαῖρας καὶ γωνίας, αἷς ἐναρμόττει τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος πρὸς τὴν*

στερεὰ καὶ τὰ τοῖς κανόσι καὶ γωνίαις, εἴ μου μανθάνεις. ταῦτα γὰρ οὐκ εἶναι πρός τι καλὰ λέγω, καθάπερ ἄλλα, ἀλλ' ἀεὶ καλὰ καθ' αὑτὰ πεφυκέναι
D καί τινας ἡδονὰς οἰκείας ἔχειν, οὐδὲν ταῖς τῶν κνήσεων προσφερεῖς· καὶ χρώματα δὴ τοῦτον τὸν τύπον ἔχοντα [καλὰ καὶ ἡδονάς]. ἀλλ' ἆρα μανθάνομεν, ἢ πῶς;

D. *ταῖς τῶν κνήσεων*] Libri *κινήσεων*. Correxit Heusdius. v. interpretat.

καὶ χρώματα δὴ τοῦτον] V. *καὶ χρ. δή που τ.* quod soli tenent Par. EF. Flor. a. b. c. Praeterea v. infra ann.

ὄψιν, στρατιῶται περιτυχόντες — ἀπέκτειναν. Formulam *φησὶν ὁ λόγος*, Platoni familiarem, attigimus ad p. 50. A.

οὐκ εἶναι πρός τι καλὰ λέγω] H. e. per se pulcra esse, non quatenus referantur ad alia. De natura et vi eorum, quae ad alia referuntur nec per se seorsum constant, egregius locus est Charmid. p. 168. B. sqq. ubi res Socratica ratione illustratur.

D. *ταῖς τῶν κνήσεων προσφερεῖς*] Hic quoque codices cum vett. editt. *κινήσεων*. At enim vero quum intelligantur iucundae sensuum titillationes, nec omnino ea, quibus aliquo modo movemur, in promtu est scribi oportuisse *κνήσεων*, ut recte vidit Heusdius. v. ad p. 46. D.

καὶ χρώματα δὴ τοῦτον τὸν τύπον ἔχοντα] Intelliguntur colores, qui item sunt in se pulcri, nec quatenus ad rerum singularum varietatem referuntur. Eam ob caussam dicuntur *τοῦτον τὸν τύπον ἔχειν*, de qua loquutione v. p. 32. B. et p. 61. A. ibique ann. Quinam colores intelligendi sint, philosophus ipse non indicavit; ex iis tamen, quae mox p. 52. E sqq. disseruntur, facile suspiceris inprimis de albo colore cogitandum esse. Sed pleniorem lucem rei obscurae affundit locus Timaei p. 67. C sqq. ubi Platonis de coloribus eorumque generibus sententiam accurate expositam habes. Intelliguntur igitur summa colorum genera in se spectata, quatenus mente atque animo informantur, neque in singulis semper rebus sic comparent, ut corporis sensus per eos afficiantur atque deliniantur. Iam ad *καλὰ καὶ ἡδονάς* manifestum est ex antegressis repetendum esse *λέγω*. Sed haeremus in isto *ἡδονάς*, ad quod sane additum vellemus *αὐτῶν οἰκείας*. Ficinus vertit: colores item eadem ratione pulcros atque gratos esse. Legit igitur *καὶ ἡδέα*, quo restituto tamen aliquid desiderabis ad sententiae perspicuitatem. Vide igitur, an istud *καλὰ καὶ ἡδονάς* tanquam glossema delendum sit. Apparet enim his verbis eiectis sententiam esse hanc: *καὶ χρώματα δὴ τοῦτον τὸν τύπον ἔχοντα λέγω καθ' αὑτὰ καλὰ εἶναι καὶ ἡδονὰς οἰκείας ἔχειν*.

Πειρῶμαι μέν, — πειράθητι δὲ καὶ αὐ] Oppositionis ratio postulare videatur *ἐγὼ μὲν πειρῶμαι, κ. τ. λ.* Sed vid. quae de pronominibus in oppo-

ΠΡΩ. Πειρῶμαι μέν, ὦ Σώκρατες· πειράθητι δὲ καὶ σὺ σαφέστερον ἔτι λέγειν.

ΣΩ. Λέγω δὴ τὰς τῶν φθόγγων τὰς λείας καὶ λαμπράς, τὰς ἕν τι καθαρὸν ἰείσας μέλος, οὐ πρὸς ἕτερον καλὰς ἀλλ' αὐτὰς καθ' αὑτὰς εἶναι, καὶ τούτων ξυμφύτους ἡδονὰς ἑπομένας.

ΠΡΩ. Ἔστι γὰρ οὖν καὶ τοῦτο.

τὰς λείας] ταλείας Bodl. Dein Ven. *Π.* ἰούσας. Bodl. ἰούσας. Vat. demum ex corr. ἰείσας.

οὐ πρὸς ἕτερον καλὰς] καλὰς om. Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. Rursus correctio Vat. unice vera, quae convenit cum ceterorum librorum scriptura.

sitione omissis ad Euthydem. p. 295. A. et Gorg. p. 490. C. ed. 2. exposuimus.

Λέγω δὴ τὰς τῶν φθόγγων τὰς λείας —] Hic primum tollenda est turpis menda librorum omnium. Quum enim de ipsis sonis haec accipienda sint, neque ἡδονάς intelligere liceat, istud *τῶν φθόγγων* errore natum esse manifestum putamus. Repone igitur *τῶν φωνῶν*, et omnia recta erunt atque perspicua. Referuntur ergo inter sonos in se absolutos, qui menti et animo contemplantium puras et ab omni molestiae accessione liberas voluptates praebeant, *φωναὶ λεῖαι καὶ λαμπραὶ ἕν τι καθαρὸν μέλος ἰεῖσαι*, soni lenes (sanfte) et clari (helle). Etenim contrarii hi sunt asperis et obscuris, qui aliquid iniucundi admixtum habent. Rem ipse philosophus paucis declarat Tim. p. 67. B. *ὅλως οὖν φωνὴν θῶμεν τὴν δι' ὠτων ὑπ' ἀέρος ἐγκεφάλου τε καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγὴν διαδιδομένην ὅση δ' αὐτῆς ταχεῖα, ὀξεῖαν, ὅση δὲ βραδυτέρα, βαρυτέραν· τὴν δὲ ὁμοίαν* (sibi similem, i. e. sibi constantem et aequabilem) *ὁμαλήν τε καὶ λεῖαν, τὴν δ' ἐναντίαν τραχεῖαν· μεγάλην δὲ τὴν πολλήν, ὅση δ' ἐναντία, σμικράν.* ubi *φωνὴ μεγάλη* est, quae hic *λαμπρά* appellatur. Aristotel. De Aud. Vol. II. p. 800, 15. et 801, 25. ed. Bekker. *τῶν δὲ φωνῶν τυφλαὶ μέν εἰσι καὶ νεφώδεις, ὅσαι τυγχάνουσιν αὐτοῦ καταπεπνιγμέναι· λαμπραὶ δέ, ὅσαι πόρρω διατείνουσι καὶ πάντα πληροῦσι τὸν συνεχῆ τόπον.* Conf. Politic. p. 307. A. Haec igitur sonorum genera arbitratur philosophus puras voluptates ita afferre, si eadem fundant *μέλος ἕν τι καθαρόν*, cantum unum quendam purum, h. e. eum, qui et aequabilis sit, nec dissoni aut absurdi quid habeat. Commentarii instar est locus Timaei p. 80. A sq. *ὅσοι φθόγγοι ταχεῖς καὶ βραδεῖς, ὀξεῖς τε καὶ βαρεῖς φαίνονται, τοτὲ μὲν ἀνάρμοστοι φερόμενοι δι' ἀνομοιότητα τῆς ἐν ἡμῖν ὑπ' αὐτῶν κινήσεως, τοτὲ δὲ ξύμφωνοι δι' ὁμοιότητα. τὰς γὰρ τῶν προτέρων καὶ θαττόνων οἱ βραδύτεροι ἀποπαυομένας ἤδη τε εἰς ὅμοιον ἐληλυθυίας, αἷς ὕστερον αὐτοὶ προσφερόμενοι κινοῦσιν ἐκείνας, καταλαμβάνουσι, καταλαμβάνοντες δὲ οὐκ ἄλλην ἐπεμβάλλοντες ἀνετάραξαν κίνησιν, ἀλλ' ἀρχὴν βραδυτέρας φορᾶς κατὰ τὴν τῆς θάττονος, ἀπολησούσης δὲ ὁμοιότητα προσάψαντες μίαν ἐξ ὀξείας καὶ βα-*

E ΣΩ. *Τὸ δὲ περὶ τὰς ὀσμὰς ἧττον μὲν τούτων θεῖον γένος ἡδονῶν· τὸ δὲ μὴ συμμεμίχθαι ἐν αὐταῖς ἀναγκαίους λύπας, καὶ ὅπῃ τοῦτο καὶ ἐν ὅτῳ τυγχάνει γεγονὸς ἡμῖν, τοῦτ' ἐκείνοις τίθημι ἀντίστροφον.*

E. ἧττον μὲν τούτων θ.] τούτων cum Steph. om. Par. EF.

ρείας ξυνεκεράσαντο πάθην· ὅθεν ἡδονὴν μὲν τοῖς ἄφροσιν, εὐφροσύνην δὲ τοῖς ἔμφροσι διὰ τὴν τῆς θείας ἁρμονίας μίμησιν ἐν θνηταῖς γενομένην φοραῖς παρέσχον. Contulisse etiam iuvabit locum Politici p. 306. C sqq. ubi in omni rerum genere ad pulcritudinem docetur necessario requiri hoc, ut et lenitas et celeritas pro rerum condicione temperata sit atque aequabilis.

E. *Τὸ δὲ περὶ τὰς ὀσμὰς ἧττον — θεῖον γένος*] Ordo verborum hic est: *τὸ δὲ περὶ τὰς ὀσμὰς γένος ἡδονῶν ἧττον μὲν θείου (ἐστι) τούτων*, h. e. minus divinum, quam de quibus adhuc disputatum est. Quod cur ita statuatur, docet locus Timaei p. 66. D. ubi olfactum docetur non posse ad certa genera revocari, propterea quod omnis odor dimidiam quandam et imperfectam naturam habeat, neque definitam ac determinatam: itaque licere duo tantum discerni odorum genera, alterum suavium et iucundorum, alterum iniucundorum. Ex quibus consequitur, nec varias formas ac species odorum animo posse informari, quarum contemplatione purae voluptates pariuntur. Verumtamen illud quidem Socrates censet odorum generi quodammodo commune esse cum reliquis, quod voluptatibus ei propriis non necessario admixti sint molestiae ac doloris sensus. Ita enim intelligenda sunt verba: *τὸ δὲ μὴ συμμεμίχθαι — λύπας, τοῦτ' ἐκείνοις τίθημι ἀντίστροφον ἅπαν*, in quibus *ἐν αὐταῖς* referendum ad *τὰς περὶ τὰς ὀσμὰς ἡδονάς*, sed *ἐκείνοις* spectat ad superiora illa, quae puras voluptates gignere iudicata sunt. De loquutione *ἀντίστροφόν ἐστιν*, par est, simile est, ex altera parte respondet, v. ann. ad p 40. D. Res ipsa clara fit ac perspicua ex loco Timaei p. 65. A. *ὅσα δὲ κατὰ σμικρὸν τὰς ἀποχωρήσεις ἑαυτῶν καὶ κενώσεις εἴληφε, τὰς δὲ πληρώσεις ἀθρόας καὶ κατὰ μεγάλα, κενώσεως μὲν ἀναίσθητα, πληρώσεως δὲ αἰσθητικὰ γιγνόμενα, λύπας μὲν οὐ παρέχει τῷ θνητῷ τῆς ψυχῆς, μεγίστας δὲ ἡδονάς· ἔστι δὲ ἐνδηλα περὶ τὰς εὐωδίας.* Hactenus igitur omnia satis expedita habemus. Supersunt verba: *καὶ ὅπῃ τοῦτο καὶ ἐν ὅτῳ τυγχάνει γεγονὸς ἡμῖν*, quae a nullo interprete recte intellecta sunt, siquidem ab omnibus redduntur: ubicunque et in quocunque id inesse contingit; quod profecto a Graecis recedit longissime. Scribendum igitur olim suspicati sumus levi transpositione verborum facta: *ὅπῃ καὶ τοῦτο κ. τ. λ.* Quae coniectura nostra, etsi plausum tulit egregiorum quorundam virorum, tamen nunc varias ob caussas parum probabilis videtur. Etenim quo diutius locum consideravimus, eo certius in ea confirmati sumus sententia, ut nihil mutandum esse existimaremus. Nam articulus *τό* infinitivo *μὴ ξυμμεμίχθαι* praemissus etiam ad *ὅπῃ τοῦτο — ἡμῖν* intelligendus est, quo facto optima existit totius loci sententia. Similiter

φον ἅπαν. ἀλλ', εἰ κατανοεῖς, ταῦτα εἴδη δύο λεγομένων ἡδονῶν.

ΠΡΩ. Κατανοῶ.

ΣΩ. Ἔτι δὴ τοίνυν τούτοις προσθῶμεν τὰς 52

E. *ἀναγκαίους λύπας*] V. *ἀναγκαίας*, invitis codd. Mox *ἐκείνοις* excepto Angel. omnes pro vulg. *ἐκείνης*.

supra p. 28. D. *τὸ ὅπῃ ἔτυχεν.* Interpretamur igitur verba sic: Dass aber ihnen (den Lüsten, welche die Gerüche gewähren) nicht nothwendig Schmerz beigemischt ist, und die Art und Weise *wie*, und dasienige, *woran* uns *dieses* (dass sie frei von Schmerz sind) zu Theil geworden ist, *alles* das setze ich als etwas, was zu ienen ein Gegenstück ist und ihnen vollkommen entspricht. Nemo quisquam unquam in his fuisset offensurus, opinor, si in libris perscriptum esset: *καὶ τὸ ὅπῃ τοῦτο κ. τ. λ.* Ceterum haec quoque clara erunt ex Timaei loco, quem modo comparavimus. Nam ibi et ratio, qua fiat, ut odorum iucunditates a doloribus maneant immunes, prodita est, et vero etiam ea nostri pars claris verbis significata, cui illae obtingere soleant. *ἀλλ', εἰ κατανοεῖς, ταῦτα εἴδη δύο λεγομένων ἡδονῶν.*] Haec quoque multipliciter sollicitata sunt a viris doctis. Nam primum quidem Astius scribendum censuit: *ἀλλ' ἢ κατανοεῖς — ἡδονῶν;* ut tota sententia per interrogationem acciperetur. Idem placuit Winckelmanno, praeterquam quod is *εἰ* servari voluit. Praeterea pro *λεγομένων ἡδονῶν* Heindorfius, assentiente Schleiermachero, restituendum iudicavit *λέγομεν τῶν ἡδονῶν*. Simile quiddam placuit etiam Schützio Opusc. p. 143. *ἐλέγομεν ἡδονῶν* coniectanti. Sed facile his omnibus carebimus, ubi locus recte intellectus fuerit. Putamus vero ad *ταῦτα εἴδη δύο* intelligendum relinqui *ἐστίν*; istud *λεγομένων* autem sic esse accipiendum, ut *ὑφ' ἡμῶν* cogitatione suppleatur. Sed, inquit, si iam rem perspicis, haec duo sunt genera voluptatum a nobis illustratarum. Exempla verbi *λέγεσθαι* sic sine personae significatione positi consignavimus ad p. 39. B. Ne vero mireris, quod responsio Protarchi, *καταιῶ*, hypothetico illi, *εἰ κατανοεῖς*, accommodata est, eodem modo supra p. 25. A. *ξυναγαγόντας χρῆναι κατὰ δύναμιν μίαν ἐπισημήνασθαί τινα φύσιν, εἰ μέμνησαι. ΠΡΩ. μέμνημαι.* Pag. 26. C. *οὐκοῦν τὰ μὲν δὴ τρία ταῦτα εἴρηκα, εἰ συννοεῖς; ΠΡΩ. ἀλλ' οἶμαι κατανοεῖν.*

P. 52. *τούτοις προσθῶμεν τὰς περὶ τὰ μ. ἡδονάς,*] Addit denique voluptates ex studio disciplinarum redundantes; quas quidem omnium maximas ac praestantissimas esse censet. Nam quae antea memoratae sunt purae voluptates, eae *τὰς ἐνδείας ἀναισθήτους* tantum *καὶ ἀλύπους* habere indicatae sunt: sed hae voluptates, quae ex artium ac disciplinarum studiis hauriuntur, eae vero nullum plane antecedentem habent ingratum vacuitatis sensum, nisi si, amissa forte rerum quarundam notitia, eius iacturae ratiocinando, *διὰ λογισμοῦ* (i. e. durch Reflexion)

περὶ τὰ μαθήματα ἡδονάς, εἰ ἄρα δοκοῦσιν ἡμῖν αὗται πείνας μὲν μὴ ἔχειν τοῦ μανθάνειν μηδὲ διὰ μαθημάτων πείνην ἀλγηδόνας ἐξ ἀρχῆς γενομένας.

ΠΡΩ. Ἀλλ' οὕτω ξυνδοκεῖ.

ΣΩ. Τί δέ; μαθημάτων πληρωθεῖσιν ἐὰν ὕστερον ἀποβολαὶ διὰ τῆς λήθης γίγνωνται, καθορᾷς τινὰς ἐν αὐταῖς ἀλγηδόνας;

ΠΡΩ. Οὔ τι φύσει γε, ἀλλ' ἔν τισι λογισμοῖς
B *τοῦ παθήματος, ὅταν τις στερηθεὶς λυπηθῇ διὰ τὴν χρείαν.*

ΣΩ. Καὶ μήν, ὦ μακάριε, νῦν γε ἡμεῖς αὐτὰ τὰ τῆς φύσεως μόνον παθήματα χωρὶς τοῦ λογισμοῦ διαπεραίνομεν.

P. 52. *ἐξ ἀρχῆς γενομένας*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *γιγνομένας*, quod tamen per se non est spernendum.

πληρωθεῖσιν ἐὰν ὕστερον] Libri *πληρωθεισῶν*. Correxit Schützius.

λογισμοῖς τοῦ παθήματος] V. *μαθήματος*. Sed unice verum est, quod habent Ven. *Α*. Par. H. Flor. a. c. et corr. Par. BCE.

B. *αὐτὰ τὰ τῆς φύσεως*] V. *αὐτὰ καὶ τὰ τ. φ.* Recte iam Heindorfius vidit *καὶ* eiici oportere, quod nec Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΠΣ*. Coisl. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. agnoscunt.

ἡμῖν λήθη γίγνεται] *ἀληθῆ* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

reminiscimur. Quocirca non possumus exputare, quid Nägelsbachium, doctissimum virum, in Programmate a. 1836. Norimbergae edito, cui insertae sunt „Explicationes et Emendationes Platonicae," impulerit, ut p. 5. *μή* post *πείνας μέν* furca expellendum censeret. Nimirum respexit ille, ut opinor, unice ad antegressa; eorum, quae sequuntur, nullam duxit rationem. *πείνας μὲν μὴ ἔχειν — γενομένας*] Addi post hoc *μέν* debebat alterum orationis membrum fere hoc: *ἐὰν δὲ ὕστερον μαθημάτων ἀποβολαὶ γένωνται, λύπας τινὰς καὶ ἀλγηδόνας*; Sed Protarchi responsione interpellatus sermo deinde alio modo continuatur. *Πείνη* et *πεινῆν* de vehementiore alicuius rei cupiditate, sicuti Lat. sitis et sitire, etsi Plato, quantum sciam, hoc uno loco dixit, tamen optimis Graecitatis auctoribus non fuit incognitum. Xenoph. Oeconom. 13, 9. *πεινῶσι τοῦ ἐπαίνου — οὐχ ἧττον ἢ ἄλλαι τῶν οἴτων καὶ ποτῶν.* Cyrop. VIII, 3, 16. *πεινήσας χρημάτων.* conf. Gataker. De Stylo N. T. c. VIII. et intpp. ad Matth. Evang. V, 6. Nec philosophus abstinuit simili usu voc. *δίψος* et *διψῶ*. Reip. VIII. p 562. C. certe scripsit: *δημοκρατουμένη πόλις ἐλευθερίας διψήσασα.*

Τί δέ; μαθημάτων πληρωθεῖσιν —] Libri omnes

ΠΡΩ. Ἀληθῆ τοίνυν λέγεις, ὅτι χωρὶς λύπης ἡμῖν λήθη γίγνεται ἑκάστοτε ἐν τοῖς μαθήμασι.

ΣΩ. Ταύτας τοίνυν τὰς τῶν μαθημάτων ἡδονὰς ἀμίκτους τε εἶναι λύπαις ῥητέον καὶ οὐδαμῶς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων ἀλλὰ τῶν σφόδρα ὀλίγων.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὐ ῥητέον;

Cap. XXXII. *ΣΩ. Οὐκοῦν ὅτε μετρίως ἤδη* C
διακεκρίμεθα χωρὶς τάς τε καθαρὰς ἡδονὰς καὶ τὰς σχεδὸν ἀκαθάρτους ὀρθῶς ἂν λεχθείσας, προσθῶμεν τῷ λόγῳ ταῖς μὲν σφοδραῖς ἡδοναῖς ἀμετρίαν, ταῖς δὲ μὴ τοὐναντίον ἐμμετρίαν· καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ σφοδρὸν αὖ, καὶ πολλάκις καὶ ὀλιγάκις γιγνομένας τοιαύτας, (τῆς) τοῦ ἀπείρου γ' ἐκείνου καὶ ἧττον καὶ μᾶλ-

ἀμίκτους εἶναι λύπαις] Par. *A.* Flor. b. i. *λύπης* sed verum est *λύπαις*.

C. *ὀρθῶς ἂν λεχθείσας*] Iniuria Bodl. Ven. *Π.* et Vat. pr. *ἂν* omittunt. Hic quoque rursus Vat. corr. meliorem tuetur scripturam. v. ann. infra.

καὶ τὸ σφοδρὸν αὖ] *τὸ* om. Ven. *Σ.* In Par. F. et pr. Ven. *Ξ.* deest *αὖ*. Pro *τῆς* dein Ven. *Σ. τοῖς*. Pro *τοῦ ἀπείρου τέ γ'* recte Bodl. Vat. Ven. *ΑΠ.* Coisl. Par. H. Flor. b. i. *τοῦ ἀπείρου γ'*. In aliis solum *τε* sine *γ'* legitur. Pro *αὐταῖς εἶναι* Ven. *Σ.* corr. *αὐτὰς εἶναι*. Tum Bodl. *ταῖς δὲ τῶν ἐμμέτρων;* et *μὴ* omittunt etiam Ven. *Π.* et pr. Vat. v. annot. infra.

πληρωθεισῶν. Quod ferri non potest, quandoquidem non ad voluptates refertur. Itaque Heusdius Specim. Crit. p. 103. correxit *πληρωθεὶς τις*, quod per anacoluthiam esset explicandum. Alii etiam alia tentarunt. Sed verum sine dubio perspexerunt Schützius Opusc. p. 144. et Schleiermacherus, qui *πληρωθεῖσιν* coniectarunt. Hoc igitur Bekkero praeeunte reposuimus. De usu particularum *οὔ τι — ἀλλά* v. ad Phaedon. p. 81. D. Sympos. 199. B. — *λογισμοῖς τοῦ παθήματος*, i. e. *τοῦ ἀποβαλεῖν μαθήματα*. Ex quo apparet, perperam vulgo scriptum legi *μαθήματος*.

C. *ὀρθῶς ἂν λεχθείσας*] V. ann. ad p. 30. C.

καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ σφοδρόν — τῶν ἐμμέτρων.] Locus sine dubio misere corruptus ac depravatus. Nec tamen obscurum est, quaenam sit verborum sententia. Nam postea quam discrimen purarum et impurarum voluptatum constitutum est, eaedem omnes etiam alia ratione dividuntur bifariam, quandoquidem, prouti vel vehementiores sint et immoderatiores, vel modum aliquem teneant, aut *ἀμετρίαν* aut *ἐμμετρίαν* habere iudicantur; ex quibus rursus illae, quae *ἀμετρίᾳ* sint insignes, ad genus *τοῦ ἀπείρου* in superiore disputatione descriptum referuntur. Haec igitur loci sententia est. Quae ut inde clarius emergat, verba sic

λον διά τε σώματος καὶ ψυχῆς φερομένου [προς]θῶ-
D μεν αὐτὰς εἶναι γένους, τὰς δὲ μὴ τῶν ἐμμέτρων.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα λέγεις, ὦ Σώκρατες.

ΣΩ. Ἔτι τοίνυν πρὸς τούτοις μετὰ ταῦτα τόδε αὐτῶν διαθεατέον.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Τί ποτε χρὴ φάναι πρὸς ἀλήθειαν εἶναι;

D. αὐτῶν διαθεατέον] V. διαθετέον. Correxit Heusdius, fere refingas: καὶ τὰς τὸ μέγα καὶ τὸ σφοδρὸν αὖ δεχομένας καὶ πολλάκις καὶ ὀλιγάκις γιγνομένας τοιαύτας τοῦ ἀπείρου γ' ἐκείνου καὶ ἧττον καὶ μᾶλλον διά τε σώματος καὶ ψυχῆς φερομένου θῶμεν αὐτὰς εἶναι γένους, τὰς δὲ μὴ τῶν ἐμμέτρων, et eas quidem rursus, quae *magnitudinem* et *vehementiam* in se suscipiunt, atque *saepe* et *raro* tales existunt (ut nec temporis quandam legem habeant), *has* ponamus ad infinitum illud genus referri oportere, quod nulla graduum mensura observata infinito modo per corpus pariter atque per animum agitatur. In his sunt sane, quae sine librorum auctoritate posuimus, nec tamen, ut quidem speramus, sine idonea caussa et ratione. Et primum quidem τὰς — δεχομένας inseruimus, quod in libris desideratur. Sed reddidit tamen simile quiddam Ficinus, cuius germana interpretatio haec est: easque etiam, quae intentius, remissius, magnum parvum, raro crebro *suscipiunt*, ad infiniti genus, quod per animum corpusque secundum magis minusve discurrit, referre decet. Nimirum ille δεχομένας videtur eo loco positum reperisse, quo nunc γιγνομένας scriptum legitur. Praeterea θῶμεν in locum vulgati προςθῶμεν suffecimus; nam compositum verbum perturbat constructionis rationem, ac temere ex superioribus huc invectum est. Porro ante τοῦ ἀπείρου extrusimus τῆς articulum male hic inculcatum, qui iam Stephano eiiciendus videbatur. Denique pro αὐταῖς εἶναι γένους ex Ven. Σ. restituimus αὐτὰς εἶναι γένους; nam ita αὐτὰς iterat quodammodo subiecti mentionem, usu loquendi creberrimo, quem alibi attigimus. Ita igitur haec putamus certe sic reficta, ut sententiae scriptoris respondeant; quamquam quid verum sit in tanta codicum omnium de corrupta scriptura consensione nemo quisquam praestare ausit. Ceterum verba ista: ἧττον καὶ μᾶλλον διά τε σώματος καὶ ψυχῆς φερομένου clara erunt et perspicua recordantibus ea, quae p. 24. A. sqq. disputata leguntur.

τόδε αὐτῶν διαθεατέον] Recte Heusdius διαθεατέον pro vulg. διαθετέον reponendum vidit, quod postea Ven. Σ. corr. auctoritate confirmatum est. Sic etiam paullo post dicitur διασκοπῶμεν et θεασώμεθα. De τόδε αὐτῶν, dieses an ihnen, v. ann. ad Theaet. p. 149. D. et Matthiae Gr. §. 317.

Τί ποτε χρὴ φάναι — εἶ-

τὸ καθαρόν τε καὶ εἰλικρινές, ἢ τὸ σφόδρα τε καὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ ἱκανόν;

ΠΡΩ. Τί ποτ' ἄρ', ὦ Σώκρατες, ἐρωτᾷς βουλόμενος;

ΣΩ. Μηδέν, ὦ Πρώταρχε, ἐπιλείπειν ἐλέγχων ἡδονῆς τε καὶ ἐπιστήμης, εἰ τὸ μὲν ἄρ' αὐτῶν ἑκατέρου καθαρόν ἐστι, τὸ δ' οὐ καθαρόν, ἵνα καθα- E

cuius rationem firmat Ven. Σ. corr.

ναι; τὸ καθαρόν τε —] Hunc locum videmur, restituta recta verborum interpunctione, a virorum doctorum dubitationibus vindicasse, quibus multis atque magnis vexatus est. Deerat enim vulgo post εἶναι signum interrogationis, quo omisso sane omnia profenus fiunt plena obscuritatis. Nunc ante καθαρόν liquet intelligendum esse πότερον vel πότερα, quae loquendi ratio non est infrequens. Quod autem *Ti* ponitur, quum tamen duae tantum res significentur, id profecto nihil habet offensionis. Quidni enim Socrati liceat, primum minus definite quaerere, ac deinde demum duplicem interrogationem subiungere? Sed nec desunt exempla pronominis τίς in simili caussa de duabus rebus sic positi. Xenoph. Cyrop. I, 3, 17. ὁπότε δὲ κρῖναι δέοι, ὁποτέρου ὁ χιτὼν εἴη, τοῦτ' ἔφη ἀκεπτέον εἶναι, τίς κτῆσις δικαία ἐστί· πότερα τὸν βίᾳ ἀφελόμενον ἔχειν, ἢ τὸν ποιησάμενον ἢ πριάμενον κεκτῆσθαι; ubi item τίς vides bimembri interrogationi praemissum. Evang. Luc. c. 7, 42. μὴ ἐχόντων δὲ αὐτῶν ἀποδοῦναι, ἀμφοτέροις ἐχαρίσατο. τίς οὖν αὐτῶν, εἰπέ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει; Ibid. 9, 5. et 21, 31. ubi v. Pricaeum. Sic etiam Latini quis pro uter dixisse reperiuntur. Appuleius Met. 11. Ut ne deus quidem Delphicus ipse facile discerneret, duobus nobis iacentibus, quis esset magis mortuus. Phaedr. Fab. I, 24, 6. Rursus intendit autem maiore nisu, et simili quaesivit modo, *quis* maior esset; ubi de bove et rana narratur. Loquutio πρὸς ἀλήθειαν εἶναι significat veritati consentaneum esse, ad veritatem facere, ut πρὸς λόγον εἶναι et πρὸς ἡδονὴν εἶναι dicitur. v. Dorvill. ad Charit. p. 538. Blomfield. Gloss. ad Aeschyl. Agam. v. 278. Itaque totius loci sententiam sic declarare licebit: Quid tandem oportet iudicari ad veritatem facere? utrum id, quod purum est ac sincerum, an vehemens et multum et magnum et satis amplum?

Μηδὲν, ὦ Πρώταρχε, ἐπιλείπειν —] Iungenda verba sunt sic: μηδὲν ἡδονῆς τε καὶ ἐπιστήμης ἐπιλείπειν (βουλόμενος) ἐλέγχων αὐτήν κ. τ. λ. nihil in voluptate et scientia reliqui facere (praetermittere) cupiens, dum eas exploro, si forte hoc in utraque purum sit, hoc non purum etc. De οὐδὲν ἐπιλείπειν τινός v. Politic. p. 269. C. καὶ λέγε μηδὲν ἐλλείπων. Protag. p. 310. E. al. — ξυνάπασι τοῖσδε, omnibus

ρὸν ἑκάτερον ἰὸν εἰς τὴν κρίσιν ἐμοὶ καὶ σοὶ καὶ ξυνάπασι τοῖσδε ῥᾴω παρέχῃ τὴν κρίσιν.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα.

ΣΩ. Ἴθι δή, περὶ πάντων, ὅσα καθαρὰ γένη λέγομεν, οὑτωσὶ διανοηθῶμεν· προελόμενοι πρῶτον αὐτῶν ἕν τι διασκοπῶμεν.

53 *ΠΡΩ.* Τί οὖν προελώμεθα;

ΣΩ. Τὸ λευκὸν ἐν τοῖς πρῶτον, εἰ βούλει, θεασώμεθα γένος.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Πῶς οὖν ἂν λευκοῦ καὶ τίς καθαρότης ἡμῖν εἴη; πότερα τὸ μέγιστόν τε καὶ πλεῖστον ἢ τὸ ἀκρατέστατον, ἐν ᾧ χρώματος μηδεμία μοῖρα ἄλλη μηδενὸς ἐνείη;

ΠΡΩ. Δῆλον, ὅτι τὸ μάλιστ' εἰλικρινὲς ὄν.

ΣΩ. Ὀρθῶς. ἆρ' οὖν οὐ τοῦτο ἀληθέστατον, ὦ Πρώταρχε, καὶ ἅμα δὴ κάλλιστον τῶν λευκῶν
B πάντων θήσομεν, ἀλλ' οὐ τὸ πλεῖστον οὐδὲ τὸ μέγιστον;

E. *ἰὸν εἰς τὴν κρίσιν*] ἰὼν Bodl.
περὶ πάντων, ὅσα —] *πάντα* corr. Vat. et Coisl.
ἕν τι διασκοπῶμεν] *ἓν τιοι* Bodl. Ven. *II.*
P. 53. *ἐν τοῖς πρῶτον*,] V. *πρώτοις*, invitis Bodl. Vat. Ven. *II.*
Πῶς οὖν ἂν λ.] Pro *ἄν*, quod Vat. Ven. *II.* praebuerunt,

hisce, qui praesentes adsunt.

E. *οὑτωσὶ διανοηθῶμεν· προελόμενοι πρ.*] de omnibus, quae pura sunt, generibus statuamus sic: eligamus primum eorum unum aliquod idque exploremus. Frustra Stephanus *καὶ* ante *προελόμενοι* desiderabat. Nam hic quoque habes enuntiati appositionem, quae particularum ligamenta aspernatur. Etenim *προελόμενοι πρῶτον κ. τ. λ.* antecedentibus verbis illustrandis inserviunt.

P. 53. *πότερα τὸ μέγιστόν τε καὶ πλεῖστον* —] sc. *λευκὸν εἴη ἂν ἡμῖν καθαρόν*. Mox pro vulg. *μηδενὸς ἂν εἴη* ex tribus optimis codd. scripsimus *μηδενὸς ἐνείη*. De omisso *ἄν* v. ad p. 60. C. Gorg. p. 521. C.

B. *Σμικρὸν ἆρα καθαρὸν λ.*] Ficinus vertit: Si ergo, quod parvum purumque album est, admixto multo albo, albius simul et pulchrius et verius esse dicamus, recte penitus asseremus? Quasi Plato dixerit, album colorem, si multum albi coloris admisceretur,

ΠΡΩ. Ὀρθότατά γε.

ΣΩ. Σμικρὸν ἄρα καθαρὸν λευκὸν μεμιγμένου πολλοῦ λευκοῦ λευκότερον ἅμα καὶ κάλλιον καὶ ἀληθέστερον ἐὰν φῶμεν γίγνεσθαι, παντάπασιν ἐροῦμεν ὀρθῶς.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα μὲν οὖν.

ΣΩ. Τί οὖν; οὐ δήπου πολλῶν δεησόμεθα παραδειγμάτων τοιούτων ἐπὶ τὸν τῆς ἡδονῆς πέρι λόγον, ἀλλ' ἀρκεῖ νοεῖν ἡμῖν αὐτόθεν, ὡς ἄρα καὶ ξύμπασα ἡδονὴ σμικρὰ μεγάλης καὶ ὀλίγη πολλῆς C καθαρὰ λύπης ἡδίων καὶ ἀληθεστέρα καὶ καλλίων γίγνοιτ' ἄν.

ΠΡΩ. Σφόδρα μὲν οὖν, καὶ τό γε παράδειγμα ἱκανόν.

ΣΩ. Τί δὲ τὸ τοιόνδε; ἆρα περὶ ἡδονῆς οὐκ ἀκηκόαμεν ὡς ἀεὶ γένεσίς ἐστιν, οὐσία δὲ οὐκ ἔστι τὸ παράπαν ἡδονῆς; κομψοὶ γὰρ δή τινες αὖ τοῦτον τὸν λόγον ἐπιχειροῦσι μηνύειν ἡμῖν, οἷς δεῖ χάριν ἔχειν.

male vulgo *αὖ*.

μηδενὸς ἐνεῖη] V. *μηδενὸς ἂν εἴη*. Bodl. Vat. et Ven. *Π.* pro *ἂν εἴη* habent *ἐνείη*.

ἆρ' οὖν οὐ τοῦτο ἀλ.] *οὐ* additum e Bodl. Vat.

B. *καθαρὸν λευκοῦ μεμ.*] Pro *λευκοῦ* Bodl. Ven. et pr. Vat. *καθαροῦ*. male.

candidiorem et pulcriorem futurum. Enimvero *μεμιγμένον* non est admixtum, sed mixtum, impurum; et *μεμιγμένου πολλοῦ λευκοῦ* non sunt, ut Ficinus accepit, genitivi consequentiae, sed potius reguntur a comparativo *λευκότερον*. Significat igitur Socrates, exiguam quandam coloris albi particulam, modo puri ac sinceri, candidiorem, puriorem et veriorem esse, quam multitudinem quidem, sed permixtae albedinis. Ita Schützius verissime hunc locum interpretatus est.

ὡς ἄρα καὶ ξύμπασα ἡδονὴ σμικρὰ μ.] Heindorfius post *μεγάλης* addendum censebat *μεμιγμένης*. Quod tamen vereor ut opus sit, siquidem sponte ex superioribus intelligitur, praesertim quum *καθαρὰ λύπης* addatur, quibus verbis id, quod puritati contrarium est, facile admonemur. — *αὐτόθεν* est: ex hoc ipso exemplo.

C. *ἆρα περὶ ἡδονῆς οὐκ ἀκηκόαμεν* —] Significantur, nisi fallor, Aristippus eiusque amici, qui voluptatem in motu inesse volebant. v. Diog. Laërt. II. §. 87 sqq. Ita etiam Tren-

ΠΡΩ. Τί δή;

ΣΩ. Διαπερανοῦμαί σοι τοῦτ' αὐτὸ ἐπανερω-
D *τῶν, ὦ Πρώταρχε φίλε.*

ΠΡΩ. Λέγε καὶ ἐρώτα μόνον.

Cap. XXXIII. *ΣΩ. Ἔστὸν δή τινε δύο, τὸ μὲν αὐτὸ καθ' αὑτό, τὸ δὲ ἀεὶ ἐφιέμενον ἄλλου.*

ΠΡΩ. Πῶς τοῦτω καὶ τίνε λέγεις;

ΣΩ. Τὸ μὲν σεμνότατον ἀεὶ πεφυκός, τὸ δ' ἐλλιπὲς ἐκείνου.

ΠΡΩ. Λέγ' ἔτι σαφέστερον.

ΣΩ. Παιδικά που καλὰ καὶ ἀγαθὰ τεθεωρήκαμεν ἅμα καὶ ἐραστὰς ἀνδρείους αὐτῶν.

C. *τοῦτ' αὐτὸ ἐπανερωτῶν*] *αὐτὸ* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.*
D. *δή τινε δύο*] *δύω* Bodl. Coisl. Ven. *ΛΣ.* Par. BCFH. Sed *δύο* Vat. Ven. *Π.* cum ceteris.
Πῶς τοῦτω καὶ τίνε] *τοῦτο* Bodl. Ven. *Π.* Dein *ἐλλειπὲς* Bodl.
Λέγ' ἔτι σαφέστερον] Sic Bodl. Vat., ut iam Stephanus

delenburgio De Philebo p. 9. visum est, qui Aristotelem Ethic. Nicom. VII, 12. X, 3. et Magn. Moral. II, 7. tacite haec respexisse arbitratur. De usu v. *κόμψοι*, sciti, venusti, elegantes, v. Ruhnken. ad Tim. p. 162. Mox quod *ὦ Πρώταρχε φίλε* dicitur, exposuit de hac verborum collocatione A. Matthiae Gr. Gr. §. 277. p. 726. ed. 3.

D. *Ἔστὸν δή τινε δύο, τὸ μὲν* —] Disputare deinde instituit, quodnam pretium universae voluptati statui oporteat. Discernit igitur nunc duo rerum genera, alterum earum, quae per se seorsum constent neque pendeant aliunde; alterum illarum, quae semper ad alia referantur, neque se ipsis contentae sint. conf. quae de eadem re subtiliter exponuntur Charmid. p. 168. B, sqq. Et ad illud quidem, quod natura sua altero praestantius esse censet, refert *τὴν οὐσίαν*; ad hoc *τὴν γένεσιν* pertinere vult, quippe quae ad *οὐσίαν* tanquam finem propositum nitatur. Ex quibus colligit: voluptatem longissime abesse a summi boni laude et praestantia. Nam quum voluptatem in superiore disputatione apparuerit ex harmoniae turbatae restitutione originem ducere, consequens esse ait, ut *γένεσις* esse putanda sit. Iam vero summum bonum statuit tale esse oportere, quod per se absolvatur atque se uno contentum sit. Ex quo concludit, voluptatem ab eo multum esse diversam.

τοῦτοις τοίνυν ἐοικότα δυοῖν —] Aenigmatice loquitur per facetum quendam et urbanum iocum. Nam quum tecte significasset amatorum et puerorum exemplo, necessitudinem aliquam inter utrosque intercedere, qua contineantur, eoque fortasse ipsum Protarchum ac Philebum tetigisset, iam Protarchum iubet duo illis

ΠΡΩ. Σφόδρα γε.

ΣΩ. Τούτοις τοίνυν ἐοικότα δυοῖν οὖσι δύ' ἄλλα ζήτει κατὰ πάνθ', ὅσα λέγομεν εἶναι τὸ τρί- E
τον ἑτέρῳ.

ΠΡΩ. Λέγε σαφέστερον, ὦ Σώκρατες, ὅ τι λέγεις.

ΣΩ. Οὐδέν τι ποικίλον, ὦ Πρώταρχε· ἀλλ' ὁ λόγος ἐρεσχελεῖ νῷν, λέγει δ', ὅτι τὸ μὲν ἕνεκά του τῶν ὄντων ἔστ' ἀεί, τὸ δ' οὗ χάριν ἑκάστοτε τὸ τινὸς ἕνεκα γιγνόμενον ἀεὶ γίγνεται.

ΠΡΩ. Μόγις ἔμαθον διὰ τὸ πολλάκις λεχθῆναι.

coniecit. Vett. editt. *λέγε τι σαφ.*

δύ' ἄλλα ζήτει] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ*. Par. F. pro vulg. ζητεῖ.

E. *ἐρεσχελεῖ*] Bodl. corr. *ἐρεσχηλεῖ*. v. de scriptura huius verbi Pierson. ad Moer. p. 159. = p. 117. ed. Lips. Anecdot. Bekker. I. p. 258. Dein Bodl. *τούτων*.

similia quaerere inter ea omnia, quae dicantur esse tertium quiddam alteri (wovon man sage, dass es das Dritte für ein Anderes sei). Nimirum istud tertium nihil est aliud, nisi necessitudo et coniunctio, qua alterum cum altero similiter continetur, atque amator cum amasio. Quam quidem rei designandae rationem prorsus esse Platonicam, non dubitabunt qui Parmenidem dialogum legerint, in quo libro ea reperitur saepissime. Verum perspexit Schleiermacherus, qui tamen hunc lusum ait esse admodum frigidum, ideoque ad proverbium aliquod respici suspicatur; de quo nobis quidem minime persuasit vir acutissimus. Quid autem rei sit, sponte ex proximis apparebit. Nam significatur ea ratio rerum, qua alterum propter aliud quid est et ad illud refertur, alterum autem id ipsum est, ad quod quid refertur.

E. *Οὐδέν τι ποικίλον* —] nihil quod ad perspiciendum difficile sit ac specie sua quasi deludat. v. ad Sympos. p. 182. B. — Verbum *ἐρεσχελεῖ* Moeris p. 159. narrat *Ἀττικῶς* denotare *τὸ διαπαίζειν*. Hesychius: *Ἐρεσχελεῖ· ἀηδίζεται, ὀχλεῖται, ἐρεθίζει, ἀδολεσχεῖ, χλευάζει, παίζει, σκώπτει, διαμάχεται.* Iocandi et ludendi notione verbum a Platone positum est etiam Phaedr. p. 236. B. De Rep. VIII. p. 545. E. Legg. X. p. 885. C. Confirmatur autem his interpretatio verborum antegressorum non mediocriter.

διὰ τὸ πολλάκις λεχθῆναι.] Nam repetebat Socrates rem ipsam aliquoties, quo ipso tamen Protarchus ait sibi rei intellectum aegre tandem esse redditum faciliorem. Ita si haec acceperis, aptissima erit, quae sequitur, Socratis responsio, *Τάχα δ' ἴσως κ. τ. λ. Μόγις* est vix tandem, aegre tandem.

ΣΩ. Τάχα δ' ἴσως, ὦ παῖ, μᾶλλον μαθησό-
54 *μεθα προελθόντος τοῦ λόγου.*

ΠΡΩ. Τί γὰρ οὔ;

ΣΩ. Δύο δὴ τάδε ἕτερα λάβωμεν.

ΠΡΩ. Ποῖα;

ΣΩ. Ἓν μέν τι γένεσιν πάντων, τὴν δὲ οὐσίαν ἕτερον ἕν.

ΠΡΩ. Δύ' ἀποδέχομαί σου ταῦτα, οὐσίαν καὶ γένεσιν.

P. 54. B *Πρὸς Θεῶν ἆρ' ἂν ἐπαν.*] Ven. *Σ.* corr. *Θεῶν οὖν ἄρ'*. Pro vulg. *ἐπερωτᾷς* Bodl. Vat. Ven. *Π. ἐπανερωτᾷς.*

ὦ Πρώταρχε μοι, πότερα] Pro *μοι*, quod debetur Bodl.

P. 54. *Πρὸς Θεῶν ἆρ' ἂν ἐπανερωτᾷς με;*] Etiam haec multis modis tentata sunt a viris doctis. Schleiermacherus enim legendum censuit: *ἆρ' οὖν ἔτι ἐρωτᾷς με*; Astius maluit: *ἆρ' οὖν ἐπ.* Baiterus coniecit: *ἄγαν ἐπ. με.* Sauppius Epist. Crit. ad God. Hermannum p. 105. corrigendum statuit: *πρὸς Θεῶν ἆρα τί ἐπ. με;* Sed nihil est horum omnium, quod satisfaciat desiderio nostro. Venet. *Σ.* corr. habet *πρὸς Θεῶν οὖν ἄρ' ἂν ἐπ.* unde vix extundas, quod probabilitatis laudem mereatur. Ipsi rei et responso Socratis accommodatum videtur: *πρὸς Θεῶν, τί τοῦτ' αὖ ἐπ. με;* aut *πρὸς Θεῶν, ποῖον αὖ ἐπαν. με;* Sed lenius corriges: *τί πρὸς Θεῶν ἆρ' αὖ ἐπ.* Nam *τί* ante litteram *π* facile extrudi potuit. conf. p. 53. E. *Τί ποτ' ἆρα, ὦ Σώκρατες, ἐρωτᾶς βουλόμενος;*

Τοιόνδε τι λέγω, ὦ Πρώταρχέ μοι, πότερα] Stephanus invitis libris omnibus correxit *σοί*, interpunctione post *Πρώταρχε* facta. Sed verum est *μοι*, quod cum vocativis ita consociari quum veterum grammaticorum testimonia, tum plurima et certissima rei exempla docent; ut profecto ineptus fuerit, qui eam rationem Graecis unquam fuisse usurpatam nuper infitias ivit. Audias Apollon. De Pron. p. 67. C. *Ἡ κλητικὴ αὐτοτελὴς οὖσα στιγμὴν ἀπαιτεῖ· διὸ οὐδέποτε αἱ ἐγκλινόμεναι μετὰ κλητικῆς τίθενται, ὅ τι μὴ μόνον ἡ μοί κατὰ πρῶτον πρόσωπον διὰ φιλοφρόνησιν, Πάτροκλέ μοι δεινὴ* (Iliad. XIX, 287), Char. p. 1155. *ἀλλ' ἐν τῇ ἰδίᾳ ἀρχῇ ἔχουσιν ἐγκλιτικην* (*ἡμιν, ὑμιν*) *καὶ δέχεται ἢ ὑποστιγμὴν ἢ στιγμήν, εἰ μὴ εἴ που φιλοφρονητικὴ εἴη ἡ φράσις Πάτροκλέ μοι.* Nec vero praeter Homericum alia nobis desunt exempla dativi illius ethici cum vocativo consociati, iam olim in Appendice a nobis maximam partem allata. Ex quibus si prius ea potissimum protulero, in quibus, ut hoc loco, nullum verbum nullaque omnino sententiae pars est, cui dativus commode adiungi queat, fortasse id efficietur, ut de aliis quoque locis statuatur cautius et prudentius. Aristoph. Pac. v. 75. *καὐτὸς καταψῶν αὐτὸν ὥσπερ πωλίον, ὦ Πηγάσιόν μοι,*

ΣΩ. Ὀρθότατα. πότερον οὖν τούτων ἕνεκα πο-
τέρου, τὴν γένεσιν οὐσίας ἕνεκα φῶμεν ἢ τὴν οὐ-
σίαν εἶναι γενέσεως ἕνεκα;

ΠΡΩ. Τοῦτο, ὃ προσαγορεύεται οὐσία, εἰ γε-
νέσεως ἕνεκα τοῦτ' ἔστιν ὅπερ ἐστί, νῦν πυνθάνει;

ΣΩ. Φαίνομαι.

ΠΡΩ. Πρὸς θεῶν ἆρ' ἂν ἐπανερωτᾷς με; B

ΣΩ. Τοιόνδε τι λέγω, ὦ Πρώταρχέ μοι, πότε-

Vat. Coisl. Ven. ΑΞΠ. Paris. BCEFH. Angel. Flor. a. b. c. i. et editt. Ald. Bass. 1. 2., Stephanus dedit *σοι*, commate post *Πρώταρχε* facto. Ven. Σ. habet *με*. Vides igitur, *σοι* istud idoneo carere fundamento.

φησί, γενναῖον πτερόν, ὅπως πε-
τήσει μ' εὐθὺ τοῦ Διὸς λαβών, ubi *μοι* non potest cum *ὅπως πετήσει με* recte coniungi. Eurip. Alcest. v. 323. *σὺ δ', ὦ τέκνον μοι, πῶς κορευθήσει καλῶς*; ubi male feceris *μοι* cum *πῶς κορ. κ.* nectendo. Eurip. Troad. v. 589. *μάλοις, ὦ πόσις μοι —*, ubi Matthiae nuper post *πόσις* incidit orationem. Ibid. v. 1089. *ὦ φίλος, ὦ πόσι μοι, σὺ μὲν φθίνεις ἀλαίνεις ἄθαπτος*. ubi quis *μοι* ab *ὦ πόσι* violenter divellere audebit? Orest. v. 124. *ἴθ', ὦ τέκνον μοι, σπεῦδε καὶ χοὰς τάφῳ δοῦσ' ὡς τάχιστα τῆς πάλιν μέμνησ' ὁδοῦ*. quo loco A. Matthiae rursus ante *μοι* distinxit. Androm. v. 738. *ἡγοῦ, τέκνον μοι, δεῦρ' ὑπ' ἀγκάλαις σταθείς*. ubi, qui *μοι* ad sequentia referunt, ii vim affectus misere infringunt. Hercul. Fur. v. 620. *σὺ δ', ὦ γύναι μοι, σύλλογον ψυχῆς λάβε*. de quo loco idem dictum esto. Iphig. Aul. v. 613. *σὺ δ', ὦ τέκνον μοι, λεῖπε πωλικοὺς ὄχους*. ubi sane minus incommode pronomen ad sequentia retuleris, quamquam dehortatur iam usus alibi observatus. Ibid. v. 929. *χαῖρ' ὦ πόσις μοι τῆς ἐμῆς ὁμοσπόρου*. ubi nuperi editt. parum recte *χαίρε μοι* iungunt. Sophocl. Aiac. v. 874. *ὦ τροφεῖς ἐμοί*, similem certe habet rationem. Sed affatim exemplorum, quae ut ex parte dubitationem admittant, tamen id, opinor, efficient, ut dativum *μοι* cum vocativo non temere iungi ostendant et evincant, quod hoc quidem loco, ut ita fiat, prorsus est necessarium. Disputavit nuper de hoc usu Graecorum R. Skrzeczka, Gumbinnensis, in Commentatione De pronominibus propter locum, quem obtinent, orthotonumenis, a. 1837. quae nunc inserta est Supplement. Novor. Annal. Philol. et Paedagog. a Iahnio meo edit. Vol. VII. Fasc. II. p. 193 sqq. Aliter de tota caussa statuerunt Fritzschius Quaest. Luciann. p. 27 sq. et A. Matthiae ad Eurip. Hecub. v. 426. qui tamen omnes hunc locum omnino neglexerunt, in quo illud *μοι* vocativo iunctum sedem habet longe certissimam. Ceterum perquam mire Schleiermacherus: „Sokrates giebt sich das Ansehn mit

ρα πλοίων ναυπηγίαν ἕνεκα φῆς γίγνεσθαι μᾶλλον ἢ πλοῖα ναυπηγίας; καὶ πάνθ', ὁπόσα τοιαῦτ' ἐστί, λέγω τοῦτ' αὐτό, ὦ Πρώταρχε.

ΠΡΩ. Τί οὖν οὐκ αὐτὸς ἀπεκρίνω σαυτῷ, ὦ Σώκρατες;

ΣΩ. Οὐδὲν ὅ τι οὔ· σὺ μέντοι τοῦ λόγου συμμέτεχε.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Φημὶ δὴ γενέσεως μὲν ἕνεκα φάρμακά τε καὶ πάντα ὄργανα καὶ πᾶσαν ὕλην παρατίθεσθαι πᾶσιν, ἑκάστην δὲ γένεσιν ἄλλην ἄλλης οὐσίας τινὸς

ἢ πλοῖα ναυπηγίας] Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. post πλοῖα inserunt ἕνεκα. sed v. infra ann. Dein ante *λέγω* aliquot libri personae indicem addunt. Ven. *Σ.* corr. *πότερα λέγω.*

Οὐδὲν ὅ τι οὔ· σὺ μέντοι] Ven. *Σ.* corr. *οὐ καὶ σὺ μέντοι κ. τ. λ.* Dein pro *μέτεχε* Bodl. Vat. Ven. *Π. συμμέτεχε.* recte.

sich selbst zu sprechen, wenn man dem *μοι*, was Bekker statt *σοι* wieder aufgenommen hat, so viel einräumen will; welcher Scherz auch frostig herauskommt. Nimirum de tali ioco Plato ne somniavit quidem.

πλοίων ναυπηγίαν ἕνεκα φῆς γ.] Postpositum est ἕνεκα, nisi fallor, ideo, ut ne vocabula inter se opposita, *πλοίων* et *ναυπηγίαν*, interserta praepositione divellerentur. Nam solent Graeci, quae inter se invicem referuntur, mutato verborum ordine vulgari iuxta sese collocare. Quod maxime perspicuum est in talibus locis: Menexen. p. 239. C. *δόξαν ἀξίαν ἐπ' ἀξίοις λαβὼν ἔχει.* Tim. p. 37. A. *ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀρίστη γενομένη τῶν γεννηθέντων.* Ibid. p. 33. A. *διὰ δὴ — τὸν λογισμὸν τόνδε ἓν ὅλον ὅλων ἐξ ἁπάντων καὶ τελέων τέλεον ξυνέστησε.* Euthydem. p. 304. E. *περὶ οὐδενὸς ἀξίων ἀναξίαν σπουδὴν ποιουμένων.* Et sic paullo ante: *ὡς ἄρα καὶ ξύμπασα ἡδονὴ σμικρᾶ μεγάλης καὶ ὀλίγη πολλῆς καθαρᾶ λύπης γίγνοιτ' ἄν*, ubi iuncta vides opposita; et mox p. 54. C. *ἑκάστην δὲ γένεσιν ἄλλην ἄλλης οὐσίας τινὸς ἕνεκα γίγνεσθαι*, quo loco simul figura chiasmi notanda. Similis praepositionis traiectio, qualem hic habemus, inest in illo *ἐπ' αὐτὸς αὑτῷ*, pro *αὐτὸς ἐφ' αὑτῷ*, quo usus est Aeschylus Prometh. v. 957. ed. Blomf. al. Quamobrem iam dubitare licet, num deinde in melioribus libris recte scribatur *ἢ πλοῖα ἕνεκα ναυπηγίας.* Nobis quidem praepositionis accessio praeposterae correctionis movet suspicionem. Accedunt talia: Gorg, p. 468. A. *πότερον οὖν τὰ μεταξὺ ταῦτα ἕνεκεν τῶν ἀγαθῶν πράττουσιν, ὅταν πράττωσιν, ἢ τἀγαθὰ τῶν μεταξύ*; quae certe ostendunt, praepositionis iterationem in hac bimembri interrogatione non opus esse.

καὶ πάνθ', ὁπόσα τ. ἐ., λέ-

ἑκάστης ἕνεκα γίγνεσθαι, ξύμπασαν δὲ γένεσιν οὐσίας ἕνεκα γίγνεσθαι ξυμπάσης.

ΠΡΩ. Σαφέστατα μὲν οὖν.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἡδονή γε, εἴπερ γένεσίς ἐστιν, ἕνεκά τινος οὐσίας ἐξ ἀνάγκης γίγνοιτ' ἄν.

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Τό γε μὴν οὗ ἕνεκα τὸ ἕνεκά του γιγνόμενον ἀεὶ γίγνοιτ' ἄν, ἐν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ μοίρᾳ ἐκεῖνό ἐστι· τὸ δὲ τινὸς ἕνεκα γιγνόμενον εἰς ἄλλην, ὦ ἄριστε, μοῖραν θετέον.

ΠΡΩ. Ἀναγκαιότατον.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἡδονή γε εἴπερ γένεσίς ἐστιν, εἰς D

v. ann.

C. *ξύμπασαν δὲ γένεσιν — γίγνεσθαι*] Omittunt haec Bodl. Vat. Coisl. et pr. Ven. *Π.* probante Winckelmanno. Sed caussam omissionis extitisse *τὸ ὁμοιοτέλευτον* verbi *γίγνεσθαι* manifestum putamus. *ξυμπάσῃ* Bodl.

γὼ τοῦτ' αὐτό,] H. e. *καὶ περὶ πάντων.* v. ad Apolog. Socr. p. 23. A.

Τί οὖν οὐκ αὐτὸς ἀπεκρίνω σαυτῷ;] H. e. Quantocius igitur ipse tibi responde. v. ad Protagor. p. 310. A. et E. Sympos. p. 173. B. Ad *οὐδὲν ὅ τι οὔ* int. *ἀποκρινοῦμαι.* Sic *οὐδὲν ὅ τι οὔ* in responsione positum Euthydem. p. 294. E. *οὐ δήπου, ἦν δ' ἐγώ, καὶ ἐς μαχαίρας γε κυβιστῶν καὶ ἐπὶ τροχοῦ δινεῖσθαι ηλικοῦτος ὤν* (sc. *ἐπίστατο ἄν*)· *οὕτω πόρρω σοφίας ἦκει; Οὐδέν, ἦφη, ὅ τι οὔ.* intell. *ἐπίσταται.* Frustra igitur Astius coniecit *Οὐδὲν οἷον*: frustra item alii *ὅ τι οὔ* scripserunt. Dein *τοῦ λόγου συμμέτεχε* est: una mecum sermonis particeps sis, quod fortius dictum pro simplici *μέτεχε.* Theaet. p. 181. C. *μὴ μέντοι μόνον ἐμοὶ δοκεῖτω, ἀλλὰ συμμέτεχε καὶ σύ, ἵνα κοινῇ πάσχωμεν, ἐάν τι δέῃ.*

C. *ἑκάστην δὲ γένεσιν ἄλλην ἄλλης οὐσίας π. ἑκάστης*] unamquamque generationem tanquam aliud quid semper propter aliquam *οὐσίαν*, quae item est aliud quid, fieri etc.

ἐν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ μοίρᾳ ἐκ. ἐστι] H. e. boni instar habendum est, in numerum bonorum referendum. Menex. p. 249. B. *ἐν κληρονόμου καὶ υἱέως μοίρᾳ κα-θεστυῖα.* Criton. p. 51. B. *ἀγιώτερον καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ.* Ceterum *ἐκεῖνο* hic post subiectum illatum ut alibi *τοῦτο* et *αὐτό.*

D. *Ἆρ' οὖν ἡδονή γε εἴπερ γένεσίς ἐστιν*] Astius *ἡδονήν* coniecit. Quod si in codicibus scriptum legeretur, protenus recepissemus. Nunc nominativum putamus protasi: *εἴπερ γένεσίς ἐστιν*, accommodatum esse. Ac tuetur librorum scripturam etiam illud, quod deinde *αὐτήν* ante *τιθέντες* interpositum est.

ἄλλην ἢ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ μοῖραν αὐτὴν τιθέντες ὀρθῶς θήσομεν;

ΠΡΩ. Ὀρθότατα μὲν οὖν.

ΣΩ. Οὐκοῦν, ὅπερ ἀρχόμενος εἶπον τούτου τοῦ λόγου, τῷ μηνύσαντι τῆς ἡδονῆς πέρι τὸ γένεσιν μέν, οὐσίαν δὲ μηδ' ἡντινοῦν αὐτῆς εἶναι, χάριν ἔχειν δεῖ. δῆλον γάρ, ὅτι οὗτος τῶν φασκόντων ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι καταγελᾷ.

ΠΡΩ. Σφόδρα γε.

ΣΩ. Καὶ μὴν ὁ αὐτὸς οὗτος ἑκάστοτε καὶ τῶν
E ἐν ταῖς γενέσεσιν ἀποτελουμένων καταγελάσεται.

ΠΡΩ. Πῶς δὴ καὶ ποίων λέγεις;

ΣΩ. Τῶν ὅσοι ἐξιώμενοι ἢ πείνην ἢ δίψαν ἤ τι τῶν τοιούτων, ὅσα γένεσις ἐξιᾶται, χαίρουσι διὰ τὴν γένεσιν ἅτε ἡδονῆς οὔσης αὐτῆς, καί φασι ζῆν οὐκ ἂν δέξασθαι μὴ διψῶντές τε καὶ πεινῶντες καὶ τἆλλα, ἅ τις ἂν εἴποι, πάντα τὰ ἑπόμενα τοῖς τοιούτοις παθήμασι μὴ πάσχοντες.

55 ΠΡΩ. Ἔοικασι γοῦν.

D. *χάριν ἔχειν δεῖ*] V. *δεῖ ἔχειν*. Coisl. Par. C. et corr. Ven. *Ξ. ἔχειν δεῖ*. Bodl. Vat. Ven. *Π. ἔχειν δεῖν*, quod erunt qui defendant ex illa loquendi ratione, de qua diximus ad Phaedr. p. 272. D. Euthyphr. p. 4. E. et supra ad p. 20. D. Sed vereor ne *δεῖν* errore natum sit, quod mirum est quam saepe cum *δεῖ* in libris confundatur.

ὅπερ ἀρχόμενος εἶπον] V. p. 53. C. Iam vero Aristippus ubi hic et supra significatur, nemo erit quin sentiat inesse in his verbis lenem quandam cavillationem et irrisionem. E. *καὶ τῶν ἐν ταῖς γενέσεσιν ἀποτελουμένων*] qui generationibus explentur, h. e. quibus generationes satisfaciunt ad explendum voluptatis desiderium. Recte igitur Schleiermacherus: die, welche sich jedesmal nur in dem Werden befriedigt fühlen. De verbo *ἀποτελεῖσθαι* v. Reip. IX. p. 580. E. *ἐπιθυμητικὸν γὰρ αὐτὸ κεκλήκαμεν διὰ τὸ σφοδρότητα τῶν περὶ τὴν ἐδωδὴν ἐπιθυμιῶν καὶ πόσιν καὶ ἀφροδίσια καὶ ὅσα ἄλλα τούτοις ἀκόλουθα, καὶ φιλοχρήματον δή, ὅτι διὰ χρημάτων μάλιστα ἀποτελοῦνται* (explentur) *αἱ τοιαῦται ἐπιθυμίαι.* Ibid. VIII. p. 558. E. *οὐκοῦν ἃς τε (ἐπιθυμίας) οὐκ ἂν οἷοί τε εἶμεν ἀποτρέψαι δικαίως ἀναγκαῖαι καλοῖντο, καὶ ὅσαι ἀποτελούμεναι* (satiatae) *ὠφελοῦσιν*

ΣΩ. Οὐκοῦν τῷ γίγνεσθαί γε τοὐναντίον ἅπαντες τὸ φθείρεσθαι φαῖμεν ἄν.

ΠΡΩ. Ἀναγκαῖον.

ΣΩ. Τὴν δὴ φθορὰν καὶ γένεσιν αἱροῖτ' ἄν τις τοῦθ' αἱρούμενος, ἀλλ' οὐ τὸν τρίτον ἐκεῖνον βίον, τὸν ἐν ᾧ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι, φρονεῖν δ' ἧν [δυνατὸν] ὡς οἷόν τε καθαρώτατα.

ΠΡΩ. Πολλή τις, ὡς ἔοικεν, ὦ Σώκρατες, ἀλογία ξυμβαίνει γίγνεσθαι, ἐάν τις τὴν ἡδονὴν ὡς ἀγαθὸν ἡμῖν τιθῆται.

ΣΩ. Πολλή, ἐπεὶ καὶ τῇδε ἔτι λέγωμεν.

ΠΡΩ. Πῇ;

ΣΩ. Πῶς οὐκ ἄλογόν ἐστι μηδὲν ἀγαθὸν εἶναι B μηδὲ καλὸν μήτε ἐν σώμασι μήτ' ἐν πολλοῖς ἄλλοις πλὴν ἐν ψυχῇ, καὶ ἐνταῦθα ἡδονὴν μόνον, ἀνδρείαν δὲ ἢ σωφροσύνην ἢ νοῦν ἤ τι τῶν ἄλλων, ὅσα ἀγαθὰ εἴληχε ψυχή, μηδὲν τοιοῦτον εἶναι; πρὸς τούτοις δὲ ἔτι τὸν μὴ χαίροντα, ἀλγοῦντα δὲ ἀναγκάζεσθαι φάναι κακὸν εἶναι τότε, ὅταν ἀλγῇ, κἂν ᾖ ἄριστος πάντων, καὶ τὸν χαίροντα αὖ, ὅσῳ μᾶλλον

E. *Καὶ μὴν αὐτὸς οὗτος ἑκάστοτε*] Bekkerus articulum *ὁ* ante *αὐτὸς* inseruit de coniectura; libri eo carent.

ἐξιώμενοι ἢ πείνην] Hoc *ἢ* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.*

P. 55. *Οὐκοῦν τῷ γίγνεσθαι*] *τὸ γενέσθαι* Bodl. Ven. V. et pr. Vat. Voculam *γε* om. Vat. Ven. *Π.* Bodl.

αἱροῖτ' ἄν τις τοῦθ' αἱρ.] *τις* pro vulg. *ὁ* Bodl. Vat. Ven. *Π.* Mox *δυνατὸν*, ut glossema, seclusimus.

ἡμᾶς; Sympos. p. 188. D. *ἔρως — ὁ περὶ τἀγαθὰ ἀποτελούμενος.*

P. 55. *Οὐκοῦν τῷ γίγνεσθαί γε τοὐναντίον*] Nonne vero generationis contrarium omnes dicemus interitum? Male *τὸ γίγνεσθαι* tres optimi codices, quod non nemo probavit, parum considerate. Mox *δυνατόν* cum Bekkero uncis seclusimus. Est enim glossema verborum *οἷόν τε.* Hesychius et Timaeus; *Ὡς οἷόν τε· ὡς δυνατόν.*

Πολλή τις, ὡς ἔοικεν, — ἀλογία ξυμβ. γ.] Stephanus *πολλήν τινα — ἀλογίαν ξ. γίγνεσθαι* requirebat. Quam opinionem satis confutabunt, quae scripsimus ad Phaedon. p. 67. C. Tim. p. 82. D. Reip. II. p. 375. D.

B. *τοσούτῳ διαφέρειν πρὸς ἀρετήν*] tanto magis virtute excellere. Sic *διαφέρειν εἰς ἀρετήν* Apolog. Socrat. p. 35. B.

C χαίρει, τότε ὅταν χαίρῃ, τοσούτῳ διαφέρειν πρὸς ἀρετήν.

ΠΡΩ. Πάντ' ἐστὶ ταῦτα, ὦ Σώκρατες, ὡς δυνατὸν ἀλογώτατα.

Cap. XXXIV. ΣΩ. Μὴ τοίνυν ἡδονῆς μὲν πάντως ἐξέτασιν πᾶσαν ἐπιχειρῶμεν ποιήσασθαι, νοῦ δὲ καὶ ἐπιστήμης οἷον φειδόμενοι σφόδρα φανῶμεν·

B. τοσούτῳ διαφέρειν] Sic Bodl. Vat. Ven. ΑΠΣ. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. τοσοῦτον.

C. ἡδονῆς μὲν πάντως ἐξ.] Vett. editt. ἡδονῆς μέντοι πάντως ἐξέτ. quod emendatum e Bodl. Vat. Ven. Π.

C. εἴ πῃ τι σαθρὸν ἔχει, πᾶν περικρούωμεν] Ducta est comparatio ab exploratione vasorum, quae pulsantur ab inquirentibus, integra an vitiosa sint, ut ex reddito sono cognoscantur. Theaet. p. 179. D. σκεπτέον τὴν φερομένην ταύτην οὐσίαν διακρούοντι, εἴτε ὑγιὲς εἴτε σαθρὸν φθέγγεται. ubi Schol. Ἐκ μεταφορᾶς τῶν διακωδωνούντων τὰ κεράμια, εἰ ἀκέραιά εἰσιν. Vide ibi annot. Copiose de hac loquendi ratione exposuit Wyttenbach. ad Plutarch. De discern. adul. ab amico p. 64. D. Commentar. p. 497. T. I. ed. Ox. ubi est: κἂν διαπειρώμενος κρούσῃς, σαθρὸν ὑπηχεῖ. Hinc vir egregius coniecit, Platoni quoque reddendum esse σαθρὸν ἠχεῖ, in quam sententiam devenit etiam Steinbrüchelius Mus. Turicens. T. II. p. 334. Et profecto elegantissima est ea emendatio, etiamsi de eius necessitate dubitare liceat. Σαθρόν omnino est ruinosum, id quod damnum contraxit, ut Theaet. p. 179. D. Gorg. p. 493. E. Legg. V. p. 736. E. ubi v. Astium p. 254. al. De περικρούειν explorandi notione posito v. ann. ad Hipp. mai. p. 301. B. Quid autem γενναίως significet, dubitantes edocebunt, quae ad Lysid. p. 215. D. et Theaet. p. 166. C. exposuimus. De εἴ πῃ v. ad p. 14. B.

εἰς τὴν κρίσιν χρώμεθα τὴν κοινὴν —] Mirari licet Schleiermacherum κρᾶσιν hic pro κρίσιν desiderantem, quia mixtio extremum illud sit, ad quod denique procedatur. At nimirum ipse Socrates supra p. 52. E. μηδὲν, ὦ Πρώταρχε, ἐπιλείπειν ἐλέγχων ἡδονῆς τε καὶ ἐπιστήμης, — ἵνα καθαρὸν ἑκάτερον ἰὸν εἰς τὴν κρίσιν ἐμοὶ καὶ σοὶ καὶ ξυνάπασι τοῖσδε ῥᾴω παρέχῃ τὴν κρίσιν. Respicias omnino p. 27. C. D. et p. 22. C. sqq. quibus in animum revocatis non dubitabis quin κρίσιν unice verum sit. Hac vero lectione servata sententiam loci huc fere redire apertum est: gnaviter, inquit Socrates, praeter voluptatem etiam mentem ac sapientiam exploremus, donec illo, quod in iis est natura sua purissimum, accurate perspecto, ad commune (voluptati et scientiae) iudicium et mentis ac sapientiae (τούτων) et voluptatis partes verissimas adhibere liceat.

D. Οὐκοῦν ἡμῖν τὸ μέν, οἶμαι, δημιουργικόν·] Hunc

γενναίως δέ, εἴ πῃ τι σαθρὸν ἔχει, πᾶν περικρούωμεν, ἕως ὅ τι καθαρώτατόν ἐστ' αὐτῶν φύσει, τοῦτο κατιδόντες εἰς τὴν κρίσιν χρώμεθα τὴν κοινὴν τοῖς τε τούτων καὶ τοῖς τῆς ἡδονῆς μέρεσιν ἀληθεστάτοις.

ΠΡΩ. Ὀρθῶς.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἡμῖν τὸ μέν, οἶμαι, δημιουργικόν D

κοινὴν τοῖς τε τούτων] τῆς τε Bodl. Coisl. Ven. ΑΣ. Par. BEF. et, Bastio teste, Vat.

D. περὶ παιδείαν καὶ τροφήν;] Sic Bodl. Vat. Ven. Π. pro vulg. ἢ τροφήν.

locum olim perperam habuimus pro lacunoso. Nunc mutata sententia nihil omnino desiderari censemus. Est autem summa disputationis, quae deinceps instituitur, fere haec. Duplex est genus artium ac disciplinarum: alterum versatur in actione pertinetque ad vitae necessitates, ideoque est δημιουργικόν sive χειροτεχνικόν; alterum ad eruditionem ac disciplinam refertur. Iam vero ex artibus operariis aliae magis cum scientia coniunctae sunt, aliae minus, ideoque sunt vel puriores vel impuriores. Et in praestantioribus quidem habendae sunt artes mathematicae, arithmetica, atque metiendi et ponderandi sollertia, quibus sublatis ceterae exigui pretii futurae essent. Redirent enim illae omnes ad meram fere coniecturam et exercitationem quandam usu collectam. Plena est hac primum musica, quae non ad numerum sed exercitationis coniectura concinentia componit et fides organorum tractat; plena item ars medica, agricultura, gubernatoria, et imperatoria. Alia vero ratio earum artium est, quae ope mathematicae utuntur. Nam ars tignaria, ut hoc utamur, ideo est multo certior, quod plurimis mensuris et instrumentis utitur. Ponamus igitur duplex rursus esse genus artium a mathematicis disciplinis seiunctarum. Nam aliae harum ope utuntur suntque accuratiores, veluti ars tignaria; aliae eadem carent, ut vulgaris ista ars musica. Verum ipsae mathematicae disciplinae rursus bifariam dividendae sunt. Nam aut vulgares sunt subsistuntque in rerum singularum, quae oculis sunt subiectae, computatione et mensura; aliae assurgunt altius, atque ipsas numerorum, ponderum atque figurarum rationes in se spectatas explorant et contemplantur. Alterae igitur tanquam practicae sunt, alterae theoreticae, quae quidem, accedunt propius ad scientiae et cognitionis laudem. Sed quamvis has ipsas disciplinas accuratissimas esse fatendum sit, tamen omnes illas una quaedam ars ac scientia longissime superare iudicari debet, quippe quae id, quod revera est ac semper sibi constat, perscrutatur atque cognoscit, adeoque reliquas artes omnes in se quodammodo complectitur, quum caussas et rationes rerum perspicere nos doceat. Non est illa ars oratoria, quam sophistae iactare ideo solent, quia plurimum utilitatis afferre soleat; sed ea ars est,

ἐστι τῆς περὶ τὰ μαθήματα ἐπιστήμης, τὸ δὲ περὶ παιδείαν καὶ τροφήν; ἢ πῶς;

ΠΡΩ. Οὕτως.

ΣΩ. Ἐν δὴ ταῖς χειροτεχνικαῖς διανοηθῶμεν πρῶτα, εἰ τὸ μὲν ἐπιστήμης αὐτῶν μᾶλλον ἐχόμενον, τὸ δὲ ἧττόν ἐστι, καὶ δεῖ τὰ μὲν ὡς καθαρώτατα νομίζειν, τὰ δ' ὡς ἀκαθαρτότερα.

ΠΡΩ. Οὐκοῦν χρή.

τὸ δὲ ἧττόν ἐστι] Libri ἧνι. Correxi de Schleiermacheri sententia sine ulla dubitatione. Dein pro καὶ δεῖ Bodl. Vat. Ven. Π. καὶ δή.

ὡς ἀκαθαρτότερα] V. ὡς ἀκαθαρτότατα, quod soli Par. EF. cum Ald. Bas. 1. et Steph. tenent.

quae animum ad veritatis cognitionem perducit. Et plurimi quidem homines verum quaerentes subsistunt in opinionibus et in iudicandis rebus adspectabilibus. Atqui ita non ipsius veri, quod est immutabile, perpetuum, sempiternum, cognitio comparatur, sed earum tantum rerum notitia acquiritur, quae fiunt, quae mutantur, quae intereunt; quae certe verae scientiae nomine indigna est. Nimirum ad id, quod semper sibi constat neque mutationis varietati et vicissitudini subiectum est, una ratio atque intelligentia tantum pervenire potest, atque haec una parere solet scientiam nomine suo dignam. Ita igitur apparet, ordinem artium ac disciplinarum, quem philosophus constituit, hunc esse. Primum locum tribuit philosophiae atque dialecticae; secundum concedit disciplinis mathematicis purioribus; tertium vulgaribus mathematicis; quartum iis artibus operariis, quae ope et adiumento artium mathematicarum utuntur; quintum denique iis omnibus, quae diligentia et accuratione mathematica prorsus carent atque solo usu exercitatione collecto continentur. Iam vero nec quisquam dubitabit, quaenam ex his ad *παιδείαν καὶ τροφήν* pertinere existimandae sint, et quaenam in *δημιουργικαῖς καὶ χειροτεχνικαῖς* haberi debeant. Pertinet vero harum rerum disputatio usque ad p. 59. D. ubi deinde ad alia transitur. Ceterum philosophus artes ac disciplinas pro dignitate sua alibi aliter divisit. De qua re conferas Phaedr. p. 248. E. sqq. Politic. p. 278. A. sqq. De Rep. VII. p. 521. C. sqq. X. p. 602 sqq. Gorg. p. 451. C. sqq.

περὶ παιδείαν καὶ τροφήν] Pessimo errore vulgo *ἢ τροφήν*. Nam utrumque iungitur ad universam eruditionem et doctrinam designandam, nec vero distingui ac secerni solet. Phaedon. p. 107. D. *οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς ᾅδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς.* Ibid. p. 81. D. *τὰς τῶν φαύλων (ψυχὰς) αἱ περὶ τὰ τοιαῦτα ἀναγκάζονται πλανᾶσθαι, δίκην τίνουσαι τῆς προτέρας τροφῆς κακῆς οὔσης.* Ibid. p. 84. A. *ἡ ψυχὴ — τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδάμαστον θεωμένη καὶ ὑπ' ἐκείνου τρεφομένη*, ubi deinde: *ἐκ δὴ τῆς τοιαύτης τροφῆς οὐδὲν δεινὸν μὴ φοβηθῇ.* Tim.

ΣΩ. Τὰς τοίνυν ἡγεμονικὰς διαληπτέον ἑκάστων αὐτῶν χωρίς.

ΠΡΩ. Ποίας καὶ πῶς;

ΣΩ. Οἷον, πασῶν που τεχνῶν ἄν τις ἀριθμητικὴν χωρίζῃ καὶ μετρητικὴν καὶ στατικήν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, φαῦλον τὸ καταλειπόμενον ἑκάστης ἂν γίγνοιτο. E

διαληπτέον ἑκάστων αὐτῶν χωρίς.] Stephanus ἑκάστην scribendum censuit.

E. φαῦλον τὸ καταλειπόμενον] τὸ om. Vat. et Ven. II. male.

p. 19. D. Alcib. I. p. 122. B. Menex. p. 237. A. De Rep. II. p. 376. D. VIII. p. 552. E. Legg. IX. p. 874. D. al. conf. Wyttenbach. ad Phaedon. p. 287. ed. Bat. = 278. ed. Lips.

Ἐν δὴ ταῖς χειροτεχνικαῖς δ.] Mutato nomine nunc vocat χειροτεχνικάς, quas antea designavit nomine τοῦ δημιουργικοῦ. Enimvero utrumque nomen, quum alibi promiscue usurpetur de artibus sellulariis et illiberalibus, veluti Reip. p. 590. B. Gorg. p. 405. A. p. 455. B C. Theaet. p. 146. D. Politic. p. 304. B. al. tum nunc sine ullo discrimine potuit sic dici, ut significentur artes eae, quae, quia maxime in actione versantur et ad vitae usum spectant, ab ceteris, quae ad animi cultum referuntur, diligenter secernendae sunt. Neque enim δημιουργικόν et χειροτεχνικόν angustiore illo sensu accipiendum. Proxima sic iungas: εἰ τὸ μὲν αὐτῶν (alia ipsarum pars) μᾶλλον ἐχόμενόν ἐστιν ἐπιστήμης, τὸ δὲ (αὐτῶν) ἧττον (ἐπιστήμης ἐχόμενόν ἐστιν). Ex qua iunctura perspicuum esse debet omnibus, perperam in libris ἓνι pro ἐστί perscriptum esse; neque enim recte dicitur ἐχόμενον ἓνι, sed ἐχόμενόν ἐστιν nihil habet, quod usui loquendi adversetur. Itaque etiamnunc probamus unice, quod de coniectura Schleiermacheri reposuimus, ἐστί. Nam quod Baiterus scribendum censuit τῷ δὲ ἧττον, id nihil valet ad tollendam vulgatae lectionis difficultatem.

τὰ δὲ ὡς ἀκαθαρτότερα] Stephanus cum paucis quibusdam codicibus mss. dedit ἀκαθαρτότατα. Si quid mutandum sit, malim equidem etiam antea scribi ὡς καθαρώτερα. Nam quaeritur nunc, εἰ τὸ μὲν μᾶλλον ἐχόμενόν ἐστιν ἐπιστήμης, τὸ δὲ ἧττον. Quamquam per se comparativi et superlativi coniunctio neminem offendet, qui comparaverit quae ad Gorg. p. 490. E. ed. 2. de ea annotavimus.

διαληπτέον ἑκάστων αὐτῶν χωρίς.] Eae, quae principatum tenent, inquit, a singulis illis segregandae sunt. Quocirca nunc non opus esse putamus eo, quod Stephanus reponendum iudicavit, ἑκάστην.

E. Οἷον, πασῶν που τεχνῶν ἄν τις ἀρ.] Inter eas artes, quae manuum tractatione

ΠΡΩ. *Φαῦλον μὲν δή.*

ΣΩ. *Τὰ γοῦν μετὰ ταῦτ' εἰκάζειν λείποιτ' ἂν καὶ τὰς αἰσθήσεις καταμελετᾶν ἐμπειρίᾳ καί τινι τριβῇ, ταῖς τῆς στοχαστικῆς προσχρωμένους δυνάμεσιν,*

Φαῦλον μὲν δή.] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ.* Coisl. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. *μέντοι.*

indigeant sintque maxime ad vitae usum comparatae, principem locum obtinere vult disciplinas mathematicas. Has enim Plato facile pervidit eo maxime esse insignes, quod certae exploratae veritatis laudem habeant, neque locum concedant coniecturarum inconstantiae ac varietati aut dubitationis fluctuationi. Quamobrem easdem etiam ad reliquas artes iuvandas atque sustentandas longe gravissimas esse censuit. Sed exposuit de hac re elegantissime Heusdius Init. Philos. Platon. Vol. II. P. II. p. 48 sqq. conf. De Republ. VII. p. 522. C. sqq. 527. A. B.

P. 56. *Τὸ γοῦν μετὰ ταῦτ' εἰκάζειν* —] Reliquas artes sine mathematicis redituras esse ad meram suspicionem, ad usum sensuum nulla ratione collectum, denique ad quandam coniiciendi facultatem; quas quidem artes vulgus nominet, quum studio et exercitatione vim suam nactae sint. Gorg. p. 463. B. *ὃ δοκεῖ μὲν εἶναι τέχνη, — οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἐμπειρία καὶ τριβή.* Ibid. p. 465. A. *τέχνην δ' αὐτὴν οὔ φημι εἶναι, ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα — ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν. ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ, ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα.* Ibid. p. 501. A. Phaedr. p. 260. E. 270. B. Legg. IX. p. 857. XI. p. 938. A. al. De disciplinis mathematicis ad reliquas artes necessariis conf. De Rep. VII. p. 522. C. *Τὸ ποῖον;* (quid illud est, quod ad erudiendos custodum animos maxime valeat?) *Οἷον τοῦτο τὸ κοινόν, ᾧ πᾶσαι προσχρῶνται τέχναι τε καὶ διάνοιαι καὶ ἐπιστῆμαι, ἃ καὶ παντὶ ἐν πρώτοις ἀνάγκη μανθάνειν. Τὸ ποῖον; ἔφη. Τὸ φαῦλον τοῦτο, ἦν δ' ἐγώ, τὸ ἓν τε καὶ τὰ δύο καὶ τὰ τρία διαγιγνώσκειν· λέγω δὲ αὐτὸ ἐν κεφαλαίῳ ἀριθμόν τε καὶ λογισμόν. ἢ οὐχ οὕτω περὶ τούτων ἔχει, ὡς πᾶσα τέχνη τε καὶ ἐπιστήμη ἀναγκάζεται αὐτῶν μέτοχος γίγνεσθαι;*

Οὐκοῦν μεστὴ μέν που μουσικὴ πρῶτον,] Facile pro *που* restituere liceat *τούτου*, i. e. *τοῦ εἰκάζειν καὶ τὰς αἰσθήσεις καταμελετᾶν ἐμπειρίᾳ καί τινι τριβῇ.* Sed eo pronomine tanto minus nunc indigemus, quod res clarissime significatur verbis subsequentibus: *τὸ ξύμφωνον ἁρμόττουσα οὐ μέτρῳ — θηρεύουσα.* Poterat nimirum etiam sic dici: *μεστὴ μέν που ἐστι τοῦ ἁρμόττειν τὸ ξύμφωνον οὐ μέτρῳ ἀλλὰ μελέτης στοχασμῷ, καὶ τοῦ τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς τῷ στοχάζεσθαι φερομένης θηρεύειν.* Hoc ipsum autem ita exprimitur, ut Socrates utatur participiis. conf. ann. ad p. 57. B. Nec istud *πρῶτον* quidquam habet molestiae. Etenim pergere poterat Socrates sic: *ἔπειτα ἰατρική τε καὶ γεωργία καὶ κυβερνητική κ. τ. λ.* quod ipsum tenore orationis leviter inflexo deinceps adiicitur. Sed magna difficultate laborant verba: *καὶ ξύμπασα αὐλητι-*

ἃς πολλοὶ τέχνας ἐπονομάζουσι, μελέτῃ καὶ πόνῳ τὴν 56
ῥώμην ἀπειργασμένας.

ΠΡΩ. Ἀναγκαιότατα λέγεις.

ΣΩ. Οὐκοῦν μεστὴ μέν που μουσικὴ πρῶτον,

P. 56. τὴν ῥώμην ἀπειργασμένας] Sic Bodl. Vat. Ven. *A Ξ Π.* Coisl. Par. BCH. Ang. Flor. a. b. c. i. Vett. editt. ἀπειργασμένους.

κή κ. τ. λ. Nam primum quidem, quid arti tibia canendi commercii sit cum exploratione vibrationum, quibus fides lyrae aliorumque instrumentorum musicorum feruntur, nemo quisquam dixerit. Bene quidem novimus subinde, quae proprie de chordis ac fidibus dicuntur, transferri ad cantum tibiarum, quale est illud apud Tibullum I, 1, 4. classica *pulsare*, ubi v. Huschkium; Aristoph. Avv. v. 682. καλλιβόαν πρέπουσ' αὐλὸν φθέγμασιν ἡρινοῖς; ubi v. intpp. Simonid. Fragm. 43. p. 396. ed. Schneidewin. et ipsius Platonis De Rep. III. p. 399. D. Τριγώνων ἄρα καὶ πηκτίδων καὶ πάντων ὀργάνων, ὅσα πολύχορδα καὶ πολυαρμόνια, δημιουργοὺς οὐ θρέψομεν. Οὐ φαινόμεθα. Τί δέ; αὐλοποιοὺς ἢ αὐλητὰς παραδέξει εἰς τὴν πόλιν; ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μίμημα; quae Lehrsius in Iahnii Annal. Philol. et Paedag. a. 1827. p. 151. memoravit. Sed his omnibus non movemur, ut hoc loco χορδή pro sono dici nobis persuadeamus, quod profecto ab usu loquendi longissime recedit. Nam locum Reipublicae ne quis nobis opponat, singularis eius ratio est; quandoquidem πολύχορδος appellatur ibi tibia propter comparationem cum aliis instrumentis musicis fidibus instructis. Deinde perquam mirum accidere debet, quod post vocabulum generis in altero membro enunciati ponitur vocabulum formae: καὶ ξύμπασα αὐτῆς αὐλητική. Quis enim non sentiat, perquam absurdum fore, si quis sic loquatur: plena est his rebus *musica* atque omnis eius *ars tibia canendi?* Nimirum recta ratio postulat, ut potius sic dicatur: plena est *quum omnis ars musica, tum inprimis etiam ars tibia canendi.* Denique nec illud perspicias, cur auletice potissimum dicatur τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς φερομένης θηρεύειν τῷ στοχάζεσθαι, quum id profecto universae musicae munus sit et officium. Ac de omni musica haec quoque dictum iri eo magis expectaveris, quod in priore orationis membro harmoniae, in hoc altero rhythmi rationes significantur, sicuti perspicuum est ex addito φερομένης atque τὸ μέτρον. Haec igitur profecto eiusmodi sunt, ut mirabile non sit, locum Heusdio pariter atque Schleiermachero de vitio fuisse suspectum. Ficinus verba reddidit sic: Annon, ubi musica iis plena est, concentum primo contemperat non mensura, sed diligentiae potius coniectura; et universa eius pulsandi facultas mensuram chordae cuiusque coniectura motae perquirit. Hinc uterque vir doctus coniecturam cepit, scriptum olim fuisse αὐτῆς αὖ πληκτική. Neque negari potest,

τὸ ξύμφωνον ἁρμόττουσα οὐ μέτρῳ, ἀλλὰ μελέτης στοχασμῷ· καὶ ξύμπασα αὐτῆς αὐλητικὴ, τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς τῷ στοχάζεσθαι φερομένης θηρεύουσα, ὥστε πολὺ μεμιγμένον ἔχειν τὸ μὴ σαφές, σμικρὸν δὲ τὸ βέβαιον.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα.

B *ΣΩ. Καὶ μὴν ἰατρικήν τε καὶ γεωργίαν καὶ κυβερνητικὴν καὶ στρατηγικὴν ὡσαύτως εὑρήσομεν ἐχούσας.*

ΠΡΩ. Καὶ πάνυ γε.

καὶ ξύμπασα αὐτῆς] αὐτῶν Ven. *A.* Par. H. Flor. b. Dein Ven. *Σ.* rec. *αὐλητικὴ καὶ κιθαριστικὴ τὸ μέτρον κ. τ. λ.* Pro *φερομένης* Ven. *Π. θηρευομένης.* De toto loco v. infra annot.

B. *καὶ στρατηγικὴν*] V. *στρατηγητικὴν*, invitis codd. mss. omnibus.

hanc rationem admodum esse speciosam. Nam primum ita intelligitur, cur chordarum iniiciatur mentio. Deinde ipsi arti musicae exercitatio eius tanquam e regione ponitur, quandoquidem *πληκτική* omnino pro artis musicae exercitatione memoratur. Denique huius potissimum partis musicae est, numeros observare quam diligentissime, ut haudquaquam obscurum esse possit, cur ea dicatur *θηρεύειν τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς φερομένης.* Sed una tamen difficultas remanet. Nam quod generi vocabulum formae, *πληκτική*, subiungitur, id tantum abest ut addito *αὖ* satis excusetur, ut molestia paene maior quam antea afferatur. Iam vero in hac tanta rerum difficultate optimum factu erit, ad codicum auctoritatem confugere. Ex his autem unus a vulgari lectione aliquantum recedit. Etenim Ven. *Σ.* rec. teste Bekkero post *αὐλητικὴ* additum habet *καὶ κιθαριστικὴ.* Quae profecto optima videtur lectio. Nam quum, verbis *ξύμπασα αὐτῆς αὐλ. καὶ κιθαριστικὴ* omissis, pergi potuerit sic: *καὶ τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς — θηρεύουσα*, ut subiectum utrique membro commune esset *μουσική*, nunc eleganter in huius ipsius locum substituitur *αὐλητικὴ καὶ κιθαριστικὴ*, quippe quae artes, habita instrumentorum musicorum ratione, universae musicae ambitum complectuntur. Etenim duo potissimum veteres habebant instrumentorum musicorum genera: alia quae pulsabantur chordis intenta, alia quae inflabantur; illae fides, hae tibiae vocari communi nomine solebant. v. Boeckh. De Metris Pindari in ed. Pind. Vol. I. Part. II. p. 258. Itaque, recepta Veneti codicis lectione per enallagen quandam in altero membro enuntiati rectissime pro *μουσικὴ* dicitur *αὐλητικὴ καὶ κιθαριστικὴ*: quarum artium commemoratione idem plane quod ipsius musicae nomine significatur, ita quidem, ut eius rei ducatur ratio, de qua nunc ipsum maxime agitur. Nam quum universae musicae sit, etiam numeros quam diligentissime curare: tum id inprimis in exercitatione

ΣΩ. Τεκτονικὴν δέ γε, οἶμαι, πλείστοις μέτροις τε καὶ ὀργάνοις χρωμένην, τὰ πολλὴν ἀκρίβειαν αὐτῇ πορίζοντα τεχνικωτέραν τῶν πολλῶν ἐπιστημῶν παρέχεται.

ΠΡΩ. Πῇ;

ΣΩ. Κατά τε ναυπηγίαν καὶ κατ' οἰκοδομίαν καὶ ἐν πολλοῖς ἄλλοις τῆς ξυλουργικῆς. κανόνι γάρ, οἶμαι, καὶ τόρνῳ χρῆται καὶ διαβήτῃ καὶ στάθμῃ καί τινι προσαγωγίῳ κεκομψευμένῳ. C

τὰ πολλὴν ἀκρίβειαν] Olim de coniectura Heindorfii scripsimus ἃ πολλὴν ἀκρ.

C. καί τινι προσαγωγίῳ] V. προαγωγίῳ. Tres optimi προσαγωγείῳ. Veram lectionem praebuit Ven. Σ.

eius fieri oportet, quae ipsa per αὐλητικὴν καὶ κιθαριστικὴν aptissime designatur, siquidem altera fidium, altera tibiarum caussa memoratur. Ita igitur apparet, iam nihil prorsus offensionis habere, quod post μουσικὴ deinceps infertur καὶ ξύμπασα αὐλητικὴ καὶ κιθαριστική. Nam est haec nihil aliud, nisi repetitio quaedam eiusdem subiecti alio nomine facta. Praeterea vero etiam sublata sic difficultas est verborum τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς κ. τ. λ. Nam referuntur ea sane proxime ad κιθαριστικήν, ita tamen ut simul de αὐλητικῇ accipienda sint, quippe de qua simile quiddam statuere licet. Quemadmodum igitur loco Reipublicae, quem supra memoravimus, tibia vocatur πολύχορδος propter comparationem cum aliis instrumentis musicis, ita hic, propter artis tibicinum cum arte fidibus canendi consociationem, illi simul attribuitur, quod, si rem accurate aestimes, huic uni proprium est. Restat nunc unum illud αὐτῆς, quod alicui negotium facessat. Nec tamen dubitamus, quin recte dicatur αὐτῆς αὐλητικὴ καὶ κιθαριστική. Sic Politic. p. 261. D. Ε. πότερον οὖν τῆς ζωοτροφίας τὴν τῶν ξυμπόλλων κοινὴν τροφὴν ἀγελαιοτροφίαν ἢ κοινατροφικήν τινα ὀνομάζωμεν; h. e. eam partem τῆς ζωοτροφίας, quae τὴν τῶν ξυμπόλλων κοινὴν τροφὴν complectitur. Ceterum facile apparet, cogitandum hic esse de vulgari illa musica organicorum, quae facetissime explodituR De Republ. VII. p. 530. D. sqq. ubi v. ann.

B. Τεκτονικὴν δέ γε — τὰ πολλὴν ἀκρ.] Non opus est, ut pro τὰ aut cum Schützio ταῦτα aut cum Heindorfio ἃ corrigatur. Nam τὰ πολλὴν ἀκρίβειαν πορίζοντα intelliguntur illa ipsa μέτρα καὶ ὄργανα, quibus ars tignaria utitur. Si tamen aliquid mutandum sit, ταῦτα praeferam. Mox de v. κανών et τόρνος v. ann. ad p. 51. C. Διαβήτης nunc non est circinus (v. intpp. ad Aristoph. Avv. v. 1004.) sed potius libella (das Senkblei, die Bleiwage der Zimmerleute). Schol. ad Aristoph. Rann. v. 800. διαβήτης· στα-

ΠΡΩ. Καὶ πάνυ γε, ὦ Σώκρατες, ὀρθῶς λέγεις.

ΣΩ. Θῶμεν τοίνυν διχῇ τὰς λεγομένας τέχνας, τὰς μὲν μουσικῇ ξυνεπομένας ἐν τοῖς ἔργοις ἐλάττονος ἀκριβείας μετισχούσας, τὰς δὲ τεκτονικῇ πλείονος.

ΠΡΩ. Κείσθω.

ΣΩ. Τούτων δὲ ταύτας ἀκριβεστάτας εἶναι τέχνας, ἃς νῦν δὴ πρώτας εἴπομεν.

ΠΡΩ. Ἀριθμητικὴν φαίνει μοι λέγειν καὶ ὅσας μετὰ ταύτης τέχνας ἐφθέγξω νῦν δή.

ἃς νῦν δὴ πρώτας] ἃς om. Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat.; εἴ-

φυλή, ὅπερ ἐστὶν ὄνομα παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ἐπὶ καθιεμένης μολύβδου τιθέμενον. Schol. ad Iliad. II, 765. conf. Valckenar. ad Hippolyt. p. 468. — Στάθμη videtur esse rubrica, amussis, h. e. ut Nonius de Propr. Serm. p. 9. ait, „regula fabrorum, quam architecti, quum opus probant, rubrica illinunt.“ Schol. ad Iliad. O. v. 410. στάθμη ἐργαλεῖον τεκτονικὸν ἢ καὶ καθευθυντηρία λεγομένη. τούτῳ δὲ κανονίζεται τὸ ξύλον. ἔστι δὲ καὶ σχοινίον λεπτόν, ἐρυθρῷ ἢ μέλανι χρώματι κεχρισμένον. conf. Schneider. Lexic. in v. στάθμη. Intpp. ad Vitruv. VII, 3. Hermann. ad Lucian. De conscrib. histor. p. 359. Denique audias Hesych. Προσαγώγιον· διαβήτης ἢ τὸ τῶν τεκτόνων ὄργανον. Suidas: Προσαγώγιον· τὸ τῶν τεκτόνων ὄργανον, ὃ προσάγοντες εὐθύνουσι τὰ στρεβλὰ ξύλα. Eadem habet Schol. ad h. l. Schneiderus in Lexico interpretatur: Schraube od. Klammer, um krummes Holz damit grade zu machen. — κεκόμψευμένῳ, scite facto; v. Ruhnken. ad Tim. p. 154 sqq.

D. Ἀριθμητικὴν πρῶτον ἆρ' οὐκ ἄλλην —] Vulgaris arithmeticae qui sunt periti, eos numeris fere res corporeas intelligere significatur, nec vero ipsos illos eorumque proportiones mente explorare. Ab his discernit philosophus τοὺς φιλοσοφοῦντας, hoc est eos, qui arithmeticam sic tractant, ut mens a rebus corporeis ad ea, quae cogitando percipiuntur, evehatur, atque abstractas, quae vocantur, notiones quantitatis, proportionis, magnitudinis, alias, puras sincerasque intelligat atque cognoscat. Commentarii instar esse potest locus plane egregius De Rep. VII. p. 525. B – 526. B. conf. Heusdii Init. Philosoph. Plat. Vol. II. P. II. p. 54 sqq. 57 sqq.

ἄλλην, τὴν δὲ ἄλλην θείη] Ante prius ἄλλην intellige τὴν μέν, quod Stephanus additum volebat. v. ad p. 36. E.

οἱ μὲν γάρ που μονάδας ἀνίσους —] Vulgus hominum dicitur inaequales monadas computare, h. e. res singulas, quae, quum aequales esse videantur, tamen natura sua inter se differant: habent enim res sensibus subiectae hoc proprium, ut quantumvis complures uni generi sint subiectae, tamen alia alii nunquam plane similis sit ac prorsus conveniat. Res ab ipso Pla-

ΣΩ. Πάνυ μὲν οὖν. ἀλλ', ὦ Πρώταρχε, ἆρ' οὐ διττὰς αὖ καὶ ταύτας λεκτέον; ἢ πῶς; D

ΠΡΩ. Ποίας δὴ λέγεις;

ΣΩ. Ἀριθμητικὴν πρῶτον ἆρ' οὐκ ἄλλην μέν τινα τὴν τῶν πολλῶν φατέον, ἄλλην δ' αὖ τὴν τῶν φιλοσοφούντων;

ΠΡΩ. Πῇ ποτὲ διορισάμενος οὖν ἄλλην, τὴν δὲ ἄλλην θείη τις ἂν ἀριθμητικήν;

ΣΩ. Οὐ σμικρὸς ὅρος, ὦ Πρώταρχε. οἱ μὲν γάρ που μονάδας ἀνίσους καταριθμοῦνται τῶν περὶ

ποιμεν Bodl. Ven. *Π.*

tone egregie prorsus explicatur De Republ. VII. p. 523. A sqq. ubi inter alia p. 524. B. *εἰκότως ἄρ' ἐν τοῖς τοιούτοις πρῶτον μὲν πειρᾶται λογισμόν τε καὶ νόησιν ψυχὴ παρακαλοῦσα ἐπισκοπεῖν, εἴτε ἓν εἴτε δύο ἐστὶν ἕκαστα τῶν εἰσαγγελλομένων. Πῶς δ' οὔ; Οὐκοῦν ἐὰν δύο φαίνηται, ἕτερόν τε καὶ ἓν ἑκάτερον φανήσεται; Ναί. Εἰ ἄρα ἓν ἑκάτερον, ἀμφότερα δὲ δύο, τά γε δύο κεχωρισμένα νοήσει κ. τ. λ.* Itaque homines vulgo computant quidem res singulas eiusdem generis, ut bina castra, binos boves, bina maxima vel etiam bina minima, sed non illi intelligunt atque sciunt, has res esse *ἀνίσους μονάδας*, impares unitates, quippe quarum nulla sit omnino idem quod altera. Multo aliter in numerando versantur *οἱ φιλοσοφοῦντες*, qui mentem animumque a singularum rerum considerationе avocatam ad ipsas numerorum rationes corporum concretione liberas atque immunes evehunt. Itaque hi reiecta et repudiata vulgari illa arithmetica monadas positas volunt rerum illarum innumerabilium (*τῶν μυρίων*), quarum nulla in se discrepet ab alia, quandoquidem unitatis species atque forma animo informata semper est eadem atque sibi constans. Rem explicat philosophus dilucidius De Rep. VII. p. 524. A sqq. ubi praeter alia sect. E. Socrates: *εἰ μὲν γὰρ ἱκανῶς αὐτὸ καθ' αὑτὸ ὁρᾶται ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει λαμβάνεται τὸ ἕν* (res singula quaedam atque una), *οὐκ ἂν ὁλκὸν εἴη ἐπὶ τὴν οὐσίαν· εἰ δ' ἀεί τι αὐτῷ ἅμα ὁρᾶται ἐναντίωμα, ὥστε μηδὲν μᾶλλον ἓν ἢ καὶ τοὐναντίον φαίνεσθαι, τοῦ ἐπικρινοῦντος δὴ δέοι ἂν ἤδη καὶ ἀναγκάζοιτ' ἂν ἐν αὐτῷ ψυχὴ ἀπορεῖν καὶ ζητεῖν, κινοῦσα ἐν ἑαυτῇ τὴν ἔννοιαν, καὶ ἀνερωτᾶν, τί ποτ' ἔστιν αὐτὸ τὸ ἕν, καὶ οὕτω τῶν ἀγωγῶν ἂν εἴη καὶ μεταστρεπτικῶν ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος θέαν ἡ περὶ τὸ ἕν μάθησις.* Ibid. p. 525. *προσῆκον δὴ τὸ μάθημα ἂν εἴη, ὦ Γλαύκων, νομοθετῆσαι καὶ πείθειν τοὺς μέλλοντις ἐν τῇ πόλει τῶν μεγίστων μεθέξειν, ἐπὶ λογιστικὴν ἰέναι καὶ ἁπτέσθαι αὐτῆς μὴ ἰδιωτικῶς, ἀλλ' ἕως ἂν ἐπὶ θέαν τῆς τῶν ἀριθμῶν φύσεως ἀφίκωνται τῇ νοήσει αὐτῇ, οὐκ ὠνῆς οὐδὲ πράσεως χάριν, ὡς ἐμπόρους ἢ καπήλους μελετῶντας.* Quae legentes nonne vel inviti ad admirationem abripiemur divini Platonis ingenii, qui quid in mathesi insit, quod

E ἀριθμόν, οἷον στρατόπεδα δύο καὶ βοῦς δύο καὶ δύο τὰ σμικρότατα ἢ καὶ τὰ πάντων μέγιστα· οἱ δ' οὐκ ἄν ποτε αὐτοῖς συνακολουθήσειαν, εἰ μὴ μονάδα μονάδος ἑκάστης τῶν μυρίων μηδεμίαν ἄλλην ἄλλης διαφέρουσάν τις θήσει.

ΠΡΩ. Καὶ μάλα γ' εὖ λέγεις οὐ σμικρὰν διαφορὰν τῶν περὶ ἀριθμὸν τενταζόντων, ὥστε λόγον ἔχειν δύο αὐτὰς εἶναι.

ΣΩ. Τί δέ; λογιστικὴ καὶ μετρητικὴ ἡ κατὰ τεκτονικὴν καὶ κατ' ἐμπορικὴν τῆς κατὰ φιλοσοφίαν

E. τῶν μυρίων μηδεμίαν] Sic Bodl. Ven. Π. et, Bastio teste, Vat. Vett. editt. μορίων, cum ceteris codicibus. Dein pro τις θήσει Bodl. et pr. Vat. Ven. Π. τι θήσει.

Καὶ μάλα γ' εὖ λ.] γ' ex Vat. inseruit Bekker. Idem liber deinde ex corr. ἑταζόντων pro τενταζόντων, et teste Bastio in marg. ταξάντων.

καὶ μετρητικὴ] V. μετρική, quod cum vett. editt. solus Ven. Α. tueri videtur. Dein ἡ post μετρητικὴ ex rec. Ven. Σ. additum; nam ceteri libri omnes eo carent.

ad veram animi mentisque eruditionem conducat, acutissime perviderit? ac nonne miserabimur eos, qui hodie artem pulcerrimam communis utilitatis caussa tractantes id efficiunt, ut ea paene ad artis sellularis humilitatem deiiciatur? Sed reprimam animi sensum; nam nec desunt, qui in tradenda hac disciplina altius quid spectare didicerunt, et meliora tempora adventabunt, turpis lucelli cupiditate, quae etiam litterarum studia conspurcare coepit, aliquando cessante. Superest ut pauca adiiciam de verbis eorumque constructione. Etenim postrema tenendum est sic iungi inter se oportere: εἰ μή τις θήσει ἄλλην μονάδα διαφέρουσαν ἄλλης μονάδος ἑκάστης τῶν μυρίων μηδεμίαν.

E. τῶν περὶ ἀριθμὸν τενταζόντων] Schol. ad h. l. τενταζόντων· πραγματευομένων, ἐπὶ πολὺ διατριβόντων ἐν τῷ αὐτῷ, φροντιζόντων ἢ ἐπιστροφῶς τι πραττόντων ἢ ἐνεργούντων ἢ σπουδαζόντων. ἅπαντα γὰρ δυνατὸν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐκδέξασθαι. Usum verbi copiose illustravit Ruhnkenius ad Tim. Gloss. p. 253 sqq. — λόγον ἔχειν, consentaneum esse, ut saepe.

P. 57. Τί δὲ λογιστικὴ καὶ μετρητικὴ ἡ κατὰ τεκτ. φ.] In his manifestum est λογιστικὴν referri ad ἐμπορικὴν, sed τὴν μετρητικὴν spectare ad τεκτονικήν. Quocirca hunc locum in chiasmi exemplis numerabis. De λογιστικῆς et ἀριθμητικῆς discrimine v. Otto Schulz. in. Interpret. Diophant. p. XLVII. Rei ipsi lucem afferet locus Reip. VII. p. 527. A sqq. Genitivus τῆς κατὰ φιλοσοφίαν κ. τ. λ. unde suspendatur, ambigere licet. Stephanus: „Hi genitivi, inquit, poscere videntur verbum finitum διαφέρει: quod fortasse

γεωμετρίας τε καὶ λογισμῶν καταμελετωμένων — πότερον ὡς μία ἑκατέρα λεκτέον ἢ δύο τιθῶμεν; 57

ΠΡΩ. Τοῖς πρόσθεν ἑπόμενος ἔγωγ' ἂν δύο κατὰ τὴν ἐμὴν ψῆφον τιθείην ἑκατέραν τούτων.

ΣΩ. Ὀρθῶς. οὗ δ' ἕνεκα ταῦτα προηνεγκάμεθα εἰς τὸ μέσον, ἆρα ἐννοεῖς;

ΠΡΩ. Ἴσως, ἀλλὰ σὲ βουλοίμην ἂν ἀποφήνασθαι τὸ νῦν ἐρωτώμενον.

ΣΩ. Δοκεῖ τοίνυν ἔμοιγε οὗτος ὁ λόγος οὐχ ἧττον ἢ ὅτε λέγειν αὐτὸν ἠρχόμεθα, ταῖς ἡδοναῖς ζητῶν ἀντίστροφον ἐνταῦθα προβεβληκέναι σκοπῶν, B

P. 57. *Τοῖς πρόσθεν ἑπόμενος*] V. *τῇ πρόσθεν*. Coisl. *τῆς πρόσθ' ἑπόμενος*, unde Bekkerus refinxit *τοῖς πρ.* In ed. Bas. 2. legitur *τι πρόσθεν ἑπ.*

ταῦτα προηνεγκάμεθα] *προσηνεγκάμεθα* Bodl. Vat. Ven. *II.*

Δοκεῖ τοίνυν] *τὸν νῦν* Bodl. errore.

B. *ἐνταῦθα προβεβληκέναι σκοπῶν* —] Schleiermacherus coni. *προβεβηκέναι*, ut dedit Bekker.; sed v. interpretat. Ven. *Σ.* corr. *σκοπεῖν.*

subaudiendum reliquit ex praec. nomine *διαφοράν*." Non absurde; quamquam fortasse praestat loci structuram per anacoluthiam declarare. Nam videtur scriptor *διαφέρει* in animo habuisse, sed mutato sermonis tenore post *καταμελετωμένων* intulisse *πότερον ὡς μία ἑκατέρα λεκτέον ἢ δύο τιθῶμεν*, in quibus verbis certe notio verbi *διαφέρειν* comprehenditur. Quamobrem ante *πότερον* sustulimus notam interrogandi. Praeterea notabis rariorem syntaxin verborum *ὡς μία ἑκατέρα λεκτέον*. Eodem tamen modo De Republ. V. p. 460. B. *καὶ τοῖς ἀγαθοῖς γέ που τῶν νέων ἐν πολέμῳ ἢ ἄλλοθί που γέρα δοτέον καὶ ἆθλα ἄλλα τε καὶ ἀφθονώτερα ἢ ἐξουσία.* Sophist. p. 223. B. *ἡ τέχνης οἰκειωτικὴς — γιγνομένη θήρα προσρητέον, ὡς ὁ νῦν λόγος ἡμῖν συμβαίνει, σοφιστική*, ubi v. ann. Cratyl. p. 410. C. *αἱ μὲν ὧραι Ἀττικιστὶ ὡς τὸ παλαιὸν ῥητέον.* Mox Protarchus facete et urbane dicit *κατὰ τὴν ἐμὴν ψῆφον* pro *κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην*; nimirum agitur de *λογιστικῇ καὶ μετρητικῇ*.

προηνεγκάμεθα εἰς τὸ μέσον] Latini et proferre in medium et afferre in medium dicunt, Graeci non item, qui formula *προσφέρειν εἰς τὸ μέσον* plane abstinuerunt. Etiam Plato *προφέρειν εἰς τὸ μέσον* dixit Legg. VII. p. 812. C. XI. p. 936. A. X. p. 866. D. omninoque ii, qui in disputando aliquid proferunt, id *προφέρειν* dicuntur, ut Sophist. p. 259. D. Quamobrem non probamus, quod tres optimi codd. hic scriptum habent *προσηνεγκάμεθα*.

B. *ζητῶν — ἐνταῦθα προβεβληκέναι*] Pro *ζητῶν* Stephanus *ζήτησιν* restituendum esse suspicabatur, ut *ζήτησις ἀντίστροφος* intelligeretur

ἆρά ἐστί τις ἑτέρας ἄλλη καθαρωτέρα ἐπιστήμης ἐπιστήμη, καθάπερ ἡδονῆς ἡδονή.

ΠΡΩ. Καὶ μάλα σαφὲς τοῦτό γε, ὅτι ταῦθ' ἕνεκα τούτων ἐπικεχείρηκε.

Cap. XXXV. ΣΩ. Τί οὖν; ἆρ' οὐκ ἐν μὲν τοῖς ἔμπροσθεν ἐπ' ἄλλοις ἄλλην τέχνην οὖσαν ἀνεύρισκε σαφεστέραν καὶ ἀσαφεστέραν ἄλλην ἄλλης;

ἐπ' ἄλλοις ἄλλην τ.] Vulgatum olim ἄλλης e Bodl. Vat. Ven. ΠΣ. Coisl. Par. BCH. Angel. Flor. a. c. correctum. Dein ἀνεύρισκε de coniectura Schützii scripsimus. Vulgo erat ἀνευρίσκει. Sed pro ea lectione Bodl. Vat. Coisl. Ven. *AII.* Par. BCEH. Ang. Flor. a. b. c. i. et corr. Ven. Ξ. habent ἀνευρίσκειν infinitivum. In Ven. Σ. corr. scriptum extat ἀνευρήκει.

ἀντίστροφος τῇ περὶ τῶν ἡδονῶν ζητήσει. Verum ea mutatione non opus est. Nam ἀντίστροφον idem est quod ἀντίστροφόν τι, de quo usu adiectivorum neutro genere positorum v. ad Sympos. p. 175. B. Nec vero etiam necessarium, ut pro ταῖς ἡδοναῖς de coniectura Astii scribatur τῆς ἡδονῆς. Nam ἀντίστροφον etsi Phileb. p. 40. D. 51. E. De Rep. VII. p. 522. A. 530. D. al. cum genitivo iungitur, tamen nec dativum aspernatur. Gorg. p. 464. B. ἀντίστροφον μὲν τῇ γυμναστικῇ τὴν νομοθετικήν, ἀντίστροφον δὲ τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην. v. Wyttenbach. ad Plutarch. Vol. I. p. 197. ed. Oxon. Nec offendit pluralis numerus, qui ipsi sententiae longe est accommodatissimus, quandoquidem agitur de variarum voluptatum discrimine. Intelligitur autem reciprocum quiddam, quod voluptatibus ex altera parte respondeat. Prave igitur Astius interpretatus est: quod illis *contrarium* sit. Nimirum quemadmodum antea ostensum est, voluptates alias aliis esse puriores, ita nunc disputationi hoc propositum fuisse dicitur, ut, num idem in artes quoque ac disciplinas conveniret, dispiceretur. Id ipsum enim Socrates p. 55. C. profitebatur, his usus verbis: γενναίως δέ, εἴ πῃ τι σαθρὸν ἔχει, πᾶν περιχρούωμεν, ἕως, ὅ τι καθαρώτατόν ἐστ' αὐτῶν, κ. τ. λ. Dein pro προβεβληκέναι, quod codd. omnes unanimi consensione tuentur, Schleiermacherus προβεβηκέναι coniecit, idque praeeunte Bekkero olim pro vero probavimus. Sed primum dubitationem iniecit librorum auctoritas. Deinde vulgatam lectionem defendi utique posse intelleximus. Nam cum προβεβληκέναι arctissime nectenda est notio participii σκοπῶν, quod fere idem significat ac ταυτὴν τὴν σκέψιν. Sic infra p. 65. D. εὖσκεπτόν γε καὶ ταύτην τὴν σκέψιν προβέβληκας. Similem rationem antea vidimus p. 56. A. Atque ita ut statuamus, effecit etiam disputatio Graseri Advers. p. 28 sq. idem de hoc loco iudicantis, nisi quod is orationem praeter necessitatem participio σκοπῶν auctam esse arbitratur. Geminum locum Hipp. mai. p. 293. D. ἐνίοτε δὲ — αὐτός μοι προβάλλει ἐρωτῶν, εἰ τοιόνδε μοι δοκεῖ εἶναι τὸ καλόν, verissime interpretatus est Heindorfius, accusativum verbi la-

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἐν τούτοις δὲ ἆρ' οὗ τινα τέχνην ὡς ὁμώνυμον φθεγξάμενος, εἰς δόξαν καταστήσας ὡς μιᾶς, πάλιν ὡς δυοῖν ἐπανερωτᾷ τούτοιν αὐτοῖν, τὸ C *σαφὲς καὶ τὸ καθαρὸν περὶ ταῦτα πότερον ἡ τῶν φιλοσοφούντων ἢ μὴ φιλοσοφούντων ἀκριβέστερον ἔχει;*

ΠΡΩ. Καὶ μάλα δοκεῖ μοι τοῦτο διερωτᾶν.

σαφεστέραν καὶ ἀσαφ.] V. *σαφεστέραν οὖσαν καὶ ἀσαφ.* Sed aliter Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. Par. F.

C. *τὸ καθαρὸν περὶ ταῦτα*] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. Vett. editt. *τὸ καθαρόν τε περὶ τ.* pro quo olim legi maluimus *τὸ καθαρὸν τὸ περὶ τ.*, quod habet Ven. *Σ*.

ἡ τῶν φιλοσοφούντων] *ἢ* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

tere existimans in his, *ἐρωτῶν εἰ τ. κ. τ. λ.* Eadem igitur hic quoque ratio est. Quapropter emendavimus vulgarem verborum interpunctionem, qua post *προβεβληκέναι* vel colon vel comma ponebatur, sicuti etiam Hippiae loco suo tempore fecimus. De *ἑτέρας ἄλλη* v. ad Sophist. p. 224. C. et 245. E. Politic. p. 262. A.

B. *ἐπ' ἄλλοις ἄλλην τέχνην οὖσαν ἀνεύρισκε*] Verborum sententia imperfectum requirit. Nec aliter Ficinus in codice suo legit, qui locum hoc modo interpretatur: Quid autem? nonne in superioribus aliam artem in alia esse (imo: aliis rebus praeesse) repertum est, clariorem-que aliam et obscuriorem aliam? Editt. omnes habent *ἀνευρίσκει*. Plerique codd. cum Bodl. *ἀνευρίσκειν*. quod Turicenses nuper susceperunt. Sed neutrum mea sententia stare potest. Recte Schützius Opusc. p. 145. *ἀνεύρισκε* revocandum vidit, ad quod *ὁ λόγος* intelligas. *Ἐν τούτοις δὲ ἆρ' οὗ τινα τέχνην*—] Hoc *ἐν τούτοις* opponitur praecedenti *ἐν τοῖς ἔμπροσθεν*, pertinetque ad ea, quae ultimo loco de disciplinis mathematicis disputata sunt. In hac vero disputationis parte arithmetica, logistica, et geometria singulae uno et communi nomine insignitae sunt, unde *ὁ λόγος* eas dicitur *ὡς ὁμωνύμους τέχνας φθέγξασθαι*. Hac ipsa re autem audientes poterant in eam opinionem induci, ut quamque unam putarent esse. Nihilominus Socrates magnum discrimen inter vulgarem atque altiorem arithmeticam, logisticam et geometriam esse docuit, et quaerere instituit, utra sit purior ac sincerior. Haec igitur verborum sententia est, in qua ne quis in posterum haereat, nonnulla admonenda videntur. Itaque de loquutione *εἰς δόξαν καταστῆσαι* conferas Euthydem. p. 305. D. *ἡγοῦνται οὖν, ἐὰν τούτους εἰς δόξαν καταστήσωσι, μηδενὸς δοκεῖν ἀξίους εἶναι — παρὰ πᾶσι τὰ νικητήρια εἰς δόξαν ὄφεσθαι*. Praeterea pro *τούτοιν αὐτοῖν* facili negotio refingas *τούτοιν ὄντοιν*. Nisi forte genitivum participii *ὤν* deesse dicere malueris, ut Sophocl. Oed. Col. v. 83. *ὅστε πᾶν ἐν ἡσύχῳ, πάτερ, ἕξιστι φωνεῖν, ὡς ἐμοῦ μόνης πέλας*. Oedip. Tyr. v. 966. *ὧν ὑφηγητῶν* (*ὄντων*) *ἐγὼ κτανεῖν ἱμείλλον πα-*

ΣΩ. Τίν' οὖν, ὦ Πρώταρχε, αὐτῷ διδῶμεν ἀπόκρισιν;

ΠΡΩ. Ὦ Σώκρατες, εἰς θαυμαστὸν διαφορᾶς μέγεθος εἰς σαφήνειαν προεληλύθαμεν ἐπιστημῶν.

ΣΩ. Οὐκοῦν ἀποκρινούμεθα ῥᾷον;

ΠΡΩ. Τί μήν; καὶ εἰρήσθω γε ὅτι πολὺ μὲν αὖται τῶν ἄλλων τεχνῶν διαφέρουσι, τούτων δ' αὐ-
D τῶν αἱ περὶ τὴν τῶν ὄντως φιλοσοφούντων ὁρμὴν

αὐτῷ διδῶμεν] *δίδομεν* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. inepte. Non enim hoc dicitur: quodnam responsum est quod ei damus? sed, quid ei respondeamus?

D. *ἀκριβείᾳ τε καὶ ἀληθείᾳ*] *τε*, quod olim deerat, nuper e Bodl. Vat. Ven. *Π.* additum. Indidem scriptum *περὶ μέτρα* pro vulg. *περὶ τὰ μέτρα*. Ceterum Steph. *ΠΡΩ. τί μήν; ΣΩ. καὶ εἰρήσθω — διαφέρουσιν. ΠΡΩ. Ἔστω — ὁλκήν. ΠΡΩ.* (sic) *Τὸ ποῖον;*

θαῤῥοῦντες ἀποκρινώμεθα] *ἀποκρινόμεθα* Bodl. Ven. *ΑΠΞΣ.* Par. BCEFH. Angel. Flor. a. b. c. i. et pr. Vat. quod etiam Ald. Bas. 1. 2. habent. In Coisl. est *ἀποκρινούμεθα*. Sed unice verum est quod dedit Stephan. *ἀποκρινώμεθα*, quod firmat Vat. corr. Coniunctivo opus esse vel *θαῤῥοῦντες* docet, quod sic cum imperativis et coniunctivis cohortationi inservientibus iungi solet.

τέρα. Cuiusmodi alia quaedam collegit A. Matthiae Gramm. §. 563. ann. Quamquam exempla huius genitivi apud prosae orationis scriptores sic sine participio positi nulla suppetunt.

C. *εἰς σαφήνειαν — ἐπιστημῶν.*] quod ad perspicuitatem attinet, si spectamus perspicuitatem. *Σαφήνεια* autem ista referenda est ad *τὸ ἀκριβέστερον*, cuius modo iniecta mentio est.

D. *αἱ περὶ τῶν ὄντως φιλοσοφούντων*] Nescio quomodo factum sit, ut mihi semper haec legenti *ὄντως* istud suspectum videretur, quum alii idem defendissent studiosissime. Etenim nullum antea philosophantium discrimen est constitutum, sed memorati tantum sunt, qui artes mathematicas subtilius tractant, iique simpliciter philosophantium nomine ornati. Quid igitur? Cur tandem nunc eorum, qui *revera* philosophantur, mentio iniicitur? Quasi vero illi ab aliis sint discernendi, qui philosophentur item, sed perperam ac sinistre. At enim vero, inquit aliquis, antea Plato nihil nisi significavérat, quodnam discrimen inter *τοὺς φιλοσοφοῦντας* et *τοὺς πολλούς* intercederet in universum, nunc vero de ipsis philosophis loquitur. Audio. Sed consideranti mihi verba Platonis accuratius neutiquam de ipsis philosophis atque studii eorum magnitudine agi videtur, verum de artibus illis, quae cum philosophia coniunctae sunt, quae quidem dicuntur immensum quantum subtilitate atque veritate in numeris ac mensuris antecel-

ἀμήχανον ἀκριβείᾳ τε καὶ ἀληθείᾳ περὶ μέτρα τε καὶ ἀριθμοὺς διαφέρουσιν.

ΣΩ. *Ἔστω ταῦτα κατὰ σέ, καὶ σοὶ δὴ πιστεύοντες θαῤῥοῦντες ἀποκρινώμεθα τοῖς δεινοῖς περὶ λόγων ὁλκήν —*

ΠΡΩ. *Τὸ ποῖον;*

ΣΩ. *Ὡς εἰσὶ δύο ἀριθμητικαὶ καὶ δύο μετρητικαὶ καὶ ταύταις ἄλλαι τοιαῦται ξυνεπόμεναι συχναί, τὴν διδυμότητα ἔχουσαι ταύτην, ὀνόματος δὲ ἑνὸς κεκοινωμέναι.*

v. ad Gorg. p. 527. C sq. quibus adde sis Aristoph. Nubb. v. 141. 422. 427.

καὶ δύο μετρητικαὶ] Haec verba, quae ante Bekkerum desiderabantur, e Bodl. Vat. Ven. *Π.* addita sunt; nec dubitari potest quin genuina sint. Iidem libri *καὶ* ante *ταύταις ἄλλαι* omittunt. Tum vett. editt. *ἄλλαι δύο τοιαῦται*, quod soli tenent Par. EF. Et certe istud *δύο* ineptum. v. interpretat. nostram.

ὀνόματος δὲ ἑνὸς κεκοιν.] *δὲ* additum e Bodl. Vat. Ven. *Π.*, quamquam per se recte omitti potuit. Pro *κεκοινωμέναι*, quod debetur Bodl. Vat. Ven. *ΑΠ.* Coisl. Par. CEH. Ang. Flor. a. b c. i., in vett. editt. est *κεκοινωνημέναι*. Nempe saepe inter se *κοινόω* et *κοινωνέω* confunduntur, quod fieri creberrime meminimus in libris Plutarchi.

lere. Itaque etiamnunc in ea perseveramus sententia, ut *ὄντως* istud temere ab iis additum esse existimemus, qui recordarentur *τοὺς ὄντως* s. *ἀληθῶς* et *ὡς ἀληθῶς φιλοσοφοῦντας* s. *φιλοσόφους*, qui alibi, veluti in Phaedone, falsis vel opinatis philosophis opponuntur. Nisi forte philosophus nunc gravius admonere voluerit, interesse aliquid, utrum quis revera et recta ratione in subtiliore artium studio versetur, necne.

D. *τοῖς δεινοῖς περὶ λόγων ὁλκήν —*] Intelliguntur eristici atque sophistae, qui etiam Theaet. p. 195. C. dicuntur *τοὺς λόγους ἄνω κάτω ἕλκειν*. Cratyl. p. 435. C. *ἀλλὰ μὴ ὡς ἀληθῶς — γλίσχρα ἢ ἡ ὁλκὴ αὕτη τῆς ὁμοιότητος.* Ceterum interpellatur Socratis oratio responso Protarchi *Τὸ ποῖον*; Cuius rationis alia exempla attulimus ad Sophist. p. 262. C.

καὶ ταύταις ἄλλαι τοιαῦται ξυνεπόμεν. συχναὶ] Alias etiam artes praeter arithmeticam, logisticam et metiendi sollertiam ait esse, quae binas semper partes habeant, vulgarem et subtiliorem, easque dicit *συχνὰς ταύταις ξυνέπεσθαι*. Recte. Nam illas tantummodo exempli loco attulerat, ut ex p. 55. E. intelligitur; ceteras omnes, veluti staticam, stereometriam, astronomiam, musicam, quae libro De Rep. VII. p. 527. C sqq. recensentur, silentio transmiserat. Has igitur nunc significat item huc revocari oportere. Quod vulgo ante *τοιαῦται* insertum legitur *δύο*, id quum paucissimi iique deteriores libri tueantur, tum

E *ΠΡΩ. Διδῶμεν τύχῃ ἀγαθῇ τούτοις, οὓς φῂς δεινοὺς εἶναι, ταύτην τὴν ἀπόκρισιν, ὦ Σώκρατες.*

ΣΩ. Ταύτας οὖν λέγομεν ἐπιστήμας ἀκριβεῖς μάλιστ' εἶναι;

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἀλλ' ἡμᾶς, ὦ Πρώταρχε, ἀναίνοιτ' ἄν ἡ τοῦ διαλέγεσθαι δύναμις, εἴ τινα πρὸ αὐτῆς ἄλλην κρίναιμεν.

P. 58. *λεγομένην γνοίη.*] *γνοίην* Ven. *Π.*
προσήρτηται] *προσήρηται* Bodl. et pr. Vat. Ven. *Π.*

etiam per se ineptum est. Nam et *τοιαῦται* et quae huic vocabulo explicando inserviunt, *τὴν διδυμότητα ἔχουσαι ταύτην*, illud *δύο* misere redundare evidentissime arguunt.

E. *τυχῇ ἀγαθῇ*] V. ad Criton. p. 43. D. Symp. p. 177. E.

Ἀλλ' ἡμᾶς, ὦ Πρώταρχε, ἀναίνοιτ' ἄν — κρίναιμεν.] Quae hic vocatur *ἡ τοῦ διαλέγεσθαι δύναμις*, ea non est alia quam dialectica. Sic De Republ. VII. p. 533. A. *ὅτι ἡ τοῦ διαλέγεσθαι δύναμις μόνη ἂν φήνειεν ἐμπείρῳ ὄντι.* Ibid. p. 537. D. *τῇ τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμει βασανίζοντα.* Ibid. p. 511. B. *αὐτὸς ὁ λόγος ἅπτεται τῇ τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμει.* Eadem mox vocatur p. 58. C. *ἡ τοῦ διαλέγεσθαι πραγματεία*, ut Theaet. p. 161. E. et paullo inferius p. 58. D. *ἡ τῆς ψυχῆς δύναμις ἐρᾶν τε τοῦ ἀληθοῦς καὶ πάντα ἕνεκα τούτου πράττειν.* Pro *δύναμις* De Rep. VI. p. 511. C. ponitur *ἐπιστήμη*, quandoquidem eadem ibi dicitur *ἡ τοῦ διαλέγεσθαι ἐπιστήμη.* Hanc igitur dialecticam nunc significat ceteris artibus omnibus anteferendam esse. Nam *εἴ τινα πρὸ αὐτῆς* (sc. *τῆς τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμεως*) *ἄλλην κρίναιμεν* idem est, quod *εἴ τινα ἄλλην προκρίναιμεν*, si quam aliam ipsi praeferamus. De Rep. III. p. 399. E. *κρίνοντες τὸν Ἀπόλλω καὶ τὰ τοῦ Ἀπόλλωνος ὄργανα πρὸ Μαρσύου τε καὶ τῶν ἐκείνου ὀργάνων.* Similiter Thucydides dixit *κρίνειν ἐν ὁμοίῳ*, simili loco habere, libr. IV. 68. — Verbum *ἀναίνεσθαι*, quod Hesychius aliique grammatici interpretantur *αἰσχύνεσθαι*, pudoris ac poenitentiae notionem adiunctam habere cuerunt Valckenar. ad Callimach. Fragm. p. 251. Buttmann. Lexilog. Vol. I. p. 244. Frustra etiam in hoc loco turbatum est.

P. 58. *Δῆλον, ὅτι ἢ πᾶσαν τήν γε νῦν λ. γνοίη*] Pro *γνοίη* legendum videtur *γνοίη ἄν*, quod confirmatur scriptura Ven. *Π. γνοίην.* Dialecticam artem ac disciplinam omnium esse praestantissimam et reliquarum tanquam reginam quandam, egregie docetur Reipubl. VII. p. 531. D. sqq.; unde excerpere licebit illa p. 532. A. *ὅταν τις τῷ διαλέγεσθαι οὕτως ἐπιχειρῇ, ἄνευ παντὸς τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ ὃ ἔστιν ἕκαστον ὁρμᾷ, καὶ ἢν μὴ ἀποστῇ, πρὶν ἂν αὐτὸ ὃ ἔστιν ἀγαθὸν αὐτῇ νοήσει λάβῃ, τότε δὴ ἐπ' αὐτῷ γίγνεται τῷ τοῦ*

ΠΡΩ. Τίνα δὲ ταύτην αὖ δεῖ λέγειν; 58

ΣΩ. Δῆλον, ὅτι ἣ πᾶσαν τήν γε νῦν λεγομένην γνοίη. τὴν γὰρ περὶ τὸ ὂν καὶ τὸ ὄντως καὶ τὸ κατὰ ταὐτὸν ἀεὶ πεφυκὸς πάντως ἔγωγε οἶμαι ἡγεῖσθαι ξύμπαντας, ὅσοις νοῦ καὶ σμικρὸν προσήρτηται, μακρῷ ἀληθεστάτην εἶναι γνῶσιν. σὺ δὲ τί πῶς τοῦτο, ὦ Πρώταρχε, διακρίνοις ἄν;

σὺ δὲ τί πῶς] *τί καὶ πῶς* Ven. *Σ.* rec. Post *πῶς* Bodl. Vat. Ven. *Π.* Coisl. et rec. Ven. *Ξ.* *τοῦτο* inserunt. Vereor ut recte.

νοητοῦ τέλει, ὥσπερ ἐκεῖνος τότε ἐπὶ τῷ τοῦ ὁρατοῦ. Ibid. C. *πᾶσα αὕτη ἡ πραγματεία — ταύτην ἔχει τὴν δύναμιν καὶ ἐπαναγωγὴν τοῦ βελτίστου ἐν ψυχῇ πρὸς τὴν τοῦ ἀρίστου ἐν τοῖς οὖσι θέαν.* P. 533. B. *τόδε γοῦν οὐδεὶς ἡμῖν ἀμφισβητήσει λέγουσιν, ὡς αὐτοῦ γε ἑκάστου πέρι, ὃ ἔστιν ἕκαστον, οὐκ ἄλλη τις ἐπιχειρεῖ μέθοδος ὁδῷ περὶ παντὸς λαμβάνειν, ἀλλ' αἱ μὲν ἄλλαι πᾶσαι τέχναι ἢ πρὸς δόξας ἀνθρώπων καὶ ἐπιθυμίας εἰσὶν ἢ πρὸς γενέσεις τε καὶ συνθέσεις ἢ καὶ πρὸς θεραπείαν τῶν φυομένων τε καὶ συντιθεμένων ἅπασαι τετράφαται· αἱ δὲ λοιπαί, ἃς τοῦ ὄντος τι ἔφαμεν ἐπιλαμβάνεσθαι, γεωμετρίαν τε καὶ τὰς ταύτῃ ἑπομένας, ὁρῶμεν ὡς ὀνειρώττουσαι μὲν περὶ τὸ ὄν, ὕπαρ δὲ ἀδύνατον αὐταῖς ἰδεῖν, ἕως ἂν ὑποθέσεσι χρώμεναι ταύτας ἀκινήτους ἐῶσι, μὴ δυνάμεναι λόγον διδόναι αὐτῶν.* — *ἡ δὲ διαλεκτική — τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα — ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω, συνειλθοις — χρωμένη αἷς διηλθομεν τέχναις· ἃς ἐπιστήμας μὲν πολλάκις προσείπομεν διὰ τὸ ἔθος, δέονται δὲ ὀνόματος ἄλλου, ἐναργεστέρου μὲν ἢ δόξης, ἀμυδροτέρου δὲ ἢ ἐπιστήμης. διάνοιαν δὲ αὐτὴν ἐν γε τῷ πρόσθεν που ὡρισάμεθα.* His igitur toti huic loco lux clarissima utique affunditur. conf. etiam Theaet. p. 176. C sq. — *ὅσοις νοῦ καὶ σμικρὸν προσήρτηται,* quibus vel tantillum mentis et rationis est; quibus natura meliore luto praecordia finxit.

σὺ δὲ τί πῶς, ὦ Πρώταρχε, διακρίνοις ἄν;] Tu vero *quid quomodo? was* und *wie* würdest Du darüber entscheiden? Formulam *πῶς τί* iam olim ostendimus Platoni esse valde frequentatam; v. praeterea ad Tim. p. 22. C. et Hipp. mai. p. 297. E. coll. Hermanno ad Sophocl. Antig. Praef. p. VI sqq. ed. 3. Singulare autem est, quod hoc loco inverso ordine *τί πῶς* dicitur. Similiter tamen Eurip. Helen. v. 873. *Ἑλένη, τί τἀμὰ πῶς ἔχει θεοπίσματα;* nisi ibi distinguere malueris, *τί τἀμά, πῶς ἔχει, θεοπίσματα;* quam rationem video A. Matthiae placuisse. Verbum *διακρίνειν* diiudicandi, statuendi, definiendi vi et significatione positum, ut saepe, veluti Legg. v. p. 742. C. *ὧδε ἄν τις σκοπῶν ὀρθῶς ἂν αὐτὰ διακρίνοι.* Protagor. p. 315. C. *ἑκάστοις αὐτῶν διέκρινε καὶ διεξῆλθε τὰ ἐρωτώμενα.* Politic. p. 272. B. Lachet. p. 186. E.

ΠΡΩ. Ἤκουον μὲν ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, ἑκάστοτε Γοργίου πολλάκις, ὡς ἡ τοῦ πείθειν πολὺ διαφέροι πασῶν τεχνῶν· πάντα γὰρ ὑφ' αὑτῇ δοῦλα
B *δι' ἑκόντων ἀλλ' οὐ διὰ βίας ποιοῖτο, καὶ μακρῷ ἀρίστη πασῶν εἴη τῶν τεχνῶν· νῦν δ' οὔτε σοὶ οὔτε δὴ ἐκείνῳ βουλοίμην ἂν ἐναντία τίθεσθαι.*

ΣΩ. Τὰ ὅπλα μοι δοκεῖς βουληθεὶς εἰπεῖν αἰσχυνθεὶς ἀπολιπεῖν.

Ἤκουον μὲν ἔγωγε, ὦ Σ.] Bekkerus post ἔγωγε inseruit τοῦτο, quod videtur antea post πᾶς interponere voluisse. Dein διαφέροι pro διαφέροι Coisl. Ven. *A.* Par. BCEFH. Ang. Flor. a b. c. i. cum ed. Bas. 2. Unice verus optativus est. Mox pro

Ἤκουον ἔγωγε — Γοργίου] Gorg. p. 452. D. E. ubi Gorgias ipse artem suam oratoriam propter utilitatem, quam afferat, summis laudibus extollit.

πάντα γὰρ ὑφ' αὑτῇ — ποιοῖτο] Optativus post ὅτι, ὡς et accusativum cum infinitivo, in oratione obliqua saepenumero ponitur, ubi alterius opinio ac sententia ipsis eius verbis oblique refertur; v. ann. ad Phaedon. p. 86. A. ibique Heindorf. et ad Charmid. p. 155. E. Addas sis Reip. IV. p. 420. C. X. p. 614. D. Theaet. p. 201. D. Legg. IV. p. 719. B. Xenoph. Cyrop. I. 1, 2. II. 3, 4. Anab. VII. 3, 12. Demosth. Olynth. III. p. 153. ed. R. Sophocl. Philoct. v. 614 sqq. Plura dabunt Schaefer. Melett. p. 102. Appar. ad Demosth. V. p. 313. Hermann. De Part. ἄν p. 139. Matthiae Gr. Gr. §. 529. 3. qui tamen non recte in talibus ὅτι vel ὡς omitti arbitratur. Mox δι' ἑκόντων est sponte, ac dicitur ut διὰ βραχέων, διὰ ταχέων, al.; de quo usu loquendi v. Schaefer. ad Lamb. Bos. p. 556. Matthiae Gr. §. 580. 1. f. p. 1354. ed. 3. Formulam ὑφ' ἑαυτῷ ποιεῖσθαι attigimus ad Remp. I. p. 348. D. Copiosius eam illustravit Lennep. ad Phalar. p. 242.

B. Τὰ ὅπλα μοι δοκεῖς βουληθεὶς εἰπεῖν αἰσχ. ἀπολιπεῖν] Pro εἰπεῖν expectabas λαβεῖν vel ἑλεῖν, idque olim revocandum censuimus, Schleiermachero adversantes, qui totum hoc βουληθεὶς εἰπεῖν tanquam ineptum glossema exterminari voluit. Nunc tamen alio modo videmus loco succurri posse. Etenim in usu metaphorae Graeci pariter atque Latini scriptores non adeo severi sunt, quin interdum etiam propriam et impropriam orationem misceant. v. supra ad pag. 14. A. et ad Menexen. p. 246. B. Itaque εἰπεῖν cum codd. servandum.

C. πασῶν διαφέρει τῷ μεγίστῃ — ὠφελοῦσα ἡμᾶς,] Libri omnes hanc lectionem constanter tuentur, praeter Ven. Σ. rec., qui post ἀρίστη insertum habet εἶναι, quod ipsum olim de coniectura restituendum putavimus. Sed fecit tamen ceterorum codicum auctoritas, atque ipsa structurae ratio, ut de huius emendationis veritate desperaverimus. Nec defuerunt, qui vulgatae lectioni opitularentur. Nam Lehrsius in Jahnii Annal. a. 1827. Vol. II. P. I. p.

ΠΡΩ. Ἔστω νῦν ταῦτα ταύτῃ, ὅπῃ σοι δοκεῖ.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν αἴτιος ἐγὼ τοῦ μὴ καλῶς ὑπολαβεῖν σε;

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Οὐκ, ὦ φίλε Πρώταρχε, τοῦτο ἔγωγε ἐζήτουν πω, τίς τέχνη ἢ τίς ἐπιστήμη πασῶν διαφέρει τῷ μεγίστη καὶ ἀρίστη καὶ πλεῖστα ὠφελοῦσα ἡμᾶς, C ἀλλὰ τίς ποτε τὸ σαφὲς καὶ τἀκριβὲς καὶ τὸ ἀλη-

ποιοῦτο Coisl. βιοῦτο. Pro vulg. *πασῶν ἀρίστη* Bodl. Vat. Ven. *Π. ἀρίστη πασῶν.*

C. *διαφέρει τῷ μεγίστη*] Ven. *Σ.* rec. *τῷ μεγίστη καὶ ἀρίστη εἶναι καὶ πλ.* sed v. infra ann. Mox *τἀκριβὲς* pro *τὸ ἀκρ.* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

155. censet *τῷ μεγίστη κ. τ. λ.* ideo dici, quia Protarchi verba respiciantur: *πολὺ διαφέροι πασῶν — καὶ πασῶν ἀρίστη εἴη τῶν τεχνῶν.* Itaque *τῷ μεγίστη καὶ ἀρίστη καὶ πλεῖστα ὠφελοῦσα ἡμᾶς* sic explicat: *isto μεγίστη κ. τ. λ.* quo tu usus es. Sed isto modo ut adiectivi usus satis excusatus sit, tamen participium *ὠφελοῦσα* certe idonea carebit caussa et ratione. Quocirca aliam verborum explicationem proposuit Bernhardy Syntax. Gr. p. 312. quem secutus est Winckelmannus Praefat. ad Euthydem. p. XIII. Is enim *τῷ* et ipse demonstrandi vi positum esse contendit, ideoque factum esse dicit, ut cum participio consociaretur. Fatemur tamen aperte, nos mentem viri egregii non satis assequutos esse, quandoquidem neutiquam intelligimus, qui ista articuli vis et significatio talem constructionis libertatem potuerit efficere. Nimirum res aliter, opinor, expedienda est. Confudit enim scriptor vel potius in unum coniunxit duas loquendi rationes Graecis pariter usitatas. Poterat enim dicere *διαφέρει τῷ μεγίστη καὶ ἀρίστη εἶναι καὶ πλεῖστα ὠφελεῖν ἡμᾶς*; poterat item rem sic enuntiare: *πασῶν διαφέρει ὡς μεγίστη καὶ ἀρίστη* (sc. *οὖσα*) *καὶ πλεῖστα ὠφελοῦσα ἡμᾶς*; quod si scriptum legeretur, nemo temere haereret. Itaque orationem sic exorsus est, ac si deinceps infinitivum vellet subiicere, sed memor deinde verbi *διαφέρει*, quum simul caussam rei item per participium liceret exprimere, *ὠφελοῦσα* subiunxit, eoque modo pro libertate illa, qua Graeci in talibus utuntur, duas loquendi rationes, idem plane significantes, tanquam commiscuit et in unum conflavit. Par est ratio eorum locorum, de quibus disputavit Poppo Prolegg. ad Thucyd. p. 150. Nam illa libr. I. 2. *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί*, ubi *ἐκ τοῦ οὖσαν* pro *εἶναι* dictum videtur, facilem sane habent explicationem ex confusione duarum loquendi rationum. Poterat enim aut *ἐκ τοῦ εἶναι* dici, aut omisso *ἐκ τοῦ* scribi *ἄτε οὖσαν*. Utrumque autem scriptor arbitrarie miscuit. Ibid. V. 7. *οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι ἀναλαβὼν ἦγε.* Hic dici poterat *ἅτε ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους*; poterat etiam

θέστατον ἐπισκοπεῖ, κἂν εἰ σμικρὰ καὶ σμικρὰ ὀνίνασα. τοῦτ' ἔστιν ὃ νῦν δὴ ζητοῦμεν. ἀλλ' ὅρα· οὐδὲ γὰρ ἀπεχθήσει Γοργίᾳ, τῇ μὲν ἐκείνου ὑπάρχειν τέχνῃ διδοὺς πρὸς χρείαν τοῖς ἀνθρώποις κρατεῖν, ἢ δ' εἶπον ἐγὼ νῦν πραγματείᾳ, καθάπερ τοῦ λευκοῦ πέρι τότε ἔλεγον, κἂν εἰ σμικρόν, καθαρὸν δὲ εἴη, του
D *πολλοῦ καὶ μὴ τοιούτου διαφέρειν τούτῳ γ' αὐτῷ τῷ ἀληθεστάτῳ, καὶ νῦν δὴ σφόδρα διανοηθέντες καὶ ἱκανῶς διαλογισάμενοι, μήτ' εἴς τινας ὠφελείας ἐπιστημῶν βλέψαντες μήτε τινὰς εὐδοκιμίας, ἀλλ' εἰ*

κἂν εἰ σμικρὰ] Cornarius *κἂν ἢ σμ.* quod inde a Steph. receptum est, invitis libris omnibus.

καὶ σμικρὰ ὀνίνασα] Sic Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΞ*. Coisl. Par. CH. Ang. Flor. a. b. c. i. Pessime vulgo *καὶ μὴ σμ. ὀν.* Bodl. Vat. Ven. *Π. ὀνήνασα*, unde Bekker. coni. *ὀνινᾶσα.*

διὰ τὸ ἐν τ. α. καθῆσθαι; sed utrumque in unum confunditur, ut acute Poppo pervidit. Ibid. IV. 36. *καὶ νῦν τοῦ ἀφανοῦς τε τούτου διὰ τὸ ἀτέκμαρτον δέος καὶ διὰ τὸ ἤδη φοβεροὺς παρόντας Ἀθηναίους κατ' ἀμφότερα ἐκπλαγέντες.* Ibid. VI. 1. *καὶ τοσαύτη οὖσα ἐν εἴκοσι σταδίων μάλιστα μέτρῳ τῆς θαλάττης διείργεται τὸ μὴ ἤπειρος οὖσα*, i. e. *ἅτε μὴ ἤπειρος οὖσα.* Ibid. VI. 84. *γνοὺς ὅτι σωζομένων ὑμῶν καὶ διὰ τὸ μὴ ἀσθενεῖς ὑμᾶς ὄντας ἀντέχειν Συρακοσίοις ἧσσον ἂν τούτων πεμψάντων.* Itaque hoc loco *τῷ μεγίστη καὶ ἀρίστη κ. τ. λ.* idem est quod *διὰ τὸ μεγίστη κ. τ. λ.* idque nihil aliud significat quam *ὡς s. ἅτε μεγίστη.* Unde repetenda constructionis ratio est. Eodem modo Plato Legg. IX. p. 831. E. *αὕτη μὲν μία κείσθω διακωλύουσα αἰτία τοῦ αἰτίαι μήτε ἄλλο καλὸν μήτε τὰ πρὸς τὸν πόλεμον ἱκανῶς ἐῶσα ἀσκεῖν τὰς πόλεις.* ubi male *τοῦ* extruserunt. De Rep. I. p. 346. B. *ἐάν τις κυβερνῶν ὑγιὴς γίγνηται διὰ τὸ ξυμφέρον αὐτῷ πλεῖν ἐν τῇ θαλάττῃ.* ubi deteriores libri *ξυμφέρειν.* Ceterum ne mireris huius syntaxis insolentiam, paene audacius etiam illud est, quod post *ὅτι* aliquoties participium infertur; de qua loquendi ratione v. ad Apolog. Socrat. p. 37. B. Gorg. p. 481. D.

κἂν εἰ σμικρὰ] Sic libri omnes. Cornarius correxit *κἂν ἢ σμικρά*, quod editionibus recentioribus vulgatum est. Sed vere observavit Fischerus, *κἂν εἰ σμικρὰ* etiam simpliciter positum recte se habere. v. Politic. p. 308. C. Sophist. p. 247. D. 267. D. ibique ann. et quae ad Phaedon. p. 71. D. exposuimus. Nimirum intelligitur *ἐστίν.*

ἀλλ' ὅρα· οὐδὲ γὰρ ἐπ.] Lenius de oratoria arte iudicat philosophus, quam Gorg. p. 463. A sqq. Quippe hic ipsius Gorgiae refert sententiam, qui eam pro optimo auctoritatis ac potentiae nanciscendae praesidio et adiumento haberi voluit. v. Gorg.

τις πέφυκε τῆς ψυχῆς ἡμῶν δύναμις ἑρᾶν τε τοῦ ἀληθοῦς καὶ πάντα ἕνεκα τούτου πράττειν, ταύτην εἴπωμεν, διερευνησάμενοι τὸ καθαρὸν νοῦ τε καὶ φρονήσεως, εἰ ταύτην μάλιστα ἐκ τῶν εἰκότων ἐκτῆσθαι φαῖμεν ἂν ἢ τιν' ἑτέραν ταύτης κυριωτέραν ἡμῖν ζητητέον. E

ΠΡΩ. Ἀλλὰ σκοπῶ, καὶ χαλεπόν, οἶμαι, συγχωρῆσαί τινα ἄλλην ἐπιστήμην ἢ τέχνην τῆς ἀληθείας ἀντέχεσθαι μᾶλλον ἢ ταύτην.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἐννοήσας τὸ τοιόνδε εἴρηκας, ὃ

εἶπον ἐγὼ νῦν] Sic Bodl. Vat. Ven. *II.* pro vulg. *εἶπον νῦν ἐγώ.*

D. *ἀλλ' εἴ τις πέφυκε*] Bodl. Vat. Ven. *II. ἄλλη τις.* Mox vulgo erat: *διεξερευνησάμενοι*, quod Bodl. Vat. Ven. *II.* in *διερευνησάμενοι* converterunt.

τῶν εἰκότων ἐκτῆσθαι] Sic Bodl. Ven. *II.* et pr. Vat. Vett. editt. *κεκτῆσθαι.*

p. 451. E sqq. Ceterum verba sic iungenda: *τῇ μὲν ἐκείνου τέχνῃ διδοὺς ὑπάρχειν (αὐτὴν) πρὸς χρείαν τοῖς ἀνθρώποις κρατεῖν*, i. e. *ὥστε κρατεῖν.*

ἢ δ' εἶπον ἐγὼ νῦν πραγματείᾳ —] Locus paullo difficilior et impeditior propter anacoluthiam orationis. Nam dativus *ἢ δ' εἶπον νῦν ἐγὼ πραγματείᾳ* in sequentibus nihil habet, cum quo cohaereat; praeterea etiam reliquorum verborum structura admodum est contorta. Sed videamus, quid rei sit. Itaque dativus ille positus est, quia Socrates structuram sermonis, qua usus erat antea, etiam in hac enuntiati parte servaturus erat. Sed interpositis verbis: *καθάπερ τοῦ λευκοῦ πέρι — ἕνεκα τούτου πράττειν*, ubi ad alia omnia est abductus, denique sententia amplificata periodum sic claudit, ut superiorum nulla amplius ratio habeatur, quippe subiungens haec: *ταύτην εἴπωμεν, διερευνησάμενοι κ. τ. λ.* Inchoatam constructionem si persequi voluisset, sic fere poterat dicere: *ἢ δὲ ἐγὼ εἶπον πραγματείᾳ (δίδοὺς) κεκτῆσθαι αὐτὴν ἐκ τῶν εἰκότων τὸ καθαρὸν νοῦ τε καὶ φρονήσεως.* Verum haec ipsa sententiae pars cum iis, quae antecedunt, arctissime nexa atque copulata est. Nam verba *καὶ νῦν δὴ σφόδρα διανοηθέντες κ. τ. λ.* cum intermediis illis *καθάπερ τοῦ λευκοῦ — τῷ ἀληθεστάτῳ*, tanquam in unum conflata sunt; ex iis ipsis autem quodammodo suspenduntur, quae absolvendae periodi caussa postremo adiiciuntur. Ex his clarissime, opinor, intelligetur, primariam ac secundariam totius enuntiati partem velut in unum confusam esse artificioseque contextam. Animadversione dignum etiam illud est, quod dicitur: *ταύτην εἴπωμεν — εἰ ταύτην μάλιστα φαῖμεν ἄν.* Nec tamen ea repetitio prorsus inusitata existimari debet. v. Lachet. p. 196. E. ibique ann. Praeterea *κεκτῆσθαι* dictum est sine accusativo *αὐτό*, usu pervulgato, de quo vix opus erit admonuisse.

λέγεις νῦν, ὡς αἱ πολλαὶ τέχναι καὶ ὅσαι περὶ ταῦτα
59 πεπόνηνται, πρῶτον μὲν δόξαις χρῶνται καὶ τὰ περὶ
δόξας ζητοῦσι ξυντεταγμένως; εἰ δὲ καὶ περὶ φύσεως
ἡγεῖταί τις ζητεῖν, οἶσθ' ὅτι τὰ περὶ τὸν κόσμον

P. 59. *δόξαις χρῶνται*] *δόξαν* Bodl. Vat. Ven. *Π.*; Vat. *περὶ δόξαν*.
ζητοῦσι ξυντεταγμένως] Heusdius coni. *ξυντεταμένως*, quod habet Ven. *Σ.* corr. Receperunt Bekkerus aliique nuperi editores; sed v. infra ann.

E. *ὡς αἱ πολλαὶ τέχναι καὶ ὅσαι περὶ ταῦτα π.*] Intelliguntur multae illae artes ac disciplinae, antea memoratae, quae in tractandis cognoscendisque rebus sub sensus subiectis versantur, quaeque partim, si in iis elaboretur subtilius, mentem animumque ad altius quiddam educunt et ad *διάνοιαν* evehunt, nunquam autem scientiam nomine suo dignam sive *ἐπιστήμην* afferunt. v. De Republ. V. p. 477. C. VI. p. 511. B. C. D. VII. p. 533. D sqq. Cum illis autem consociantur omnino *ὅσαι περὶ ταῦτα πεπόνηνται*, quotquot circa ista cum multo labore et aerumna versantur. Nam *πονεῖσθαι* inter alia est nostrum sich abmühen mit etwas, diciturque inprimis de opificibus graves ac difficiles labores subeuntibus. Homer. Odyss. *ι.* v. 250. 310. 343. de Cyclope oves et capellas mulgente: *αὐτὰρ ἐπειδὴ σπεῦσε ποιησάμενος τὰ ἃ ἔργα.* Hesiod. Op. et DD. v. 432. *δοιὰ δὲ θέσθαι ἄροτρα πονησάμενος κατὰ οἶκον.* Apollon. Rhod. II. v. 665. *ὅσοι ἐνὶ γαίῃ χηλὰς σκηρίπτοντε παρημέριοι πονέονται.* Auctor. Dialog. De Morte §. 11. p. 141. ed. Fischer. *τοὺς χειρωνακτικοὺς ἐπέλθωμεν καὶ βαναύσους, πονουμένους ἐκ νυκτὸς εἰς νύκτα, καὶ μόλις πορίζομένους τὰ ἐπιτήδεια.* Perfecto tempore sic usus est Apollon. Rhod. II. v. 1022. *ὅσσα ἐνὶ μεγάροις πεπονήμεθα, κεῖνα θύραζε ἀψεγέως μέσσηιν ἐνὶ ῥέζουσιν ἀγυιαῖς.* Itaque hic artes ipsae dicuntur in istis rebus occupatae esse; quod profecto rectissime factum, ut non videam, cur Astius *ὅσοι* scribendum esse iudicaverit. Pro *περὶ ταῦτα* Schleiermacherus *περὶ τὰ ἐνταῦθα* refingi iussit. Quo facile carebimus. Nam *ταῦτα* dicitur *δεικτικῶς*, ut intelligantur ista, quae quotidie videmus et conspicimus, et in quibus tractandis artes illae versantur. Opponuntur deinde *τὰ ὄντα ἀεί.* Similiter infra p. 62. A. *τὴν ἀνθρωπίνην ταύτην σφαῖραν καὶ τοὺς κύκλους τούτους ἀγνοῶν.* Phaedon. p. 75. E. *ὕστερον δὲ ταῖς αἰσθήσεσι χρώμενοι περὶ ταῦτα ἐκείνας (ἐπιστήμας) ἀναλαμβάνομεν*; quem locum recte explicavit Heindorfius, nec huius loci immemor. Phaedr. p. 250. A. *ἀναμιμνήσκεσθαι ἐκ τῶνδε ἐκεῖνα.* Parmenid. p. 130. E. Cratyl. p. 405. D. Nec iniuria olim huc retulisse videmur Pindar. Olymp. I. v. 181. *εἴη σέ τε τοῦτον ὕψοῦ χρόνον πατεῖν, ἐμέ τε τοσσάδε νικαφόροις ὁμιλεῖν, πρόφαντον σοφία καθ' Ἕλλανας ἐόντα παντᾷ*; ubi *τοῦτον χρόνον* recte interpretatur Scholiastes *ὃν ζῶμεν.* Exposuit de hoc usu pronominum nuper etiam Bernhardy Syntax. p. 279 sq. Frustra vero fuit, qui eum omnino nullum esse diceret, atque his similibusque locis pronomini vim *ἀναφορικὴν* tribuendam esse con-

τόνδε, ὅπῃ τε γέγονε καὶ ὅπῃ πάσχει τι καὶ ὅπῃ ποιεῖ, ταῦτα ζητεῖ διὰ βίου; φαῖμεν ἂν ταῦτα, ἢ πῶς;

ΠΡΩ. Οὕτως.

εἰ δὲ καὶ περὶ φύσεως ἡγεῖται] Libri *εἴτε*. Correxit Schleiermacherus.

ὅπῃ τε γέγονε] *τε* insertum e Bodl. Vat. Ven. *Π.*

tenderet.

P. 59. *τὰ περὶ δόξας ζητοῦσι ξυντεταγμένως*] Grouius, Gallicus libri interpres, p. 347. et Heusdius Spec. p. 105. *ξυντεταμένως* corrigunt, quod ex uno Ven. *Σ.* corr. dedit Bekkerus. Vereor tamen, ut opus sit mutatione. Nam *ξυντεταγμένως* est tanquam agmine facto, composito ordine, ideoque gnaviter, metaphora a re militari repetita. Apol. Socr. c. 10. *ὅτε οὖν, οἶμαι, φιλότιμοι ὄντες καὶ σφοδροὶ καὶ πολλοὶ καὶ ξυντεταγμένως καὶ πιθανῶς λέγοντες περὶ ἐμοῦ ἐμπεπλήκασιν ὑμῖν τὰ ὦτα καὶ πάλαι καὶ νῦν σφοδρῶς διαβάλλοντες.* ubi codd. eam lectionem item tuentur, De Rep. III. p. 399. A. *ἐν πᾶσι τούτοις παράτεταγμένως καὶ καρτερούντως ἀμυνομένου τὴν τύχην.* Ceterum frequens est in codicibus utriusque vocabuli permutatio, sicuti docuerunt Dorvill. ad Charit. p. 643. Abresch. ad Thucyd. p. 788 sq. Schaefer. ad Aristoph. Plutum Hemsterhus. p. 509. vers. 325. ubi videndi sunt etiam alii interpretes. Dicuntur vero artes *δόξαις χρῆσθαι*, quia tractant res mutabiles ac sensibus subiectas, neque referuntur ad id, quod in se est simplex, uniusmodi, purum, incorruptum, semper sui simile. Nam duo haec rerum genera Plato distinxit sic, ut alteri scientiam s. *ἐπιστήμην*, alteri opinionem propriam esse vellet; v. Tim. p. 28. A. Phaedon. p. 65. D. 80. A. sqq.

εἰ δὲ καὶ περὶ φύσεως ἡγεῖταί τις ζητεῖν —] ac si quis adeo de rerum natura sibi putet quaerendum esse, nonne tum apertum est, ipsum haerere in *hoc* mundo *sensibus subiecto*, atque indagare studere, quomodo omnia *orta* sint, quomodo *afficiantur*, et quomodo *agant*? h. e. operam ipsum dare earum rerum pervestigationi, quae quum nascantur, occidant, labantur, denique perpetuae vicissitudinis varietati obnoxiae sint, non afferunt menti veritatis scientiam et cognitionem, sed opinionem tantum efficiunt? Etenim naturae historiam Plato sibi persuaserat non perducere nos ad ipsius veritatis cognitionem, sed afferre tantummodo aliquam verisimilitudinis probabilitatem; de qua re v. Tim. p. 29. A sqq. et p. 42. E. sqq. p. 46. D. Quamobrem ipse in Timaeo, de rerum natura disputans, sese non tam vera quam verisimilia tradere aperte professus est, sicuti demonstrasse videmur Prolegg. ad Tim. cap. IV. p. 35 sqq. Eandem ob caussam taxavit etiam Anaxagoram loco nobilissimo Phaedon. p. 97. C sqq. qui quum statuisset, a mente regi ac moveri cuncta, tamen in hac sententia sua explicanda atque defendenda nihil caussae tribuisset, aëri

ΣΩ. Οὐκοῦν οὐ περὶ τὰ ὄντα ἀεί, περὶ δὲ τὰ γιγνόμενα καὶ γενησόμενα καὶ γεγονότα ἡμῶν ὁ τοιοῦτος ἀνήρηται τὸν πόνον.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα.

ΣΩ. Τούτων οὖν τι σαφὲς ἂν φαῖμεν τῇ ἀκριβεστάτῃ ἀληθείᾳ γίγνεσθαι, ὧν μήτε ἔσχε μηδὲν πώποτε κατὰ ταὐτὰ μήθ' ἕξει μήτε εἰς τὸ νῦν παρὸν ἔχει;

ΠΡΩ. Καὶ πῶς;

ΣΩ. Περὶ οὖν τὰ μὴ κεκτημένα βεβαιότητα μηδ' ἡντινοῦν πῶς ἄν ποτε βέβαιον γίγνοιθ' ἡμῖν καὶ ὁτιοῦν;

ΠΡΩ. Οἶμαι μὲν οὐδαμῶς.

ΣΩ. Οὐδ' ἄρα νοῦς οὐδέ τις ἐπιστήμη περὶ αὐτά ἐστι τὸ ἀληθέστατον ἔχουσα.

ΠΡΩ. Οὔκουν εἰκός γε.

Cap. XXXVI. ΣΩ. Τὸν μὲν δὴ σὲ καὶ ἐμὲ καὶ Γοργίαν καὶ Φίληβον χρὴ συχνὰ χαίρειν ἐᾶν, τόδε δὲ διαμαρτύρασθαι τῷ λόγῳ.

Τούτων οὖν τι σαφὲς] οὖν om. Ven. *AΣ*. Par. BCEFH. Angel. Flor. a. b. c. i. et pr. Ven. *Ξ*.

B. κατὰ ταὐτὰ] κ. ταῦτα Bodl. male.

τόδε δὲ διαμαρτύρασθαι] τὸ δὲ Bodl. et pr. Vat. Ven. *Π*.

C. καὶ τὸ ἀληθὲς] τὸ additum e Bodl. Vat. Ven. *Π*. Coisl. vett. editt. ignorant. Mox Coisl. *εἰλικρινές*

vero, aquae, igni, similibusque rebus omnia. Nimirum Plato, altius quid spectans, relictis his rebus terrestribus, mente et ratione omnia quaerenda statuit, ideoque ad ideas tanquam in coelum escendit, unde omnem rerum veritatem earumque causas repeteret.

B. Τὸν μὲν δὴ σὲ καὶ ἐμὲ καὶ Γοργίαν —] Usum articuli ante pronomen personale iam supra annot. ad p. 20. B. attigimus, ubi tamen alia eius ratio est atque hoc loco. Etenim hic ponitur articulus, ut facta quasi personae demonstratione significetur, non iam curandum esse, quid ipsi (sie selbst *persönlich*) sentiant aut affirmari cupiant, sed quid recta ratio postulet. Formula loquendi συχνὰ χαίρειν ἐᾶν idem significat quod πολλὰ χαίρειν ἐᾶν. Aristoph. Acharn. v. 200. χαίρειν κελεύων πολλὰ τοὺς Ἀχαρνέας. Pac. v. 719. ἀλλ' ὦ φίλ' Ἑρμῆ, χαῖρε πόλλα al.

ἢ δεύτερος, ἐκείνων ὅ τι μάλιστά ἐστι ξ.] Stephanus: „Aut δεύτερον scribendum, inquit, aut aliquid cum δεύτερος deesse dicendum est.“ Posterius unice verum, quamquam

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ὡς ἦ περὶ ἐκεῖνα ἔσθ' ἡμῖν τό τε βέβαιον καὶ τὸ καθαρὸν καὶ τὸ ἀληθὲς καὶ ὃ δὴ λέγομεν εἰλικρινές, περὶ τὰ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὡσαύτως ἀμικτότατα ἔχοντα, ἦ δεύτερος, ἐκείνων ὅ τι μάλιστά ἐστι ξυγγενές· τὰ δ' ἄλλα πάντα δευτερά τε καὶ ὕστερα λεκτέον.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα λέγεις.

ΣΩ. Τὰ δὴ τῶν ὀνομάτων περὶ τὰ τοιαῦτα κάλλιστα ἆρ' οὐ τοῖς καλλίστοις δικαιότατον ἀπονέμειν;

ΠΡΩ. Εἰκός γε.

ΣΩ. Οὐκοῦν νοῦς ἐστὶ καὶ φρόνησις ἃ γ' ἄν D
τις τιμήσειε μάλιστ' ὀνόματα;

ΠΡΩ. Ναί.

ΣΩ. Ταῦτ' ἄρα ἐν ταῖς περὶ τὸ ὂν ὄντως ἐννοίαις ἔστιν ἀπηκριβωμένα ὀρθῶς κείμενα καλεῖσθαι.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

περὶ τὰ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ — ἔχοντα] V. *περὶ τὸ ἀεὶ — ἔχον*, quod vix unus et alter codicum tuetur. Post *ἀεὶ* quod vulgo interponebatur *καί*, id om. Bodl. Vat. Ven. *ΑΠΣ*. Coisl. Par. BCEH. Flor. a. b. c. i.

ἦ δεύτερος] *δευτέρως* corr. Ven. *Σ*. et a m. sec. Par. H. male. Dein *τὰ δ'* om. Bodl. Vat. Ven. *Π*. Iidem deinceps *ἀλλὰ πάντα*. male.

nuper triumviri Turicenses ex duobus codd. male correctis iisque deterioribus reposuerunt *δευτέρως*. Verissime enim pervidit Schleiermacherus ad *δεύτερος* cogitatione supplendum esse *πλοῦς*, quod in tanta dictionis proverbialis celebritate profecto nihil offensionis habere potest. Nam celeberrimum fuisse hoc proverbium vel ea docebunt, quae de eius usu ad Phaedon. p. 99. D. scripsimus. conf. supra p. 19. C. Dicitur autem illud plerumque de iis, qui aliqua re primo infeliciter tractata denuo eam aggrediuntur. Nunc ad res ipsas transfertur, ut nihil aliud sit, quam aut si minus, sin minus, sin aliter se habeat. Nam ad proxima ex superioribus rursus assumendum est *περὶ* hoc sensu, *ἦ περὶ τοῦτο, ὃ ἐκείνων μάλιστά ἐστι συγγενές*. Similiter *δεύτερος πλοῦς* supra p. 19. C.

D. *Ταῦτ' ἄρα ἐν ταῖς περὶ τὸ ὂν ὄντως* —] Haec igitur notitiis de eo, quod vere est, animo conceptis, quippe accommodata illis diligentissime, recte poni utique dici possunt. Nam scribendum *ἔστιν* pro *ἐστὶν*

ΣΩ. Καὶ μὴν ἅ γε εἰς τὴν κρίσιν ἐγὼ τότε παρεσχόμην, οὐκ ἄλλ' ἐστὶν ἢ ταῦτα τὰ ὀνόματα.

ΠΡΩ. Τί μήν, ὦ Σώκρατες;

ΣΩ. Εἶεν. τὸ μὲν δὴ φρονήσεώς τε καὶ ἡδονῆς
E πέρι πρὸς τὴν ἀλλήλων μίξιν εἴ τις φαίη καθαπερεὶ δημιουργοῖς ἡμῖν, ἐξ ὧν ἢ ἐν οἷς δεῖ δημιουργεῖν τι, παρακεῖσθαι, καλῶς ἂν τῷ λόγῳ ἀπεικάζοι.

ΠΡΩ. Καὶ μάλα.

ΣΩ. Τὸ δὴ μετὰ ταῦτα ἆρ' οὐ μιγνύναι ἐπιχειρητέον;

ΠΡΩ. Τί μήν;

ΣΩ. Οὐκοῦν τάδε προειποῦσι καὶ ἀναμνήσασιν ἡμᾶς αὐτοὺς ὀρθότερον ἂν ἔχοι;

ΠΡΩ. Τὰ ποῖα;

ΣΩ. Ἃ καὶ πρότερον ἐμνήσθημεν· εὖ δ' ἡ παροιμία δοκεῖ ἔχειν, τὸ καὶ δὶς καὶ τρὶς τό γε καλῶς
60 ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖν.

ΠΡΩ. Τί μήν;

D. τὸ μὲν δὴ φρ.] τὸ μὲν δὴ γὰρ φρ. Bodl. Vat. Ven. *II.*

E. ἐν οἷς δεῖ δημιουργεῖν] Pro δεῖ, quod Bodl. Vat. Ven. *II.* Par. F. debetur, vett. editt. δή. Vat. teste Bastio habet ἐν οἷς δημιουργεῖν δεῖ τι.

τὸ καὶ δὶς καὶ τρὶς] καὶ ante δὶς insertum e Bodl. Vat. Ven. *II.* Coisl.

P. 60. οὕτωσί πως τὰ τότε] οὕτω πως Bodl. Vat. Ven. *II.*

fuit. Veram lectionem primus restituit Bekkerus.

τὸ μὲν δὴ φρονήσεώς τε καὶ ἡδονῆς πέρι] V. Matthiae Gr. §. 283.

E. ἐξ ὧν καὶ ἐν οἷς δεῖ δημ.] aus und an welchen etc. Nam sic ἐν nunc accipiendum. Denotat enim rursus rem factioni subiectam (das Substrat der Handlung). De ἀπεικάζειν comparandi vi et significatione usurpato v. Ruhnken. ad Tim. p. 95. De Rep. II. p. 377. E. ὅταν εἰκάζῃ τις κακῶς τῷ λόγῳ.

P. 60. τὸ καὶ δὶς καὶ τρὶς τό γε καλῶς ἔχον —] Proverbium fuit δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν s. δὶς καὶ τρὶς καλὸν τὰ καλὰ λέγειν, de quo v. ad Gorg. p. 498. E.

τὸ ἀγαθὸν τοῦτ' αὐτὸ εἶναι ξυμπασι] Referas τοῦτ' αὐτό ad τὴν ἡδονήν.

τοῦτο ἀρθῶς τεθέντ' ἔχειν] Libri τοῦτο — τεθὲν ἔχειν. Quod correxit Hein-

ΣΩ. Φέρε δὴ πρὸς Διός· οἶμαι γὰρ οὑτωσί πως τὰ τότε λεχθέντα ῥηθῆναι.

ΠΡΩ. Πῶς;

ΣΩ. Φίληβός φησι τὴν ἡδονὴν σκοπὸν ὀρθὸν πᾶσι ζώοις γεγονέναι καὶ δεῖν πάντας τούτου στοχάζεσθαι, καὶ δὴ καὶ τἀγαθὸν τοῦτ' αὐτὸ εἶναι ξύμπασι, καὶ δύο ὀνόματα, ἀγαθὸν καὶ ἡδύ, ἑνί τινι καὶ φύσει μιᾷ τούτω ὀρθῶς τεθέντ' ἔχειν. Σωκράτης δὲ πρῶτον μὲν οὔ φησι τοῦτ' εἶναι, δύο δὲ καθάπερ B τὰ ὀνόματα, καὶ τό τε ἀγαθὸν καὶ τὸ ἡδὺ διάφορον ἀλλήλων φύσιν ἔχειν, μᾶλλον δὲ μέτοχον εἶναι τῆς τοῦ ἀγαθοῦ μοίρας τὴν φρόνησιν ἢ τὴν ἡδονήν. οὐ ταῦτ' ἔστι τε καὶ ἦν τὰ τότε λεγόμενα, ὦ Πρώταρχε;

ΠΡΩ. Σφόδρα μὲν οὖν.

ΣΩ. Οὐκοῦν καὶ τόδε καὶ τότε καὶ νῦν ἡμῖν ἂν ξυνομολογοῖτο;

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

τούτω ὀρθῶς τεθέντ' ἔχειν] Libri τοῦτο ὀρθῶς τεθὲν ἔχειν. Correxit Heindorf.

B. τό τε ἀγαθὸν καὶ τὸ ἡδὺ δ.] Vett. editt. τότε τὸ ἀγαθόν, quod emendatum est ope Bodl. Vat. Ven. ΣΠ. Par. FH. Flor. b. qui partim habent τότε ἀγαθόν. Ante ἡδύ insertum est τὸ e Bodl. Vat, Ven. ΠΣ.

μέτοχον εἶναι] Sic Vat. Ven. Π. pro vett. lectione μετέχον.

Οὐκοῦν καὶ τόδε καὶ τότε καὶ νῦν] καὶ post τόδε om. Bodl. Vat, Ven. Π. sed vid. infra annot.

dorfius. Formulam τιθέναι et τίθεσθαί τινι ὄνομα illustravimus ad Cratyl. p. 416. B. In proximis πρῶτον μέν ponitur, quia Socrates additurus erat ἔπειτα τὴν τἀγαθοῦ διαφέρειν φύσιν τῶν ἄλλων; quod ipsum deinde oratione variata subiungitur. Post πρῶτον μέν Heusdius Specim. p. 106. ἓν excidisse putabat. Quo non opus est. Nam τοῦτο εἶναι est: hoc verum esse, hoc ita se habere, sc. bonum et iucundum esse unum idemque.

B. Οὐκοῦν καὶ τόδε καὶ τότε καὶ νῦν ἡμῖν —] Post τόδε tres optimi codices omittunt καί. Nec tamen ausim voculam eliminare, quum ceteri libri omnes eam tueantur. Videntur enim critici, quibus codicum illorum recensionem debemus, in repetito καί offendisse. At vide, quae de simili repetitione scripsimus ad p. 62. E. Est autem καὶ τότε καὶ νῦν nunc ut antea; de qua loquendi ratione v. ann. ad Phaedr. p. 254. A.

C ΣΩ. Τὴν τἀγαθοῦ διαφέρειν φύσιν τῷδε τῶν ἄλλων.

ΠΡΩ. Τίνι;

ΣΩ. Ὧι παρείη τοῦτ' ἀεὶ τῶν ζώων διὰ τέλους πάντως καὶ πάντῃ, μηδενὸς ἑτέρου ποτὲ ἔτι προσδεῖσθαι, τὸ δὲ ἱκανὸν τελεώτατον ἔχειν. οὐχ οὕτως;

ΠΡΩ. Οὕτω μὲν οὖν.

ΣΩ. Οὐκοῦν τῷ λόγῳ ἐπειράθημεν χωρὶς ἑκάτερον ἑκατέρου θέντες εἰς τὸν βίον ἑκάστων, ἄμικτον μὲν ἡδονὴν φρονήσει, φρόνησιν δὲ ὡσαύτως ἡδονῆς μηδὲ τὸ σμικρότατον ἔχουσαν;

ΠΡΩ. Ἦν ταῦτα.

C. τῷδε τῶν ἄλλων] τόδε Bodl. Vat. Ven. *Π.* male. Post τῷδε vulgo μᾶλλον infertur, quod codd. omnes praeter Par. E, recte omittunt.

ὡσαύτως ἡδονῆς] Sic tres primarii. Reliqui cum vett. editt. ἡδονῆς ὡσαύτως.

D. φρόνησιν καὶ ἐπιστήμην] Sic tres primarii, V, ἐπιστήμην καὶ φρόνησιν.

ἢ γίγνεσθαι] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. ἢ καὶ γίγνε-

C. Ὧι παρείη τοῦτ' ἀεὶ — τελεώτατον ἔχειν.] H. e. εἴ τινι παρείη τοῦτ' ἀεὶ τῶν ζώων, αὐτὸ μηδενὸς ἑτέρου — ἔχειν. Nam sic optativus hic explicandus est, quem post ὅς pro εἴ τις haud sane esse infrequentem docebunt, quae ad Phaedrum p. 276. B. et Gorg. p. 521. C. exposuimus. Nec offensionem habet, quod infinitivi προσδεῖσθαι et ἔχειν particulam ἄν non adiunctam habent, siquidem etiam libera oratione nec aliunde suspensa sic dici potuit; εἴ τινι παρείη τοῦτ' ἀεί, οὐδενὸς ἑτέρου ἔτι προσδεῖται; quam syntaxin haudquaquam inusitatam esse, vel ea docebunt, quae disputavit A. Matthiae Gr. §. 524. ann. 3. p. 1207. ed. 3. Infinitivi vero προσδεῖσθαι et ἔχειν pendent ex praecedenti διαφέρειν, quod sic infinitivo iungi solere docebunt annot. ad Gorg. p. 527. B. Prot. p. 328. A. conf. Matthiae Gr. §. 535. Cavendum est igitur, ne τῷ ante ᾧ παρείη excidisse existimemus. Formula πάντως καὶ πάντῃ, auf jede Art und Weise, usurpatur ut οὐδαμῶς οὐδαμῇ, et quae sunt id genus alia; de quibus diximus ad Phaedon. p. 78. D. Sic Resp. VI. p. 490. A. πάντως καὶ πάντῃ. Phaedr. p. 246. A. πάντῃ πάντως.

Οὐκοῦν τῷ λόγῳ ἐπειράθημεν —] Nonne igitur disputatione nostra conati sumus, alterum ab altero seiungere et in sua quamque vita collocare etc. De constructione conf. p. 21. A. οὐκοῦν ἐν σοὶ πειρώμεθα βασανίζοντες ταῦτα; ibique ann.

ΣΩ. Μῶν οὖν ἡμῖν αὐτῶν τότε πότερον ἱκανὸν ἔδοξεν εἶναί τῳ; D

ΠΡΩ. Καὶ πῶς;

Cap. XXXVII. ΣΩ. Εἰ δέ γε παρηνέχθημέν τι τότε, νῦν ὀρτιοῦν ἐπαναλαβὼν ὀρθότερον εἰπάτω, μνήμην καὶ φρόνησιν καὶ ἐπιστήμην καὶ ἀληθῆ δόξαν τῆς αὐτῆς ἰδέας τιθέμενος, καὶ σκοπῶν, εἴ τις ἄνευ τούτων δέξαιτ' ἂν οἱ καὶ ὁτιοῦν εἶναι ἢ γίγνεσθαι, μὴ ὅτι δή γε ἡδονήν, εἴθ' ὡς πλείστην εἴθ' ὡς σφοδροτάτην, εἰ μήτε ἀληθῶς δοξάζοι χαίρειν, μήτε τὸ παράπαν γιγνώσκοι τί ποτε πέπονθε πάθος, μήτ' αὖ μνήμην τοῦ πάθους μηδ' ὁντινοῦν χρόνον ἔχοι. ταὐτὰ δὲ λέγε καὶ περὶ φρονήσεως, εἴ τις ἄνευ πά- E

σθαι, quod sane non deterius altero; sed optio, ut saepe, perquam difficilis est.

εἰ μήτε ἀληθῶς δ.] Sic Cornarius e Ficino. Vulgo *ἢ μήτε*, pro quo plerique omnes *ἦν* vel *ἦν.* Bodl. *ην* sine accentu, quod vitii indicium solet esse. Dein Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat. *δοξάζειν.*

E. *ταὐτὰ δὲ λέγε*] V. *ταῦτα.* Recte Schleiermacherus correxit *ταὐτά*, quod firmavit Paris. B. Pro *λέγε* pessime Bodl. Vat. Ven. *Π. λέγω*, quod fuit tamen qui comprobaret. Dein pro *εἴ τις* prave iidem libri *ἤτις.*

Mox *πότερον* rursus est alterutrum.

D. *Εἰ δέ γε παρηνέχθημέν τι τότε,*] si quid tunc a vero aberravimus. v. ad p. 38. D. Ita Platonem saepius loqui, ubi pertractatum est, quod tractandum erat, argumentum, eleganter docuit Heusdius Specim. Crit. p. 106. comparatis his locis: Tim. p. 54. A. *ἂν οὖν τις ἔχῃ κάλλιον ἐκλεξάμενος εἰπεῖν εἰς τὴν τούτων ξύστασιν, ἐκεῖνος οὐκ ἐχθρὸς ἂν ἀλλὰ φίλος κρατοῖ.* Ibid. *τῷ τοῦτο ἐλέγξαντι καὶ ἀνευρόντι δὲ μὴ οὕτως ἔχειν κεῖται φίλια τὰ ἆθλα.* Legg. VII. p. 796. D. *εἰ δέ τινα ταύτης ὑμεῖς ἔχετε βελτίω, θέντες εἰς τὸ κοινὸν λέγετε.* Epist. VIII. p. 353. E. *εἰ μὲν δή τις ὀρθότερον ἄμεινόν τε ἔχει τοῦ ὑπ' ἐμοῦ ῥηθησομένου, ἐνέγκων εἰς τὸ μέσον ὀρθότατα φιλέλλην ἂν λεχθείη.* — *τῆς αὐτῆς ἰδέας τιθέμενος*, una specie s. uno genere complectens. Sic *τίθεσθαι* cum genitivo iunctum Reip. II. p. 376. E. IV. p. 424. C. 437. B. al. Mox *καὶ ὁτιοῦν* vel tantillum; v. ad Apol. p. 35. B. — *μὴ ὅτι δή γε ἡδονήν*, nedum voluptatem. — Verbis *εἰ μήτε ἀλ.* — *ὁντινοῦν χρόνον ἔχοι* accuratius explicatur et illustratur praecedens illud *ἄνευ τούτων.* Sic p. 46. B. *ἀλλ' ἄνευ τούτων — τῶν ἡδονῶν καὶ τῶν αὐταῖς ἑπομένων, ἂν μὴ καταφῶσιν, σχεδὸν οὐκ ἂν δυναίμεθα διακρίνεσθαι τὸ ζητούμενον.*

E. *ταὐτὰ δὲ λέγε καὶ περὶ φρονήσεως*] Quod tres optimi codices scriptum habent *λέγω*, id etsi triumviri Turicen-

σης ἡδονῆς καὶ τῆς βραχυτάτης δέξαιτ' ἂν φρόνησιν ἔχειν μᾶλλον ἢ μετά τινων ἡδονῶν, ἢ πάσας ἡδονὰς χωρὶς φρονήσεως μᾶλλον ἢ μετὰ φρονήσεως αὖ τινός.

ΠΡΩ. Οὐκ ἔστιν, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' οὐδὲν δεῖ ταῦτά γε πολλάκις ἐπερωτᾶν.

61 *ΣΩ. Οὐκοῦν τό γε τέλεον καὶ πᾶσιν αἱρετὸν καὶ τὸ παντάπασιν ἀγαθὸν οὐδέτερον ἂν τούτων εἴη;*

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

ΣΩ. Τὸ τοίνυν ἀγαθὸν ἤτοι σαφῶς ἢ καί τινα τύπον αὐτοῦ ληπτέον, ἵν', ὅπερ ἐλέγομεν, δευτερεῖα ὅτῳ δώσομεν, ἔχωμεν.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα λέγεις.

ΣΩ. Οὐκοῦν ὁδὸν μέν τινα ἐπὶ τἀγαθὸν εἰλήφαμεν;

ταὐτά γε πολλάκις ἐπ.] *τε* Bodl. Ven. *Π.* Vat.

P. 61. *ἵν', ὅπερ ἐλέγομεν, δευτ.*] *λέγομεν* Bodl. et pr. Vat. Ven. *Π.* Verum hic quoque tuetur Vat. rec. Nam huius libri recentior manus magni est pretii, ut plerumque Bodl., si quid

ses, hic ut alibi libris illis omnia fere tribuentes, sine cunctatione receperunt, tamen nobis quidem nullo pacto ferendum videtur. Adversantur enim huic lectioni proxima, *εἴ τις ἄνευ — δέξαιτ' ἂν φρόνησιν ἔχειν κ. τ. λ. num* quis sine ulla voluptate etiam brevissima malit habere sapientiam etc.

P. 61. *ἢ καί τινα τύπον αὐτοῦ ληπτέον*] aut etiam speciem eius atque formam leviter adumbratam. Nam *τύπος* quum inter alia dicatur de adumbratione rei alicuius generali, quam sequitur deinde accurata descriptio et expressio, translate dicitur etiam de descriptione vel definitione minus diligenti, quae rem universam tantummodo complectitur. Itaque hic recte opponitur *σαφῶς*. Supra p. 32. B. *δοκεῖ μοι τύπον γέ τινα ἔχειν.* De Rep. II. p. 414. A. *ὡς ἐν τύπῳ, μὴ δι' ἀκριβείας εἰρῆσθαι.* VI. p. 491. C. *ἔχεις γὰρ τὸν τύπον ὧν λέγω. Ἔχω, ἔφη, καὶ ἡδέως γ' ἂν ἀκριβέστερον ἃ λέγεις πυθοίμην*, quod ibid. p. 504. D. his verbis significatur: *καὶ αὐτῶν τούτων οὐχ ὑπογραφὴν δεῖ ὥσπερ νῦν θεάσασθαι, ἀλλὰ τὴν τελεωτάτην ἀπεργασίαν μὴ παριέναι.* Ibid. VIII. p. 559. A. *προελώμεθα δή τι παράδειγμα ἑκατέρων, αὖ εἰσιν, ἵνα τύπῳ λάβωμεν αὐτάς.* Protagor. p. 344. B. ubi qui carminis *τύπος* appellatur, is intelligendus est de universo eius sensu et argumento, unde additur *καὶ ἡ βούλησις.* Cratyl. p. 397. A. ubi plura attulimus.

Τοῖς δὴ θεοῖς, ὦ Πρώταρχε, εὐχόμενοι —] Rursus deos invocandos esse arbitratur, priusquam voluptates et artes ac disciplinas certo temperamento miscere instituit: quod idem in eadem caussa faciebat supra p. 25. B. ad quem locum cur ita fiat satis videmur expo-

ΠΡΩ. Τίνα;

ΣΩ. Καθάπερ εἴ τίς τινα ἄνθρωπον ζητῶν τὴν οἴκησιν πρῶτον ὀρθῶς, ἵν' οἰκεῖ, πύθοιτ' αὐ- B
τοῦ, μέγα τι δήπου πρὸς τὴν εὕρεσιν ἂν ἔχοι τοῦ ζητουμένου.

ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ;

ΣΩ. Καὶ νῦν δή τις λόγος ἐμήνυσεν ἡμῖν, ὥσπερ καὶ κατ' ἀρχάς, μὴ ζητεῖν ἐν τῷ ἀμίκτῳ βίῳ τἀγαθὸν ἀλλ' ἐν τῷ μικτῷ.

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Ἐλπὶς μὴν πλείων ἐν τῷ μιχθέντι καλῶς τὸ ζητούμενον ἔσεσθαι φανερώτερον ἢ ἐν τῷ μή;

ΠΡΩ. Πολύ γε.

ΣΩ. Τοῖς δὴ θεοῖς, ὦ Πρώταρχε, εὐχόμενοι

ab eo discrepet, anteponenda sit.

B. *ἵν' οἰκεῖ,*] *οἰκῇ* Bodl. Vat. Ven. *Π.* Iidem dein *πείθοιτο.* Bodl. *εὕρεσιν ἀνέχοι.*

εὐχόμενοι κεραννύωμεν] *κερανν̃ομεν* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

suisse. Censet autem eos deos invocandos esse, quibus id honoris obtigerit, ut miscendi temperandique manere fungantur, ex iisque nominat Bacchum et Vulcanum. Etenim Vulcanus apud Homerum Iliad. I. v. 595 sqq. diis pocula ministrat: *αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν οἰνοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.* Bacchus autem vini quum sit largitor, fieri non potest, quin etiam eius recte prudenterque temperandi gnarus sit atque peritus. Haec simplicissima videtur loci interpretatio. Quamquam fieri potest, ut Plato his nominibus deorum simul usus sit *ἀλληγορικῶς.* Verum de hac re nihil decernam, quum philosophus ipse rationis suae nullum fecerit indicium. Recentiorum Platonicorum sententiam prodidit Olympiodorus, qui haec habet: *Ὅτι ἐπὶ κράσεως θεοί εἰσι τῆς μὲν φυσικῆς τε καὶ ἐγκοσμίου ὁ Ἥφαιστος, τῆς δὲ ψυχικῆς τε καὶ ὑπερκοσμίου ὁ Διόνυσος. ἄρχεται γὰρ ἄνωθεν ἀπ' αὐτῶν τῶν θεῶν ἡ συγκρατικὴ ἰδιότης, πρόεισι δὲ μέχρι τῶν ἐσχάτων ὑπάρξεων· οἷον ὁ Ἥφαιστος τῆς φυσικῆς κράσεως ἐξάρχων ἐν ἑαυτῷ πρῶτον τὸ ἰδίωμα προεβάλετο, εἶτα ἐν τῷ νῷ τῷ — φύσεως ἐπιβατεύοντι, εἶτα ἐν τῇ ψυχῇ ὁμοίως τῇ τοιαύτῃ, καὶ τέλος ἐν τῷ φυσικῷ κόσμῳ καθ' ὕπαρξιν. ἀλλὰ καὶ ὁ Διόνυσος ὡσαύτως· ἐν ἑαυτῷ τῆς ψυχικῆς κράσεως τὴν ἀρχὴν ἀναφήνας τὸν θεῖον τρόπον ἐξῆς ἐν τῷ νῷ ταύτην ὑπεστήσατο νοερῶς καὶ καθ' ὕπαρξιν ἐν τῇ ψυχῇ καὶ τὸν συνδετικὸν τρόπον ἐν τῷ ἐμψύχῳ σώματι. ἔτι δὲ τούτων ἀνωτέρω ἐπὶ τῆς νοερᾶς ἐστὶ κράσεως ὁ Ζεύς. εἰσὶ δὲ ἄλλοι καὶ μερικώτεροι Διονύσου καὶ Ἡφαίστου. καλεῖ δὲ τούτους ὡς μέλλων πάσας μιγνυμένας μίξεις τάς τε ὑπερκοσμίους καὶ ἐγκοσμίους. τὴν δὲ Δίῖον παρῆκε κρᾶ-*

C κεραννύωμεν, εἴτε Διόνυσος εἴτε Ἥφαιστος εἰθ' ὅστις θεῶν ταύτην τὴν τιμὴν εἴληχε τῆς συγκράσεως.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Καὶ μὴν καθάπερ ἡμῖν οἰνοχόοις τισὶ παρεστᾶσι κρῆναι· μέλιτος μὲν ἂν ἀπεικάζοι τις τὴν τῆς ἡδονῆς, τὴν δὲ τῆς φρονήσεως νηφαντικὴν καὶ ἄοινον αὐστηροῦ καὶ ὑγιεινοῦ τινὸς ὕδατος· ἃς προθυμητέον ὡς κάλλιστα συμμιγνύναι.

C. *παρεστᾶσι κρῆναι*] Sic Bodl. Vat. Coisl. Ven. *AΞΣ*. Par. BCFH. Ang. Flor. a. b. c. i. et Athenaeus, qui hunc locum ὡς ὑπερτέραν ἢ κατὰ τὰ προκείμενα.

C. *Καὶ μὴν καθάπερ ἡμῖν οἰνοχόοις τισὶ* —] Ordo verborum hic est: *καὶ κρῆναι παρεστᾶσιν ἡμῖν καθάπερ οἰνοχόοις τισίν*. Sed creberrima in comparatione haec collocatio. Aristoph. Nubb. v. 257. *ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε*, Vesp. v. 363. *ὥσπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν*. et similiter, ordine tamen mutato, De Rep. VIII, p. 545. E. *ὡς πρὸς παῖδας ἡμᾶς ἐρησχελούσας*. Ibid. VII. p. 520. E. V. p. 414. E. Protagor. p. 337. E. ubi vid. ann. Plura suppeditabit Schaefer. ad Dionys. Hal. De Comp. Verb. p. 327. ad Gregor. Corinth. p. 394. Praef. ad Iulian. p. XIX sq. Dein Fischerus ex Athenaeo X. c. 6 sq. Tom. IV. p. 37 sqq. ed. Schweigh. = p. 423. Cas. qui haec inde a verbis *τοῖς δὴ θεοῖς* usque ad *ὡς κάλλιστα συμμιγνύναι* excerpsit, *καὶ μέλιτος* scribendum censuit. Sed copula non opus est, quandoquidem haec sententiam proxime antecedentem tanquam dilatant et amplificant, ideoque illustrant. In cuius modi locis quam saepe critici temere particulas et coniunctiones de suo adiecerint, plurimis iam exemplis constare debet. Distinximus autem ante *μέλιτος* colo, quo facilius perspiceretur sententiarum ratio. Mirum tamen, quod ponitur simplex genitivus *μέλιτος*, quum *ἀπεικάζειν* dativum rei postulet, quacum aliquid comparatur. Itaque aut ad *μέλιτος* ex antegressis assumendum est *κρήνη*, aut genitivus pendere ex *ἀπεικάζοι* putari debet, quod idem est atque *ὁμοίαν εἶναι λέγοι*. Praestabilior tamen illa est ratio. Voluptatis fontem quod cum melle comparat Socrates, id fortasse Pythagorici quiddam habet. Non inepte enim Olympiodorus: *ὅτι κρῆναι μέλιτος μὲν ἡ τῆς ἡδονῆς ὡς γλυκείας καὶ τὸ ἐκστατικὸν ἐχούσης. διὸ καὶ Πυθαγόρειος λόγος, διὰ μέλιτος πίπτειν εἰς γένεσιν τὰς ψυχάς. ὕδατος δὲ κρήνη τοῦ νοῦ ὡς νηφαντική*. Sapientiae vero quod tribuit *κρήνην νηφαντικὴν καὶ ἄοινον αὐστηροῦ καὶ ὑγιεινοῦ τινὸς ὕδατος*, putat Winckelmannus, ad sacrificia respici severis deabus Eumenidibus aliisque numinibus, ut *Μνημοσύνῃ*, *Ἀφροδίτῃ Οὐρανίᾳ*, Musis, Aurorae, oblata, *νηφάλια*, *ἄπυρα*, quae erant sine vino et constabant sola aqua mulsa, *μελικράτῳ*. v. Reisig. Enarrat. Soph. Oed. Col. p. XLIV. Et fieri sane potest, ut ad ritus

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΣΩ. Φέρε δὴ πρότερον· ἆρα πᾶσαν ἡδονὴν D
πάσῃ φρονήσει μιγνύντες τοῦ καλῶς ἂν μάλιστ' ἐπιτύχοιμεν;

ΠΡΩ. Ἴσως.

ΣΩ. Ἀλλ' οὐκ ἀσφαλές. ἦ δὲ ἀκινδυνότερον ἄν μιγνύοιμεν, δόξαν μοι δοκῶ τινὰ ἀποφήνασθαι ἄν.

ΠΡΩ. Λέγε τίνα.

cum X. c. 16. inde a verbis *Τοῖς δὴ θεοῖς κ. τ. λ.* exscripsit. Pessime vulgo *παριστῶσι*. Ante *μέλιτος* Athen. *καὶ* interponit.

ἃς προθυμητέον] ἃς om. Bodl. et pr. Vat. Ven. *Π.*

quosdam sacrificiorum respiciatur.

D. *μιγνύντες τοῦ καλῶς ἂν μάλιστα ἐπ.*] Ad *τοῦ καλῶς* int. *μιγνύναι*. Usum loquendi firmavimus exemplis ad Phaedon. p. 114. B.

δόξαν μοι δοκῶ τ. ἀ. ἄν.] sententiam quandam *posse* proferre, s. prolaturus esse. Nam haec est vis particulae *ἄν* cum infinitivo consociatae. Verum hoc iam tralaticium. Plus difficultatis habent sequentia: *Ἦν ἡμῖν ἡδονή τε ἀληθῶς κ. τ. λ.* quae variis modis tentata sunt. Nam pro *ἀληθῶς* Schleiermacher. maluit *ἀληθής*; comparativus autem *μᾶλλον* in tribus optimis codicibus omissus est, quod unice placuit Turicensibus editoribus. Vereor tamen, ut quidquam in malae fidei suspicionem adduci debeat. Nam omnia habere se videbuntur rectissime, ubi recte fuerint intellecta. Enimvero *ἡδονὴ ἦν ἀληθῶς* nihil aliud significat, quam: voluptas *revera* sive *vere* erat, *es fand* die Lust *wahrhaft* statt, quod fere idem est atque *ἀληθὴς ἦν*. Iam vero subiungitur *μᾶλλον ἑτέρας ἄλλη*, h. e. eine *in höherem Grade* als die andere. Nam, sic hoc quoque loco *μᾶλλον* intelligi oportere, plane nobis persuasimus; v. p. 41. D. ibique ann. Quod enim *ἑτέρας ἄλλη* dicitur, id neminem morabitur. v. ad p. 57. C. Sophist. p. 224. C. At vero, inquit aliquis, quidni obtemperabimus optimis illis codicibus, qui *μᾶλλον* omittunt? Nimirum isti hic quoque manus criticorum experti sunt correctrices; id quod hoc argumento conficitur. Etenim extruso *μᾶλλον* prorsus necesse est, ut *ἀκριβεστέρα* etiam ad voluptates referatur. Atqui *ἀκρίβεια* neutiquam antea tributa est voluptatibus, sed unis artibus ac disciplinis: in voluptatibus enim spectabatur potius veritas. Ex quo consequens est, ut *ἀκριβεστέρα* nunc quoque ad unam *τέχνην* referendum sit. Iam vero quum iis, qui hunc comparativum ad utrumque membrum orationis pertinere opinati sunt, *μᾶλλον* moleste redundare videretur, inconsiderate illud eiecerunt. Ita vero contaminarunt orationem etiam alio modo. Neque enim iam intelligitur, quam vim habeat istud *ἀληθῶς*, quod sic molestissime redundat. Quocirca omnia suadent, ut veterem lectionem conservemus. Praeterea, quod pro *καὶ δή* ex codicibus restitutum est *καὶ δὴ καί*, id satis firmabunt, quae ad Ion. p. 530. B. congessimus huius loquendi rationis exempla.

ΣΩ. Ἦν ἡμῖν ἡδονή τε ἀληθῶς, ὡς οἰόμεθα, μᾶλλον ἑτέρας ἄλλη, καὶ δὴ καὶ τέχνη τέχνης ἀκριβεστέρα;

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ;

ΣΩ. Καὶ ἐπιστήμη δὴ ἐπιστήμης διάφορος, ἡ μὲν ἐπὶ τὰ γιγνόμενα καὶ ἀπολλύμενα ἀποβλέπουσα,
E ἡ δὲ ἐπὶ τὰ μήτε γιγνόμενα μήτε ἀπολλύμενα, κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ ὡσαύτως ὄντα ἀεί. ταύτην εἰς τὸ ἀληθὲς ἐπισκοποῦμενοι ἡγησάμεθα ἐκείνης ἀληθεστέραν εἶναι.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν ὀρθῶς.

D. μᾶλλον ἑτέρας ἄλλη] μᾶλλον Bodl. Vat. Ven. *Π.* omittunt. sed v. interpret. nostram. Dein iidem cum Coisl. et plurimis aliis post καὶ δὴ verissime καὶ addunt.

E. κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ ὡσαύτως] Bekkerus cum Coislin. et pr. Ven. *Σ.* καὶ ante ὡσαύτως delevit; non opus. Solet enim

Alterum καί eadem in formula omittunt Bodl. aliique libri etiam Phaed. p. 112. E.

E. ταύτην εἰς τὸ ἀληθὲς ἐπισκοποῦμενοι —] Simile hac asyndeton est illi, de quo diximus ad p. 25. D. τούτων ἀμφοτέρων συναγομένων κ. τ. λ. Cave igitur, δέ post ταύτην inserendum existimes.

Οὐκοῦν εἰ τἀληθέστατα τμήματα —] Quodsi igitur verissimas utriusque (et voluptatis et scientiae) partes videamus primum commixtas, num illae commixtae satis erunt ad vitam exoptatissimam efficiendam atque nobis exhibendam? Etenim convenerat iam antea p. 19. D. inter disputantes, τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν esse oportere τέλεον καὶ ἱκανόν, ut ab omnibus expeteretur. De loquutione non poenitebit contulisse Legg. II. p. 667. D. οὐκοῦν ἡδονῇ κρίνοιτ' ἂν μάνον ἐκεῖνο ὀρθῶς, ὃ μήτε τινὰ ὠφέλειαν μήτε ἀλήθειαν μήτε ὁμοιότητα ἀπεργαζόμενον παρέχεται, μηδ' αὖ γε βλάβην.

P. 62. Ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ δρᾶν οὕτως.] Referendum hoc δρᾶν οὕτως est ad τἀληθέστατα πρῶτον τμήματα ξυμμῖξαι. Nam solet δρᾶν poni omnino pro iis verbis, quae ex antecedentibus repetenda sunt, etiam pro intransitivis; quam loquendi rationem abunde illustravimus ann. ad Sophist. p. 233. C. et 253. A. Politic. p. 260. C. conf. supra p. 20. A.

Ἔστω δή τις ἡμῖν φρονῶν ἄνθρωπος —] Posteaquam demonstratum est, vitae humanae felicitatem et beatitatem neque in una sapientia (τῷ πέρατι) neque in sola voluptate (τῷ ἀπείρῳ) positam esse, proceditur dehinc ad tertium vitae genus ex utraque illa mixtum atque temperatum (τὸ ξυμμεμιγμένον). Quae quidem vita ut recte informetur, ante omnia exquiritur, num omnes voluptates omnesque scientiae ac sapientiae partes sine ullo discrimine commiscendae sint, an quidam earum delectus haberi debeat?

ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ τἀληθέστατα τιμήματα ἑκατέρας ἴδοιμεν πρῶτον ξυμμίξαντες, ἆρ' ἱκανὰ ταῦτα ξυγκεκραμένα τὸν ἀγαπητότατον βίον ἀπεργασάμενα παρέχειν ἡμῖν, ἢ τινος ἔτι προσδεόμεθα καὶ τῶν μὴ τοιούτων;

ΠΡΩ. Ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ δρᾶν οὕτως. 62

Cap. XXXVIII. *ΣΩ. Ἔστω δή τις ἡμῖν φρονῶν ἄνθρωπος αὐτῆς πέρι δικαιοσύνης, ὅ τι ἔστι, καὶ λόγον ἔχων ἑπόμενον τῷ νοεῖν, καὶ δὴ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τῶν ὄντων ὡσαύτως διανοούμενος.*

in hac formula *καί* modo addi, modo omitti, sicuti docuerunt Fischer. et Heindorf. ad Phaedon. p. 78. D.

ἀληθεστέραν εἶναι] *ἀσφαλεστέραν* Vat. Ven. *II.* sed marg. Vat. *ἀληθεστέραν*, teste Bastio.

P. 62. *περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων*] *πάντων* Bodl.

Cuius quidem quaestionis hic initium fit. Censet autem Socrates, consentiente Protarcho, scientiae quidem certe nullam esse partem, quin ad vitam bene beateque degendam maxime sit necessaria. Nam etsi eas disciplinas, quae in ipsa rerum veritate contemplanda versantur, omnium praestantissimas esse iudicavit, tamen eas solas arbitratur ad vitae felicitatem non sufficere, sed desiderare etiam reliquarum artium opem atque auxilium. Aliter autem de voluptatibus statuendum putat. Ex his enim eas tantum admittendas esse censet, quae verae sint atque sapientiae legibus consentaneae; vehementes autem et intemperantes, utpote omnis commixtionis concentum perturbaturas, procul haberi iubet. Qui sapientiam recentiorum Platonicorum cum ipsius Platonis doctrina contendere discupiunt, ii non inutiliter adibunt Plotin. Enn. VI. Libr. VII. extr. — *περὶ αὐτῆς δικαιοσύνης ὅ τι ἔστι*, de ipsius iustitiae vi et natura, h. e. de idea iustitiae. De usu formulae *αὐτὸ ὅ ἔστι* v. ad Phaedon. p. 75. B. D. Remp. X. p. 597. A. Cratyl. p. 389. B. Theaet. p. 146. E. Sympos. p. 211. C. al. Verba *καὶ λόγον ἔχων (ἴστω) ἑπόμενον τῷ νοεῖν*, sic interpretamur: habeatque rei intelligentiam menti sive intellectui convenientem. Nam *τὸ νοεῖν* pertinet sine dubio ad *τὸν νοῦν* sive mentem, quae versatur in rerum divinarum atque in se absolutarum contemplatione; *ὁ λόγος* autem significat rationem et intelligentiam, qua fit ut eius, quod vere est rationem reddere et vero etiam, oratione explicare possimus. Hanc esse sententiam verborum, evincunt certissime sequentia, in quibus formulae *τὸν λόγον ἔχων* opponitur participium *ἀγνοῶν*. Fallunter igitur, qui de una orationis facultate (Rede) haec interpretati sunt. Ceterum conf. Tim. p. 27. *τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτον κ. τ. λ.*

ΠΡΩ. Ἔστω γὰρ οὖν.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν οὗτος ἱκανῶς ἐπιστήμης ἕξει κύκλου μὲν καὶ σφαίρας αὐτῆς τῆς θείας τὸν λόγον ἔχων, τὴν δὲ ἀνθρωπίνην ταύτην σφαῖραν καὶ τοὺς κύκλους τούτους ἀγνοῶν, καὶ χρώμενος ἐν οἰκοδομίᾳ
B καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμοίως κανόσι καὶ τοῖς κύκλοις;

ΠΡΩ. Γελοίαν διάθεσιν ἡμῶν, ὦ Σώκρατες, ἐν ταῖς θείαις οὖσαν μόνον ἐπιστήμαις λέγομεν.

ΣΩ. Πῶς φῄς; ἦ τοῦ ψευδοῦς κανόνος ἅμα

ταύτην σφαῖραν] *ταύτην τὴν σφαῖραν* Bodl. Vat. Ven. *Π.* B. *ψευδοῦς κανόνος*] *ψεύδους* Bodl.

κύκλου μὲν καὶ σφαίρας αὐτῆς τῆς θείας τὸν λόγον ἔχων] Istud *αὐτῆς τῆς θείας* non tantum ad *σφαίρας*, sed etiam ad *κύκλου* pertinet, ut intelligatur idea circuli pariter atque sphaerae. Quae quidem divina vocatur propterea, quod ea, quae non sunt sensibus subiecta, sed sola mente cognoscuntur, h. e. ideae, eximie pro divinis haberi debent. Phaedon. p. 80. A. *σκόπει δή, ἔφη, ὦ Κέβης, εἰ ἐκ πάντων τῶν εἰρημένων τάδε ἡμῖν ξυμβαίνει, τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν, κ. τ. λ.* Atque hinc sponte apparet, quaenam intelligatur humana sphaera, quique sit circulus humanus. Est enim hic, quem oculis nostris cernere licet. Quamobrem additur etiam demonstrativum *ταύτην* et *τούτους*, de cuius usu ad p. 58. E. exposuimus. Fallitur enim mirifice, qui ex hoc pronomine collegit, Socratem una cum familiaribus fingi in loco aliquo versantem, ubi eiusmodi sphaerae et circuli colloquentibus ob oculos versati fuerint. — *τὸν λόγον ἔχων*, eam notionem sive intelligentiam teneat, quae teneri vel possit vel debeat. Ita enim nunc articulus intelligendus est, quem fuit quum moleste ferremus. Euthydem. p. 286. A. *πότερον οὖν — ἀντιλέγοιμεν ἂν τὸν τοῦ αὐτοῦ πράγματος λόγον ἀμφότεροι γνόντες;* ubi alia exempla additi articuli congessit Winckelmannus.

B. *καὶ χρώμενος ἐν οἰκοδομίᾳ — κύκλοις.*] Haec verba etiamnunc suum expectant vel sospitatorem vel interpretem. Nam quod ea Schleiermacherus reddidit „und sich nun in der Baukunst doch der andern Richtmaasse und Kreise bedienen sollen“ hoc non magis in Graecis inest, quam quod alii proposuerunt: und sich beim Häuserbau und den übrigen Geschäften auf gleiche Weise (wie in der höhern so in der niedern Wissenschaft) der Richtmaasse und Zirkel bedient; aut: und der sie braucht beim Bau, und wo sonst Richtmaass und Kreis vorkommt. Nec placet Astii explicatio: licet in aedificatione quum reliquis utatur regulis, tum etiam circulis. Ita enim et *ὁμοίως* ne-

καὶ τοῦ κύκλου τὴν οὐ βέβαιον οὐδὲ καθαρὰν τέχνην ἐμβλητέον κοινῇ καὶ συγκρατέον;

ΠΡΩ. Ἀναγκαῖον γάρ, εἰ μέλλει τις ἡμῶν καὶ τὴν ὁδὸν ἑκάστοτε ἐξευρήσειν οἰκαδε.

ΣΩ. Ἦ καὶ μουσικήν, ἣν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἔφαμεν στοχάσεώς τε καὶ μιμήσεως μεστὴν οὖσαν καθαρότητος ἐνδεῖν; C

ΠΡΩ. Ἀναγκαῖον φαίνεται ἔμοιγε, εἴπερ γε ἡμῶν ὁ βίος ἔσται καὶ ὁπωσοῦν ποτὲ βίος.

C. εἴπερ γε ἡμῶν] γε om. Vat. Ven. Ξ. Par. F.

glectum, et, reliquae regulae quid sibi velint, non intelligitur. Schützius fraudem aliquam hic delituisse ratus, verba *κανόσι καὶ τοῖς κύκλοις* tanquam importunum additamentum delenda iudicavit. Quae tamen ratio violentior est, quam ut comprobari possit. Itaque Heindorfius, leniore medicina adhibita, scribendum putabat: *κανόσι θείοις καὶ κύκλοις*. At huic quoque rationi multa adversantur. Videtur vero locus integer esse. Putamus enim sententiam esse hanc: atque in aedificatione ceterisque negotiis regulis et iis quos diximus circulis *similiter* uti conans; h. e. sic, ut divini quidem instrumenti (ideae) notitiam habeat, humanam eius rationem naturamque plane ignoret. Ante *κύκλοις* quod interpositus est *τοῖς* articulus, fit hoc ideo, quia eorum iam antea mentio facta est. Sed *ἐν οἰκοδομίᾳ* dictum ut *ἐν κωμῳδίᾳ*. Aristoph. Rann. v. 15. ubi plura dabimus.

Γελοίαν διὰ θεσιν ἡμῶν — λέγομεν.] H. e. *γελοίως ἡμᾶς διακεῖσθαι λέγομεν ἐν ταῖς θείαις μόνον ὄντας ἐπιστήμαις*. Mox pro *ἐμβλητέον κοινῇ* Schützius Opusc. p. 146. legendum censuit *ἐμβλητέον ἐκείνῃ*. Quaerere enim Socratem, annon Philebus putet, vulgares etiam geometriae practicae notiones, et instrumenta illa, quibus utuntur agrimensores, architecti, etc., quamvis in his summa illa geometriae purae, quae *θεία* dicitur, subtilitas et *ἀκρίβεια* inesse non possit, tamen cum ea coniungenda eique annectenda esse. Sed licet haec verborum sententia videatur, tamen exinde neutiquam consequitur, ut *ἐκείνῃ* de coniectura restituendum sit. Eo enim haudquaquam opus est: imo etiam illato illo sensus pervertitur. Nam vulgaris haec scientia non uni illi subtiliori disciplinae addenda iudicatur, sed omnino iis omnibus, quae commixtione digna videantur.

C. *Ἦ καὶ μουσικήν, ἣν ὀλίγον πρ.*] Cur hic architecturam tantum atque musicam memoret, quum tamen omnes artes ac disciplinas ad mixtionem admittendas censeat, nemo dubitabit, qui meminerit eorum, quae inde a p. 55. D. disputata sunt. — Mox *ὁ βίος ἡμῶν ἔσται βίος* argute dictum est, atque idem significat quod *βίος βιωτός*, de quo v. ad Apol. Socrat. p. 38. A. Criton. p. 47. D. al.

ΣΩ. Βούλει δῆτα, ὥςπερ θυρωρὸς ὑπ' ὄχλου τις ὠθούμενος καὶ βιαζόμενος, ἠττηθεὶς ἀναπετάσας τὰς θύρας ἀφῶ πάσας τὰς ἐπιστήμας εἰςρεῖν καὶ μίγνυσθαι ὁμοῦ καθαρᾷ τὴν ἐνδεεστέραν;

D *ΠΡΩ. Οὔκουν ἔγωγε οἶδα, ὦ Σώκρατες, ὅ τί τις ἂν βλάπτοιτο πάσας λαβὼν τὰς ἄλλας ἐπιστήμας, ἔχων τὰς πρώτας.*

ΣΩ. Μεθιῶ δὴ τὰς ξυμπάσας ῥεῖν εἰς τὴν τῆς Ὁμήρου καὶ μάλα ποιητικῆς μισγαγκείας ὑποδοχήν;

ὑπ' ὄχλου τις ὠθ.] Sic Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro vulg. *ὑπ' ὄχλου τινὸς ὠθ.* Mox *τὰς* post *πάσας* om. Bodl. Vat. Ven. *Π.*

D. *Μεθιῶ δὴ τὰς ξυμπ.*] V. infra ann.; Bodl. *δὲ* pro *δή*. Pro *ποιητικῆς* Bodl. Vat. Ven. *Π. ποιητικῶς*. Mox *μεθεῖντο* pr.

Βούλει δῆτα ὥςπερ θυρωρὸς —] Facete Socrates sese iam tanquam ianitorem aliquem esse fingit, qui magna artium ac disciplinarum turba urgente coactus sit fores aperire atque omnes sine ullo discrimine intromittere. *Ὄχλος* non modo de turba hominum, sed etiam de magna rerum et animalium multitudine usurpari, docuerunt praeter alios Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 204. et Wernsdorf. ad Himer. p. 292. Quo rectius hic in elegantissima prosopopoeia poni potuit. Nec absurde *εἰςρεῖν* dicitur, quandoquidem *ῥεῖν*, *ἐπιῤῥεῖν*, *εἰςρεῖν* de affluente hominum multitudine non raro usurpatur. Exempla rei collegerunt Wyttenbach. ad Iulian. p. 237. ed. Lips. Boisson. ad Philostr. p. 414.

Μεθιῶ δὴ τὰς ξύμπασας ῥεῖν —] Respicitur locus Homeri Iliad. IV, 452 sq. *ὡς ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ*. Quid sit *μισγάγκεια*, quum ipsa vocabuli originatio satis declaret, tum patefaciunt etiam Grammatici. Schol. min. *εἰς μισγάγκειαν· εἰς κοῖλον τόπον, ἔνθα ὁμοῦ συμμίσγεται τὸ ὕδωρ ἀπὸ διαφόρων τόπων*. Hesychius: *μισγάγκεια· κοῖλος τόπος, εἰς ὃν πανταχόθεν τὰ κάτω φερόμενα ἀπὸ τῶν ὀρῶν ὕδατα μίσγεται*. Suidas: *μισγάγκεια· τόπος κοῖλος, εἰς ὃν τὰ καταφερόμενα μίσγεται ἀπὸ πλειόνων ὀρῶν ὕδατα*.

Μεθεῖνται. καὶ πάλιν ἐπὶ τὴν τῶν ἡδονῶν. —] Male vulgo partes personarum distribuuntur sic: *ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν· μεθεῖνται. ΣΩ. Καὶ πάλιν ἐπὶ τὴν τῶν ἡδονῶν κ. τ. λ.* Unus Aldus omisit Socratis nomen. Hinc facili negotio cum Boeckhio in Min. p. 107. locum emendare licuit. Etenim facta hac personarum distributione facile apparet, commode iam ipsum Socratem exclamare: *μεθεῖνται*. Quanquam in ludorum publicorum commissione spectantes potius solebant hac et similibus uti vocibus. Aristoph. Rann. v. 133. Herc. *ἀναβὰς ἐπὶ τὸν πύργον τὸν ὑψηλὸν* — Bacch. *τί δρῶ;* Herc. *ἀφιεμένην τὴν λαμπάδ' ἐντεῦθεν θεῶ, κἄπειτ' ἐπειδὰν φῶσιν οἱ θεώμενοι, εἶνται* (missi sunt), *τόθ' εἶναι καὶ σὺ σαυτόν*. Haec enim sine contro-

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

Cap. XXXIX. *ΣΩ. Μεθεῖνται. καὶ πάλιν ἐπὶ τὴν τῶν ἡδονῶν πηγὴν ἰτέον. ὡς γὰρ διενοήθημεν αὐτὰς μιγνύναι, τὰ τῶν ἀληθῶν μόρια πρῶτον, οὐκ ἐξεγένεθ' ἡμῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ πᾶσαν ἀγαπᾶν ἐπιστήμην εἰς ταὐτὸν μεθεῖμεν ἀθρόας καὶ πρόσθεν τῶν* E *ἡδονῶν.*

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα λέγεις.

ΣΩ. Ὥρα δὴ βουλεύεσθαι νῷν καὶ περὶ τῶν

Vat. Ven. *Π. μεθειν τε* Bodl. *μεθεῖνται δὴ* rec. Ven *Σ.* Porro *γὰρ* post *ὡς* om. Vat.

οὐκ ἐξεγενήθη] *ἐξενήθη* corr. Ven. *Σ.* qui in marg. habet *εἰς ξενίαν συνέστη*, ex coniectura admodum infelici.

versia vera est huius loci scriptura.

ὡς γὰρ διενοήθημεν αὐτὰ μιγνύναι—] Heindorfius plura hic intercidisse ratus corrigendum censuit: *ἰτέον, ὥσπερ ἐπὶ τὴν τῶν ἐπιστημῶν — μόρια πρῶτα μὲν μεθεῖμεν, τὰ δὲ ἄλλα ἀποκλείειν οὐκ ἐξεγένετο ἡμῖν, ἀλλὰ κ. τ. λ.* aut certe nihil ad sententiam desideratum iri iudicavit, si ita legeretur. Verum enim vero rectam germanamque lectionem utique putamus a codicibus esse servatam, excepto uno isto *ἐξεγενήθη*, quod in *ἐξεγένεθ'* mutandum fuit. Deesse enim ad rectam sententiae rationem nihil videbitur, ubi pronomen *αὐτάς* non ad unas voluptates, sed etiam ad artes ac disciplinas retuleris, quod profecto fieri potest commodissime. Ita sententia loci haec erit: Intromissae sunt artes. Ac iam rursus ad fontem voluptatum nobis accedendum est. Nam eo modo, quo utrasque (et artes et voluptates) commiscere cogitavimus, ut primum verarum tantummodo particulae miscerentur, nobis non licuit, sed immisimus artes ac disciplinas cunctas et quidem prius quam voluptates, quia unamquamque scientiae partem magni aestimabamus, s. expetendam putabamus. De usu verbi *ἀγαπᾶν*, magni aestimare, expetere, contulisse iuvabit Phaedon. p. 110. D. *ὧν καὶ τὰ ἐνθάδε λιθίδια εἶναι ταῦτα τὰ ἀγαπώμενα μόρια, σάρδιά τε καὶ ἰάσπιδας κ. τ. λ.* De Rep. I. p. 330. B. *οὐ σφόδρα ἀγαπᾶν τὰ χρήματα.*

E. *Ὥρα δὴ βουλεύεσθαι*-] Criton. p. 46 A. *οὐδὲ βουλεύεσθαι ἔτι ὥρα, ἀλλὰ βεβουλεῦσθαι.* Soph. p. 241. B. *ἀλλ' ὥρα δὴ βουλεύσασθαι.* Protag. p. 362. A. *καὶ γὰρ ἐμοὶ — ἰέναι πάλαι ὥρα.* Euthyphr. p. 15. A. *καί μοι ὥρα ἀπιέναι.* Phaedon. p. 115. A. Theaet. p. 145. B. Apol. p. 42. A. Men. 100. B. Aristoph. Avv. v. 643. *καὶ μὴν μὰ τὸν Δί' οὐχὶ νυστάζειν γ' ἔτι ὥρα 'στὶν ἡμῖν οὐδὲ μελλονικιᾶν.* Sic etiam *καιρός* cum infinitivo iungitur, modo addito, modo omisso *ἐστίν.* Aristoph. Plut. v. 255. *ὡς ὁ καιρὸς οὐχὶ μέλλειν.* Thesmophor. v. 667. *ὡς ὁ καιρός ἐστι μὴ μέλλειν ἔτι.*

ἡδονῶν, πότερα καὶ ταύτας πάσας ἀθρόας ἀφετέον ἢ καὶ τούτων πρώτας μεθετέον ἡμῖν ὅσαι ἀληθεῖς.

ΠΡΩ. Πολύ γε διαφέρει πρός γε ἀσφάλειαν πρώτας τὰς ἀληθεῖς ἀφεῖναι.

ΣΩ. Μεθείσθων δή. τί δὲ μετὰ ταῦτα; ἆρ'

E. *ἀθρόας ἀφετέον*] *σαφέστερον* Bodl. Ven. *Π.* et pr Vat. infelici errore.

Πολύ γε διαφέρει] Bodl. Vat. Ven. *Π.* pro *γε* habent *τι*, infelici vel potius arbitraria correctione.

Triplex *καί* non erit molestum, ubi memineris Graecos hanc voculam in comparationibus solere iterum iterumque repetere. v. ad Gorg. p. 457. E. Protagor. p. 361. B. al. Praeterea conferas haec. Alcibiad. I. p. 109. D. *φράσον καὶ ἐμοί, ἵνα αὐτῷ φοιτητὴν προξενήσῃς καὶ ἐμέ.* Ibid. p. 114. C. *οὐκοῦν καὶ σὺ ἅπερ καὶ πολλοὺς οἷός τ' εἶ πείθειν, ταῦτα καὶ ἵνα*; Aristotel. Politic. I. c. 1. p. 23. ed. Göttling. *σχεδὸν δὴ ταὐτόν ἐστι τὸ ζητούμενον καὶ περὶ γυναικὸς καὶ παιδός, πότερα καὶ τούτων εἰσὶν ἀρεταί*; *κ. τ. λ.* qui locus huic est simillimus. De *ἀθρόας* cum *πάσας* iuncto v. Tim. p. 25. D. Gorg. p. 490. B. Politic. p. 295. A. Schaefer. ad Demosth. III. p. 216.

Πολύ γε διαφέρει πρός γε ἀσφάλειαν] Sic libri omnes praeter Bodl. duosque eius socios perpetuos, qui *Πολύ τι διαφέρει* praebent. Sed vereor magnopere, ne duplex *γε* displicuerit criticis, quibus illorum debemus recensionem, sicuti Porsono ad Eurip. Med. v. 863. perquam invenustum visum est. Certe quidem non intelligitur, qui fiat, ut reliqui libri omnes lectionem multo insolentiorem et vero etiam elegantiorem tueantur. Enimvero quidni *γε* iure eleganter geminari dicatur, ubi utroque loco vim suam habet atque potestatem? Etenim nemo dubitabit, quin Protarchus rectissime respondere potuerit: *Πολύ γε διαφέρει.* Nemo item infitias ibit, ipsi sententiae accommodatissimum esse: *Πολὺ διαφέρει πρός γε ἀσφάλειαν.* Utrumque igitur nunc in unum conflatur, ideoque *γε* particula geminatur elegantissime. De Rep. I. p. 332. B. *ὀφείλεται δέ γε παρά γε τοῦ ἐχθροῦ — κακόν τι.* ubi Schneiderus propter sequens *γε* scilicet prius *γε* abiecit. Ibid. p. 335. B. *καὶ πάνυ γε, ἔφη, τούς γε πονηρούς τε καὶ ἐχθροὺς δεῖ βλάπτειν.* Ibid. III. p. 389. D. *ἐάν γε, ἦ δ' ὅς, ἐπί γε λόγῳ ἔργα τελῆται.* Gorg. p. 502. A. *δῆλον δή τοῦτό γε, ὦ Σώκρατες, Κινησίου γε πέρι.* Theaet. p. 148. C. *νὴ τὸν Δία ἔγωγε καὶ μάλα γε τῶν ἀκροτάτων.* Euthydem. 297. E. *πάνυ γε, ἔφη, ὁ μέν γε ἐμός.* Ibid. p. 300. E. *ἔγωγε, ἔφην, καὶ πολλά γε.* Lysid. p. 207. E. *ναὶ μὰ Δία ἔμέ γε, ὦ Σώκρατες, καὶ μάλα γε πολλὰ κωλύουσιν.* Sophocl. Oed. Col. v. 981. *πῶς γ' ἂν τό γ' ἄκον πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις.* Eurip. Med. v. 856. *οὐκ ἄν γ' ἁμάρτοις τοῦδέ γ', ἀλλ' ἀκούσομαι.* Aristoph. Avv. v. 171. *εὖ γε μωμᾷ ταυταγί.* Ecclesiaz. v. 189. *νὴ τὴν Ἀφροδίτην εὖ γε ταυταγὶ λέγεις.* Acharn. v. 97. Sed satis exemplorum. Plura si cupis, adeas Lobeckium ad Soph. Aiac. v. 534. Reisig.

οὐκ εἰ μέν τινες ἀναγκαῖαι, καθάπερ ἐκεῖ, ξυμμικτέον καὶ ταύτας;

ΠΡΩ. Τί δ' οὔ; τάς γε ἀναγκαίας δήπουθεν.

ΣΩ. Εἰ δέ γε καὶ καθάπερ τὰς τέχνας πάσας 63
ἀβλαβές τε καὶ ὠφέλιμον ἦν ἐπίστασθαι διὰ βίου,

Μεθείσθων δή.] *μεθείσθω* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat.
τί δὲ μετὰ τ.] *δὴ* Bodl. Vat. Ven. *Π.* et pr. *Σ*.
καθάπερ τὰς τέχνας] *αἱ τὰς ἀν.* Bodl. Ven. *Π.* et pr. Vat.

Coniectan. p. 249. Hermann. ad Viger. p. 827.

Μεθείσθων δή.] Quod duo codices praestantiores habent *μεθείσθω*, id Winckelmannus ad Euthydem. p. 33. restituendum censet, comparans ille talia: Phaedr. p. 278. B. *οὐκοῦν ἤδη πεπαίσθω μετρίως ἡμῖν τὰ περὶ λόγων.* Theaet. p. 197. D. *πεποιήσθω δή· ἀλλὰ τί τοὐντεῦθεν;* Euthyd. p. 278. D. *ταῦτα μὲν οὖν — πεπαίσθω ὑμῖν.* Quae apparet inter se valde esse dissimilia, quandoquidem imperativo in aliis additum est subiectum, in aliis non est additum. Ponamus vero, Winckelmannum hic *μεθείσθω* absolute dictum voluisse idque putavisse illis exemplis confirmari. Quaeritur igitur, quae caussa eum impulerit, ut illud praestabilius esse iudicaret. Et discrimen quidem utriusque lectionis hoc est, quod *μεθείσθω* dicitur impersonaliter, missum iam esto; *μεθείσθων* autem personaliter, missae sunto. Altero igitur ipsa missionis actio fortius urgetur, altero etiam rei habetur ratio, quae missa dicitur. Hoc vero si ita est, nos quidem non dubitamus, utrum pro meliore habendum sit. Praestat enim sine controversia *μεθείσθων*, quum verae tantum voluptates intromittendae esse iudicatae sint. Accedit, quod praemissum est antea *μεθεῖνται*. Itaque Winckelmannus *μεθείσθω* istud vel propter auctoritatem Vat. et Ven. *Π.* vel ob raritatem suam praetulisse videtur: sed neutrum in tali quidem caussa satis momenti habet. Mox Hensdius Specim. p. 61 sqq. verba *τάς γε ἀναγκαίας δήπουθεν* ex glossemate orta esse censuit, utpote valde ieiuna atque languida. Nobis vero ea satis eleganter addita videntur. Affirmat enim adolescens id, de quo quaesivit Socrates, idque dubitanter, unde addit suum istud *δήπουθεν*. Germanice dixeris: Warum nicht? die nothwendigen, denke ich, doch wohl.

P. 63. *Εἰ δέ γε καὶ καθάπερ τὰς τέχνας* —] Haec quoque vitium traxerant, quamquam neutiquam tantum, quantum aliquando putaveram. Etenim pro *λέγομεν*, quod olim de coniectura restitui quodque nunc saltem Ven. *Σ*. auctoritas firmavit, libri omnes cum editt. habebant *λέγωμεν*, coniunctivum; qui ferri nullo modo potest. Hoc vero errore sublato omnia sese habent rectissime. Sententia loci haec est: Sin autem adeo, quemadmodum antea artes omnes tenere utile esse iudicabamus, ita nunc eadem de voluptatibus statuimus, hoc est, si (nostra sententia) utile est neque damnosum,

καὶ νῦν δὴ ταὐτὰ λέγομεν περὶ τῶν ἡδονῶν, εἴπερ πάσας ἡδονὰς ἕλεσθαι διὰ βίου συμφέρον τε ἡμῖν ἐστὶ καὶ ἀβλαβὲς ἅπασι, πάσας ξυγκρατέον.

ΠΡΩ. Πῶς οὖν δὴ περὶ αὐτῶν τούτων λέγωμεν; καὶ πῶς ποιῶμεν;

ΣΩ. Οὐχ ἡμᾶς, ὦ Πρώταρχε, διερωτᾶν χρή, τὰς ἡδονὰς δὲ αὐτὰς καὶ τὰς φρονήσεις, διαπυνθανομένους τὸ τοιόνδε ἀλλήλων πέρι.

B ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ὦ φίλαι, εἴτε ἡδονὰς ὑμᾶς χρὴ προσαγορεύειν εἴτε ἄλλῳ ὁτῳοῦν ὀνόματι, μῶν οὐκ ἂν δέξαι-

P. 63. *νῦν δὴ ταὐτὰ λέγομεν*] Recte Ven. Σ. *λέγομεν* pro *λέγωμεν*, quod iam olim vidimus mutari oportere. Pro *ταὐτὰ* codd. plerique omnes *ταῦτα*.

τούτων λέγωμεν;] Sic Ven. Σ. Par. B. Flor. a. c. cum Steph. Ceteri cum Ald. Bas. 1. 2. *λέγομεν*.

B. *Ὦ φίλαι, εἴτε ἡδονὰς*] Plurimi cum Bodl. Vat. Ven. Π. Coisl. *ὦ φίλε*. Mox *ἡμᾶς* Bodl. Vat. Coisl. Ven. ΑΠ. Par.

omnibus per totam vitam frui voluptatibus, omnes commiscendae sunt. Apparet igitur, primariam enuntiati partem hanc esse: *εἰ δέ γε νῦν ταὐτὰ λέγομεν περὶ ἡδονῶν*. Quocirca opus fuit indicativo. Pro *Εἰ* vero Astius cur legendum putaverit *Ἔτι*, haudquaquam intelligimus: imo vulgata scriptura unice vera est. Nec vero illud *καί* ante *καθάπερ* attrectari debebat. Est enim adeo, pertinetque ad totam quae sequitur sententiam, quum alterum istud *καί* ante *νῦν δή* inserviat comparationi atque ad *καθάπερ* referatur. Omnium minime autem in glossematis suspicionem illa debebant vocari: *εἴπερ πάσας — ἀβλαβὲς ἅπασι*, quae verbis *ταὐτὰ λέγομεν περὶ τῶν ἡδονῶν* adiuvandae perspicuitatis caussa per epexegesin ita adiecta sunt, ut non sine vi et gravitate praecedens illud *ἀβλαβές τε καὶ ὠφέλιμον διὰ βίου* per *διὰ βίου ξυμφέρον καὶ ἀβλαβές*, adhibita chiasmi figura, iteretur. De *διὰ βίου*, per totam vitam, tota vira, lebenslänglich, v. Sympos. p. 183. E. *ὁ ἐραστὴς διὰ βίου μένει*. Ibid. 192. C. Ast. ad Legg. p. 399.

B. *εἴτε ἡδονὰς ὑμᾶς χρὴ πρ.*] Faceta urbanitate tangit illa Philebi p. 12. B. Quod ubi tenueris, haudquaquam accedes Winckelmanni iudicio ann. ad Euthydem. p. 45. scribendum putantis: *ὦ φίλε, εἴτε ἡδονὰς ἡμᾶς χρὴ πρ.* ut est in multis codicibus. Nimirum haec scriptura orta est ex eo, quod scriptoris verba perperam intellecta sunt; sicuti clarissime ostendit similis allocutio *τοῦ νοῦ καὶ φρονήσεως* sect. C. Dein *δέξαισθε* sequente *ἤ* dictum pro *δέξαισθε μᾶλλον ἤ*. Eundem usum habere constat alia verba non pauca, quae voluntatem, cupiditatem, optionem, studium significant; ut *βούλεσθαι*, *ἐθέλειν*, *ἐπιθυμεῖν*,

σθε οἰκεῖν μετά φρονήσεως πάσης ἢ χωρὶς τοῦ φρονεῖν; Οἶμαι μὲν πρὸς ταῦτα τόδ' αὐτὰς ἀναγκαιότατον εἶναι λέγειν.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ὅτι, καθάπερ ἔμπροσθεν ἐρρήθη, τὸ μόνον καὶ ἔρημον εἰλικρινὲς εἶναί τι γένος οὔτε πάνυ τι δυνατὸν οὔτ' ὠφέλιμον· πάντων γε μὴν ἡγούμεθα γενῶν ἄριστον ἓν ἀνθ' ἑνὸς συνοικεῖν ἡμῖν τὸ τοῦ C *γιγνώσκειν τὰ ἄλλα τε πάντα καὶ αὖ τὴν αὐτὴν ἡμῶν τελέως εἰς δύναμιν ἑκάστην.*

BCEFH. Flor. a. b. c. i. male. Dein *δέξασθαι* ferè omnes. Sed verissime Vat. corr. cum vulg. lectione conspirat, *δέξαισθε* exhibens.

C. *καὶ αὖ τὴν αὐτὴν ἡμῶν*] *αὖ* om. Bodl. Ven. et pr. Vat. *αὐτὴν αὖ* corr. Ven. *Σ*.

τελέως εἰς δύναμιν] Pro *εἰς* Ven. *Σ*. corr. *τὴν δ*. Pro *ἑκάστην* Ven. *Π*. Par. E. habent *ἑκάστης*.

ζητεῖν, *αἱρεῖσθαι*, quae aut comparativi notionem continent aut vim particulae *ἤ* disiunctivam ferunt. v. Nitsch. ad Platon. Ion. p. 67 sqq. Kühner. Gr. Gr. §. 747. ann. 3.

Ὅτι, καθάπερ ἔμπροσθεν ἐρρήθη, τὸ μόνον —] Iungenda verba sunt sic: *ὅτι οὔτε πάνυ τι δυνατὸν οὔτ' ὠφέλιμόν* (*ἐστι*) *τὸ γένος τι εἰλικρινὲς εἶναι μόνον καὶ ἔρημον*: nec fieri posse nec esse utile, ut genus aliquod sincerum purumque (quod nihil alieni admixtum habeat) maneat solum ac veluti orbum, neque cum alio genere commisceatur. Itaque hic omnia salva et intaminata sunt. Alia ratio est verborum proximorum, quae videntur aliquam labem suscepisse. In his enim primum, pro *αὖ τὴν αὐτὴν ἡμῶν*, cum Schleiermachero reponendum videtur *αὖ τὴν αὐτῶν ἡμῶν*, ut sententia verborum haec sit: omnium tamen generum longe praestantissimum, quod nobiscum habitet, illud censemus esse, quo quum alia omnia intelligere et cognoscere, tum etiam unamquamque nostrum ipsarum perspicere liceat quam perfectissime. Cohaerent enim *αὐτὴν ἑκάστην*, ac *τελέως εἰς δύναμιν* cum *γιγνώσκειν* iungendum. Illud *ἓν ἀνθ' ἑνός* proprie est: unum si alteri praeferatur, h. e. prae reliquis omnibus, longe maxime, Legg. IV. p. 705. B. *οὗ μεῖζον κακὸν πόλει ἀνθ' ἑνὸς ἓν οὐδὲν ἂν γίγνοιτο*. De Rep. I. p. 331. B. *ἀλλὰ ἓν γε ἀνθ' ἑνὸς οὐκ ἐλάχιστον ἐγωγε θείην ἂν εἰς τοῦτο*. Plene Herodot. IV, 50. *ἓν πρὸς ἓν συμβάλλειν*. Plura dabit Hemsterhus. Anecdot. I. p. 262. ed. Geel. Aliter Heusdius Specim. Crit. p. 107. locum refinxit, qui scribi iussit: *καὶ αὐτὴν αὐτὴν ἡμῶν τελέως εἰς δύναμιν ἑκάστην*, unam-

ΠΡΩ. Καὶ καλῶς γε εἰρήκατε τὰ νῦν, φήσομεν.

ΣΩ. Ὀρθῶς. πάλιν τοίνυν μετὰ τοῦτο τὴν φρόνησιν καὶ τὸν νοῦν ἀνερωτητέον· Ἆρ' ἡδονῶν τι προσδεῖσθε ἐν τῇ ξυγκράσει; φαῖμεν ἂν αὖ τὸν νοῦν τε καὶ τὴν φρόνησιν ἀνερωτῶντες. Ποίων, φαῖεν ἂν ἴσως, ἡδονῶν;

D *ΠΡΩ. Εἰκός.*

ΣΩ. Ὁ δέ γ' ἡμέτερος λόγος μετὰ τοῦτ' ἐστὶν ὅδε. Πρὸς ταῖς ἀληθέσιν ἐκείναις ἡδοναῖς, φήσομεν, ἆρ' ἔτι προσδεῖσθ' ἡμῖν τὰς μεγίστας ἡδονὰς ξυνοίκους εἶναι καὶ τὰς σφοδροτάτας; Καὶ πῶς, ὦ Σώκρατες; φαῖεν ἄν, αἵ γ' ἐμποδίσματά τε μυρία ἡμῖν ἔχουσι, τὰς ψυχάς, ἐν αἷς οἰκοῦμεν, ταράττουσαι διὰ μανικὰς ἡδονάς, καὶ γίγνεσθαί τε ἡμᾶς τὴν

καὶ τὸν νοῦν ἀνερωτητέον·] Flor. b. *ἐρωτητέον.* Dein Bodl. Coisl. Par. E F H. Ang. Flor. a. b. i. Ald. Bas. 1. 2. vitiose *προσδεῖσθαι.*

φαῖμεν ἂν αὖ] *φαμὲν* Vat. Ven. *Π.*

Ποίων, φαῖεν ἂν ἴσως, ἡδ.] V. *φαῖμεν ἄν*, quod primus correxit Grouius Interp. Gall. p. 358. nunc e Bodl. Vat. aliis multis emendatum est. In Coisl. Ven. *Λ.* Flor. b. i. *ἂν φαῖεν*, quod non aspernandum. De sede particulae *ἄν* vi ad Criton. p. 52. D. Phaedon. p. 87. A.

D. *πῶς, ὦ Σώκρατες; φαῖεν ἄν*] Ante *φαῖεν* vett. editt. inserunt *ἴσως*, quod in Bodl. Vat. Ven. *Π.* extrusum est.

quamque nostrum, quoad eius fieri potest, semet ipsam cognoscere. Quod tamen videtur a mente scriptoris alienum esse, quippe qui voluptatibus sui cognitionem aliquam vix adscripserit.

C. *εἰρήκατε τὰ νῦν, φ.*] Int. *τὰ νῦν λεχθέντα s. λεγόμενα*, ut Sophist. p. 284. D. Politic. p. 262. C. al.

Ποίων, φαῖεν ἂν ἴσως, ἡδονῶν;] Habet haec interrogatio quandam indignationis significationem: quam in rem quae Heusdius comparavit, Theaet. p. 180. B. Gorg. p. 490. D. Charmid. p. 174. B. Euthydem. p. 304. E. Erast. p. 132. B., iis addas nostra ad Hipp. Mai. p. 285. D.

D. *λόγος μετὰ τοῦτ' ἐστὶν ὅδε.*] Stephanus *ἔσται* coniecit: nimirum subiungitur *φήσομεν.* Defendi tamen librorum lectio poterit.

αἵ γ' ἐμποδίσματα μυρία —] quae coniunctae sunt cum innumeris impedimentis. Monui, quia fuit qui mallet *παρέχουσι.* Sophist. p. 268. A. *τὸ δὲ θατέρου σχῆμα διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις κυλίνδησιν ἔχει πολλὴν ὑποψίαν καὶ φόβον, ὡς ἀγνοεῖ* (sc. *ὁ ἕτερος s. αὐτὸς*) *ταῦτα*; quem locum etiamnunc videmur recte explicavisse. Nimirum *ἔχουσι* prope idem est quod *παρέχουσι.* De

ἀρχὴν οὐκ ἐῶσι τά τε γιγνόμενα ἡμῶν τέκνα ὡς τὸ E
πολύ, δι' ἀμέλειαν λήθην ἐμποιοῦσαι, παντάπασι
διαφθείρουσιν; ἄλλας δὲ ἡδονὰς ἀληθεῖς καὶ καθα-
ρὰς ἃς εἶπες, σχεδὸν οἰκείας ἡμῖν νόμιζε, καὶ πρὸς
ταύταις τὰς μεθ' ὑγιείας καὶ τοῦ σωφρονεῖν, καὶ
δὴ καὶ ξυμπάσης ἀρετῆς ὁπόσαι καθάπερ θεοῦ ὁπα-
δοὶ γιγνόμεναι αὐτῇ ξυνακολουθοῦσι πάντῃ, ταύτας
μίγνυ· τὰς δ' ἀεὶ μετ' ἀφροσύνης καὶ τῆς ἄλλης
κακίας ἑπομένας πολλή που ἀλογία· τῷ νῷ μιγνύναι
τὸν βουλόμενον ὅ τι καλλίστην ἰδόντα καὶ ἀστασια- 61
στοτάτην μίξιν καὶ κρᾶσιν ἐν ταύτῃ μαθεῖν πειρᾶ-
σθαι, τί ποτε ἔν τε ἀνθρώπῳ καὶ τῷ παντὶ πέφυ-
κεν ἀγαθὸν καὶ τίνα ἰδέαν αὐτὴν εἶναί ποτε μαν-
τευτέον. Ἆρ' οὐκ ἐμφρόνως ταῦτα καὶ ἐχόντως ἑαυ-

ἡμῖν ἔχουσι] παρέχουσι Ven. Σ. corr.

E. ἄλλας δὲ ἡδονὰς] Libri τε. Correxit Fischerus.

καὶ πρὸς ταύταις] V. ταύτας, quod soli habent Par. F. et pr. Ven. Ξ. Dein ὑγείας Bodl. Vat. Ven. Π.

ταύτας μίγνυ· τὰς δ' ἀεὶ] Libri ταύτας μιγνύντας δ' ἀεὶ —. Correxit Heusdius felicissime.

P. 64. ἐν ταύτῃ μαθεῖν] Sic Bodl. Vat. Ven. Π. pro vulg. μαθεῖν ἐν ταύτῃ.

καὶ ἐχόντως ἑαυτὸν] ἔχοντος Bodl. Ven. Π. et pr. Vat. qui teste Bastio habet ἐχόντως ἑαυτοῦ τὸν νοῦν.

vi cupiditatum menti et cognitioni pestifera praeclarus est locus Phaedon. p. 64. D. sqq. inprimis p. 66. B. C. D. Ex quo hic facili negotio errorem corrigere licebit, qui latet in verbis διὰ μανικὰς ἡδονάς. Etenim perquam mire, imo inepte, dictum est αἱ μέγισται ἡδοναὶ τὰς ψυχὰς ταράττουσαι διὰ μανικὰς ἡδονάς. Corrige sodes διὰ μανικὰς ἐπιθυμίας. Vitium ortum est ex temeraria notionum consimilium confusione, quemadmodum in superioribus vidimus φθόγγων et φωνῶν inter se essè permutatum. — γίγνεσθαί τε ἡμᾶς τὴν ἀρχήν, nos (mentem ac sapientiam) omnino non oriri sinunt. Itaque τὰ ἡμῶν τέκνα sunt omnino ea, quae ex mente et sapientia nascuntur. Eadem metaphora est Sympos. p. 206. C. sqq. ubi res declaratur ἀλληγορικῶς. conferas inprimis p. 208. E. sqq. 209. C. sq. 211. D.

E. ἄλλας δὲ ἡδονὰς ἀληθεῖς —] Libri omnes habent τε, quod verissime emendavit Fischerus, probante etiam Bekkero. Etenim opponuntur haec antecedentibus, quandoquidem verarum voluptatum alia plane ratio, quam maximarum illarum et vehementissimarum, esse iudicatur. Erravit igitur Winckelmannus τε unice verum esse fatus.

P. 64. εἶναί ποτε μαντευτέον.] V. ad p. 44. C.

τὸν τὸν νοῦν φήσομεν ὑπέρ τε ἑαυτοῦ καὶ μνήμης καὶ δόξης ὀρθῆς ἀποκρίνασθαι τὰ νῦν ῥηθέντα;

ΠΡΩ. Παντάπασι μὲν οὖν.

ΣΩ. Ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε ἀναγκαῖον, καὶ οὐκ ἄλλως ἂν ποτε γένοιτο οὐδ' ἂν ἕν.

B *ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;*

ΣΩ. Ὧι μὴ μίξομεν ἀλήθειαν, οὐκ ἄν ποτε τοῦτ' ἀληθῶς γίγνοιτο, οὐδ' ἂν γενόμενον εἴη.

ΠΡΩ. Πῶς γὰρ ἄν;

Cap. XL. *ΣΩ. Οὐδαμῶς. ἀλλ' εἴ τινος ἔτι*

ὑπέρ τε ἑαυτοῦ] *αὐτοῦ* Bodl.

B. *Ὧι μὴ μίξομεν*] *μίξωμεν* Bodl. Vat. Ven. *Α Π*. Par. FH. Flor. b. i. et rec. Par. B.

σύ τε καὶ Φίληβος] *τε* additum e Vat. Ven. *Π*. v. ad p. 28. A.

καὶ ἐχόντως ἑαυτὸν τὸν νοῦν] Mireris Stephanum a Platone *νουνέχοντως* scriptum fuisse suspicantem. Nam pro *νουνεχόντως* dicitur etiam *ἐχόντως νοῦν*, quo utitur Plato ipse Legg. III. p. 686. E. Isocrates De Pac. p. 161. Panathen. p. 278. ed. Coray. Atque *νόον ἐχόντως* Dobraeus in Porsoni Aristophaneis ad Pac. v. 734. non improbabiliter restituendum censet Herodoto IV, 36. Ibidem Porsonus contulit Eurip. Iphig. Aulid. v. 1139. ed. Markl. *ὁ νοῦς ὅδ' αὐτὸς νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνει.* conf. Bekkeri Anecd. II. p. 587. Itaque salvis analogiae legibus dici utique potuit *ἐχόντως ἑαυτόν*, in quo elegans quidam lusus verborum inest. Dein quod Heusdius putabat, *μνήμην* cum *δόξῃ ὀρθῇ* parum recte coniungi, ideoque corrigendum statuebat *καὶ ἐπιστήμης καὶ δόξης ὀρθῆς*, non meminit vir egregius illorum p. 11. B. *τὸ φρονεῖν καὶ τὸ νοεῖν καὶ τὸ μεμνῆσθαι καὶ τὰ τούτων αὖ ξυγγενῆ κ. τ. λ.* Nimirum *ἐπιστήμης* notio, si verum quaerimus, iam inest in *ὑπὲρ ἑαυτοῦ*, nec sine caussa *μνήμη καὶ δόξα ὀρθή* potissimum commemorari videtur.

Ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε ἀναγκαῖον —] Acceditur dehinc ad considerandas caussas et rationes, quibus voluptatis et sapientiae temperamentum regi debeat, siquidem illud futurum sit bonum atque perfectum. Itaque facile apparet, nunc etiam *τὸ αἴτιον* in clara luce collocari, quod in voluptatibus atque sapientiae formis sapienter commiscendis conspicuum esse oporteat. Censet autem philosophus, bonum in veritate, partium convenientia et pulcritudine cerni, ideoque ad harum leges mixtionis rationem omnem vel instituendam vel exigendam atque iudicandam esse. Quod cur ita statuatur, et in Prolegomenis disputavimus, et mox paucis videbimus.

B. *Ὧι μὴ μίξομεν — οὐδ' ἂν γενόμενον εἴη*] Intelligit igitur veritatem eam, qua ita fit, ut mixtio voluptatis ac doloris, siquidem vitae humanae felicitatem ac beatitatem

προσδεῖ τῇ συγκράσει ταύτῃ, λέγετε σύ τε καὶ Φίληβος. ἐμοὶ μὲν γὰρ καθαπερεὶ κόσμος τις ἀσώματος ἄρξων καλῶς ἐμψύχου σώματος ὁ νῦν λόγος ἀπειργάσθαι φαίνεται.

ΠΡΩ. Καὶ ἐμοὶ τοίνυν, ὦ Σώκρατες, οὕτω λέγε δεδόχθαι.

ΣΩ. Ἆρ' οὖν ἐπὶ μὲν τοῖς τοῦ ἀγαθοῦ νῦν C ἤδη προθύροις καὶ τῆς οἰκήσεως ἐφεστάναι τῆς τοῦ τοιούτου λέγοντες ἴσως ὀρθῶς ἄν τινα τρόπον φαῖμεν;

ΠΡΩ. Ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ.

ἄρξων καλῶς ἐμψύχου σώματος] Omittunt haec Coisl. Ven. *ΑΞΣ*. Par. BCEH. Angel. Flor. a. b. c. i. et pr. Par. F.; temere.

C. ὀρθῶς ἄν τινα τρ.] V. ὀρθόν, quod e Bodl. Vat. Ven. *Π*. mutatum. Sed iidem dein prave φαμὲν pro φαῖμεν.

allatura sit, etiam boni naturae revera conveniat, nec quidquam contineat alieni. conf. p. 52. E. — 53. C. ubi de veritatis notione disseritur.

ἐμοὶ μὲν γὰρ καθαπερεὶ κόσμος τις ἀσώματος] Mixtione peracta, ubi veritatem ad eam requiri commonefactum est, Socrates iam nihil amplius arbitratur ad illius absolutionem atque praestantiam desiderari. Quocirca disputationem hactenus institutam comparat cum κόσμῳ τινὶ ἀσωμάτῳ, qui pulcre corpori animato sit modum finemque praescripturus. Etenim tota Socratis disputatio revera est κόσμος τις ἀσώματος, quoniam quidquid ea explicatum est, id repetitum esse apparet ex sublimiore rerum divinarum cognitione atque ideis; quo ipso fit, ut iam tanquam ordinem quendam atque mundum cernere videamur pulcerrime ordinatum et compositum. Est autem hic κόσμος ἄρξων ἐμψύχου σώματος. Nam commixta iam tandem est et prudenter temperata vita humana ex sapientia et voluptate, ut veluti corpus aliquod humanae felicitatis ob oculos versetur, cuius imperium futurum est penes illum ipsum λόγον, qui iam tandem absolutus est atque consummatus. Sic nos hunc locum interpretandum censemus, quem secus explicuit Trendelenburg De Platonis Philebi Consilio p. 13. Is enim haec refert ad partes dialogi artificiosius iunctas et compositas. Ceterum verba: ἄρξων καλῶς — ἐμψύχου σώματος desunt in codicibus non paucis, non aliam ob caussam, opinor, quam quod ὁμοιοτέλευτον istud ἀσώματος et σώματος errandi opportunitatem praebuit.

C. ἐπὶ τοῖς τοῦ ἀγαθοῦ — προθύροις] Ante vestibulum aedium, in quibus bonum habitet, sese iam stare dicit ideo, quia, ubi ad veritatem, quae, modo memorata est, etiam symmetria et pulcritudo accesserit, boni notae omnes plene indicatae atque enumeratae erunt. Ob oculos locum habuit Plotin. Enn. V. libr. 9. ad quem v. Creuzer. T. III. p. 314.

ΣΩ. Τί δῆτα ἐν τῇ ξυμμίξει τιμιώτατον ἅμα καὶ μάλιστ' αἴτιον εἶναι δόξειεν ἂν ἡμῖν τοῦ πᾶσι γεγονέναι προσφιλῆ τὴν τοιαύτην διάθεσιν; τοῦτο γὰρ ἰδόντες μετὰ τοῦτ' ἐπισκεψόμεθα, εἴθ' ἡδονῇ εἴτε τῷ νῷ προσφυέστερόν καὶ οἰκειότερον ἐν τῷ παντὶ ξυνέστηκεν.

D ΠΡΩ. Ὀρθῶς· τοῦτο γὰρ εἰς τὴν κρίσιν ἡμῖν ἐστὶ ξυμφορώτατον.

ΣΩ. Καὶ μὴν ξυμπάσης γε μίξεως οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἡ παντὸς ἀξία γίγνεται ἡτιοῦν ἢ τὸ παράπαν οὐδενός.

ΠΡΩ. Πῶς λέγεις;

ΣΩ. Οὐδείς που τοῦτο ἀνθρώπων ἀγνοεῖ.

ΠΡΩ. Τὸ ποῖον;

ΣΩ. Ὅτι μέτρου καὶ τῆς ξυμμέτρου φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡτιοῦν καὶ ὁπωσοῦν ξύγκρασις πᾶσα ἐξ ἀνάγ-

τοῦτ' ἐπισκεψόμεθα] Sic Bodl. Ven. ΞΠ. et pr. Vat, pro vulg. ἐπισκεψώμεθα.

εἴτε τῷ νῷ] τῷ e Bodl. Vat. Coisl. Ven. ΑΠΣ. Par. BEH. Ang. Flor. a. b. c. i. restitutum. Dein libri mss cum vett. editt. προσφυές τε καὶ οἰκειότερον. Egregie locum persanavit Heusdius.

D. εἰς τὴν κρίσιν ἡμῖν ἐστὶ ξ.] Cornarius ἔσται malebat, Ven. Ξ. et Par. F. ἐστὶ ante εἰς collocant. In Ald. Bas. 1. 2. utroque loco illatum est. Fortasse igitur plane eiiciendum est.

Καὶ μὴν ξυμπάσης γε] καὶ post μὴν iterant Vat. Ven. Π. Pro παντὸς ἀξία Bodl. et pr. Ven Π. πάντως ἀξία.

D. εἰς τὴν κρίσιν ἡμῖν ἐστὶ ξυμφ.] Cornarius duce Ficino correxit ἔσται. conf. ad p. 63. D. in.

Ὅτι μέτρου καὶ τῆς ξυμμέτρου —] De τοῦ μετρίου ad quamlibet rem, quae quidem bona et pulcra futura sit, necessitate disputatur Politic. p. 283. C. sqq. Pro καὶ ὁπωσοῦν Sydenhamus legendum putabat καὶ ὁπόσα οὖν. Haesit doctissimus medicus, nisi fallor, in adverbii cum nomine coniunctione. Sine caussa. Nam ὁπωσοῦν connectendum est cum μὴ ἐπιτυχοῦσα.

E. ἄκρατος ξυμπεφορημένη — ξυμφορά.] Ludit vocabuli ξυμφορά originatione, atque dilogia inde oriunda. Nam quum illud proprie esse possit collatio, conacervatio, collectio, tum significat fere malum et calamitatem. Utramque igitur vocabuli significationem respiciens Socrates commixtionem, quae iusto modo et congruentia careat, nihil aliud esse censet quam ξυμπεφορημένην ξυμφοράν, conflatum temere malum. Platonis elegantiam aemulatur Schleiermacheri interpretatio, ein zusammengewehetes Wehe. Ἀληθῶς sequente ὄντως ne

κης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην ἑαυτήν. οὐδὲ γὰρ κρᾶσις, ἀλλά τις ἄκρατος ξυμπεφορημένη E ἀληθῶς ἡ τοιαύτη γίγνεται ἑκάστοτε ὄντως τοῖς κεκτημένοις ξυμφορά.

ΠΡΩ. Ἀληθέστατα.

ΣΩ. Νῦν δὴ καταπέφευγεν ἡμῖν ἡ τἀγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν. μετριότης γὰρ καὶ ξυμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι.

ΠΡΩ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΣΩ. Καὶ μὴν ἀλήθειάν γε ἔφαμεν αὐτοῖς ἐν τῇ κράσει μεμίχθαι.

ΠΡΩ. Πάνυ γε.

ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι, σὺν τρισὶ λαβόντες, κάλλει καὶ ξυμ- 65 μετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, λέγωμεν ὡς τοῦτο οἷον ἓν ὀρ-

Οὐδείς που τοῦτ'] V, πω, quod recte ex Bodl. Vat. Ven. ΠΣ. correctum.

Ὅτι μέτρον καὶ τ.] Sic Coisl. Vat, Ven. ΑΞΠ. Par. CFH. Ang. Flor. a. b. c. i. et ed. Bas. 2. Vulgo μέτρον.

καὶ πρώτην ἑαυτήν] αὐτήν Bodl.

E. καταπέφευγεν ἡμῖν] Sic Bodl. Vat. Ven, Π. Vett. editt. ἡμᾶς.

ἔφαμεν αὐτοῖς] ἑαυτοῖς Bodl, Vat. Ven. Π.

P. 65. τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι] θησαυρίσαι Coisl. Ven. ΑΣ. Par. BCEFH. Ang. Flor. a. b. c. i.

quem male habeat, Lachet. p. 183. D. ἐν τῇ ἀληθείᾳ ὡς ἀληθῶς ἐπιδεικνύμενον. Phaedon. p. 66. C. ὥστε τὸ λεγόμενον ὡς ἀληθῶς τῷ ὄντι ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν. De Rep. p. 347. D. ὅτι ὁ τῷ ὄντι ἀληθινὸς ἄρχων οὐ πέφυκε τὸ αὑτῷ ξυμφέρον σκοπεῖσθαι, ubi v. ann.

μετριότης γὰρ καὶ ξυμμετρία κάλλος δήπου —] Nam ex convenientia partium certo alicui fini accommodata sponte tanquam efflorescit pulcritudo, quae est quasi absolutio et consummatio eius, quod bonum perfectumque futurum sit; qua efficitur, ut veluti specie et forma sua placeat atque sese commendet. cf. Politic. p. 284, B. ἅπασαι γὰρ αἱ τοιαῦταί που (τέχναι) — τὸ μέτριον σώζουσαι πάντα ἀγαθὰ καὶ καλὰ ἀπεργάζονται. Timaeus p. 87. D. πᾶν δὴ τὸ ἀγαθὸν οὐ κακόν· τὸ δὲ καλὸν οὐκ ἄμετρον, καὶ ζῷον οὖν τὸ τοιοῦτον ἐσόμενον ξύμμετρον θετέον. De Rep. VI. p. 486. E. ubi nec veritatem posse carere symmetria docetur.

P. 65. Οὐκοῦν. εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ —] Itaque, nisi una specie et forma bonum venari poterimus,

θότατ' ἂν αἰτιασαίμεθ' ἂν τῶν ἐν τῇ ξυμμίξει, καὶ διὰ τοῦτο ὡς ἀγαθὸν ὂν τοιαύτην αὐτὴν γεγονέναι.

ΠΡΩ. Ὀρθότατα μὲν οὖν.

Cap. XLI. *ΣΩ. Ἤδη τοίνυν, ὦ Πρώταρχε, ἱκανὸς ἡμῖν γένοιτ' ἂν ὁστισοῦν κριτὴς ἡδονῆς τε πέρι καὶ φρονήσεως, ὁπότερον αὐτοῖν τοῦ ἀρίστου*
B *ξυγγενέστερόν τε καὶ τιμιώτερον ἐν ἀνθρώποις τέ ἐστι καὶ θεοῖς.*

ΠΡΩ. Δῆλον μέν, ὅμως δ' οὖν τῷ λόγῳ ἐπεξελθεῖν βέλτιον.

B. *ὅμως δ' οὖν τῷ λ.*] Pro *οὖν*, quod debetur Bodl. Vat. Ven. *ΑΞΙΙΣ*. Coisl. Par. BC. Ang. Flor. a. b. c. i., vulgo scribebatur *αὖ*.

B. *τῷ λόγῳ ἐπεξελθεῖν*] *ἐπελθεῖν* Bodl. Vat. Ven. *Π.*

tribus illud capientes, pulcritudine, convenientia et veritate, dicamus istas tanquam unum quiddam rectissime nos habituros esse pro caussa eorum, quae mixtione continentur, atque ipsam (mixtionem) propter illud (per unum ex pulcritudine, symmetria et veritate compositum), quippe quod bonum sit, item talem (bonum) extitisse. Metaphora a venatione repetita, ut Theaet. p. 203. D. Lachet. p. 194. B. sq. Reip. IV. p. 432. B. C. D. al. Pro *ὡς τοῦτο* expectabas *ὡς ταῦτα*; nam refertur pronomen ad *κάλλος, συμμετρια καὶ ἀλήθειαν*. Sed nihil mutandum, siquidem illud per quandam attractionem proximo *ἓν* accommodatum est. Pro *αἰτιασαίμεθ' ἄν* fuit qui *αἴτιον αἰτιασαίμεθ' ἄν* coniectaret. At considera mihi talia: De Rep. II. p. 379. D. *καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον.* Legg. I. p. 636. B. *τούτων τὰς ὑμετέρας πόλεις πρώτας ἄν τις αἰτιῷτο.* Sophist. p. 218. A. *μὴ ἐμὲ αἰτιᾶσθαι τούτων.* et facile videbis, genitivum ex uno *αἰτιᾶσθαι* suspensum esse posse, quippe in quo notio *τοῦ αἰτίου* comprehendatur. Pro *καὶ διὰ τοῦτο* Astius legendum coniecit *καὶ ξυμμίξει διὰ τοῦτο*. Quo certe non opus est, si vera est ea, quam modo proposuimus, loci interpretatio. Pronomen *τοιαύτην* referendum ad *ἀγαθόν*, ut significet itidem bonam, usu haud ita raro. Sic p. 55. B. *μηδὲν τοιοῦτον εἶναι* referendum est ad *ὅσ' ἀγαθὰ εἴληχε ψυχή*, ut *τοιοῦτον* sit *ἀγαθόν*. Prudentissime vero philosophus bonum nunc statuit his tribus tanquam formis ipsius absolvi, quamquam alibi aliter de his rebus iudicavit. v. Reip. VI. p. 508. D. sqq. VII. p. 517. E. Legg. XII. p. 965. C. sq. Agitur enim de sapienti voluptatis et sapientiae temperamento, ad quod quantum referat, ut veritatis, symmetriae, et pulcritudinis leges quam religiosissime observentur, neminem fugiet. Nimirum ipsum bonum in se spectatum, sive boni absoluti ideam, philosophus haud sane potuit ad rem praesentem adhibere. Nam primum quidem illud in se cognitu est longe

ΣΩ. Καθ' ἓν ἕκαστον τοίνυν τῶν τριῶν πρὸς τὴν ἡδονὴν καὶ τὸν νοῦν κρίνωμεν. δεῖ γὰρ ἰδεῖν ποτέρῳ μᾶλλον ξυγγενὲς ἕκαστον αὐτῶν ἀπονεμοῦμεν.

ΠΡΩ. Κάλλους καὶ ἀληθείας καὶ μετριότητος πέρι λέγεις;

ΣΩ. Ναί. πρῶτον δέ γε ἀληθείας λαβοῦ, ὦ Πρώταρχε· καὶ λαβόμενος, βλέψας εἰς τρία, νοῦν καὶ ἀλήθειαν καὶ ἡδονήν, πολὺν ἐπισχὼν χρόνον, C ἀπόκριναι σαυτῷ, πότερον ἡδονὴ ξυγγενέστερον ἢ νοῦς ἀληθείᾳ.

καθ' ἓν ἕκαστον] Affert locum Euseb. Praep. Evang. XIV. c. 22. p. 770. ed. Col. Particulam exscripsit etiam Stobaeus Eclogg. Eth. VI. p. 64 sq. et Athenaeus XII, 1.

